Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/institutionesthe0001leop

FR. LEOP. BR. LIEBERMANN,

GENERALVICAR DES BISTHUMS STRASBURG.

Verlag von Franz Kirchheim in Mainz.

INSTITUTIONES

THEOLOGICAE

AUCTORE

FR. LEOP. BRUN. LIEBERMANN.

ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

TOMUS I.

COMPLECTENS PROLEGOMENA NEC NON THEOLOGIAM DOGMATICAM GENERALEM.

Theol. Lib.
24294
ALMA COLLEGE
LIBRARY
Alma, California

EDITIO DECIMA.

CUM SUCCINCTA VITA AUCTORIS.

ALMA COLLEGE
210.2
LIBRARY
L621
Los Gatos, Calif.

MOGUNTIAE,
SUMPTIBUS FRANCISCI KIRCHHEIM.
1870.

2079



Leo PP. XII.

Dilecte Fili salutem et Apostolicam Benedictionem-Maximis assiduisque occupationibus impediti quominus possemus lectione operis tui, cujus est titulus „*Institutiones theologicae*“ desiderium nostrum explere, cum illud viro docto ac prudenti ad legendum dedissemus, is judicium de ingenio, scientia, ac religione tua tibi sane quam honorificum protulit, Nobis vero jucundissimum. Idem fore confidimus ut ab aliis etiam audituri simus, Nobisque ipsis ita sentiendum sit, si quando, ut quidem speramus, vacaverit in tua haec scripta considerationem intendere: quam ceteroqui fiduciam, saltem ad integritatem quod attinet doctrinae, vel ipsae Nobis attulerunt litterae tuae, quibus nulla luculentior esse potest animi fidei orthodoxae et Romanae Ecclesiae penitus addicti ac devoti, nulla demissior in personam humilitatis nostrae pietatis ac reverentiae declaratio. Quare laborem hunc tuum tibi gratulamur, et quo tuam erga Nos voluntatem confirmas, exemplum dono missum operis ejusdem gratissimum habemus. Hortantes autem in Domino, ut in *bonum certamen fidei* omnem operam industriamque tuam conferre sapienter perseveres ac fortiter, pignus paterni in te ac memoris animi nostri Apostolicam Benedictionem tibi peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 13. Augusti Anni 1828.

Pontificatus Nostri Anno V.

G. Gasparini SS. D. N. ab epist. Latinis.

Dilecto Filio
Fr. Leopoldo Br. Liebermann
Argentinam.

Legimus librum, cui titulus: **Institutiones Theologicae, auctore FR. LEOP. BRUN. LIEBERMANN etc. Tom. I. complectens Prolegomena et Demonstrationem Christianam.** — Cum hoc opus nihil a mente sanctae ecclesiae catholicae alienum contineat; sed econtra ubique sanctissimum Religionis zelum spiret, et cum rerum gravissimarum copia, accuratam materiarum distributionem, et perspicuam dictionis elegantiam conjungat; illud non approbamus tantum, sed et commendamus quam maxime; simulque iis, qui in hac Dioecesi ad examen approbandorum vocandi sunt, notum facimus, hunc librum in examine tanquam normam et fontem quaestionum in parte dogmatica a nobis esse selectum.

Datum Moguntiae die 9 Julii 1819.

J. J. HUMANN,
Dioeces. Mog., sede vacante, VICARIUS GENERALIS.

De vita auctoris.

Franciscus Leopoldus Bruno Liebermann, auctor hujus operis theologici, rebus gestis non minus praestat ac scriptis. Unde vere dignus est, cujus memoria recolatur.

In lucem editus est die XII. Octobris 1759 *Molshemii* prope Argentinam. Puerulus infirma utebatur valetudine atque parentibus vix ullam dabat spem, ut in vivis servaretur. Inde est, quod jam adultus vitam semper agere debuit valde moderatam. Dei ergo auxilio implorato proficiebat, quin discendi studium, quo puer acumine mentis citius expedito aestuabat, fragile corpus consumeret. Literarum humaniorum classes in collegio, quod pridem Patres societatis Jesu regebant in patrio suo oppido, tanto successu percurrit, ut inter condiscipulos quotannis facile princeps haberetur. Magister *Cuderer*, extinctae societatis Jesu sodalis, adolescentem nostrum praedilexit. Cursum hujus viri, qui praecepta artis rhetoricae tradebat, propter juvenilem aetatem ipse repetiit, simul repetendis studiis sociorum suorum praefectus.

Ex aequo primas palmas in palaestra philosophica adeptus, illico transiit *Argentinam*, ubi remisso stipendio in Seminarium Clericorum admissus quatuor annis operam navavit disciplinis theologicis, quas tunc celebres viri *Jeaujeau*, *Louis*, *Gerber*, *Hirn*, *Dietrich*, *Cinquantin* commentati sunt. Emenso curriculo theologico initiatus est die XXVII. Decembris 1780 sacro Subdiaconatus ordine. Subinde quum ob defectum aetatis canonicae nondum ad presbyteratum promoveri potuisset, vices aegrotantis magistri artis rhetoricae Molshemii supplevit, atque simul theses praeparavit, quas pro obtinenda Licentiati dignitate defendendas suscepit. Quae quidem dignitas, postquam selectas ex universa theologia doctrinas summa cum laude, uti audientes testantur, adinstar perfecti theologi propugnavit, eidem die XVII. Martii 1782 collata est.

Paulo post Diaconi ac proximo anno die XIV. Junii ordinem presbyteri suscepit. Tum revocatur a munere regulas eloquentiae explanandi, ut parumper partes Sacellani in Hohengoeft ageret. Mox autem suadente theologo *Jeaujeau* regimen Seminarii Argentinensis ipsi committitur, cui muneri anno subsequente accessit officium dominicis diebus in cathedrali ecclesia praedicandi Dei verbum. In Seminario porro egit dies et labore et fructu refertos, donec Propositus Capituli *Hasslach* anno 1787 ei contulit parochiam *Ernolsheim*, parum a solo natali disjunctam. Atque adeo factum est, ut futurus rector Seminarii Abbatiae *Omnium Sanctorum* ac deinceps *Moguntini* ex propria rerum experientia alumnis suis rosas

spinasque vitae pastoris animarum insertas proponere posset.

Fuit ergo vir strenuus et propositi tenax, totus animarum saluti intentus, sed affabilitate quoque ac dexteritate sese commendabat. Proinde mirum esse nequit, quod ipsi non ita multo post jam licuerit praeclaros flores aspicere, pullulantes ex semine, quod sedulo sparsit. Juventus a recto ordine nequaquam recedebat totusque fidelium coetus libenter auscultabat vocem pastoris, qui sibi jam amorem et venerationem omnium conciliaverat, ita ut hodiedum etiam apud nepotes carissima sit hujus parochi memoria. Haec omnia autem, quae meliora tempora Ecclesiae in memoriam revocant, ipse assecutus est, quod certe difficultate non carebat, quum jam glisceret universalis rerum perturbatio. At quae iste parochus voluit, intrepido semper animo agebat Deique opitulante gratia obtinebat.

Ita etiam Liebermann exortae perturbationi gallicae pro viribus resistebat. Inter alia contra libellum, *Joannes Benevolens* inscriptum et in ruricolas dispersum, scripsit alium libellum *Joannes Meliusvolens*. Adigebantur tum parochi, ut in constitutionem civilem jurarent. Sed renuit noster Liebermann una cum confratribus ruralis Capituli *Sulz*, quibus ipse princeps, auctor et dux fuit. Inde est, quod juramenti a tanto viro praestiti reipublicae moderatores cupidissimi erant, certa persuasione ducti, fore ut ejus exemplum multos sacerdotes commoveret. Aliquando quum magis insisterent, accessit tandem mensae et scripsit sequentia ferme verba: „Hodie die . . . anno IV. unius et inseparabilis reipublicae Gallicanae mihi Fr. B. Liebermann, parocho in Ernolsheim, intimatum est juramentum Constitutionis civilis, quod ad praescriptum regiminis a Clericis sub poenis per leges sancitis praestandum est; sed nolui.“ Haec forma Argentinam missa et in comitiis provincialibus lecta est. Auditis primoribus verbis jam sibi gratulabantur, sed inopinata conclusione stupefactus princeps collegii exclamavit: Je crois qu'il se moque de nous. Illico autem missi sunt viri armati, ut caperent eum. Quod praevidens Liebermann, qui bene novit, quaenam consilia parochiani agerent, quippe qui jam prius armis semet accinxerant, ut parochum liberarent, quem sparso falso rumore captum putabant, statim trans Rhenum aufugit, nolens caros suos in tanti periculi discrimen dare.

Fugitivum parochum jam praecesserant Alumni Seminarii, quibus in monasteriis *Omnium Sanctorum* et in *Schuttern* hospitium provisum erat. Familiae autem in Abbatia Omnium Sanctorum degenti praefectus est noster Liebermann ab Episcopo Argentinensi Cardinali *Rohan*. In hoc loco procul ab hominum consuetudine, in montibus Nigrae Sylvae sito totus informandis adolescentibus, qui sacerdotium adspirabant, intentus primas lineas duxit operis sui dogmatici atque institutiones universi juris canonici conscripsit, quibus postmodum etiam Alumni Moguntini utebantur.

Vergente tamen anno 1795 non potuit, quin orbatam Alsatiam repetendo ad suos se conferret parochianos. Noctu ergo conscensa navi una cum aliis sacerdotibus Rhenoque superato, transeundo Argentinam revertitur ad suam parochiam Ernolsheim. Reduci autem parocho jubilantes occurrebant fideles. Renuntiatus deinde extraordinarius Commissarius hujus ecclesiasticae ditionis nullum fuit istius iniquae tempestatis periculum, quod formidabat, semper paratus molestias omnes ipsumque vitae discrimen subire. Mutato vestitu cursitabat hostibus incognitus, ut sacra officia perageret. Poenitentes solebat ad multam noctem reconciliare, qua me-

dia transacta habuit sermonem atque formidine poenae intactus non raro liberrima lingua utebatur. Denique incruentum sacrificium obtulit. Hujusmodi ergo vitam per sex continuos annos transegit, confidens tutelae suorum parochianorum, quin unquam insidiis inimicorum succumberet.

Postea sedatis paulatim fluctibus a dioecesis administratore *Hirn* Argentinam revocatus eidem per biennium a secretis fuit ac simul e suggesto Cathedralis denuo praedicavit. Postquam autem inter Napoleonem et Romanum Pontificem de rebus divinis concordatum est et in Sede Argentinensi successit Episcopus *Saurine*, cui strenui fidei propugnatores, inter quos Colmar et Liebermann eminebant, minus grati erant, hic novo rerum ordine constituto a munere remotus tertio remeavit in suam caram parochiam Ernolsheim. Quae vero ibidem otia peracto curae pastoralis officio dabantur, urgente sacerdotum penuria utilissime suppeditabat informandis adolescentibus, quorum indoles spem vocationis ecclesiasticae afferre videbatur. Ex inopinato autem die XII. Martii 1804 bene mane captus ac primum in propugnaculo Argentinensi detentus, elapsa hebdomada Lutetiam Parisiorum perlatus ibique carceribus *St. Pelagie* traditus est.

Pridie captus erat in Badensi loco *Ettenheim* princeps *de Enghien*, qui pariter Lutetiam raptus paulo post supplicio mulctatus est. Accusabatur autem Liebermann de transactionibus cum pristina familia regia habitis. Ex literis confiscatis ne umbram quidem delicti colligere fas erat. In praefato ergo carcere et postea in alio, qui *Temple* appellatur, severe custoditur octo mensibus, quin unquam a judicibus interrogetur aut de causa certior reddatur. Quum ergo excepto Breviario et alio libro *Evangelii meditati* nihil captivo restaret, longissimas horas transegit preces fundendo versusque componendo. Quae pro suis parochianis canebat carmina, commisit memoriae, Psalmos vero, quos vertendo ad metricam rationem ducebat, stilo ferreo parietibus carceris insculpsit.

Interim evectus est *Ludovicus Colmar* ad sedem episcopalem ecclesiae Moguntinae, quam III. die Octobris 1802 occupavit atque per sedecim annos ita rexit, ut spem de se conceptam, quantacunque fuit, longe superaret. Iste praesul et amicitiae vinculis et studiorum aemulatione nostro Liebermann semper carissimus, post plures cassos conatus a Napoleone tandem impetravit, ut captivus e vinculis dimitteretur[1]). Cui quum injunctum

1) Juvat ex literis, quas Colmar de suo amico die 16. Julii 1804 Ministro cultuum scripsit, quae sequuntur referre: Ensuite je puis rendre témoignage, que c'est lui, qui a fait les premières démarches auprès de Mr. le cardinal de Rohan pour l'engager à consentir à ce que son clergé se soumit aux conditions, que le gouvernement exigeait de lui, dès que Bonaparte se trouva à la tête des affaires, improuvant dans toutes les occasions ceux qui étaient d'un avis différent et cherchant pour tous les moyens à les ramener au bon parti. — Ainsi lorsqu'à l'occasion de la nomination de Mr. Saurine à l'évêché de Strassbourg, on était menacé d'une fermentation générale qui causait les plus vives allarmes aux autorités, il fit avec le plus grand zèle en prêchant en allemand dans la cathédrale de Strassbourg, ce que mon devoir m'avait dicté de faire en prêchant en français pour calmer les esprits et porter tout le monde à la soumission due aux autorités légitimes, et je ne doute pas, que ce ne soit qu'à son éloquence que le département du Bas-Rhin n'ait dû pour lors en grande partie sa tranquillité. Enfin il existe de lui une circulaire latine imprimée, dont je n'ai aucun exemplaire imprimé sous la main, donnée à l'occasion d'un Te Deum chanté en actions de graces pour la conservation des jours précieux du grand Napoléon à tous les prêtres du diocèse de Strassbourg, où il parle de ce héros avec des sentimens qui seuls pour-

fuisset, ut in loco ab urbe Argentina quadraginta saltem leucas dissito vitam ageret, exul e propria dioecesi anno 1804 venit Moguntiam, ubi tamen non jure suo vivere licuit, sed sub custodia positus, quae non nisi quatuor annis post remissa est.

Moguntiae vero post varias vicissitudines pluresque bellorum strages fere omnia ruina perculsa jacebant. Pristinum quoque Clericorum Seminarium, cujus moderamen olim ven. viro *Bartholomaeo Holzhauser*, communis Clericorum vitae restauratori, ejusdemque discipulis creditum erat, omnibus exutum reditibus exspiraverat. Ideo dignissimus praesul nihil majore sollicitudine prosequebatur, quam Seminarii erectionem, ut novam ecclesiae Moguntinae sobolem pararet. Recuperato igitur alio aedificio, plus audens, ac humanis viribus, prout Liebermann ipse in Protocollis Seminarii scribit, attingi poterat, opus aggressus, domum brevi refecit, praeclara Statuta sive leges, quarum auctor est Liebermann, quaeque adhuc observantur, tradidit „multisque ad Deum fusis orationibus et lacrymis," ut verbis utar in literis nominationis d. d. XIV. Martii 1805 usurpatis, dilectum Liebermann Regentem seu primarium Seminarii Superiorem nominavit; spretoque eorum clamore, qui dicebant, impossibilia non tentanda, melius esse, non incipere, quam ab inceptis turpiter desistere, diem XXX. Octobris ejusdem anni pro admittendis in Seminarium alumnis consignavit. Quo magis enim ope humana destitutus videbatur, eo firmiorem spem collocabat in Deum, cujus honori totum hoc institutum consecratum voluit.

Ut Superior reditus quoque haberet convenientes, quos Seminarium praestare nullatenus potuit, eidem die II. Julii 1806 collatus est Canonicatus ecclesiae Cathedralis. Eodem anno inferiores etiam scholae in Seminario institutae sunt, quos idem vir regebat. Simul tradidit varias disciplinas. Primum explanavit jus canonicum, pastoralem quoque theologiam, historiam ecclesiasticam et Rhetoricam, ac demum anno 1812 ad finem vergente Dogmaticam.

Has vero provincias nactus omnes ingenii sui vires animique virtutes, quibus a Deo praeditus erat, sedulo exercuit. Dissolutis omnibus disciplinae morumque nervis ipse magis insistebat, ut ordo ad amussim ab omnibus servaretur, tanta tamen animi fortitudine et lenitate, ut ii ipsi, in quos severius animadverterat, etiam primi essent, qui dilectum virum laudibus extollerent. Quo studio literas promoverit, ex publicis speciminibus, quae discipuli dabant quotannis, aliisque argumentis satis colligitur, licet temporum tumultus minus faverent scientiarum amicis. Neque Seminarium, quum Universitas Parisiensis nimiam auctoritatem exerceret, ea, quae proficua fuisset, gaudebat libertate docendi. Cujus rei documento esse potest hoc, quod Liebermann ipsi contigit. Solebat nimirum finito anno scholastico solemnem praemiorum distributionem sermone academico initiare. Idem egit die VI. Septembris anni 1810 eaque, qua callebat eloquentia latinique sermonis elegantia tractavit quaestionem: „*Quantum utilitatis capiant literae ex amica cum religione consortione.*" Quoniam vero in exordio in philosophos illos animadverterat, „qui tunc tantum sapi-

raient suffire pour éloigner de lui tout soupçon de conspiration. Cette pièce est signée par Mr. Hirn pour lors commissaire épiscopal; mais je puis attester, qu'elle est de la composition de Mr. Liebermann. Que si malgré toutes ces preuves il restait encore quelque inquiétude au gouvernement, j'ose le supplier de me permettre de retirer Mr. Liebermann dans mon diocèse et de lui servir de surveillant, m'engageant volontiers à répondre de ses moindres démarches.

entissimos se jactitant, cum coelum ipsum appetunt stultitia, et ruptis, quibus sanctissimo numini colligabamur vinculis, omnem auferunt et vitio metum et malo remedium et virtuti incitamentum," eidem contumeliose interdictum est, ne habitum sermonem publici juris faceret[1]). Solatio forsitan esse debuit, quod eodem tempore, quarto scilicet die Octobris ab Universitate imperiali doctor theologiae renuntiatus est.

Anno 1813 magna calamitas, quae memoratu digna est, studia intercepit. Bello videlicet a Gallis infeliciter gesto ingentes militum turmae urbem inundabant, quorum plerique inedia morboque consumpti saepe etiam in plateis exanimes cadebant. Sacerdotes et alumni Seminarii primi misericordia commoti miseros suscipiebant fovebantque Seminario in nosocomium converso. Uterque porro director et Liebermann ipse, qui semet juvandis aegrotis militibus devoverant, plures alumni omnesque fere famuli et famulae graviter aegrotarunt; alter director ac tres alumni dira morte sublati sunt, Superior omnibus morientium Sacramentis refectus, diu vitam inter mortemque haesit, donec tandem convaluit.

Recuperata pace ad priora studia revertitur atque una cum amico suo episcopo indefessus operi apostolico insistit tanto successu, ut Seminarium Moguntinum paradigmatis instar haberetur. Constat enim ex hoc instituto presbyteros prodiisse, numero plurimos, doctrina praestantes, spiritu sacerdotali imbutos, qui in Moguntinam, Spirensem, Coloniensem, Trevirensem aliasque dioeceses dispersi tunc ubique fumigans fidei linum focillabant conculcatumque Dei opus denuo erigebant.

Primos autem honores merito sibi poscunt Cardinalis *Geissel*, Archiepiscopus Coloniensis, deinde Rmi Episcopi Spirensis et Argentinensis, *Nicolaus Weis* et *Andreas Raess*, quos viros nominare, laudare est. Priora duo nomina occurrunt inter selectos candidatos, qui anno 1818 theses ex universa theologia defendendas susceperant, de qua disputatione Liebermann ipse testatur, omnes ita defensionem hanc sustinuisse, ut, si in Universitate aliqua id factum fuisset, absque ullo dubio et omnibus suffragiis ad gradus academicos admissi fuissent. Inter theologos anno 1821 disputantes reperitur aliud decus hujus Seminarii, videlicet *Henricus Klee*, qui paulo post doctrinae fama semet commendabat.

Omnia videbantur prospere succedere, quum spes feliciores sustulerit gravissimum, quod Seminarium totamque dioecesim obruere potuerit, infortunium. Intra paucos nempe dies amantissimus episcopus, subito morbo correptus, e vivis sublatus est. Amicus amico orationem funebrem dixit. Congregatis autem alumnis, infausta jactura vehementer afflictis, Superior jam tum declaravit, se eos in tanta calamitate non derelicturum neque abjecturum onus, quod hucusque sustinuisset, dummodo nihil exigeretur, quo discedere a norma quam secutus esset, cogeretur; quod si peteretur, ab officio se discessurum. Illico tamen nulla in Seminario facta est mutatio.

1) Relatu digna sunt, quae hac de re academiae Moguntinae Rector *Boudy* literis d. d. II. Octobris 1810 praestantissimo oratori intimavit: *Mes affections privées doivent céder à la teneur des instructions qui me prescrivent d'insister pour que, dans aucun discours académique, on ne reveille aucun souvenir fâcheux. On n'y doit jamais prononcer le mot de philosophes ou d'antiphilosophes. Les doctrines qui font prospérer les institutions sociales, ne sont plus aujourd'hui un problême, ni un sujet de controverse; il s'agit de faits et non de discours. C'est par des résultats que l'Université doit repondre aux détracteurs des maximes anciennes.*

Interim Liebermann edidit suas *Institutiones theologicas*, quibus tantum nactus est nomen in orbe catholico. Neque opus est, longius enarrem hujus libri praestantiam, jam decimo[1]) prelo subacti, quippe quae cuique legenti pateat et Leonis PP. XII. literis huic biographiae praemissis majore cum auctoritate confirmatur. Primus tomus anno 1819, quintus, in tot enim volumina primitus partita erat materia, anno 1827 prodiit. Quam tamen scribendo illustravit dogmaticam doctrinam, ab auctumno anni 1822 alius in Seminario tradidit, quo tempore Liebermann denuo commentandos canones nec non historiam ecclesiasticam aggreditur.

Pronum est, aliud opus, quod moliri tum sane res ardua erat, hoc loco commemorare, videlicet menstruos libellos „*Der Katholik*“, qui fideles suo symbolo: *Christianus mihi nomen, catholicus cognomen*, magnam adepti sunt auctoritatem, reique catholicae, imprimis dogmaticae multum profuerunt. Hoc quoque opus debemus nostro viro ejusdemque discipulis. Ipsa prima dissertatio primi tomi, quae de educatione religiosa agit, a Liebermann exarata est. Priores ergo sedecim tomi editoribus *A. Raess* et *N. Weis* ab ineunte anno 1821 Moguntiae, ubi etiamnum isti libelli vulgantur, septem posteriores, nempe decimus septimus usque ad vigesimum tertium Argentinae prodierunt editore Liebermann, hujus urbis tunc Vicario Generali.

Postquam enim episcopatum Metensem a Ludovico XVIII. ipsi auctumno anni 1823 oblatum recusavit, paulo post ab Episcopo Argentinensi ad officium Vicarii Generalis vocatus annuit moraeque impatiens discessit maximo sane damno Seminarii Moguntini, quod paulatim formam mutavit ac tandem fere penitus extinctum est, donec a Rmo episcopo *G. E. de Ketteler* resuscitatur.

Redux igitur Liebermann post viginti annos in nativam dioecesim fideliter adsistit in administranda re ecclesiastica episcopis *Tharin*, *de Trévern* et *A. Raess*, qui quondam ipsius praedilectus discipulus, sua episcopali promotione seni viro fuit maximo solatio. Ceterum omnia semper impiger aggressus est, quae Deo honori ac hominibus saluti esse videbantur. Neque omisit, quotannis festo patrocinii caros parochianos in Ernolsheim invisere. Supremis vitae annis recessit in principalem sororum charitatis domum S. Barbarae, expectans ibidem, donec Dominus vocaret servum fidelem in aeterna tabernacula.

Gratissima hoc tempore venerunt dona, quae discipuli et amici per Spirensem et Moguntinam dioecesim sparsi deputatis commilitonibus venerabili seni solemni ritu obtulerunt.

Jam vero octoginta et quinque annos natus, consolatus aspectu segetis operis sui apostolici, optimos quosque fructus producentis, morbo correptus et periculo proximus, a fido episcopo amico salutatus die XI. Novembris 1844 obdormivit in Domino.

Nonne verum est, ipsum rebus gestis perinde valuisse ac scriptis? Germania certe nunquam oblivioni tradet, quod huic viro debet, cujus nomen etiam decem lustris post ejus discessum adeo populare est, ut raro sacerdos e Germania Argentinam veniat, quin sacrum locum accedat[1]), ubi pia ossa quiescunt, quibus tam excelsus animus motum dederat et vitam.

Moguntiae 1869.

Dr. Raich.

---

1) Haec editio, sexcentis mendis purgata, ad fidem primoris exacta est.

1) Hoc testatur *Guerber*, qui de eodem viro optime scripsit; cf. Kirchenlexikon von Wetzer und Welte 1856. tom. XII.

PRAEFATIO

totius operis.

Quod theologicas has institutiones, quas publicis praelectionibus hucusque adhibui, post multas correctiones tandem in publicum edere constituerim, id imprimis postulare mihi videbatur alumnorum magna utilitas; nam in tanta rerum gravissimarum copia, quae status ecclesiastici candidatis exponendae sunt, omni modo tempori parcendum est, ne dictando consumatur, quod docendo aut exercitando melius et utilius peragitur. Accedit, quod inter libros theologicos nullum repererim, qui mihi videretur alumnorum institutioni satis accommodatus; alii enim diffusiores sunt, quam oportet; alii nimia brevitate laborant. Sunt, qui rerum ordinem sequuntur, quem tempora ista non ferunt amplius; alii econtra, quum nimio nove dicendi studio tenentur, aut certe nimium a temporis sui judicio pendent, juniorum candidatorum profectui non satis consulunt.

Itaque existimavi me quoque uti posse meo qualicunque judicio, et eam mihi sumere libertatem, ut ex veteri et nova methodo ea seligerem, quae se mihi magis probabant. Quamvis diffiteri non possim, saepe timorem me incessisse non exiguum, ne, dum ita rem agerem, plurimorum mihi conflarem invidiam; atque, cum ex utraque parte, quae nimia mihi videbantur, sollicitius evitarem, id tandem consequerer, ut nemini placerem. Verum mox puduit me tam ridiculi et puerilis timoris; cognovi enim, levioris ingenii indicium esse, a saeculi sui opinionibus ita pendere, ut nihil aut admittendum, aut respuendum putemus, nisi quod aetas nostra aut probat aut fastidit; econtra signum esse maturae mentis, nec praesentia arripere, quia nova, neque praeterita respuere, quia antiqua.

Aliunde satis constat, veritatem in medio sitam esse, magnamque hominum partem ab ea aberrare vel ad dexteram vel ad sinistram excurrendo. Neque alia hic est theologiae, quam aliarum scientiarum conditio; nam quamvis interire non possit veritatum revelatarum depositum, ecclesiae curae commissum, theologia tamen, in quantum disciplinae alicujus aut scientiae rationem habet, eam formae mutabilitatem induit, quam res omnes humanae experiuntur. Diu a Scholasticis versata et deformata, vix aliquid retinuerat pristinae dignitatis; cum viri melioris eruditionis et ingenii, tot ineptiarum, quibus haec disciplina scatebat, pertaesi, animum applicuerint ad scripturae et traditionis studium, quod omnis sanae theologiae fundamentum est. Ita abstersae sunt paulatim maculae illae, quae scientiam omnium sanctissimam

foedaverant; cum theologiae studiosi rejecta inutilium subtilitatum farragine in iis quae vera, quae utilia, quae Deo et religione digna, operam collocarent.

Optima haec et nunquam satis laudanda, dummodo caute semper et sobrie res peracta fuisset. Verum in oppositum errorem prolapsi sunt plurimi, nostra imprimis aetate. Inter hos non paucos videre est levioris animi homines, qui laboris et severioris disciplinae impatientes satius ducunt aspernari, quae ignorant, quam discere. Hi omnes, ut magis quam veteres sapere videantur, vano supercilio, quidquid ad pristinam formam pertinebat, conspuere, conterere nullo discrimine, atque omnem umbram effugere illius, quam theologi olim usurpaverant, methodi. Diceres illos sancte jurasse, ne unquam syllogismum admitterent, et nihil illis videri risu aut commiseratione dignius, quam presse et exacte ratiocinari.

Qui haec pacato animo considerat et nullo anticipato consilio in unam aut aliam partem abripitur, aeque ab antiquitatis, quam a novitatis praejudicio alienus, facile sentiet, ex utraque parte peccatum esse. Pessima tollendi abusus ratio est rei destructio. Viri cordati est, etiam saeculi sui errores videre, neque communi mori servire repugnante interiore sensu; imo et retroagere gradum, ubi certo sibi persuaserit, in novum duxisse vitium veteris culpae fugam.

Itaque si in nostro hoc opere aliqua ex veteri forma retinenda putavimus, id certe non ex coeco antiquitatis amore factum est, neque ut obsoleta jam aliquo modo nova methodo (cito enim desuescit saeculum nostrum mores suos) ex ipsa antiquitate novi videamur; sed gravissimis ad illud rationibus adducti sumus. Saepe, cum libros theologicos perlegeremus, in eum nos statum fingendo posuimus, in quo necesse est versari theologiae tyrones, qui ad hanc disciplinam accedunt novi et vacui; nec persuadere nobis potuimus, ejusmodi discipulos statum quaestionis satis cognoscere posse, vel ea, quae rem praecedunt aut illustrant, ab ipsa re distinguere, vel ex iis, quae argumenti loco afferuntur, conclusiones deducere, vel eorum, quae contra dicuntur, vanitatem detegere; nisi omnia quantum fieri potest, plana ipsis fiant et perspicua; nisi quaestionem unam ab alia, expositionem a probatione, probationem a confutatione ipsis propemodum oculis distinguere valeant; nisi demum stricta argumentandi methodo eorum ingenia acuantur et ad recte ratiocinandum informentur.

Hac methodo et nos aliquando instituti fuimus, et ii omnes, qui scholasticam, uti vocant, docendi rationem nunc deseruerunt; inter quos optime scimus viros reperiri ingenio et eruditione clarissimos et a levi semidoctorum turba longissime distantes. Verum hi ipsi doctissimi viri ad eam forsan rerum divinarum cognitionem non pervenissent nec ad solidam illam et accuratam disserendi rationem, nisi magistram habuissent et quasi altricem ingenii sui veterem disciplinam; non enim tam solide, clare et concluse de rebus theologicis loquuntur novae institutionis alumni.

Liceat nobis quae diximus testimonio confirmare illustrissimi Meldensium episcopi *Bossuetii*, quo non exiguum credimus sententiae nostrae pondus accedere. *La méthode*, ait [1]), *qui consiste dans cette manière contentieuse et dialectique de traiter les questions, a son utilité, pourvû qu'on la donne, non comme le but de la science, mais comme un moyen pour y avancer ceux qui commencent; ce qui*

1) Défense de la tradit. et des SS. Pères, liv. III. chap. XX. Tom. V. edit. de Lebel. 1815.

est aussi le dessein de S. Thomas dès le commencement de sa Somme, et ce qui doit être celui de ceux, qui suivent cette méthode. On voit aussi par expérience, que ceux, qui n'ont pas commencé par là, et qui ont mis tout leur fort dans la critique, sont sujet à s'égarer beaucoup, lorsqu'ils se jettent sur les matières théologiques.

Satis nunc manifestum est, quodnam nostrum fuerit in conscribendis his institutionibus propositum, quae nos rationes permoverint, ut hanc viam prae ceteris eligeremus. Non scripsimus haec sapientibus et in rebus theologicis exercitatis. Sola omnium laborum meta fuit, prodesse junioribus; non ventum seminare et inanem mentem vanis scientiarum nominibus implere, sed quasi manu ducere imperitos ad rerum divinarum cognitionem. Hinc ratiocinia adhibemus stricta et aperta, ornatum orationis discentium utilitati postponentes. Non enim satis intelligimus, cur tegere oporteat sub verborum involucro, quae nunquam satis aperta esse possunt; aut quaenam haec tam exquisita sit sapientia, ab adversariorum argumentis diluendis non abstinere quidem, sed summopere cavere, ne in fronte id appareat, esse haec objecta adversariorum; in responsione anxie reformidare ne dicas, te *antecedens* negare, cum illud revera negas; aut *consequentiam*, cum tamen conclusionem inepte deductam fuisse ostendis, distinguere etiam, cum id res postulat (quoties enim captiosa dissolvere necesse non est, et eorum quae ambigua sunt, sensum determinare?), dummodo *distinctionis* vocabulum nuspiam reperiatur, et membra distinctionis non enuntientur, et responsione magis involvatur difficultas?

Sed tempus est ut filum abrumpamus; recurret enim de his plura dicendi occasio [1]). Ceterum nemo nobis succenseat; nam ex intimis animis, quae veriora et utiliora visa sunt, ingenue et nullo aliorum odio ediximus. Non enim tam superbe sapimus, ut et doctissimorum virorum, qui ante nos de rebus theologicis tractarunt, meritis quidquam detrahere vellemus, aut si vellemus, id nos efficere posse crederemus. Eorum opera avide perlegimus, imo valde commendavimus junioribus Clericis, cum persuasum nobis sit, non exiguum discentibus emolumentum exinde enasci, si ad eam, qua in scholis utuntur institutionem, alios etiam probatissimorum auctorum libros adhibeant, ut ex ipsa rerum diversa tractatione obscura elucidentur, aut unius ubertate alterius suppleatur inopia. Porro in tanta ingeniorum varietate, non inutile est, neque injucundum, diversas nobis offerri doctorum virorum elucubrationes ac quasi condimenta ciborum diversa, ut quisque, quae sibi magis placent, sumere possit. Unde, quae a nobis hucusque dicta sunt, ad nostram tantum defensionem dicta credantur. Non aliena carpere, sed nostra tueri mens fuit. Id enim debere nos credimus clarissimis viris, quos libenter doctores nostros et magistros nominamus, ut cum in quibusdam eorum vestigia reliquimus, huic veluti culpae nostrae quaeramus excusationem.

Plura procul dubio in hoc opere aut minus bene dicta aut manca aut alio quocunque vitio laborantia invenient, qui in hac doctrina exercitati sunt. Fatemur etiam, hanc cogitationem saepe nos terruisse, et suscepto jam opere vix non obrutum fuisse animum infinita fere materiarum copia et rerum tractandarum dignitate tanta, ut eam nemo cogitando, nedum eloquendo assequi possit. Sed illud quoque non ignoramus, doctissimos quosque hujus scientiae tractatores eo magis pronos esse ad indulgentiam, quo magis compertum illis sit,

1) Prolegom. cap. III. §§. 2. et 3.

difficillimam esse de rebus divinis disputationem, nihilque esse facilius, quam hallucinari in tam immenso opere.

Nihil autem fortius incitare animum potuit ac nutantem confirmare, quam ea, quae nos nunquam in hoc labore deseruit, cogitatio: Deum ope sua non deesse iis, qui in sua sapientia non confidunt; sed spem in eo collocant, qui potens est omnem gratiam abundare facere in nobis. Dei enim causam agimus, neque alium nobis laborum nostrorum finem praefigimus, quam *ut glorificetur Pater in Filio* [1]), et credant omnes, *quia Jesus est Christus Filius Dei, et credentes vitam habeant in nomine ejus* [2]).

Ut in opere tam late fuso, tanta rerum diversitate distincto, certo pede incedamus, et quantum fieri potest, omnia distincte, enucleate ac systematice explanentur, quae ad revelatae religionis doctrinam pertinent, hanc sequemur rerum tranctandarum rationem:

1⁰ Agemus de revelationis, quam Christianam dicimus, veritate et divinitate.

2⁰ Veram et genuinam Christi revelationem ab illis, quae falso hoc nomine gloriantur, secernemus simulque fontibus, ex quibus verae revelationis dogmata eruenda sunt, suam auctoritatem asseremus. Ex duabus hisce partibus coalescit theologia, quae *generalis* dicitur.

3⁰ Sequetur ea theologiae pars, quae nomen habet theologiae *specialis*, et cui id incumbit, ut omnem, quae ad fidem pertinet, coelestem doctrinam juxta omnes suas partes evolvat certisque argumentis firmet, disjectis iis, quae obstare aut contra pugnare videntur.

Itaque tota haec theologica disciplina in tres partes dividitur, quarum I. Demonstrationem Christianam, II. Demonstrationem catholicam, III. totius doctrinae catholicae expositionem complectitur. Prima quasi radices continet, ex quibus tota Christiana religio educta et propagata est. Secunda truncum quodammodo vivae arboris ostendit, qui unicus est, solus radicibus inhaeret, unde nutritur et succum trahit in ramos propellendum. Tertia demum omnem ex his prolatam ramorum copiam exhibet, qui alii ex aliis exorti mirabili suo connexu in vastissimam et excelsissimam arborem diffunduntur.

1) *Joan.* XIV, 13.
2) *Joan.* XX, 31.

PRAEFATIO

libri secundi, qui de demonstratione religionis catholicae agit.

Quam in prima institutionum parte secuti sumus dicendi disserendique rationem, hanc etiam in secunda retinendam judicavimus, atque eo magis, quod in nostra sententia non parum confirmati fuerimus, tum proprio et fere quotidiano experimento, tum imprimis virorum praeclarissimorum assensu, quorum suffragia novas nobis ad prosequendum hoc opus vires stimulosque addiderunt. Nunquam illud ex animo dimisimus, nos doctis non scribere, sed tyronibus, qui cum in sacris hisce disciplinis novitii sint, saepe ex illis, quae sapientibus et exercitatis prodesse possunt et placere, exiguam aut nullam utilitatem capiunt. Quapropter claritati et ordini quam maxime consulendum duximus, tum in rerum collocatione, tum in modo et ratione tractandi singula. Nolumus, ut difficulter nos intelligant candidati; neque eorum vestigia premere animus est, qui quum Germanico aut Latino idiomate loquuntur, alienis linguis loqui videntur; sunt enim quasi in aëra loquentes, nisi adsit, qui interpretetur.

Si cui prolixa nimis videtur de ecclesia et fidei principiis tractatio, perpendat is quaeso, quam grave sit hoc argumentum et ad verae religionis confirmationem necessarium. Hoc scilicet fundamento omnes doctrinae revelatae partes sustentantur et nisi positum illud sit et omni, quo fieri potest rationum pondere firmatum, frustra ad singularum dogmatum probationem accedimus. Quomodo enim veritatem tenere poterunt, qui penetrale veritatis ignorant? Quomodo in veritate consistere, qui doctrinam sibi sine ulla radice ac stabilitate componunt? Exinde haereses omnes ortae sunt et perniciosae nimis discordiae, quod homines protervi, sui magis amatores quam religionis, dissidium fecerint unitatis, et deserto coelesti itinere, spreta ecclesiae auctoritate et a fundamento avulsi vias sibi devias per anfractus et praecipitia condiderint, per quas partem plebis incautam et simplicem ad tenebras mortemque deduxerunt.

Ergo sedulo nobis et accurate investigandum est, ubi sit vera Christi ecclesia, ubi legitima docendi auctoritas, ubi domicilium veritatis; investigandum, ubi praesens permaneat Spiritus S. praesidium; ubi certae pateant ad veritatem viae, ut si bono animo aquam vitae haurire cupimus, non ad detritos lacus deferamur, qui non habent venam, sed uberrimum Dei fontem inveniamus, quo irrigati perenni luce potiamur.

Unum tamen est, quod nos in hac disquisitione vehementer conturbat;

nempe quotiescunque nos ad disserendum cum protestantibus comparamus, incertum nobis fit, quo loco pedem figere liceat certantibus, aut quodnam sit commune principium, a quo exire possint disputantes. Quonamque consilio, qua concludendi ratione putamus agendum esse adversus eos, qui omnia theologiae principia tollunt et nullam in ecclesia legem esse volunt, per quam controversiae finiantur; sed suo cuique ingenio utendum esse dicunt, neque aliud sentire, quam quod ratio propria praecripserit? In veram ecclesiam inquirendum esse contendis, ut cum inventa fuerit, obsequium illi exhibeamus et fidem; at illi vix adhuc nomen ecclesiae noscunt, formam et constitutionem pro arbitrio fingunt. Divinam esse Christianae religionis originem ais; ergo ut veram et genuinam inveniamus, diligentissime curandum; in ea, ubi semel tenetur, quidquam immutare nefas habendum, Deo credendum, Deo obsequendum. Mira te dixisse putas; at illi rident simplicem et religiosam mentem, rident piam credulitatem. Nihil ipsi in religione nisi humanum vident; quidquid supernaturalis ordinis est, explodunt. Primam ecclesiae Christianae aetatem opponis; at illi queruntur, ad infantiam reduci genus humanum, maturam jam virilemque aetatem assecutum. Rationem invocant, quae nunc (quoniam ipsi hac aetate virent) ita invaluit, ita se confirmavit, ut jam non patiatur vinculis constringi et quasi fasciis involvi infantiae.

Ad haec, fateor, vix non despondet animus et omnis subito disputandi ratio tollitur. Credebas te cum Lutherano agere vel Calvini discipulo; in tuto esse, quae in Demonstratione Christiana contra incredulos probata sunt; falleris — naturalistam habes aut pejus aliquid. Cum praemissa urgere instituis atque ulterius progredi in veritatis investigatione, mox vides te tempus et operam ludere et redeundum tibi ad prima revelatae religionis principia.

Verum non debent nos a proposito nostro deterrere superbae philosophiae deliramenta, aut portenta non disserentium theologorum. Si incassum adversum protestantes de vera Christi ecclesia disputamus, magnum tamen afferemus adjumentum catholicis theologiae alumnis, qui, quo haec clarius et accuratius inspexerint, eo magis intelligent, quantum sit divinae providentiae donum, in verae ecclesiae gremio contineri, verbo Deo nutriri sano et incorrupto, sub illius disciplina adolescere et contra fallaces veteratorum artes tutari, quae constituta est a Deo magistra veritatis. — Ceterum ne inter protestantes quidem ita credimus religionis revelatae contemptum invaluisse, ut non inter eos adhuc viri reperiantur, qui fidem mysteriorum retinuerunt et tanquam divinam et supernaturalem dispensationem reverentur religionem illam, a qua nomen sumpserunt Christianorum. Hi autem, ne inane sit, quod sibi attribuunt, nomen, ad illam ecclesiam ducendi sunt, cui soli datum est nosse mysteria regni coelorum; in qua sola veritas tanquam in proprio domicilio collocata reperitur. Sed et ii, qui longius a nobis distant, ubi semel in animum induxerint, non umbras, non mendacia persequi, sed veritatem sincero corde exquirere, non possunt alia tutiore et breviore via duci. Nam primum quidem intelligent proprio experimento edocti, exiri non posse ex vanis incertisque opinionum commentis, nisi auctoritati se committant et fidem adhibeant Deo revelanti. Tunc oculos aperient novo, quod e coelis illabitur lumini, et in evangelio non humanae sapientiae praecepta, non philosophicas quasdam de ratione bene vivendi sententias quaerent, sed divina oracula, sed demptas ex divina mente veritates. Ubi autem hucusque pervenerint, jam nihil antiquius ha-

bebunt, quam ut, ubi sit vera Christi religio, inquirant. Latere enim eos non poterit, unam tantum a Christo factam esse revelationem, unam tantum ab eo fundatam esse ecclesiam; in hac ergo ecclesia commorandum ipsis esse, nisi velint in Scyllam incidere evitata Charybdi, et cum certum contra fluctuantium opinionum procellas portum quaesierunt, iterum circumduci omni vento doctrinae et incertis consiliis et contrariis sententiis distrahi in omnem partem.

Ergo persequamur Deo adjuvante, quod incepimus opus, id a bonorum omnium datore summis precibus efflagitantes, ut non inanes esse sinat labores nostros. Non in eo laboravi, ut nova et novissima sectando saeculo nostro placeam philosophico apparatu; prodesse volui, quantum illud pro viribus licuit, et iis quibus mens recta est, quibus in pectore boni verique sensus haeret, planam apertissimamque inveniendae veritatis viam ostendere. Illam putavi tractandae theologiae utilissimam honestissimamque rationem, quam praecedentium saeculorum doctissimi sapientissimique viri secuti sunt; neque quidquam magis tantae scientiae gravitati ac majestati convenire, quam si *Bellarmini*, *Petavii*, *Melchioris Cani*, *Walenburgicorum*, *Bossuetii*, *Natalis*, *Tournelii* aliorumque ejusdem dignitatis, ejusdem scientiae virorum caterva quasi stipata incedat; multum autem ejus meritis et dignitati detrahi, si ad philosophiae humanae diversissimas formas accommodare se teneatur; ac si actum esset de coelesti doctrina, si non posset se ad nutum arbitriumque fingere humani ingenii et mutato quotidie habitu et ad omnes quamvis ridiculas saepe et indecoras novarum opinionum formas accommodato in scenam prodire. Hinc in animum mihi inducere nunquam potui, ut in colligendis legendisque junioribus quibusve libellis tempus et operam consumerem. Quid enim consequi exinde potuissem, nisi nauseam de levissimo cibo, aut molestiam de loquacitate, indignationem de arrogantia, bilem de blasphemationе? Arbitrabar etiam non decere theologos veluti reticulis armatos per campos vagari et circumvolitantium papilionum venatores agere. Ita scilicet redundat aetas nostra certo scriptorum genere, qui foliorum quorundam alis quasi papiliones ad breve tempus levi per aëra feruntur volatu. Quod quidem sicut nihil prodest litteris, sic etiam parum noceret, nisi ad id tantum levi aura frui videretur pestifera progenies, ut ova sua possit deponere et novam parere insectorum atque erucarum sobolem.

Nemo tamen putet haec ad invidiam dicta esse clarissimorum virorum, qui, quamvis in indagandis modernae philosophiae systematibus diligentissime versati sint, nihil tamen ex ejus levitate vitiisque contraxerunt. Putarunt scilicet non ingratum opus se facturos nec inutile religioni, si recentiores etiam humanae rationis adinventiones sacrarum scientiarum studio accommodarent. Nollem ego hunc laborem reprehendere, aut aliquid ex ejus merito detrahere. Quid enim? Dummodo praedicetur Christus. In hoc quoque sapientissimam divinae providentiae ordinationem agnoscimus, quod sicut diversi sunt legentium sensus et gustus, ita et scribentium sint. Non parum hoc juvat ad clariorem rerum theologicarum intelligentiam et veritatis commendationem, si res eadem a diversis diverse tractetur, qui quamvis methodo differant et ratione docendi, ad unum tamen eundemque finem tendunt et in tuendis divinis dogmatibus pari studio incitantur.

PROLEGOMENA

IN UNIVERSAM THEOLOGIAM.

1. — Theologiae studium aggredientibus imprimis necessarium est scire, quaenam sit illa, cui tradere se intendunt, disciplina, quibus innixa radicibus stare possit et adolescere; quo solo crescat libentius; quo succo nutriatur melius; in quos se extendat ramos; qua juvanda sit cultura, quid secandum sit tanquam exuberans, quid servandum tanquam aptum ferendis fructibus. Varia quidem haec sunt, verum nec inutilia, nec injucunda. Unde priusquam subjectam theologiae materiam expendamus, de his pauca dicenda sunt breviter quidem, sed quam poterimus distincte et accurate.

Omnia igitur in quatuor capita dividimus. 1m de theologia aget ejusque multiplici divisione. 2m ostendet, quibus subsidiis theologiae studium juvetur et excolatur. 3m quis sit modus, quae melior ratio tradendae ac condiscendae theologiae. 4m brevem studii theologici historiam exhibebit.

CAPUT PRIMUM.

De theologia ejusque multiplici divisione.

§. I.

Quid sit theologia.

2. — Theologia, si nomen spectes, est sermo seu scientia et doctrina de Deo; componitur enim ex duplici vocabulo Graeco Θεός et Λόγος. Logos autem non sermonem tantum significat, sed et rationem et scientiam, vel etiam doctrinam seu usum et tractationem dicendi.

Probabile est, theologiae vocabulum apud Christianos in usu non fuisse ante saeculum secundum. Illud primum adhibuerunt patres Graeci, quamvis strictiore significatu; theologiam quippe dixerunt illam sacrae doctrinae partem, quae de Deo divinisque personis disserit; eam vero, quae de incarnatione agit, et hominis per Christum reparationem totumque salutis ordinem complectitur, oeconomiam vocarunt. Verum usus invaluit imprimis apud Latinos, ut sub theologiae nomine intelligerentur omnia, quae tum Deum spectant ejusque perfectiones, tum cultum ejus veritatesque omnes ab eo revelatas. Sic theologia in genere dici potest complexus veritatum religionis ex certis principiis deductarum; *subjective* autem sumpta, est cognitio religionis erudita.

3. * Religio, ut ait *Lactantius* Instit. lib. IV. cap. 28., est vinculum illud pietatis, quo Deo obstricti et religati sumus, unde et nomen suum accepit... Religio omnis duobus absolvitur, cognitione scilicet et cultu Dei. Vera ergo religio in eo sita est, ut ab erroribus et vanitatibus expediti, verum Deum cognoscamus, eique justa et debita obsequia praebeamus, hacque ratione finem illum assequamur, ob quem a Deo nati et conditi sumus.

** Theologia non sine ratione vocatur cognitio religionis erudita; non enim omnis religionis cognitio theologum facit. Dei eorumque, quae ad ejus cultum pertinent, cognitionem aliquam etiam plebs Christiana habet, qua ea, quae credenda ipsi et speranda fide Christiana proponuntur, didicit, atque de iis etiam, juxta suum

quisque modum, respondere potest. Verum haec cognitio vulgaris tantum est, et magis circa veritatum existentiam versatur, quam earum rationes; nec veritatum nexum videt, neque notas rerum varias distinguit, neque ex propositionibus certis conclusiones discurrendo colligit, quibus fides *gignitur, nutritur, defenditur ac roboratur*, ut ait S. August. [1]); quae tamen ad cognitionem philosophicam aut eruditam requiruntur.

*** Facilis ergo est solutio quaestionis, quae multum olim inter theologos agitata est: an scilicet theologia sit scientia? Nam cum non obiter tantum et confuse praecipua sacrae doctrinae capita proponat, sed certa ratione ac methodo progrediatur per modum disciplinae, et conclusiones suas ex certis principiis ratiocinando eruat, profecto non est, cur ei scientiae nomen non tribuatur.

§. II.

Theologia naturalis et revelata.

4. — Antequam de theologiae studio ulterius tractemus, videndum est, de qua nobis theologia instituendus sit sermo. Primum quidem non hic agimus de excellentissima illa Dei rerumque divinarum cognitione, qua beati fruuntur in coelo; sed de illa, quae viatoribus convenit, quales nos sumus, qui hanc mortalem vitam decurrimus, tenebris undequaque involuti, ambulantes per speciem et in aenigmate. Duobus vero modis uti possumus, ad ea, quae Dei sunt, et quae ad finem nostrum et vitam recte instituendam pertinent, investiganda. Vel enim solam naturalem rationem sequimur, vel haec omnia admoto superiori lumine perquirimus, et ex principiis fidei, seu ex verbo Dei conclusiones ordine disciplinae colligimus. Inde duplex exsurgit theologia, naturalis scilicet et revelata.

1) Lib. XIV. de Trinit. cap. 1.

5. * Quamvis diversa sint theologiae naturalis et revelatae objecta, aut potius principia, neutiquam tamen pugnant inter se, cum Deus et rationis et revelationis sit auctor. Rationem igitur non abjicimus, cum credimus; sed ea tunc quam maxime utimur. Haec enim revelationi viam parat, neque ad auctoritatem divinam accedentes deserit unquam, sed multis modis adjuvat, quemadmodum suo loco fusius dicemus.

** Theologia illa, quae naturalis dicitur, ad nostrum institutum non pertinet; cum enim utatur principiis mere philosophicis, ad philosophiam referri solet, et qui in ea eruditi sunt, philosophi vocantur. Hodie usus invaluit, ut is tantum theologus dicatur, qui religioni revelatae studia sua consecrat.

*** Religionis in genere ac potissimum revelatae cognitionem eruditam ecclesiae universae necessariam esse, nemo, ut puto, inficiari potest. Christus *ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, ... alios autem pastores et doctores, ... ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae* [1]). Et Apostolus [2]) vult, ut episcopus *potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere*, ... quamvis haec cognitio non omnibus et singulis fidelibus sit necessaria. ... *Numquid omnes doctores?* ... [3]). Praeclare illud suo more exponit S. August. [4]): „*Qua scientia* (nempe theologia) *non pollent fideles plurimi, quamvis polleant ipsa fide plurimum. Aliud est enim scire tantummodo, quid homo credere debeat propter adipiscendam vitam beatam, quae nonnisi aeterna est: aliud autem scire, quemadmodum hoc ipsum et piis opituletur, et contra impios defendatur.*“

1) *Ephes.* IV, 11. 14. 2) *Tit.* I, 9. 3) I *Cor.* XII, 29. 4) De Trinit. lib. XIV. c. 1.

§. III.

Divisiones theologiae ratione materiae.

6. — Theologia revelata, de qua sola deinceps nobis agendum est, primum recte dividitur in speculativam et practicam, seu in scientiam credendorum et faciendorum. Haec divisio totam theologiae significationem exhaurit. Speculativa quidem regulam credendi continet; circa Deum ejusque attributa aliasque veritates a Deo revelatas occupatur contemplatione magis quam operatione. Theologia autem practica praecepta vivendi tradit, ac qua ratione Deus colendus, et vita pie ac sancte instituenda sit, docet. Cum igitur in morum disciplina tota versetur, recte theologia moralis dicitur.

* Displicet quibusdam novatoribus haec theologiae in speculatricem et practicam divisio. Sociniani imprimis et qui eos secuti sunt naturalistae, ut mysteriorum religionis cognitionem expellant, theologiam in solis morum praeceptis constituunt, seclusa omni mysteriorum fide et notitia. Sed falsam omnino theologiae ideam sibi efformant; quamvis enim omnis nostra de Deo cognitio ad ejus cultum et mandatorum observationem ordinetur, est tamen certa quaedam theologiae pars, quae agit ex professo de illo cultu et modo, quo exhiberi debet, ac de vita ad normam divinorum praeceptorum instituenda; et est alia speculativa, quae in Dei cognitione occupatur, et veritates exponit a Deo revelatas, quarum complexus *religionem* in stricto sensu constituit. Haec pars est theologiae praecipua, cum religio sola fundamentum sit solidum ac firmissima basis, cui nititur omnis morum disciplina.

** Observandum tamen est, arctissimum et intimum esse theologiae speculativae et moralis nexum; neque ita utriusque fines constitui posse, ut non ea, quae speculatrix est, varia complectatur, quae ad vitae praxin comparata sint, cum fidem efficere debeat, non sterilem, sed fructuosam; quemadmodum et ea, quae practica dicitur, partem theoreticam habet, cum ex principiis certis, modo scientiis usitato, vivendi et agendi regulas deducat. Ab illo, quod est in qualibet parte praecipuum, denominatio desumitur.

*** Theologiam speculativam et moralem permixtim olim tradebant theologi tum catholici, tum protestantes: hodie ut in tanta rerum copia et varietate omnis evitetur confusio, tanquam distinctae ab invicem disciplinae passim tractantur. In Galliis, qui institutiones theologicas conscripserunt, maximi etiam nominis viri, a prisco more hucusque non recesserunt.

§. IV.

Theologiae speculativae divisiones.

7. — Quando theologia speculativa intra revelationis limites coarctata est, idque sibi proponit unice, ut, quae ad fidem pertinent, ex revelationis principiis eruat, stricte *dogmatica* vocari potest vel *positiva*. Quando vero artificiose magis, quam theologice de divinis disserit, et nimia curiositate quaestiones sectatur subtiles magis quam utiles, altissimarum rerum omnium sinus penetrare cupiens, ut nihil sit, cujus non velit rationem reddere, tunc *scholasticae* nomen obtinet. Porro theologia dogmatica libenter sibi adjungit *polemicam* et *irenicam*, quae sunt ipsius quasi complementum, quo in genere suo perficitur. His scilicet utitur ad defendenda fidei dogmata, componenda dissidia, et unitatem in doctrina religionis restituendam.

** Hanc puto genuinam esse illius theologiae notionem, quam hodie scholasticam vocant, et cujus vel solum nomen magnam jam concitat offensionem, non doctorum tantum, sed etiam eorum, qui communi mori obtemperant, ne indocti videantur.

8. ** Disciplina illa, quae novarum opinionum commenta dissolvit, et in evertendis oppositionibus versatur, dicitur theologia *polemica* (πολεμική), vel ut aliis placet *antithetica*, aut *elenctica* ab ἐλέγχω arguo, convinco. Eam non utilem tantum, sed necessariam esse, facile sibi persuadebit, quisquis ad verum theologiae scopum attenderit, qua, ut ait S. August. [1]), *fides, quae ad veram beatitudinem ducit, gigni, nutriri, defendi ac roborari debet.* Fuerunt inter recentiores, qui theologiam polemicam separatim a dogmatica tradendam censuerunt. Cui opinioni assentire non possumus, quamvis novitatis commendationem habeat.

*** Theologia *irenica* a voce εἰρήνη, quae *pacem* significat, nomen habet, et quem sibi scopum praefigat, ipso jam nomine exprimit. Omnem in eo curam collocat, ut controversiae componantur, et unitas religionis inter dissidentes restituatur. Hinc etiam *henotica* vocatur, a voce ἑνότης, *unitas.* Nihil est hac occupatione laudabilius, nihil quod magis theologum catholicum deceat, dummodo a Christi doctrina nullo modo declinet, nec, dum errantes reducere cogitat, se ipsum sinat erroribus aliorum implicari. Theologia *irenica* polemicam non excludit, sed sibi libenter sociat; *si vis pacem, para bellum. Polemica* igitur dum veritatis jura vindicat, et vim omnem erroris elidit, ad pacem viam praeparet. Vincat tantum, ut salvet, nec alios sibi optet triumphos. *Quis sapiens inter vos? Ostendat ex bona conversatione operationem suam in mansuetudine sapientiae. Quodsi zelum amarum habetis, et contentiones sint in cordibus vestris, nolite gloriari. Non est ista sapientia desursum descendens; sed terrena, animalis et diabolica* [2]). [3])

1) De Trinit. lib. XIV. 2) *Jac.* III, 13 seqq.
3) Theologia tum *polemica* tum *irenica*

§. V.

Theologiae practicae divisio.

9. — Omnis doctrina, quae hominum actiones dirigit, et ad praxim et usum

in ecclesia una cum haeresibus nata est; utrumque enim a magistro suo illa didicit, et nulli parcere errori, qui contra fidem se extolleret, et errantibus non irasci, sed, ut ad ovile, unde exierunt, redirent, omnibus modis efficere. Igitur nullo non tempore aberrantium saluti omnem curam et sollicitudinem intendit, cogitans semper cogitationes pacis et non afflictionis (*Jerem.* XXIX, 11.), monens cum lacrymis, et obtestans omnes, atque commendans Deo et verbo gratiae ipsius; qui potens est aedificare, et dare haereditatem in sanctificatis omnibus (*Actor.* XX, 31. 32.). Multa hujus rei exempla historia ecclesiastica suppeditat. Insigne est illud, quod S. Augustinus et cum eo Africani praesules egerunt in causa Donatistarum (*Fleur.* Hist. eccl. lib. XXII.). Ex quo Graeci ab ecclesia Latina scissi sunt, omnia conciliationis media tentarunt Romani pontifices, ut utramque ecclesiam pacis vinculo iterum colligarent. Pax primum constituta est sub Gregorio X. in Concilio Lugdunensi II. anno 1274, tum in Florentino sub Eugenio IV. anno 1438; sed mox iterum abrupta.

A tempore quo protestantes patrum suorum fidem deseruerunt, varia quoque inita sunt consilia irenica, sed irrito plerumque conatu. Celeberrima sunt ea, quae inter illustrissimum *Bossuetium* et *Leibnitium* et abbatem *Molanum* tractata legimus; neque ignota sunt, quae recentius tum a catholicis, tum ab acatholicis in hanc materiam scripta fuerunt.

An ergo nulla futurae aliquando conciliationis spes superest? Respondemus, nostrum non esse, nosse tempora vel momenta, quae pater posuit in sua potestate (*Actor.* I, 7.). Spem nunquam abjecit ecclesia, nec abjiciet unquam; verum longe quoque a se repellit perfida eorum consilia, qui putant, aut dogmatum commutationem fieri posse aut in unam ecclesiam consociationem, manente in fidei articulis dissensione; hoc enim non veritatis vinculum esset, sed erroris consortium. Ecclesia catholica filios sibi ablatos luget, et reddi sibi cum lacrymis flagitat, sed vivos et integros in fide, non quasi dissectos in partes. Ita quippe veram se fidelium matrem probat, ut qui-

vitae humanae comparata est, duas necessario partes complectitur, unam, quae *theoretico-practica* appellari potest et leges ac regulas agendorum tradit et explicat; alteram, quae in regularum applicatione consistit, et *pure-practica* est. Haec theologiae moralis pars alio nomine *casuistica* dicitur. Ad theologiam practicam praeter eam disciplinam, quae moralis proprio sensu vocatur, referri insuper possunt theologia *ascetica*, *mystica* et *pastoralis*. Quid de liturgica dicendum, sequenti §. explicabitur.

---

cumque rem sincera mente considerat, non possit non cum Salomone exclamare (III *Reg.* III, 27.): „Date huic infantem vivum, haec est enim mater ejus.“

Notatu digna sunt, quae doctissimus abbas de *Lokkum*, cum de reunione ageret cum *Bossuetio*, cum aliis protestantibus theologis inter regulas statuit in hoc tam difficili negotio observandas. Regula secunda est: *Non est licitum, ut ad hanc (unionem) obtinendam ulla prorsus veritas negetur, ejusque investigatio negligatur; pacem et veritatem diligite, ait Dominus omnipotens* (*Zach.* VIII, 19.).

Ad studia irenica imprimis pertinent perspicuae illae et accuratae fidei catholicae expositiones, quas viri doctissimi ad conciliandos veritati animos ediderunt. Persuasum illis erat, non posse hominem Christianum a religione catholica alienum esse, si eam, qualis est, puram nullisque humanis opinionibus contaminatam intueatur: necessario enim propria sua luce oculos perstringit, quamprimum dejectae sunt nebulae, quibus eam circumfundere nullo non tempore satagebant haeretici. Optime in hac re de ecclesia et religione meriti sunt, *Franciscus Veronius* et *Henricus Holden* doctor Sorbonicus. Hic analysin fidei edidit, ille regulam fidei; quae opuscula non ex mole, sed ex argumenti gravitate et concinna solidaque rerum tractatione aestimanda sunt. Verum omnes superat illustrissimus *Meldensium* episcopus in sua fidei catholicae expositione (Exposition de la doctrine de l'église catholique), quod opus, mox ut lucem aspexit, summo omnium catholicorum applausu receptum est, multosque dissidentes ad ecclesiae catholicae gremium reduxit.

10. *Si studium casuistarum a viris doctissimis et religiosissimis male habitum fuit (vid. *Mabillonium* de stud. monasticis p. II. l. 7.), id non disciplinae adscribendum est, sed iis, qui neglectis veris certisque morum principiis, fictis sine discretione casibus ingentia volumina impleverunt, non sine animorum offensione. Casuista theoretica moralis doctrinae cognitione destitutus facillime a recta via aberrat. Haec itaque necessario est praemittenda, ut in scrutandis conscientiae arcanis lucem praeferat; verum sola non sufficit, sed requiritur insuper, ut judicium acuatur, et exercitatione acquiratur aliqua in applicandis regulis dexteritas, quod exemplo comprobatur judicum et medicorum. Illis praeter juris scientiam necessaria est jurisprudentia; his praeter morborum ac medicamentorum theoreticam cognitionem magna in dijudicandis morbis et applicandis remediis sagacitas.

** Sicut moralis doctrina regulas agendi praescribit, sic *ascesis* media docet, quibus morum sanctitudo comparari, augeri ac perfici debeat: non raro cum theologia mystica confunditur, quae tamen videtur gradum aliquem ascesis sublimiorem indicare. Nam non consuetas tantum et tritas perfectionis semitas ostendit; sed „adhuc excellentiorem viam demonstrat[1]),“ et arcanum quoddam inter Deum et homines consortium nectit. Ad majora semper et perfectiora aspirans, ubi est impetus spiritus, illuc graditur, nec revertitur, cum ambulat[2]). Vita juxta hanc disciplinam instituta speciali modo contemplativa dicitur. Quomodo autem ad theologiam practicam referri potest scientia magis infusa, quam acquisita, in contemplatione haerens, Deumque apprehendens non scrutando, sed fruendo? Respondemus, nullam esse ex sacris scientiis,

---

1) I *Cor.* XII, 31. 2) *Ezech.* I, 12.

quae magis strictiore disciplina frenoque indigeat; nisi enim moralis doctrinae imperio pareat, hominemque ad obedientiam promptiorem et ad omne opus bonum expeditiorem reddat, nihil est aliud, quam mentis et phantasiae aberratio, plena fallaciis et periculis. Vid. reverendissimi *Martini Gerbert* principia theologiae mysticae.

*** Theologia pastoralis tota practica est, et animarum pastores instituit, qua ratione debeant animas regere, earumque salutem, qui finis pastoralis officii est, promovere.

§. VI.

Divisio theologiae ratione fontium.

11.—Fontes, ex quibus veritates haurit theologia revelata, sunt: 1⁰ scriptura sacra; 2⁰ traditio, quae ex patrum scriptis, ex symbolis et publicis primorum saeculorum ritibus potissimum eruitur; 3⁰ ecclesiae decisiones; exinde exsurgit alia theologiae divisio in *exegeticam*, *patristicam*, *symbolicam*, *liturgicam* et *synodicam*.

* *Theologia exegetica* verum scripturae sensum investigat, et ex ea validissima ad tuendam religionis doctrinam arma depromit. In duas iterum partes dividitur, in docentem scilicet et utentem. Prima *hermeneutica sacra* vocatur, et regulas interpretationis exponit. Secunda proprie *exegesis* dicitur, et regulas applicat. Sunt, qui his divisionibus non contenti hanc partem iterum dispertiunt in theologiam *propheticam*, *typicam*, *parabolicam* etc. Plura nimirum scire videmur, si ea, quae scimus, in plures partes dividimus, et si cuilibet parti splendidum *scientiae* nomen praefigimus. Mirum, quantum hoc inflet juniorum animos, qui, quamvis theologiam vix in limine salutarint, jam magnum quid se profecisse putant, si ignota quaedam et grandiloqua scientiarum vocabula retinuerint.

** Quando theologia argumenta eruit ex patrum scriptis, eorumque doctrinam perspicue et accurate, quantum fieri potest, exponit, tum ad sensum scripturae explicandum, tum ad traditionem divinam comprobandam, vocatur *patristica*. Distinguitur a *patrologia*, quae specialis scientia est, et in iis versatur, quae de SS. Patribus eorumque scriptis scienda sunt.

*** Liturgia modum tradit Deum colendi, rituum sacrorum originem, finem, sensum explicat, et qualis fuerit in veteri ecclesia sacrorum religio investigat; haec doctrina magnam theologo argumentorum copiam suppeditat. Quando theologia ejus subsidio utitur ad probandum dogmatum nostrorum cum veteri ecclesia consensum, *liturgica* dicitur.

**** Cum ecclesia a Christo instituta sit judex controversiarum fidei, maximum veritatis argumentum ex conciliorum decretis desumitur; haec decreta evolvens et ex his concludens theologia *synodica* vocatur. *Symbolica* vero, quando ex symbolis argumenta depromit. Est autem symbolum brevis quaedam et publica fidei expositio, qua Christianae alicujus societatis membra ad communem fidem profitendam utuntur. Dantur symbola vera et falsa. Ecclesia catholica a tempore Apostolorum symbolum habuit, atque alia etiam subsequentibus saeculis condidit, tum ut fideles iis tanquam communi vinculo unirentur, tum ut doctrinae sanctioris praecipua capita brevi compendio exponeret, haereticorum errores repelleret, et veram, quam a Christo accepit, doctrinam ab adversariorum calumniis vindicaret. Hoc argumentorum genus ad expugnandos haereticos plurimum valet, eoque in historia variationum ecclesiarum protestantium miro successu usus est illustrissimus *Bossuetius*.

§. VII.

Divisio theologiae ratione methodi.

12.—Ratione methodi, qua sacrorum dogmatum disciplina traditur, vario

modo iterum dividi potest theologia. Ex novis divisionibus nova etiam exsurgunt vocabula, quae theologo ignorare non licet, cum etiam in his sit aliqua eruditionis ostentatio.

* Theologia *homiletica* a verbo Graeco ὁμιλία, quod congressum aut colloquium significat, nomen habet; quia in congressu populi e sacro suggestu veritates doctrinae catholicae exponit. Haec a modo disserendi in scholis usitato recedit, rudiorum captui sese accommodat, non theologos, sed Christianos informat, nexum veritatum non tam anxie prosequitur, abstrusiora et ad eruditionem magis pertinentia praetermittit.

Institutioni homileticae affinis est *catechetica*, quae vel continua orationis serie decurrit, et oratio catechetica dicitur, iisque convenit, qui maturioris aetatis sunt: vel parvulorum captui se accommodans crebris interrogationibus filum orationis abrumpit, mox, quae involuta in mente haerent, Socratica arte eliciens, mox incognita ingerens, quantum capere potest imbecille ingenium. Nescio, an ejusmodi tum catecheticas, tum homileticas instructiones theologiae nomine insignire liceat; verum id mihi penitus persuasum est, ad eas, ut recte fiant, solidam imprimis tum dogmaticae, tum practicae theologiae notitiam requiri.

** Theologia *historica* vocatur, quando non tam veritatum inter se ordinem, quam temporum seriem in exponenda religionis doctrina sequitur. Non exiguam haec methodus utilitatem habet, et multis praeclaris ingeniis probatur. Multo tamen frequentius est hodie theologiae *systematicae* nomen, a methodo systematica desumptum, de qua plura nobis capite tertio dicenda sunt.

CAPUT SECUNDUM.

De disciplinis theologiae subsidiariis.

13.—Non is nobis animus est, ut artes omnes ac scientias recensere velimus, ex quibus aliquem fructum sumere possit theologia. Nullum enim esset disciplinae genus praetermittendum; cum nullum sit, quod non propter eum, quem res omnes inter se habent communem nexum, aliquo modo possit ad theologiae studium trahi. Non possunt omnes omnia scire, et qui vellet intemperanti cupiditate omnes humanas divinasque scientias perdiscere, hoc tandem efficeret, ut nullam assequeretur. Scio, non deesse viros, qui non cessant profanas artes quam plurimum viris ecclesiasticis commendare. Eos si audires, nihil magis theologum deceret, quam artem medendi ediscere; agriculturae legumque civilium studio occupari; astrorum cursus metiri; chemiae, physicae, historiae naturalis scrutari arcana, in altiora mathesis multiplici subtilique arte versari. Crederes, tum demum perfectum fore theologum, si praeter res divinas nihil esset, quod ignoraret. Qui ita sentiunt, aut ridiculam inscitiam produnt; aut suspicionem movent iniqui consilii.

Si vellemus ea, quae ad hanc materiam pertinent, paulo fusius explicare, integer liber conscribendus esset de subsidiis theologiae. Verum hic operis hujus scopus non est. Quaedam tantum quasi libando decerpemus [1]).

§. I.

Studium scripturae, patrum et conciliorum.

14.—Cum scriptura, traditio et ecclesiae auctoritas totius revelatae religionis fundamentum sint, et quidquid theo-

1) Hodie mos est theologis, hanc prolegomenorum partem *Encyclopaediae*, tertiam *Methodologiae* nomine insignire. Meum non est, quidquam eorum reprehendere, quae video doctissimorum virorum exemplo probata. Verum cum brevia admodum sint praecepta nostra, et ad usum tyronum conscripta; impetrare a me non potui, ut parvis ejusmodi elementis, quae exiguam tantum disciplinae theologicae partem efficiunt, tam splendida et magnifica nomina adscriberem.

logiae studium complectitur, ex his potissimum firmitatem suam ac coelestis divinaeque eruditionis caracterem habeat; sequitur inter disciplinas subsidiarias theologiae principaliorem locum obtinere eas, quae nobis sensum aperiunt scripturarum, traditionis antiquae fontes reserant, actos ad tuendam sacram doctrinam in ecclesia conventus, fusaque divino afflatu oracula per ordinem exponunt. Prima igitur theologiae subsidia sunt hermeneutica sacra, patrologia, studium conciliorum et decretalium summorum pontificum.

* In scripturae lectione assiduum esse oportet theologum: eam ut suum enchiridion quotidie manibus terat, ac meditetur die ac nocte, non vanae curiositatis et ostentationis causa, sed ut sibi prosit et aliis: *Omnis enim scriptura utilis est ad docendum, ad arguendum, ad erudiendum in justitia* [1]). Plura, quae ad hanc materiam pertinent, in hujus operis decursu, cum se offeret occasio, explicabuntur.

15. ** Maxima semper fuit in ecclesia SS. Patrum auctoritas: hos siquidem tanquam veritatis testes, traditionis custodes, scripturae interpretes veneramur. Patres vocamus, tum propter antiquitatem, tum propter conjunctam cum sanctitate eminentem scientiam. Studium igitur SS. Patrum nunquam satis commendari potest theologo; ex his scripturae sensum eruat, dogmatum ecclesiasticorum notitiam hauriat; animum religione, multiplici eruditione ac vero pietatis sensu expleat reficiatque [2]).

*** Post scripturas vix est aliquid in ecclesia augustius et ad confirmandam fidem validius, quam sacrae illae sanctiones, quas ecclesiae praesules in sacris conventibus ediderunt. Neminem latere potest, quanta fuerit patrum nostrorum in tuenda conciliorum auctoritate, eorumque decretis conservandis sollicitudo. His vestigiis insistat theologus, et quantae exinde utilitates in rem theologicam redundent, ipse perspiciet. Nihil est, quod theologiam magis a vana disputandi subtilitate et licentiosa opinionum prurigine sanet, eique pondus illud auctoritatis conciliet, quod tantam scientiam decet. Imprimis commendanda est sacri Tridentini concilii assidua lectio, quod capita fidei omnia, quae a novitiae religionis auctoribus in controversiam adducta sunt, tanta perspicuitate et accuratione exposuit, tanta

1) II *Timoth.* III, 16.

2) De SS. Patrum auctoritate atque insignibus in religionem divinasque scientias meritis ex professo dicendum erit, cum de regula fidei seu de fontibus agemus, ex quibus verae revelationis Christianae dogmata eruenda sunt. Interim, ut alumni nostri a primo statim theologiae ingressu sciant, quid existimare de patribus ecclesiae debeant, et quam amplos sibi ex eorum lectione fructus colligere possint; testimonium hic addimus illustrissimi *Bossuetii*, et patribus et tanto patrum defensore dignum. „Quiconque veut devenir un habile théologien, et un solide interprète, qu'il lise et relise les pères. S'il trouve dans les modernes quelquefois plus de minuties; il trouvera très-souvent dans un seul livre des pères plus de principes, plus de cette première sève du Christianisme, que dans beaucoup de volumes des interprètes nouveaux, et la substance, qu'il y sucera des anciennes traditions, le récompensera très-abondamment de tout le temps, qu'il aura donné à cette lecture. Que s'il s'ennuie de trouver de choses, qui pour être moins accommodées à nos coutumes, et aux erreurs, que nous connaissons, peuvent paroître inutiles; qu'il se souvienne, que dans le temps des pères elles ont eu leur effet, et qu'elles produisent encore un fruit infini dans ceux, qui les étudient; parcequ'après tout, ces grands hommes sont nourris de ce froment des élus, de cette pure substance de la religion; et que pleins de cet esprit primitif, qu'ils ont reçu de plus près, et avec plus d'abondance à la source même; souvent ce qui leur échappe, et qui sort naturellement de leur plénitude, est plus nourrissant, que ce qui a été médité depuis.“ Défense de la Tradition et de SS. Pères. Liv. IV. ch. 18.

verborum ac rationum gravitate firmavit, tanta judicii auctoritate sacravit, ut plus ad certam solidamque divinae religionis cognitionem valeat, quam multa disputantium theologorum volumina.

Conciliorum decretis adjiciendas censemus summorum pontificum decisiones, quae ex praecellentia Romanae sedis ac cathedrae S. Petri robur et auctoritatem maximam nullo non tempore in ecclesia habuerunt; quod quidem non de illis tantum decretalibus epistolis dicendum est, quae magnam juris canonici partem efficiunt; sed de iis praecipue, quae in fidei controversiis aut doctrinae moralis quaestionibus a prima hac sede emanarunt. Ad hanc scilicet petram omnes elisae sunt haereses, plures nullo generalis concilii judicio condemnatae, sola hujus apostolicae sedis auctoritate compressae sunt.

§. II.

Philologia.

16.— *Philologia* strictiore sensu studium linguarum complectitur; latiore significatu idem fere est cum litteris humanioribus. Haec porro subsidia theologiae cum plerisque humanis scientiis communia esse, nemo non videt, nisi velis linguae Hebraicae studium excipere, quod religio sibi tanquam proprium vindicat.

* Ante omnia theologo curandum est, ut eam patrii sermonis notitiam habeat, quae eruditis ac litteratis viris convenit, quod quidem ita apertum est, ut probatione non indigeat. Inter exteras linguas, quae *vivae* appellantur, nulla est, quae majus ad omne eruditionis genus subsidium praebeat, quam Gallica. Legi possunt, ne ex nostra sententia haec dicta videantur, quae *Wiestius* Opere maj. tom. I. pag. 68. habet, ubi non sua tantum cogitata exprimit, sed etiam testimonio comprobat *Laurentii Moshemii*, celeberrimi apud protestantes theologi. Quod studium attinet Graeci et Latini sermonis, non possumus illud satis theologiae candidatis commendare. Imprimis sedulam in lingua Latina curam ponant, quae theologo non utilis tantum, sed prorsus necessaria est, ita quidem, ut nisi eam luculenter calleat, nullos in rebus theologicis profectus sperare possit. Imo tanta est linguae hujus cum re litteraria atque omni eruditionis genere connexio, ut artes omnes et disciplinae floreant, cum illa diligenter excolitur; decidant autem et obsolescant, cum illa spreta jacet et neglecta. Si quaeritur, quaenam theologo in Latini sermonis studio ineunda sit ratio, quis servandus sit modus; mire consentientes habemus auctores omnes: praecipuam ille curam ponat in verborum proprietate, in sermonis perspicuitate, ac simplici quodam ingenuoque nitore. Abhorreat imprimis ab antiquorum scholasticorum barbarie; verumtamen majorem semper in rebus, quam in verbis diligentiam ponat, et cum de sacris dogmatibus agitur, ab eo, qui in scholis passim receptus est, loquendi modo non recedat, quamvis vocabula adhibeantur priscis non exaudita Latinis [1]).

---

1) Forsitan nimium tribuerunt patres nostri Latini sermonis studio, forsitan nimium neglexerunt patrium. Verum an nunquam sciet saeculum hoc, quod omnium se sapientissimum putat, inter praescriptos a sana ratione limites consistere? Quis aequus rerum aestimator ferre potest illum, qui passim in scholas irrepsit, Latinitatis neglectum, vix non dicerem, contemptum? Nihil certe vetaret, eandem patriae linguae ac Latinae adhibere culturam; sed vincit apud multos hodie tum novitatis amor, tum religionis, quae eam sibi propriam fecit, odium. Quid si ecclesia cederet virorum quorumdam improvidis votis, et sacra fieri in lingua patria permitteret? Heu, subito Latinae linguae oblivio irrueret, atque hanc proxime sequens bonarum artium et sacrarum litterarum ignoratio!

En quae de lapsu linguae Latinae poëmati suo de arte bene valendi intexuit clarissimus *Desbillons:*

17. ** Illud quoque theologia commune habet cum aliis scientiis, quod ingenium desideret litteris humanioribus excultum; imo huic imprimis coelesti et altissimae sapientiae omnes oporteret humanas artes famulari. Non decet res divinas tractantem dicendi genere uti inculto et agresti, nec cum lumen rebus adhibere debet, obscuritatem et tenebras offundere. Sciat igitur non tantum emendate dicere et dilucide, sed etiam nitore quodam et ornatu se commendet, ut veritas intelligatur, et libenter audiatur, et audita persuadeatur, et persuasa ametur. Sit autem cultus ille orationis non muliebris, et ad fucum faciendum comparatus, sed sanctus et virginalis habitus, quo major coelesti doctrinae conciliatur veneratio. Auctores legendi sunt optimi tantum et probatissimi, atque in poëtarum imprimis lectione summa cautione opus est; procul sint e theologi manibus, quae ne cogitare quidem virum honestum decet. Non possunt religionis studio utilitatem aliquam afferre, quae animos emolliunt, et a seriis atque utilibus abstractos ad frivola trahunt et inania. Sacrae litterae sicut et omnis sanior eloquentia flosculos fastidiunt impuro solo natos; eos tantum flores amant, ex quibus fructus enascuntur.

18. *** Studium linguae Hebraicae theologiae aliquo modo proprium diximus, cum ad scripturae sacrae intelligentiam et interpretationem potissimum valeat. Eximia sunt catholicorum in hanc disciplinam merita, et cum protestantes dicunt, catholicos in Hebraicam linguam iniquiores esse, ipsi se in catholicos iniquiores esse demonstrant. *Francisci Buddei*, insignis inter protestantes theologi, iniquam in catholicos criminationem refutat *Wiestius* Opere M. T. I. §. 59. schol. II. Et vero non tantum conciliorum et Rom. pontificum decretis sapientissime institutum est, ut in praecipuis academiis professores haberentur Hebraicae, Arabicae et Chaldaicae linguae; sed et multi ex catholicorum scholis quovis tempore prodierunt viri doctissimi, qui, quam alte imbiberant linguarum Orientalium peritiam, studiosa instructione in alios transfuderunt. Sufficiat hic, ut de multis aliis operibus a catholicis editis taceamus, celebres illas bibliorum editiones commemorare, quae *Polyglottae* vocantur; quae non unius alteriusve doctissimi viri opera, sed multorum conjunctis viribus prodierunt, et scientiam produnt linguarum non vulgarem, sed amplam exquisitamque. Prima celeberrimi Cardinalis *Ximenes*, Toletanae ecclesiae archipraesulis, cura et expensis edita est, vocatis ad hoc opus ex variis Hispaniarum scholis eruditissimis viris. Secundam adornavit *Arias Montanus* Hispanus, vir decem linguarum peritia celebratissimus, nec minus pietate et animi moderatione, quam ingenii dotibus insignis. Tertia iterum a catholicis concinnata, Parisiis a *Michaele le Jay* typis *Antonii Vitré* edita est. Opus immensae eruditionis et incredibilis laboris.

§. III.

Historia.

19.—Quod Cicero universim de historia dixit, eam testem esse temporum, lucem veritatis, vitam memoriae, magistram vitae, nunciam veritatis; id speciatim de illa omnium excellentissima parte historiae dici potest, quam ecclesiasticam vocamus. Hoc igitur subsidio carere non potest vera et hujus nomi-

---

. . . Nova scelestis hominibus philosophia,
Vel caeca potius mentium perversitas
Incubuit; et dum violat imperii sacram
Auctoritatem, ac religionem patriam
Exterminare parricidali cupit
Furore, Musas prope simili odio studet
Perdere Latinas, et abolere funditus.
Frustra! Vigebit usque, quam fecit Dei
Ecclesia sibi propriam, Latinitas.

nis digna theologia; quippe in omnes ejus partes latissime diffunditur. Omnes hoc lumine egent, ne a vero tramite deflectant, omnes hoc veluti succo nutriuntur et virescunt.

* Historiae religionis multiplices usus et utilitates exponere necesse non est; cavendum potius, ne theologiae candidati se obvio cuique ductori improvide committant. Sunt enim non pauci, qui odio religionis omnia pervertunt, aut toti serviunt sectae suae praejudiciis. Pios quosque et religiosos homines invidiose carpunt; quos autem impietatis fautores reperiunt, aut certe a catholicorum sacris aversos, summis laudibus extollunt; facta adulterant, textus corrumpunt, falsasque rerum imagines oculis objiciunt, non quod verum est sectantes, sed quod partibus suis opitulatur.

Atque utinam omnes, qui ex nostris hanc materiam tractarunt, illos scopulos cautius evitassent, in quos his imprimis temporibus levioris ingenii homines tam facile impingunt! Res est non exigui laboris et difficultatis, historiam religionis etiam in compendio scribere, scire quid jam dicendum sit, quid resecandum, quid copiosius dicendum, quid leviter attingendum; nullo partium studio abripi, et in tanta opinionum diversitate media semper, qua verum invenitur, via incedere; antiquis non superstitiose inhaerere; nec nova ambitiose sectari, sed temperare sibi ab inquieto sese in aspectum proferendi desiderio; zelo tuendae religionis sanctissimo flagrare, sed non imperito magis nocere quam prodesse. Deinde omnia ita digerere, ut justa sit partium omnium proportio, nec corpus exsurgat inaequali membrorum mensura difforme, cum multa manca sint, aut nimis exilia; alia ultra modum protrahantur, ubi scilicet praesens est auctori rerum copia. Qui ad haec bene attenderit, facile ipse poterit de recentiorum quorumdam operum merito judicare.

20. ** Rerum ecclesiasticarum scriptores recensere nimis longum esset. Annalium ingentia volumina ne commendare quidem candidatis audemus, ne operum mole perterriti ab historiae studio resiliant. Habent, qui diligentiores sunt, cl. *Fleurii* historiam, cujus versio Latina in Germania prodiit. Sciant tamen, in hoc etiam opere, et in ea quidem operis parte, quae ipsa Fleurium auctorem habet, quaedam fuisse reprehensa a viris apprime catholicis; quae autem a continuatore conscripta sunt, ita scatere vitiis, ut vix correctioni locus relinquatur. Possunt etiam multum prodesse theologis *Natalis Alexandri* historia ecclesiastica; *Tillemontii* in VI. priora saecula memoriales libri; *Ludov. Dumesnil* S. J., Cath. Universitatis Argent. Cancellarii, Doctrina et Disciplina Eccles.; *Gravesonii*, illustrissimi *Godeau*, Abbatis de *Berault-Bercastel*, et quorundam aliorum opera, quae recensita reperies in *Schroeckhii* historia religionis ad usum catholicorum reformata. Attamen manca sunt, quae ibi dicuntur de *Racinii* compendio. Neque persuadere mihi possum, hoc opus, quod putidum Jansenismum exhalat, Benedicto XIV. placuisse, tametsi a *Klüpfelio* id scriptum fuisse dicatur.

*** Artem criticam et antiquitatum studium ad philosophiam refert *Wiestius* Opere maj. §. 38. Nobis videntur majorem cum historia nexum habere; verum tanti non est haec discutere: satis est regulas nosse sanioris critices, et in antiquitatum ecclesiasticarum studio diligenter ac feliciter versari [1]).

---

1) Ars critica a *Mabillonio* (de stud. monast. c. XIII.) definitur: „Scientia conjecturalis, docens modum recte judicandi de quibusdam operibus, praesertim auctorum sacrorum et profanorum, eorumque scriptis.“ In sensu latiori est scientia bene judicandi de factis historicis, de auctoribus eorumque scriptis. Vix dici potest, quantam utilitatem in studio rerum ecclesiasticarum

§. IV.

Philosophia.

21. — *Philosophia* nomine suo studium sapientiae significat. Antiquitus ii, qui in formandis animis, statuendis vitae legibus et causis rerum naturalibus investigandis, operam collocabant, philosophos se dixerunt, seu sapientiae studiosos; in quo, quamvis jam tempore suo vanitatis accusati, longissime tamen abfuerunt ab insolentissima virorum illorum arrogantia, quos aetas nostra tulit; qui cum in deformandis animis, diruendis vitae legibus, atque omnibus justi verique notionibus pervertendis constanter versantur, solos se sapientissimos praedicant, instituendis regendisque hominibus natos. Verum nobis sermo non est de hac philosophia, qua nihil est a sapientiae studio magis alienum, sed de illa, quam religio aeque ac ratio commendant, quae merito dux vitae dicitur, et laudandarum artium quasi parens et procreatrix. Quamvis latissime se extendat, potest tamen tota sub ea, quam jam veteres invenerunt, divisione comprehendi. Est scilicet physica, moralis et dialectica, vel, ut Quintilianus [1]) aliis verbis ait, naturalis, moralis et rationalis. Harum porro nulla est, quae cum theologia non sit arctissime conjuncta.

22. * Ut jam ordinem retroagamus, de ultima illa parte primum tractemus, quae rationalis ideo dicitur, quia humanae rationis magistra est et quasi educatrix; cum eam optimis praeceptis fingat, ut facilis illi fiat in ceteris eruditionis partibus progressus. Est hoc imprimis *logicae* munus, tum et illius metaphysicae partis, quae primarias omnis humanae cognitionis veritates exponit. Haec ita sunt theologo necessaria, ut si desint, nec de argumentorum valore judicare, neque falsa a veris, ambigua a certis secernere, nec conclusiones ex principiis deducere, neque resolvere contraria poterit, neque expedire se inanium verborum ambagibus. Quin geometriae aliarumque mathematicarum artium scientiam huic philosophiae parti non sine ratione adnectimus, quando de efformando theologo nobis sermo est. Id enim ex illis utilitatis consequitur theologus, quod ingenium acuant, celeritatem pariant percipiendi, ac rationem doceant, recte et accurate concludendi et argumentandi in veritatis indagatione. Hinc satis ingeniose de geometria ait Quintilianus [2]): „prodesse eam, non ut ceteras artes, cum perceptae sint, sed cum discatur.“

** Jam vero pars illa, quae moralis dicitur, quam etiam practicam appellamus, quaeque ethicam et jus naturale secundum omnes suas partes complectitur, speciali quodam jure ad theolo-

---

afferat, si sana sit et moderata, id est aeque remota a simplici credulitate, et insolenti in judicando temeritate. Sicut religio Christiana, quae ex ipso veritatis fonte profluxit, non indiget praestigiatorum artibus, ut sustentetur: *numquid Deus indiget mendacio vestro, ut pro illo loquamini dolos?* (*Job* XIII, 7.), sic etiam hominum illorum temeritatem reprobat, qui eruditionis famam ambientes, in omnia irruunt impio conatu, et ex levissimis conjecturis evertere moliuntur, quae totius antiquitatis testimonio roborata sunt. Quoniam in hanc materiam longius excurrere non licet, unicum *Ludovici Muratorii* locum ad instructionem candidatorum adjicimus. Post artis criticae commendationem addit: *Esse potest et saepe est criticae, alioquin laudabilis atque utilissimae artis, perversus usus; et quemadmodum medicina, eloquentia, dialectica atque aliae artes Dei immortalis munere hominibus datae nocere interdum solent, non sua, sed abutentis culpa; ita hominum vitio veritati nonnunquam officit critica, quamquam in ipsius veritatis praesidium excogitata. Et sane, dum litterarum studiosus laxatis habenis ad inquisitionem veri se confert, nullumque ambitioso ingenio limitem praescribit; quid mirum, quod tot et pertinaces haereses atque errores sobolescant latiusque serpant in dies?*

1) Lib. XII. cap. 2.
2) Lib. I. cap. 9.

giae subsidia pertinet; cum moralis disciplina ex legis naturalis principiis tanquam ex suo fonte defluat. Nollem tamen theologiae moralis prefessorem philosophicae magis, quam Christianae eruditionis laudem affectare, et ex incertis philosophorum placitis actionum humanarum principia deducere. Vera philosophia Evangelium est; hic legis etiam naturalis fontes sunt, multo puriores, quam fallax et inter opinionum commenta fluctuans ratio.

23. *** Pars philosophiae tertia naturalis dicitur. Ad hanc partem referre possumus non physicam tantum, seu scientiam, quae corporum naturam, compositionem, motum, effectus, seu varia naturae corporalis phaenomena explicat; sed etiam *pneumatologiam ac religionem naturalem.* Haec scilicet ad causam omnium rerum effectricem assurgit, et ex contemplatione rerum naturalium concludit, numen aliquod esse praestantissimae mentis, quo haec reguntur, eique cultum deberi sanctissimum ac plenissimum pietatis. Illa animum nobis inesse ostendit immortalem, a materia secretum, participem consilii et rationis, quod omnis rectae honestaeque vitae fundamentum est. Jam vero neminem latere potest, quantus sit hodiedum impiorum hominum numerus, qui de Deo ejusque perfectionibus, de natura animae ejusque post mortem statu perverse sentiunt, contra quos dimicare felicius poterit theologus, si sciat ex hac philosophiae parte arma depromere.

24. **** Nolumus tamen haec ita intelligi, ac si rationi fidem submitteremus. Non parum violaretur fidei majestas, si, quod haec verum certumque esse sancit, hoc ad trutinam suam expenderet ratio, non imbecillis tantum, sed ut plurimum turbulenta et ambitiosa. Scio haec, quamvis a sapientissimis viris saepius dicta et repetita fuerint, multorum tamen aures offendere; audire non sustinent neologi nostri illud obscurorum, uti dicunt, temporum adagium: oportere rationem theologiae ancillari; cum enim fidei imperium superbe detrectant, vellent rationem, utique suam, rerum omnium dominam et magistram constituere. Nec desunt etiam inter theologos, qui malunt divinae revelationis veritatem ex novae philosophiae placitis metiri, quam humanae rationis foetus ad summae et incorruptae rationis normam expendere. Pace tamen rationalistarum dicam, rationem in se seu *objective*, ut ipsi dicere amant, spectatam pari cum revelatione passu incedere; nam nec ratio a fide, nec fides a ratione divellenda est; mutuas sibi operas tradant, tanquam sorores eodem patre genitae; sunt enim ambae excelsissimae et infinitae mentis emanationes. Jam si *subjective* spectetur ratio, qualis scilicet in nobis hominibus est, quis non videt, eam e suo, quem primitus habuit, dominatu excidisse, atque ita esse ad servitium natam, ut nisi in obsequium fidei redigatur, sub lege peccati sit, et animi cupiditatibus famuletur; quod si probatione indigeret, argumenta non deessent ex veteris et recentioris philosophiae historia [1]).

---

1) Nunquam hic consentientes habebimus minutos nostros philosophiae et rationis humanae jactatores, quos commiseratione potius quam confutatione dignos censemus; verum quia vana sua et superba ostentatione facillime juniores animos inflant, et ad defectionem pelliciunt, nullam putamus praetermittendam esse occasionem, qua muniri possint incautae mentes contra seductorum praestigia. Quae ergo diximus de rationis imbecillitate, et quod nunc, nisi Deo subdatur, pravis animi cupiditatibus serviat, hoc duorum doctissimorum virorum testimonio comprobabimus.

Primum est illustrissimi *Huetii*, qui in quaestionibus *Alnetanis* integrum librum conscripsit de concordia rationis et fidei, ubi materiam hanc in omnem partem versat, cum vi ingenii et subtilitate maxima et mira sententiarum ac verborum varietate. Ita autem ait in antecessione (N. II. et N. III.): *Nunc statuere nobis propositum est, ad utrius (rationis an fidei) rectionem*

CAPUT TERTIUM.

De ratione tradendae et discendae theologiae.

ARTICULUS I.

Modus tradendi theologiam.

§. I.

Methodus.

25. — Methodus est certa quaedam ac determinata ratio, quam in veritatum indagatione et tractatione sequimur. Methodum aliquam in omni disciplinarum genere necessariam esse, a nemine credo, qui sanae mentis est, negari posse. Unde cum theologia sit erudita veritatum revelatarum tractatio veraque scientia, et quidem tanto nobilior, quanto magis divina humanis excellunt, etiam certa aliqua methodo carere non potest.

* Varia cogitari potest theologiae tradendae ratio; exinde varias theologiae denominationes derivari cap. I. §. 7. ostensum est. Quae ibi jam exposita sunt, repetere superfluum ducimus; quaedam tamen hic adjicienda, quaedam explicatius tractanda. Primum quidem praetermitti non debet methodus illa, quae *biblica* dicitur, et a multis magnis laudibus celebratur, imprimis ab illis, qui biblicos se videri vehementer affectant. Dicitur autem *biblica*, quia ordinem scripturae sequitur, et veritates divinas ex sacro textu eruit, non alio quam librorum sacrorum ordine. Non defuerunt, etiam inter catholicos, viri summi ingenii, qui veterem morem doctrinam Christianam ex sedula scripturarum lectione, cum traditionis et patrum studio conjuncta, perdiscendi maximi faciebant, a systematica methodo plus aequo abhorrentes. Vide *Fleurium* dissert. II. et V. in hist. eccles.

26. ** Communis tamen hodie eruditorum sententia est, methodum systematicam theologiae prae omnibus aliis magis convenire. Exemplum Christi et Apostolorum, qui nusquam doctrinae suae systema exposuerunt, neque ad aliquem veritatum nexum aut ordinem attendebant, nihil in hac quaestione evincit. Nec Christum nec Apostolos decuisset philosophorum more disserere, et in arte quadam humana praesidium quaerere. Nos autem, quibus rerum divinarum scientia non e coelo illabitur, quibus dictum non est illud evangelii [1]): *Nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini; . . . non vos estis, qui loquimini, sed spiritus patris vestri, qui loquitur in vobis*; — nos, inquam, necesse est ad veritatis cognitionem omnem humanam operam adhibere. Non hic de informandis rudibus

---

applicare nos satius sit; utra censenda dignior imperio. An ratio? quid, si anceps est et fallax? si hebes? si tenebricosa? quid, si temere vagatur et errat? Eine vero trademus regendam fidem, quae nisi firma sit et constans, jam fides non est? An coeca oculatam ducet? probabitque id tandem ipsa ratio, si modo aequa est, uti haberi vult? Agnoscat ipsa sese, suaeque sibi imbecillitatis conscia, felicitatem ac aeternam salutem nobis conciliare se non posse speret, per quam ne veritatis quidem compotes esse possumus. Et iterum: *Primum adducenda in notitiam sui ratio est, suaeque imbecillitatis et obscuritatis coarguenda. Jam inde enim se tenebris undique obseptam agnoscens, iisque expedire se satagens, nec aliunde beneficium hoc expectans quam a fide, in ejus demum ditionem se permittet.*

Secundum ex *Muratorii* insigni opere: *De ingeniorum moderatione in religionis negotio,* desumimus (lib. I. c. 6.): *Cum corrupta hominum voluntas plerumque feratur in apparentia bona, quae mala profecto sunt, quotiescunque animum a vero bono avocant et arcent: hinc ipsemet intellectus in servitutem miserrimamque conditionem devolvitur, et erroribus innumeris subest. Ruit voluntas in corporeas voluptates, . . illam occupat aut gloriae appetitus, ejusque soboles novitatis ardor, aut aliae cupiditates hujusmodi . . . Ita imperio delirantis et in varios affectus dissipatae voluntatis abreptus intellectus delirare et ipse cogitur.*

---

1) *Matth.* X, 19. 20.

agitur, sed de erudiendis clericis, a quibus cognitio religionis requiritur non vulgaris. Et quia nostro saeculo omnium maxime systematico religionis veritas magis effulget, si catholicorum dogmatum admirabilis nexus, atque in unum doctrinae corpus perfecta concatenatio ad oculum demonstretur; non video, cur non systematica methodus aliis anteponatur.

27. *** Methodus systematica *analytica* est, quando per analysin a conclusionibus redimus ad principia, seu a particulari ad universale: *synthetica* dicitur, quando primum principia ponit, ex quibus conclusiones ratiocinando eruit, sicque ab universali progreditur ad particulare. Synthetica methodus non raro *mathematica* dicitur vel *geometrica*, quia geometrae et mathematici ea utuntur. Dicitur etiam *demonstratio*, quae nihil aliud est, quam veritatis alicujus ex certis principiis deductio. Jam cum diversae sint certitudinis species, varias quoque ex illis demonstrationis species exsurgere necesse est. Mathematici ex principiis demonstrant, quae per se clara et aperta sunt, et certitudinem habent ex evidentia; aliae demonstrationes ex principiis deducuntur, quae physicam aut moralem certitudinem pariunt, atque in plerisque scientiis, si paucas excipias abstractas magis quam positivas, adhibentur. Habet autem hoc moralis imprimis certitudo sibi proprium, quod hominum ingenio magis sit accommodata, atque ad excludendam omnem errandi formidinem, convincendosque penitus non rudium tantum, sed et doctorum animos plus valeat, quam ex principiis geometriae deductae conclusiones.

§. II.

Theologia scholastica.

28. — Cum de ratione tradendae theologiae agitur, systematicae methodo plerumque opponitur scholastica, ut illa hac veluti umbra emineat, et tantum apud omnes habeat laudis et amoris, quantum haec vituperii habet et odii. Tanti scilicet sunt aetatis nostrae in omni doctrinarum genere ac praecipue in sanctioribus disciplinis progressus, ut jam bilem commoveant, aut certe risum excitent, quae maximam habebant olim celebritatem et admirationem. Nullum est hodie theologiae compendium, in quo non centies scholastici in crimen vocentur; nullus vel unius mensis theologus, qui non scholasticam theologiam exhorreat ut monstrum horrendum, ingens, cui lumen ademptum. Ne igitur nostris theologiae candidatis aliquid desit eorum, quae ad pleniorem hujus scientiae cognitionem pertinere videntur, de hac scholastica theologia quaedam sunt breviter explicanda.

* Theologia *scholasticae* nomen assumpsit a saeculo XI., cum in publicas scholas recepta est, eo potissimum fine, ut Christianae veritates, quae antea ex scripturae et patrum libris multo labore eruendae erant, in unum doctrinae corpus collectae traderentur, idque pressiore stylo et dialecticorum more, adhibita ad tuendam fidem disputationis disciplina et disserendi artificio. Quae certe docendi ratio, dummodo se suis finibus contineat, in inquirendo sobria sit, et a vana rixandi libidine aliena, nihil habet, quod ab aequo rerum aestimatore reprehendatur. Ego quidem fateor, me in pluribus, qui de re theologica methodo scholastica scripserunt, non tantum solidam in omni doctrinarum genere eruditionem reperisse; sed et magnam in exponendo claritatem, in diluendis sinuosis sophismatibus ingenium subtile, atque conjunctum his genus dicendi simplex et nitidum, et ad bonae Latinitatis normam, quantum res patitur, compositum. Quare et majorem ex illis voluptatem cepi, quam ex compendiis quibusdam *paragraphisticis*, quae cum omnem dialecticam formam, ne aliquid scholasticae pravitatis adhaerere videatur, anxie evitare conati sunt, in

genus dicendi inciderunt durum et perplexum, omnia absque dictionis varietate in infinitos paragraphos dissecantes; quo fit, ut, cum ordinem sectantur, confusionem generent.

** Id quoque negari non potest, multa, cum de hac scholastica theologia agitur, temere et confuse proferri. Multi criminantur, quae ignorant; haererent enim, si, quae illa demum tam exitialis disciplina sit, ab ipsis quaereretur. Hinc a vero quam maxime aberraret, qui de scholasticis ex recentiorum quorundam calumniis judicaret[1]).

§. III.

Continuatio.

29. — Dissimulandum tamen non est, multa theologiae scholasticae non sine ratione objecta fuisse. Quis enim non doleat viros, inter quos multi fuerunt mentis perspicacia ac singulari ingenii subtilitate praediti, omnem vim mentis suae in vanis saepe ac levissimis rebus exercuisse, neglecto scripturae ac traditionis studio? Cl. *Fleurius* in haec scholasticorum vitia acriter invehitur (dissert. V.), nimius forsan veteris aevi laudator, nimius etiam sequentium saeculorum vituperator. Habet certe scholastica methodus bona sua, et quae ei objiciuntur aberrationes, non tam methodi, quam hominum et temporum vitia sunt.

* Certum est, scholasticos methodum illam, quae geometrica dicitur, sibi imitandam proposuisse, quamvis non satis feliciter id egerint. Interim ex eorum stricta et dialectica concludendi et probandi ratione fluxit ordo in tractandis quibusve materiis multo accuratior, quo hodiernae compositiones ab antiquioribus distinguuntur. „La théologie scholastique a-t-elle été aussi pernicieuse, qu'on le prétend? dicit celeberrimus auctor Bergier; c'étoit le premier effort de la raison, pour sortir de la barbarie.... Elle a été nécessaire, pour nous mettre en état de marcher avec plus de sûreté, pour écrire avec plus d'ordre que les anciens, pour nous donner une logique plus ferme, que la leur. *Si nos adversaires la connaissoient mieux, ils ne raisonneroient pas si mal.*“ Vide etiam ill. *Bossuetii* testimonium, quod in praefatione attulimus.

** Notandum etiam est, eo tempore, quo theologia scholastica inanium subtilitatum et argutiarum agmine stipata principatum tenuit, difficile admodum fuisse, nondum inventa typographia, eum sibi librorum apparatum comparare, qui ad scripturae, traditionis et historiae ecclesiasticae studium necessario requiritur. Inde factum est, ut praeclara etiam ingenia ad dialecticorum acumina converterentur, et speculando, disputando, resque abstrusissimas excutiendo et ventilando vires suas exercerent. Ceterum contigit illis, quod militibus, qui cum ab externis armis securi sunt, et hostes, cum quibus congrediantur, non habent, pugnas simulant, et mutuis se certaminibus impetunt, in qua ludicra armorum exercitatione nec quidquam acquirit, qui vincit, nec perdit, qui vincitur. Secure tunc quaestiones ex quaestionibus inferebant, et per imaginationis spatia impune vagabantur. Non erant, qui ecclesiam turbarent, et per totum Occidentem una omnes populos colligabat religio. Ex quo autem novi in avitam religionem hostes surrexerunt, magis etiam ad stabilienda dogmata ex revelationis principiis studia catholicorum conversa sunt. Ita sensim abjecta est inutilium cura, cum de necessariis providendum erat.

§. IV.

De optimo theologiae systemate.

30. — Sed tempus est, ut de rite adornando theologiae systemate pauca di-

1) „Die armen Scholastiker,“ sagt *Semler*, „haben sich gar zu sehr müssen verachten lassen, oft von Leuten, die sie nicht zum Abschreiben hätten brauchen können.“

camus Duo in hac materia nobis videntur sollicite distinguenda. Primum est generalis totius systematis compositio, quae ex rerum tractandarum ordine et apta collocatione oritur. Secundum ad modum pertinet, quo res quaelibet speciatim pertractari debet; estque ratio quamlibet veritatem ea methodo exponendi, probandi et contra adversarios propugnandi, quae tum rei, quae tractatur, tum eorum, qui instituendi sunt, ingenio magis sit accomodata. In utraque autem tum generali, tum speciali systematis elucubratione ab his regulis, quae syntheticae methodo propriae sunt, nunquam discedendum est: 1⁰ Ut principia praemittantur conclusionibus, et praecedant ea, quae sequentibus intelligendis serviunt. 2⁰ Ut notiones aut definitiones praemittantur, omnis ambiguitatis expertes, clarae et certae, si non evidentia objecti, quod in mysteriis impossibile est, tamen evidentia testimonii. 3⁰ Ut propositiones rite determinentur, atque ex principiis jam praemissis legitime deducantur.

31. * Quod generale theologiae systema attinet, ultro fatemur, scholasticos, quamvis et ipsi systema aliquod habuerint, ordinem tamen materiarum strictum et ad verae demonstrationis regulas exactum non servasse, cum principia non praemiserint *principiatis*, et multa ad religionem revelatam pertinentia protulerint, antequam de revelatione ipsa ejusque divina origine, de scripturae et traditionis auctoritate, de ecclesiae infallibilitate tractassent, quae tamen principia sunt omnis revelatae veritatis. Ut huic malo remedium afferatur, placuit ea, quae revelationis Christianae et totius catholicae fidei fundamenta sunt, sub *theologiae generalis* nomine praemittere. Hanc methodum tanquam perfectiorem et ad mathematicam demonstrationem propius accedentem, lubentissime arripimus, quamquam ei in hoc tam volubili saeculo certam stabilemque possessionem asserere non audeamus [1]).

32. ** Ne tamen, cum de methodo etiam stricta et synthetica agitur, eam cogites veritatum compagem, quae nulla sui parte sine totius dissolutione mutari posset; seu propositionum omnium tam necessariam connexionem, ut una semper ei, quae proxime praecessit, innitatur, et ipsa iterum sequentem sustineat. Quis in theologicis haec poscat, cum ne in mathematicis quidem reperiantur? Scimus enim Euclidem, qui systema nobis demonstrationis perfectissimum reliquit, praemissis principiis propositiones demonstrandas pro materiae, ad quam pertinent, ratione, collocasse. Et certe, cum plures saepe veritates a se invicem non

1) Multi nunc de supremo systematis theologici principio seu de prima aliqua idea disserunt, ex qua omnis rerum nexus et ordo deduci debeat. Verum persuadere mihi hucusque non potui, hac arte aut novi aliquid dici, aut novum lumen theologico studio affundi. Placet pluribus idea de regno Dei; sed non omnes eadem ratione progrediuntur. Quidam ordinem servant, qui ex naturali rerum connexione oritur, et multum egisse se putant, si vocabula haec: *regnum coelorum, regnum Dei morale,* operi praefigant et in contextu operis, cum occasio se dat, repetant. Hoc certe non est principium primarium ponere. Siquidem principium primarium omnis disciplinae illud est, ex quo totum systema ita educitur, ut, illo sublato, corruat; verum cum illa vocabula omnino expungi possent, quin ideo, non dicam totum operis compositionem, sed ne unum quidem caput, ne unam quidem phrasin immutare necesse esset, profecto non ex illa idea systema eruitur; sed ex rerum natura et tractatione ad strictas methodi leges ordinata.

Hoc utique cognoverunt alii doctissimi viri, qui ne viderentur vano nomine gloriari, ita principium suum praemittunt, ut ex eo totus doctrinae complexus videatur quasi ex sua radice exsurgere. Verum quas illi novas studio theologico utilitates attulerint, non video; nam cum rerum naturalem nexum sequi deberent, malunt ordinem mutare et disjectas partes in eam formam cogere, quam sibi effinxerunt.

dependeant, quamvis ex eodem principio fluant; sufficit principia primum ponere, et quae ex his probanda sunt deducere, quamvis mutato hinc inde ordine; quod exemplis demonstrare facillimum esset.

§. V.

De ratione tractandi veritates singillatim.

33. — Ad theologiae studium, ut diximus, secundo requiritur, ut sciamus, qua ratione veritates, ex quibus systema theologicum connexum est, singillatim tractandae sint. Non enim sufficit scire, quo quidquid loco dicendum, sed etiam quomodo dicendum. Atque hic fatemur, plura nobis videri in recentiorum scholasticorum methodo ad juniorum clericorum institutionem optime accomodata.

34. * Nemo certe existimabit, commendari a nobis vanam illam et captiosam disputandi artem, quae ars fallendi potius est, quam ratiocinandi; aut illam in movendis quaestionibus intemperantem curiositatem, aut maculas quaslibet, quas hominum aut temporum vitio scholae methodus contraxerat. Jure haec perstringit *Melchior Canus* de locis theologicis aliique maturioris ingenii viri. Nos illam methodum intelligimus, qua primum quaestionis status clare et accurate exponitur, ut omnis tollatur ambiguitas et aequivocatio; tum id, quod probandum suscipitur, breviter et dilucide exprimitur; argumenta autem nonnisi valida et ex genuinis revelationis fontibus deprompta, eo modo proponuntur, quo eorum veritas et vis probandi evidentius appareat; demum contraria dissolvuntur, ne qua in anima remaneat circa rem propositam dubitatio. Haec omnia, si ad sanae dialecticae leges exigantur, mirum est, quantam veritati lucem, quantum robur argumentis afferant. *Dialectica*, ait S. Basilius, *instar muri est dogmatibus, quod ea non sinit facile diripi et quorumlibet incursioni patere.*

35. ** Non possum igitur satis mirari, ita quibusdam exosum esse hunc disserendi modum, ut vix syllogismi formam sustineant, et librum cito e manibus abjiciant, in quo veritates religionis ex radicibus fidei admoto artificio rationis per aperta consectaria et manifestas conclusiones deducuntur. Malunt quippe perplexe, verbose ac saepe etiam inculte dicere, dummodo non syllogistice dicant. Certe non est, cur nos catholicos incredulorum dicteria terreant, qui cum modum demonstrandi, quem mathesis adhibet, siccum, et ratiocinii legibus arctissime constrictum summis laudibus extollunt; illum tamen procul esse vellent a theologicis disciplinis. Neque in hoc imperitos se probant fraudis artifices. Nam cum religionem captiosis tantum sophismatibus aggredi possint, atque libenter verba accumulent, ut rationum infirmitatem diffusioris styli ambagibus tegant; nihil timent magis, quam artem illam ratiocinandi, quae detracto verborum apparatu argumenta ad simplices et nudas propositiones reducit, et ad logices regulas expendit. Caeterum non raro impudenter ipsi abutuntur illa disserendi et concludendi forma, qua nos ne uti quidem vellent; toti enim in dialecticis tricis et argutiis versantur, cum nos impugnant; et libenter imperitos vana philosophiae ostentatione decipiunt.

36. *** Ex his consequens est, in tractatione theologiae methodum stricte systematicam vel demonstrativam, quantum fieri potest, adhibendam esse, *ea tamen lege, ut simul ratio habeatur methodi scholae,* ut observat *Wiestius*[1]), cujus testimonium eo confidentius citamus, quod nemo dixerit, eum scholasticis impensius favere. Possemus et nos adjicere propriam experientiam et per crebras in hanc rem meditationes et animadversiones absque omni prae-

1) Op. M. Tom. I. §. 79.

judicio institutas magis semper magisque firmatam convictionem.

§. VI.

De proprio theologiae revelatae principio.

37. — Ad demonstrationem stricte systematicam duo, ut jam superius dictum est, requiruntur; scilicet principia certa, et conclusionum ex principiis legitima deductio. Principia theologiae Christianae sunt ea omnia, quibus certo nobis innotescit, quid a Deo fuerit revelatum. Verum haec, quaecunque demum illa sint, vim suam omnem deducunt ex auctoritate Dei loquentis, seu ex primo hoc principio, quod omnis verae revelationis fundamentum est: *Deo revelanti non potest denegari fides.* Ulterius mens humana inquirere non potest. *Testimonium veritatis primae,* ait S. Thomas [1]), *se habet in fide, ut principium in scientiis demonstrativis.* Quisque enim indubitanter judicaverit, aliquid a Deo esse revelatum, hoc ipsum credat judicio certo et firmo, necesse est; cum nihil sit rationi magis consentaneum, quam iis acquiescere, quae a Deo, qui nec falli, nec fallere potest, nobis proponuntur. Verum, quamvis fidei nostrae assensus uni nitatur divinae auctoritati, et propria fidei causa sit interior Dei afflatus, qua movemur ad assentiendum Deo; requiruntur tamen externa adminicula, quibus persuasum nobis fiat, Deum locutum esse; ex quo sequitur, usum quoque humanae rationis necessarium esse in rebus theologicis; nam fides, etsi obscura sit, tamen coeca non est, nec irrationabile obsequium postulat.

38. * Usum rationis sobrium et moderatum nec scripturae nec Patres improbant. Ad Thessalonicenses ait Apostolus [2]): *Omnia probate, quod bonum est, tenete!* et ad universos Christianos S. Joannes [1]): *Carissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sint!* Insigne est illud S. Augustini ex libro de vera religione [2]): *Auctoritas fidem flagitat, et rationi praeparat hominem. Ratio ad intellectum cognitionemque perducit; quamquam nec auctoritatem ratio penitus deserit, cum consideratur, cui sit credendum.* Et alio loco [3]): *Absit, ut ideo credamus, ne rationem accipiamus, sive quaeramus; cum etiam credere non possemus, nisi rationales animas haberemus. Ut ergo in quibusdam rebus ad doctrinam salutarem pertinentibus, quas ratione nondum percipere valemus, sed aliquando valebimus, fides praecedat rationem, qua cor mundetur, ut magnae rationis capiat et perferat lucem, hoc utique rationis est . . .*

39. ** Verum cum rationi, quod suum est, tribuimus, simul cavendum est studiose, ne in pestiferum illum errorem incurramus, quem Sociniani et inter recentiores protestantes non pauci sequuntur: rationem formam esse seu regulam, ad quam fidei mysteria expendi debeant. Hoc principio semel posito, necesse est, totam fidei oeconomiam in meram philosophiae naturalis disciplinam commutari. Haec est superba illa et inimica Deo sapientia, quam reprobat Apostolus [4]). Hanc et non aliam impugnant Patres, cum videntur humanae philosophiae adversari. *Credimus, ut agnoscamus,* ait S. Augustin. [5]); *non agnoscimus, ut credamus: quid est enim fides, quam credere, quod non vides.* Ut exitiale hoc, quod fidem inter et rationem non raro exardescit, dissidium extinguatur, ante omnia in notitiam sui adducenda est ratio, suaeque imbecillitatis et obscuritatis coarguenda; ut undique tenebris obseptam se agnoscens, praesidium sibi in sola fide esse intelligat;

1) Quaest. XIV. de ver. act. 8. 2) I *Thess.* V, 21. — Vide etiam ad Rom. XII, 2. 3. II *Corinth.* XIII, 5.

1) I *Joan.* IV, 1. 2) C. XXIV. 3) Epist. 150. 4) *Rom.* VIII. 5) Tract. XL. in Joan.

cui cum se semel tradiderit, emerget ex errorum et dubitationum nebulis, et puriore lumine collustrata ad veritatis cognitionem citius certiusque perveniet.

§. VII.

De veritatibus theologicis.

40. — Veritates, quae ad theologiam pertinent, non omnes sunt eodem gradu collocandae. Theologi inter eas non una ratione distinguunt, ac multa de dogmatibus et veritatibus fidei, de dogmatibus puris et mixtis, de quaestionibus et conclusionibus theologicis disserunt, atque quaenam ad revelatae religionis complexum stricte pertineant, et materiam efficiant fidei nostrae, studiose perquirunt. Non est nobis animus de his longius et diffusius disputandi, attamen ea omnino praeterire non possumus; sunt enim quaedam, quae nescire etiam theologiae tyronibus non conceditur.

* Primum quidem omnes revelatae veritates vocantur *veritates fidei* vel *dogmata*, qua tamen denominatione saepius veritates tantum theoreticae intelliguntur, quae ad scientiam credendorum, seu theologiam dogmaticam pertinent. Alii distinguunt iterum inter illas veritates, quae in verbo Dei contentae quidem sunt, et communi ecclesiae fide nituntur, quamvis nullo adhuc solemni ecclesiae decreto sancitae fuerint; et illas, quae diserte ab ecclesia definitae sunt et tanquam in verbo Dei contentae omnibus cum obligatione credendi proponuntur. Primi generis veritates ad fidem pertinere certum est, easque appellant *dogmata quoad se;* quae ad secundam classem pertinent, speciali quodam modo vocant *dogmata catholica*, vel *dogmata quoad nos.* Sunt, qui post Melchiorem Canum distinguunt inter dogmata et *articulos fidei*, hosque dicunt praecipua quaedam fidei capita esse, in quibus alia dogmata continentur.

Dogmata alia *pura* vocantur, alia *mixta*. *Pura* sunt, quae sola nituntur revelatione divina, et alio nomine *mysteria* vocantur. *Mixta* dicuntur illae fidei veritates, quae non tantum ex revelatione probantur, sed etiam ex ratione naturali, qualis est doctrina de unitate Dei et immortalitate animae. Ubi tamen notandum, eas tum tantum veritates fidei effici, cum ex fidei principiis deducuntur. Porro quaestiones theologicae, quae ad fidem proprie non pertinent, et ideo salva orthodoxia in utramque partem ventilari possunt, *adiaphorae* vocantur et non raro *scholasticae.* Sed et inter has discrimen ponendum est. Aliae cum dogmate connexionem habent, eique explicando et illustrando plurimum serviunt; aliae curiosae magis sunt, quam utiles: hae iterum *stricte scholasticae* dicuntur, illae *dogmaticae latiori sensu.*

41. ** Ex quaestione theologica fit *conclusio*, si illud, quod in quaestionem vocatum est, ratiocinatione evolvitur. *Conclusiones theologicae* duplicis generis sunt; nam vel ex utraque praemissa ad fidem pertinente, vel ex una fidei, altera naturali lumine nota recte colligitur. Primi generis est ista conclusio: *Qui filius Dei est, est haeres vitae aeternae; atqui per Christum filii Dei facti sumus: ergo et haeredes vitae aeternae.* Secundi generis est illa de duplici voluntate et operatione Christi, hoc modo: *In Christo sunt duae naturae perfectae, divina et humana; omnis autem natura perfecta propriam habet operationem et voluntatem: ergo in Christo duplex est voluntas, duplex operatio.*

Quae per ejusmodi conclusionem theologicam, vel ex duplici praemissa de fide, vel ex una saltem quae de fide sit, per ratiocinia legitima eruuntur, vocantur veritates *virtualiter* vel *mediate* vel *implicite revelatae;* quamquam, qui accuratius loquuntur, veritates virtualiter revelatas ab implicite revelatis distinguunt. *Virtualiter revelatae* illae sunt, quae necessariam

habent cum fidei veritate connexionem. Sic veritas haec, Christum in Eucharistia adorandum esse, virtualiter continetur in dogmate praesentiae realis. *Implicite* autem *revelata* dicuntur, quae dogmatibus jam insunt, et cum ipsis revelantur, licet disertis verbis non exprimantur. Sic Christum habere mentem humanam, in ipso hoc dogmate, quod verus sit homo, continetur.

42. *** Quaeritur nunc, an conclusio theologica ad fidem quoque pertineat? Respondemus, conclusionem ejusmodi, qua talis est, non esse fidei articulum, nisi aliunde fuerit immediate revelata, aut ecclesiae judicio constet, eam esse in revelationis principiis contentam. Omnis scilicet conclusio, quae propositionem unam ex alia ratiocinando eruit, humanae rationis opus est. Verum homo quantumvis eruditus falli potest, et in doctissimis remanet saepe aliquis dubitandi locus, an recte concluserint. Si tamen conclusio ex fide deducitur per evidentem consecutionem, ad fidem pertinere dicenda est mediate saltem et indirecte, et theologus, qui vim argumenti comprehendit, ei ut ad fidem spectanti assentiri debet. Neque dicas, rationem igitur fidem efficere. Nam ejusmodi conclusio non ideo ad fidem pertinet, quia legitima consequentia ex praemissis deducitur; sed quia hac disserendi ratione apparet, eam in praemissa revelata esse contentam. Consequentiam videt ratio, consequens fides amplectitur tanquam in revelationis fontibus contentum. Igitur ratio medium tantum est et instrumentum, quo mihi certum efficitur, conclusionem in dogmate directe revelato contineri; quod ubi mihi compertum est, jam ei propter Dei revelantis auctoritatem firma fide adhaereo. Quemadmodum si jurisconsultus legem aliquam e tenebris erueret, eique obtemperandum esse ostenderet, ratio obediendi non esset jurisconsultus, qui legem detexit, sed auctoritas legislatoris.

§. VIII.

De dotibus et officiis docentium, deque oppositis hisce vitiis.

43. — Quae de theologiae tradendae methodo hucusque diximus, ad ipsam systematis compositionem et expolitionem pertinent, qua opus publicis praelectionibus destinatum potissimum se commendet. Verum muta haec sunt et quasi spiritu carentia, parumque ad instituendos juniores clericos valent, nisi viva magistri vox accedat, quae possit ad scientiam erudire indoctos. Ubi magister adest idoneus, et iis quae tanto tamque difficili muneri conveniunt dotibus instructus, nihil solidae candidatorum instructioni nocebit opus doctrinae quamvis imperfectum; cum econtra ex libro scholastico etiam optimo exiguos aut nullos omnino fructus colligent, si praeceptore utantur, qui sit officii sui incuriosus et negligens, non satis doctrina morum et dogmatum imbutus, aut in arte docendi minus exercitatus.

* Paedagogiae regulas tum generales, tum speciales cum toto novae hujus disciplinae apparatu hic exponere res esset nimis diffusa et operosa, nec tantae, uti communiter putatur, utilitatis. Quem paternus in discipulos affectus, quem sincerum doctrinae et veritatis studium, quem religionis amor desideriumque pietatis non accendunt; quem non erudit internus ille, quem definire non possumus, gustus aut instinctus, qui, quid jam nunc dicendum, quid omittendum, nunc hoc nunc alio modo dicendum, doceat; hunc nullae regulae juvant. Prima siquidem in hac tam eximia arte regula est, nulli regulae fixe et tenaciter inhaerere; nam discentium animos ad theoreticas methodi leges accommodare non possumus, sed animis conformandae sunt leges.

44. ** Igitur in theologicis studiis vix aliquem profectum sperare licet, si ille, cui magistri officium concreditum est, ipse religionis Christianae scien-

tiam solidam eruditamque non habeat: si formandis juniorum animis expoliendisque ingeniis parum idoneus sit: vel quia pietate et zelo destitutus, propriae tranquillitatis et otii amans, sine cura et solicitudine muneri suo praeest; vel quia caret illa arte docendi, qua non raro clarissima etiam destituuntur ingenia. Quare non raro evenit, candidatos, qui ad theologicas praelectiones conveniunt, ut quasi quotidiano cibo aliti crescant quotidie in rerum divinarum scientia, audito magistro plerumque jejunos et inanes discedere. Fateor, quod, cum alumnos audio ejusmodi praelectionibus institutos tam confidenter asserere, se theologiam *audivisse*, statim mentem subeat haec cogitatio: *mallem didicisses!* Majus adhuc ex institutione malum imminet, si animus doctoris vitiis et malis cupiditatibus corruptus sapientiam a se repellit, quam propinare aliis deberet; si speciem inanis gloriae vehementius appetens, ponendam sibi ut plurimum operam existimat in iis, quae splendore aliquo novitatis alliciunt.

45. *** Sunt etiam non raro inter theologiae magistros viri, qui quamvis fidei et morum integri sint, carent tamen Christiana illa prudentis animi solertia, quae caute et paulatim lumen infert mentibus, quantum id patitur infirma acies; sollicita, non errorem tantum removere a discentium animis, sed etiam erroris periculum. Facile enim fieri potest, ut quos ab uno errore retrahimus, hos ad alium oppositum impellamus. Cum enim in errores et praejudicia quaedam inconsulto et acriori zelo irruimus; nascitur in levioribus animis liberior cogitandi judicandique pruritus, moxque extra terminos excurrent, etiam non volente magistro, petulantia ingenia, quae sapere non didicerunt ad sobrietatem. Sic improvida manus scintillas projicit multum nocituras, nec ignis, cum exarserit, impetum cohibere potest [1]).

1) Ex schola incauti professoris, qui ipse se intra orthodoxiae limites continet, non raro egreditur soboles ambitiosa et procax ac novarum opinionum avida. Scilicet media inter praecipitia excurrit veritatis via, quae quidem non in linea mathematica sita est, sed viae regiae adinstar certam habet inter oppositos errores latitudinem. A fide non aberrat, qui fines non transilit. Verum quis non temerarium diceret eum, qui praecipitia nihil curans ad extremam oram graderetur? Ego si quem ita viderem, eum quidem a veritatis semita non discessisse scirem, attamen sequi non vellem. Quis porro prudentem crederet virum, qui juniores pueros per ejusmodi viam ducens, cum eos videret inconsiderate ad extremam lineam currere, non quantocius revocaret?

Man kann jungen Zöglingen sehr schaden, wenn man ihnen auch nicht eben schlechte Grundsätze in Ansehung der Religion beibringt, aber dabei ihrem Geiste eine gefährliche Richtung gibt, wodurch der Geistescharakter verdorben wird. Bei den Menschen kommt überhaupt viel auf den Charakter an; so dass durch einen unglücklichen Charakter nicht selten die besten Eigenschaften unnütz werden. So kann der Mensch bei grossen Kenntnissen einen gewissen Geistescharakter haben (trempe d'esprit), der Alles verdirbt.

46. **** Omnino superfluum ducimus, theologiae tractatores monere, ut a veterum scholarum systematibus se abstineant. Non enim timendum jam est, ne theologiam *Thomisticam* aut *Scotisticam* exoriri videamus. Multo praesentius adest periculum ex nova philosophia, quae non tantum peripateticam terminorum multitudine et dictionis obscuritate multum superat, sed quod pejus est, ipsum revelatae religionis aedificium convellit, et *adversatur et extollitur supra omne, quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita ut in templo Dei sedeat ostendens se, tanquam sit Deus.* (II Thess. II, 4.) [1]).

1) Man hat nicht so ganz Unrecht, in unseren Tagen von Obscurantismus zu sprechen; nur suche man ihn am rechten Orte — in der neuen Philosophie. Sonst glaubte man, die Philosophie müsse Licht in die Dunkelheit bringen, jetzt braucht man sie, klare Sachen dunkel zu machen. Man weiss Dinge, die man mit einer gemeinen Menschensprache jedermann begreiflich machen

§. IX.

Imago boni magistri.

47.—Multa alia, quae diu jam animum nostrum occupant, adjicere possemus, si id tempus permitteret; verum ad finem properandum est. Sufficiat igitur, ut tamen aliquid voluntati nostrae indulgeamus, quaedam boni magistri lineamenta exprimere. Scit ille, finem omnium studiorum ultimum religionem esse; hanc qualem ipsam a Deo accepimus sartam, tectam servare, praecipuum esse theologi officium. Ab omni igitur inanis gloriae studio, ab omni proprii commodi et turpis avaritiae contagio alienus, non novitatis improvidus sectator, ad id omnes conatus intendit, ut avitae doctrinae depositum tueatur: hoc divitias, hoc gloriam, hoc maximam nobilitatem reputans. Non minor ipsi de moribus et pietate cura, ideoque incorruptam religionis doctrinam sanctissimis ubique virtutum praeceptis quasi condimento conspergit, parum reputans, si doctos efficeret discipulos, nisi et probos et sanctos fingeret. Singularem hunc religionis ac pietatis zelum mire exornant ingenium acre et vividum, blanda animi modestia, ab omni ostentatione abhorrens, gravitati aspersa comitas, atque eximiae eruditioni adjunctus sinceritatis candor: ut qui viri doctrinam et ingenium mirantur, magis tamen ament indolem. Nunquam illi desunt solida doctrinae nutrimenta, quibus explere et alere possit discipulorum mentes, neque necesse illi est, rabulam agere et doctrinae suae ambitiosum ostentatorem, et vanis narratiunculis et convitiis implere vacua lectionum. In eo imprimis non exiguam ingenii moderationem et solertiam ostendit, quod non omnia, quae ipse longa meditatione collegit, e thesauro suo proferat, optime noscens, non obruendos esse animos, sed nutriendos; primum firmissima ponenda esse fundamenta, jacienda vera et sincera scientiarum semina, ex quibus laeta postmodum seges pullulet. Tot egregiis dotibus accedit ars docendi ac mira in rebus explicandis sagacitas; ut possit in varias se formas vertere, et summittere se ad mensuram audientium. Ab omnibus, quae ad fidei et morum doctrinam non pertinent, se abstinens, in iis, quae necessaria sunt, enucleandis diligentius versabitur, certa firmaque manu ducet prima totius scientiae lineamenta, et imbuta solidis notionibus ingenia acuet crebriore exercitatione. Omnia demum eo reducet, quo exierunt, ad Dei scilicet gloriam et religionis emolumentum. Vana quippe est omnis etiam de divinis disputatio, nisi scholis intersit et praesideat unus magister hominum Jesus Christus.

könnte, durch das neuphilosophische Kauderwälsch so in Finsternisse einzuhüllen, dass man den Sinn nur mit grosser Anstrengung errathen kann. Dadurch will man Einfältige glauben machen, die Sache wäre so tief durchdacht. Man brauchte seither das Sehrohr, um entfernte Gegenstände, die man mit dem Auge nicht unterscheiden konnte, näher zu bringen. Allein dieses dauerte schon zu lange, und dieses thaten auch die dummen Alten. Es kann nicht mehr so sein, hiess es, man kehre das Sehrohr um. Und siehe, nun zeigen sich Dinge, die nahe bei uns liegen, in einer dunkeln Entfernung.

Schon *Montaigne* sagt in seiner naiven Sprache von gewissen Gelehrten: La difficulté est une monnoye, que les savants employent, comme les joueurs de passe-passe; pour ne découvrir la vanité de leur art, et de la quelle humaine bêtisse se paye aisément.

ARTICULUS II.

De theologia rite addiscenda.

Paragraphus unicus.

48. — De docendi ratione et docentium officiis hucusque locuti, ad eos accedimus, qui se sacrae doctrinae studio mancipant, et quibus totum hoc opus theologicum omnesque laborum nostrorum et studiorum fructus consecramus. Multa sunt et varia, quae ad

hanc rem pertinent, praecepta; verum pleraque ex illis, quae hucusque dicta sunt, colligi possunt. Nam multiplices theologiae universae divisiones vidimus variasque disciplinas, quibus illa in suas veluti partes distinguitur; vidimus, quibus illa scientiis juvetur et illustretur, quae propius cum ea, quae remotius connexa sint. Ex his jam intelligitur, quae theologo ineunda sit studiorum via; quae mentem praeparent ad coelestem religionis doctrinam; quae necessario cum illa conjungi debeant scientiae; quae utiliter addiscendae, si tempus suppetat. Porro ex docendi ratione difficile non est discendi regulas deducere, et ad optimi magistri imaginem optimum effingere discipulum. Unde utilissimum discentibus existimamus, quales esse debeant, paucisidicere, ut autem tales sint, cupidissimo animo et constanti labore efficere.

49. * Quod modum attinet discendi, prima procul dubio lex est, ordinem quemdam studiorum esse servandum. Nec omnia simul sibi discenda proponant candidati, nec ad unum tantum mentem continenter applicent; nimia rerum multitudine mens obruitur, uni autem longiore tempore affixa hebescit potius quam acuitur. Ita igitur inter varias theologiae disciplinas horae dividendae sunt, ut varietate juvetur intellectus. Praeter tempus orationi et rerum divinarum meditationi consecratum, nulla dies sine sacrae scripturae lectione praetereat, nulla sine dogmaticae et moralis doctrinae studio. Reliqua autem, quorum cognitionem gravissima status ecclesiastici munia vehementissime postulant, ita distribuantur, ut quae supersunt, temporis intervalla impleant, et si non omnia quotidie pertractentur, statutum tamen per hebdomadem tempus habeant. Discant autem ferventer et constanter; nec animos frangat amor otii et rerum inanium cura. Nihil solidae instructioni magis obest, quam inquieta illa mentis curiositas aut potius levitas, quae omnia obiter percurrit, et cum ex una disciplina paululum aliquid degustavit, ad aliam properat, mox iterum relinquendam.

Legant auctores non multos, sed optimos, et quae in his sunt optima sedula lectione et meditatione digerant, mentemque nutriant vitali succo. Ad publicas praelectiones semper accedant praeparati, et quae audierunt, postmodum mente retractent. Scriptioni assueti et semper calamo quasi armati, annotent quae audierunt meliora, excerpantque legendo. Omne demum tempus perire arbitrentur, quod non religionis exercitiis aut studiis impertiretur. Ita thesaurum sibi colligent eximium, ex quo aliquando tanquam scribae docti in regno coelorum proferre poterunt nova et vetera [1]).

Porro in studiorum delectu quam maxime oportet tentare vires suas, et videre, quid valeant humeri, quid ferre recusent. Plures sunt, quibus satis sit, necessariis sedulo incumbere; magnum scilicet damnum est, etiam utilibus studere, necessariis neglectis.

50. ** Non decipiat candidatos spes compensandi in posterum studia, quae hac juvenili aetate, qua nulla est ad discendum magis idonea, neglecta fuerint. Quippe magis semper invalescit laboris fastidium, quo mollius ipsi indulgetur; et experientia certum est, nihil in sacris disciplinis proficere virum, qui animum studiis adjungere non consueverit juvenili aetate. Vix autem dici potest, quot fructus ex hac laboris consuetudine semel assumpta excrescant; quot sibi delicias praeparet clericus, cum sanctissimis religionis doctrinis explere possit quotidie incitatam semel et erectam discendi cupiditatem; quanta exinde sacro ministerio concilietur reverentia, quantum praesidium adversus tentationes et salutis pericula, quae animum vacuum

1) *Matth.* XIII, 52.

et torpentem obruunt. Hoc igitur ante omnia animae imprimant theologi, religionis scientiam clerico esse prorsus necessariam, et sicut sacrum, cui se addicere intendunt, ministerium aliis longe antecellit, ita et eos oportere aliis doctrina et coelesti sapientia antecellere, atque si hac fuerint destituti, ad eos pertinere illa Christi [1]): *Coecus si coeco ducatum praestet, ambo in foveam cadunt.* Nunquam autem spem sibi faciant assequendae verae solidaeque doctrinae, si ad religionis studium accedant frigide et oscitanter, quasi aliud omnino agentes, aliisque occupati curis, nec satis animo et cogitatione complexi illius rei magnitudinem, ad quam aspirant.

51. *** Sit in theologiae candidato praeter laboris patientiam et scientiae desiderium, ingenium docile, veri rectique amans et tenax. Non exiguum in adolescentibus ingenuae indolis indicium est, si professores suos non minus quam studia ament, eosque parentes esse non quidem corporum, sed mentium credant. Nam, ut optime observat Quintilianus, multum haec pietas confert studio; ita enim et libenter audient, et dictis credent, et esse similes concupiscent. Nihil certe est juvenili hac aemulatione ad profectum utilius, si magistri non sint a spiritu Christi alieni, et ex eorum numero, qui, ut Cicero ait, quodvis malle videntur quam se non ineptos. Qui sui ipsius amantes, quo ingenio minus valent, hoc se magis attollere et dilatare conantur, et quos alere deberent solido religionis cibo, hos inani fumo pascunt, ut eos, si non scientiae, tamen suae arrogantiae et ambitiosae temeritatis haeredes relinquant. Exinde oriuntur juvenes illi, qui vana sui opinione inflati sibi ipsis arroganter blandiuntur, se solos eruditos ac sapientes putant, caeteros despiciunt et contemnunt. *Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica . . . Quae autem desursum est sapientia, primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens* [1]). Pulchre in hanc rem loquitur S. Bernardus [2]). *Modus sciendi est, ut scias, quo fine quaeque nosse oporteat. Quo ordine; ut id prius, quod maturius ad salutem. Quo studio; ut id ardentius, quod vehementius ad amorem. Quo fine; ut non ad inanem gloriam et curiositatem aut aliquid simile, sed tantum ad aedificationem tuam vel proximi. Sunt namque, qui scire volunt eo fine tantum ut sciant, et turpis curiositas est; et sunt qui scire volunt, ut sciantur ipsi, et turpis vanitas est; sunt item, qui scire volunt, ut scientiam suam vendant, et turpis quaestus est. Sed sunt quoque, qui scire volunt, ut aedificent, et charitas est; et item, qui scire volunt, ut aedificentur, et prudentia est. Horum omnium soli ultimi duo non inveniuntur in abusione scientiae, quippe qui ad hoc volunt intelligere, ut bene faciant.*

52. **** Hoc itaque sicut in omni doctrinarum genere, sic quam maxime in theologiae studio praecipuum est: ut animum accendat sincerus amor religionis. Haec siquidem rectum studiorum finem ostendit et eo magis vetat, sancta profana mente sectari, cum etiam ad profana doceat sancte accedere. Frustra scilicet ad scientiam ingenio, labore, industria nitimur, nisi animum afferamus a vitiis et pravis affectibus vacuum, plenum autem Deo et virtutum amore. *Errat*, ait S. Augustinus [3]), *quisquis putat, veritatem se posse agnoscere, cum adhuc nequiter vivat; . . in malevolam animam non introibit sapientia* [4]). Ita enim arctissime connexa sunt studia virtutis et scientiae, ut si fortassis sine virtute

1) *Matth.* XV, 14.

1) *Jac.* III, 15. 17. 2) Serm. XXXVI. in Cant. Cant. 3) L. de agone Chr. c. XIII. 4) *Sapient.* I, 4.

haberi possit umbra aliqua doctrinae, ipsa doctrina, qualis ea in theologo esse debet, sana et sancta haberi profecto neutiquam possit. Demum ne id praetermittamus, quod omnium primum est et praecipuum: meminerint tyrones, in vanum se laborare, nisi totius operis Deum adhibeant ducem. *Discant ubi sit prudentia, ubi sit virtus, ubi sit intellectus; ut simul sciant, ubi sit longiturnitas vitae et victus, ubi sit lumen oculorum et pax*[1]). Nullos imprimis hujus coelestis doctrinae fructus proferre poterit etiam fertile solum ac multo labore subactum et excultum, nisi coelesti rore perfundatur. Labori itaque adjungenda est oratio; his quasi pennis subnixi ad coelestium veritatum cognitionem assurgemus. *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat, et dabitur ei*[2]).

CAPUT QUARTUM.

Brevis studii theologici historia.

EPOCHA I.

Ab exordio generis humani usque ad Christum.

53. — Theologiae revelatae historia cum ipso genere humano orditur. Quae primi parentes Deo ipso institutore didicerunt, et quae postmodum Deus ad patriarchas locutus est, haec in eorum, qui Deum timebant, familiis sedulo conservabantur. Docendi munus vel cura juniores instruendi in iis, quae ad Deum ejusque cultum pertinebant, illis tum incubuit, qui ad illud videbantur ab ipsa natura destinati. Neque postmodum, cum in reipublicae formam coaluissent Judaei, et lege scripta, a Deo sibi tradita uterentur, immutatus est hic mos antiquus. Aliud populi mores non ferebant, quia omnes agrorum gregumque cura detinebantur, nec tempus *otii* supererat, quod ipsum *scholae* nomen exprimit.

Quamvis autem κατηχησις legis *privata* in hac etiam temporis periodo ad patresfamilias pertineret, *publica* tamen debebatur sacerdotibus et prophetis. Scriptura saepius de filiis seu discipulis prophetarum loquitur[1]). Samuel primus prophetarum scholas instituisse creditur, ut pene collapsam avitam religionem restitueret. Ex his usque ad tempora captivitatis plures exierunt viri potentes opere et sermone, qui ad justitiam erudierunt multos. Praeter hoc extraordinarium docendi munus aliud erat ordinarium, sacerdotibus in lege demandatum[2]). Unde illud Malachiae: *Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent de ore ejus*[3]).

54.—Post captivitatem Babylonicam per omnes fere civitates synagogae erectae sunt, in quibus per omne sabbathum libri legis et prophetarum legebantur, addita interpretatione et exhortatione. Si Judaeis fides est, in sola urbe Jerosolymitana 480 ejusmodi synagogae numerabantur. Praeter synagogas, in quibus populus erudiebatur, scholae institutae erant, non Jerosolymis tantum, sed etiam in exteris locis, in quibus magistri cum discipulis conveniebant. Cum Apostolus Ephesi commoraretur, et per tres menses in synagoga disputans et suadens de regno Dei multos experiretur sibi contradicentes et maledicentes viam domini coram multitudine, discedens ab eis segregavit discipulos, quotidie disputans in *schola tyranni* cujusdam[4]).

55. — Scholae non raro *domus* vocabantur; sic cum dicitur contentionem fuisse inter domum Schammai et domum Hillel, intelligendum est, inter ipsorum scholas; subinde etiam domus *sub-*

1) *Baruch.* III, 14. 2) *Jac.* I, 5.

1) I *Reg.* c. X. XI. XIX. III *Reg.* XVIII. XX, 35. IV *Reg.* II. IV, 38 etc. 2) *Deuteron.* XVII. XXXIII, 8. 9. 10. 3) *Mal.* II, 7. 4) *Actor.* XIX, 8. 9.

tilitatis et *acuminis*, quia quaestiones legis ibi subtilius tractabantur; propterea Judaei eum locum discutiendis rebus aptiorem praestantioremque habebant ipso templo. Paulo post reditum ex Babylonia novae inter Judaeos sectae exortae sunt, non vivendi tantum ratione, sed et doctrina multum inter se discrepantes; quaelibet autem scholas suas habuit, in quibus discipulos erudiebant, qui inter eos doctiores habebantur. Plura hic de Pharisaeorum, Sadducaeorum, Essenorum origine, institutis et doctrina dici possent, si longiores esse liceret[1]). *Pharisaeorum* origo incerta; *Sadducaeos* ajunt a *Sadoc* oriundos, qui *Antigoni* discipulus fuit. Cum is a magistro saepius audivisset, *non esse serviendum Deo quasi ex compacto accipiendi mercedem*, sed puro omnino ac gratuito amore, ac si nihil esset post hanc vitam aut sperandum aut pertimescendum; male magistri sententiam interpretatus, vitam ipsam aeternam et animae immortalitatem sustulit. Antigonus ergo, cum *puri amoris*, ut dicitur, necessitatem ultra, quam par erat, urgeret, impiae Sadducaeorum sectae originem dedit. Ita etiam in bono excedere periculosum est! Illud in genere notandum, Judaeos imprimis post captivitatem in duas partes scissos fuisse, quarum una meditationi scripturae se dabat; altera tota in eo erat, ut scripturae aliquid assueret; atque ideo traditiones non scriptas tanquam necessarias et ipsa scriptura perfectiores regulas observabat; unde Pharisaei et Esseni orti sunt. Haec distinctio inter Judaeos *Rabbinistas* vel *Thalmudistas*, et *Textuales* aut *Scripturarios* adhuc hodie obtinet. Sub nativitatem Christi duo inter Judaeos floruerunt celeberrimi doctores, *Hillel* et *Schammai*, quorum scholae mutuis sese odiis impetebant. *Hillel* traditionum auctoritatem tuebatur, et divortium admisit quacunque de causa. Hic primus *Mischnae* auctor haberi potest, nam sex tractatus scripsit traditionum Judaicarum. *Schammai* pro textu scripturae pugnabat et divortium in lege ob solum adulterium permitti affirmabat.

Patet ergo Judaeos ante Christum suos habuisse *theologos* seu viros, qui erudita legis et religionis revelatae cognitione pollebant. In libris novae legis vocantur scribae, γραμματεῖς, et legis periti, νομοδιδάσκαλοι. Hi verbo scripto adhaerebant; cum alii, imprimis e Pharisaeorum secta, qui *sapientes* (σόφοι) vocabantur, in suis lectionibus traditiones urgebant. Alia adhuc erat doctorum species, quos *disquisitores* vocabant; quos Judaei, quoniam allegorias et subtiliores expositiones sectabantur, ut expositores acutissimos et profundissimae perspicacitatis venerabantur. Hos omnes enumerat Apostolus[1]): *Ubi sapiens, ubi scriba, ubi conquisitor hujus saeculi?*

1) Vid. *Stolberg* G. d. R. I. C. Bd. IV. Beilage I.

EPOCHA II.

A Christo usque ad saeculum XI.

56. — Christus cum praedicationis munus impleret, non tantum publice populum docuit, sed et Apostolos sibi elegit et discipulos, quos in mysteriis regni Dei erudivit, et quibus ipse dixit[2]): *Vos vocatis me magister et domine, et bene dicitis, sum etenim.* Neque voluit, ut ejus discipuli et qui post eos docendi munus in ecclesia susciperent, *magistri* aut *rabbi* vocarentur; ut scirent, unum esse magistrum nostrum Jesum Christum. Et vere quidem, quia non decet religionis doctorem aliud scire, quam Jesum crucifixum; aut aliam, quam Jesu Christi proponere doctrinam; aut sibi, et non Christo formare discipulos. Hunc scilicet finem Chri-

1) I *Cor.* I, 20. 2) *Joan.* XIII, 13.

stus sibi proposuit, cum magisterium publicum in ecclesia instituit: *dedit quosdam . . . pastores et doctores . . . in aedificationem corporis Christi* [1]). Porro docendi officium in ecclesia perdurare nunquam potuisset, nisi praeter instructionem publicam et omnibus communem, viri idonei ad opus ministerii instituti fuissent. Igitur et Apostoli suos habuerunt discipulos, quos ipsi et exemplis suis et doctrinis erudierunt; hortantes eos, ut quae audierant ab ipsis per multos testes, haec commendarent fidelibus hominibus, qui idonei essent et alios docere [2]). Apostolorum exemplum secuti sunt, qui post illos ecclesiam regebant episcopi; hi siquidem non plebis tantum curam gerebant, sed et juniores clericos in domo sua nutriebant et singulari cura instruebant tanquam filios. Sic Athanasius S. Alexandri, Joannes Chrysostomus S. Meletii, Cyrillus Alexandrinus patrui sui Theophili discipuli fuerunt. Notum est, quot ex S. Augustini et S. Fulgentii schola prodierint episcopi, doctrina non minus, quam sanctitate conspicui.

57. — Attamen jam primis ecclesiae saeculis in magnis quibusdam urbibus scholae pro erudiendis catechumenis erectae leguntur, quibus non raro viri praeerant tum divinis, tum humanis scientiis egregie exculti. His, cum saepius in viros ex gentilibus inciderent ingenio et doctrina expolitos, necesse fuit, ut eruditam religionis doctrinam exponerent, et humanarum etiam scientiarum subsidio uterentur. Quod genus eruditionis quam fuerit antiquis patribus familiare, ex eorum libris satis dignoscitur. Celeberrima primis saeculis erat schola Alexandrina, non docentium tantum, sed et discipulorum fama. S. Hieronymus ejus institutionem a S. Marco repetit; quamvis historia ecclesiastica ante S. *Pantaenum* nullum, qui illi praefuerit, commemoret. Pantaeno successit *Clemens Alexandrinus*, cujus praeclara supersunt opera. Clementis discipulus et successor *Origenes* fuit, inter omnes veteris ecclesiae doctores ingenio et doctrina facile princeps; cujus schola sanctorum ac martyrum seminarium dicebatur.

Diffiteri tamen non possumus, paucos eo tempore, etiam inter ecclesiae pastores fuisse, qui profanis scientiis animum applicuerint; et si qui reperiuntur in ejusmodi disciplinis versatissimi, eas plerumque sibi comparârunt, antequam ad Christianam religionem accesserint. In iis etiam, quae ad religionem pertinebant, nullam aliam discendi methodum reperimus, quam diligens scripturae et traditionis studium. Quamvis si ad artem illam, quae verae philosophiae propia est, attendimus, ut scilicet in rerum tractatione ad prima principia ascendentes, recto deinde ordine conclusiones deducamus et viam recludamus effugia quaerentibus, in ea profecto neminem reperiemus iis, quos ecclesia ut patres suos et doctores veneratur, magis exercitatum. Quis ingenii sublimitate, quis disputationis subtilitate cum S. *Augustino* comparari potest? Qui hunc patrem, ut bene observat *Fleurius*, non admiratur, nihil ejus laudibus detrahit, sed sibi ipsi nocet, dum prodit, se veram scientiam nescire. Jam vero si ad patres Graecos transeamus, quis in philosophando subtilior solidiorque S. *Basilio*, S. *Athanasio*, S. *Gregorio Nysseno?* Haec autem exactae dialecticae ad sacras scientias applicatio tam parum tunc temporis displicuit, ut S. *Gregorius Nazianzenus* primus inter patres Theologi nomen obtinuerit, quod doctrinam de Deo et imprimis de Verbi divinitate nemo melius intellexisse et propugnasse videretur.

58.—Antequam hanc studii theologici epocham absolvamus, quaedam de studiis monasticis dicenda sunt, quae hoc praecipue tempore maxime floruerunt;

1) *Ephes.* IV, 11. 2) II *Timoth.* II, 2.

quod non absque singulari divinae providentiae dispositione factum est, quae in iis temporum angustiis hoc sacris scientiis perfugium paraverat. Jam saeculo quinto plures in Occidente monachorum familiae erant, quae cum pietatis exercitiis non exiguam conjungebant sacrarum litterarum culturam. Tales in urbe Massiliensi instituit *Cassianus;* tale fuit Lerinense coenobium, jam anno 410 conditum, quod non parum illustravit *Vincentius* Lerinensis dictus, auctor egregii operis, quod anno 432 sub nomine *commonitorii* edidit. Saeculo VII. instituta monastica cum religione Christiana in Anglia propagata sunt, et vix dici potest, quanta ex iis pullulaverit sanctorum doctorumque virorum seges. Inter omnes eminet venerabilis *Beda*, anno 735 mortuus, cujus insignia in religionem et rem litterariam merita nulla hucusque delevit dies. Multis ille ad divinas scientias dux et magister fuit, multum et exemplo et scriptis suis studiorum ardorem in religiosis domibus accendit. Ferunt, ab eo excultum fuisse celebrem *Alcuinum*, quem *Carolus M.* ex Anglia accersivit, ut eum in litterarum restauratione ducem et adjutorem adhiberet. Ab eo tempore novum videbatur divinis scientiis sidus exoriri, heu, nimis cito extinctum! Vigebant tamen per aliquod tempus monasticae et cathedrales scholae opera *Caroli Magni* per Galliam et Germaniam institutae. Non parum eodem saeculo religionis studium promovit S. *Winfridus* seu *Bonifacius*, qui primum in Anglia sub celebri *Winberto* abbate omnibus, quae eo tempore ad eruditionem pertinebant, disciplinis eruditus atque ob singularem in scientiis profectum ad docendi munus assumtus, quum vehementi animas lucrandi zelo arderet, in Germaniam venit, ubi ad Moguntinam sedem evectus praecipuas in illud curas convertit, ut idonei ecclesiae ministri formarentur; quae imprimis causa eum impulit, ut Fuldense monasterium conderet, ex quo postmodum tot viri prodierunt scientia non minus quam sanctitate insignes.

59. — Praecipuum hujus scholae decus saeculo IX. fuit *Rhabanus Maurus*. Ejus discipulus *Walafridus Strabo*, postmodum *Augiae divitis* abbas, inter praecipuos aevi illius scriptores numeratur. *Rhabanus* vero ob singularem virtutis et doctrinae famam ecclesiae Moguntinae praepositus est. Is in opere, quod de institutione clericorum scripsit, totam, quae tunc erat, studiorum formam exposuit [1]). Scientiarum cursus septem, uti vocabantur, liberales artes complectebatur; quae iterum in duas classes divisae sic dictum *trivium* et *quadrivium* efficiebant. Trivium *Grammatica*, *Rhetorica* et *Dialectica* constabat. Ad quadrivium *Musica*, *Arithmetica*, *Geometria* et *Astronomia* pertinebant; qui utrumque, trivium scilicet et quadrivium complecti ingenio poterant, in omnium admiratione erant et septem artium magistri vocabantur. Cum autem religionis scientia omnium tunc disciplinarum quasi regina haberetur, reliquarum autem utilitas ex eo tantum, quem cum religione haberent, nexu aestimaretur; non immerito dicitur, jam tunc encyclopaediam theologicam exstitisse.

EPOCHA III.

A saeculo XI. usque ad saeculum XV.

60. — Jam saeculo VIII. *Joannes Damascenus* in Oriente systema aliquod totius doctrinae Christianae exposuit in libris IV de orthodoxa fide. Verum nullos in ecclesia saltem Latina imitatores tunc habuit. Religionis veritates in unum corpus collectas, dialectice et ad scholae peripateticae formam exactas primi saeculo XI. in Occidente tradiderunt *Lanfrancus* ejusque discipulus

1) L. III. c. XVIII seq.

Anselmus, magistri sui primum in regimine abbatiae Beccensis, tum in archiepiscopatu Cantuariensi successor. Hic imprimis systematicae theologiae parens habetur. Mox alii secuti sunt, ut *Hugo a S. Victore*, *Hildebertus* archiepiscopus Turonensis, *Robertus Pullus*, *Otto* Frisingensis episcopus, qui dialecticam et Aristotelicam philosophiam ex Parisiensi schola in Germaniam intulit. Ita nova in theologiam methodus invecta est, quae ab initio nihil habuit, quod reprehendi posset.

Verum cum jam scholae publicae et magistrorum et discentium aemulationi paterent, et exinde inclarescendi desiderium vehementer accenderetur, mox fines a patribus positos transilierunt inquieta et disputationibus inutrita ingenia. Vixit hoc tempore *Abaelardus*, multis et ingenii et animi aberrationibus famosus, vir acutus et natura perspicax ac litterarum humaniorum studio excultus; sed famae magis quam veritatis sectator, sui ipsius putidus jactator et disputator ventosissimus. Ab hoc tempore, ut *Trithemius* ait[1]), *philosophia saecularis sacram theologiam sua curiositate inutili foedare coepit.* Verum omnes, qui se hucusque in hoc studiorum genere exercuerunt, multum nominis et eruditionis fama superavit *Petrus Lombardus* episcopus Parisiensis, qui alter a S. *Anselmo* scholasticae theologiae parens dicitur. Hic totam religionis doctrinam in IV libros, qui *sententiarum* inscribuntur, digerere conatus est, unde magistri sententiarum nomen accepit. Quod opus, quamvis indigestum, summo cum applausu exceperunt et infinitis fere commentariis illustrarunt theologi, atque tanquam corpus theologiae perfectissimum publicis praelectionibus adhibuerunt. Nunc major in dies inanium quaestionum turma in theologiam qua data porta irruit. Institutae saeculo XIII. universitates novum studiis decus contulerunt; et cum eodem saeculo a *Roberto* de Sorbona Parisiis domus Sorbonica erecta fuit, mirum est, quantum in universitate Parisiensi celebritatem consecuta sit facultas theologica. Quidquid contra novam methodum jam XII. saeculo S. *Bernardus*, *Wilhelmus a S. Victore* aliique scripserint, nihil tamen potuit ardorem cohibere nova hac arte inclarescendi. Parisiis saeculo XIII. docuerunt, qui adhuc inter scholasticos celebratissimi sunt: *Alexander Halesius* Franciscanus, *doctor irrefragabilis* dictus; *Albertus* ex S. Dominici familia, qui *Magni* nomen accepit; S. *Thomas Aquinas*, Alberti discipulus, *doctor angelicus; Joannes Duns Scotus* ex S. Francisci ordine, *doctor subtilis;* S. *Bonaventura* ejusdem ordinis, *doctor seraphicus.* Unus prae caeteris S. *Thomas* concinne et ordinate sacram hanc scientiam tractavit; ejus summa theologica in tres partes distributa est, eo ordine et rerum contextu, ea philosophandi sobrietate simul et perspicuitate, ut ratio revelationi ubique famuletur. Quare omisso sententiarum magistro, qui multa confuse et perturbate tractat, theologi pene omnes rationem et methodum S. *Thomae* secuti sunt. Cum paulo post *Scotus* novas opiniones S. *Thomae* doctrinae opponeret, natae sunt scholae *Thomistarum* et *Scotistarum.*

Tertiam instituit *Aegidius Colonna* Augustinianus, pro saeculi illius more *doctor fundatissimus* appellatus. Saeculo XIV. *Wilhelmus Occam* Minorita a Scoti, quem magistrum habuerat, sententia discessit et scholae *Nominalium* initium dedit. Ne et ipsi honoris titulus deesset, *doctor singularis* vel *venerabilis inceptor* vocatus est. Accessit demum his scholasticorum sectis quinta *Recentiorum* dicta, qui cum in nullius magistri verba jurandum esse dicerent, systema *eclecticum* constituerunt.

1) L. de scriptorib. ecclesiast.

EPOCHA IV.

A saeculo XV. usque ad nostra tempora.

61. — Quantacumque fuerit eorum, qui hoc scholasticae theologiae stadium ingressi sunt, celebritas, nunquam tamen defuerunt viri maturioris ingenii et positivae, uti vocatur, theologiae cultores, qui scholasticas tricas, et artis non philosophicae, sed sophisticae aberrationes damnarunt. Jam vidimus, quaenam fuerit S. *Bernardi* et aliorum quorumdam ipsius aetatis doctorum sententia. His merito adjungimus *Joannem Salisburiensem*, qui postmodum episcopus Carnotensis factus est, et *Petrum Blesensem* anno 1200 mortuum. Nec defuerunt deinceps, qui illam rem aut querimoniis aut risu dignam habuerunt, ut *Nicolaus Clemangis* L. de studio theologico, *Joannes Gersonius*, universitatis Parisiensis cancellarius, ambo saeculi XV. scriptores, *Laurentius Valla* et *Rudolphus Agricola*, eodem saeculo bonae Latinitatis et humaniorum litterarum cultores eximii. Saeculo XIII. *Gregorius* IX. ad Parisienses doctores gravissimam direxit epistolam, qua ipsos jubet ad veterem methodum redire; idem a *Joanne* XXII. saeculo XIV. factum legitur. Saeculum decimum quintum doctorum et litteratorum hominum feracissimum fuit. Capta anno 1453 Constantinopoli, litterae ex nova Roma in antiquam remigrarunt; magnusque doctissimorum virorum numerus ex Graecia profugus linguarum et veteris litteraturae studium per Europam propagavit. Illuxit tunc Occidenti post longas tenebras aurora renascentis diei; mentes, ad meliorem eruditionem excitatae, verae philosophiae, scripturae sacrae et patrum studium impensius colere coeperunt ac theologiam a pseudo-scholasticae sordibus abstergere. Non tamen ita extingui subito potuit insatiabilis rixandi libido, ut non hoc adhuc tempore turbas in Gallia excitaverit; quasi voluisset novo experimento probare, quantum ad commovendos turbandosque animos valeat. Celebre est, quod inter Nominales et Realistas sub *Ludovico* XI. in Gallia exarsit acerrimum bellum, in quo diu et pertinaciter et ancipiti fortuna pugnatum est.

62. — Interea latius semper sese diffudit bonarum artium cultura et vitiosae subtilitatis ac corruptae et incultae dictionis contemptus. Haec laeta fuerunt saeculi XVI. initia, quae spem faciebant integrae restaurationis studiorum, nisi gravissima religionis dissidia animos in nova odia conjecissent, ex quibus ingens orta est rerum omnium tum sacrarum, tum profanarum perturbatio. Non possum igitur satis mirari, quod protestantes velint suam reformationem ut integratae theologiae epocham statuere. Ita scilicet etiam bona ingenia excoecat partium studium! Quis nescit, novam studiorum rationem et solidioris doctrinae gustum ante Lutheri ab avita religione defectionem ubique fuisse diffusum atque in Italia potissimum, ubi Romanorum pontificum et Medicaeae domus in litteratos munificentia magnum sacris et profanis scientiis incrementum dedit? Florebant tunc non minus suo in scholasticos odio, quam litterarum studio celebres viri *Reuchlinus*, *Erasmus*, *Nazolius*, *Ludovicus Vives* aliique pene innumeri inter catholicos. Quin et ornatissima inter novatores ingenia, ut *Melanchthon*, *Ulricus de Hutten* et si vis *Lutherus* et *Calvinus*, in catholicorum scholis enutriti, quidquid doctrina et eruditione valebant, hoc non a nova ecclesia acceperunt, sed in eam intulerunt. Porro concilium Tridentinum sicut in reformandis aliis abusibus omnem operam posuit, sic etiam catholicos theologos ad solidiorem sacratioremque theologiae tractationem non parum excitavit. Inter concilii hujus patres sedit *Melchior Canus* Cannariensis episcopus, cujus est egregium opus de locis theologicis, non minus dictionis puritate, perspi-

cuitate, quam rerum varietate et gravitate commendandum. Magnam igitur theologia ex generali litterarum restauratione utilitatem cepit; ab hac epocha nobiliorem quamdam formam induit, facta paulatim conversione scholasticae in dogmaticam. Impossibile esset theologorum, qui ultima haec saecula illustrarunt, indicem texere. Nota sunt celeberrima *Bellarmini*, magni *Petavii*, *Natalis Alexandri*, *Tournelii* etc. nomina; magna quoque recentiorum theologorum, qui nova methodo atque ad genium hujus temporis accommodatius scripserunt, in hanc rem merita. Inter alios nominare sufficiat *Stephanum Wiest*, cujus opus theologicum majus, multiplici eruditione confertum, multam et variam materiarum messem offert legentibus.

THEOLOGIAE DOGMATICAE GENERALIS

LIBER PRIMUS,

CONTINENS

DEMONSTRATIONEM RELIGIONIS CHRISTIANAE.

ANTECESSIO.

1. — Antequam totius revelatae religionis doctrinam tradere, omniaque ejus capita singillatim exponere instituat theologus; necesse est, ut ipsam Christianae revelationis veritatem divinamque originem probet, in quo rationis naturalis auxilio utendum est, ad conciliandos praeparandosque fidei animos. Nam primum necesse est, ut ipsa ratione ducti agnoscamus infirmitatem et tenuitatem rationis, sicque revelationem divinam summe esse exoptandam intelligamus, quum ea certissima sit et tutissima ad veritatem via. Tum, si sinceri sumus, facillimum nobis erit lucem illam invenire, quae hominibus e coelo immissa est, et quam repellere non possumus, nisi velimus in laesae rationis et naturae humanae accusationem incurrere.

Cum hanc materiam in praesenti demonstratione tractandam suscipimus, nunquam ex oculis amittamus summam argumenti gravitatem, hostiumque, qui huic nostro consilio obsistunt, multitudinem et obfirmatum ad nocendum animum; nihil enim eorum praetermittunt, quibus exsatiare possint religionis sanctissimae incredibile odium. Primum contra eos dimicandum est, qui, repudiato omni revelationis auxilio, solam se rationem ducem et magistram sequi gloriantur; immerito sane, nam rationem calumniantur, et arrogantiae tantum suae et impii depravatique animi jussa exsequuntur. Accedunt deinde omnes ii, qui a Christianorum sacris alieni, Christianae quoque religionis divinitatem negant, quia vel paganae aut Mahumetanae superstitioni serviunt, vel olim quidem divinae, sed jam diu abrogatae et antiquatae Mosaicae religioni adhaerent.

2. — Igitur hanc Christianae religionis demonstrationem in duas partes dividimus. Prima de revelatione in genere aget, eamque non possibilem tantum, sed et summe exoptabilem, imo aliquo modo necessariam probabit, simulque genuina statuet principia aut criteria, ex quibus divina revelatio dignosci possit. Altera, quae in prima parte exposita sunt principia, ad diversas religiones applicabit, quae se revelatas dicunt, imprimis ad Mosaicam et Christianam. Ex utraque parte tanquam ex duplici praemissa sequetur haec conclusio, quae totius Christianae demonstrationis scopus est: *Religionem Christianam vere esse divinam, imo (cum lex Mosaica abrogata sit) solam esse hoc charactere insignitam.*

Video, quanta se offerat rerum tractandarum copia; ideo quaedam, quae

ex philosophia aut theologia naturali certa sunt et demonstrata, quaeque Deistarum, cum quibus nobis potissimum agendum est, assensum habent, summatim tantum et per modum introductionis praemittamus.

§. I.

Deus et providentia.

3. — Primum omnis religionis, etiam naturalis fundamentum est: *Deum esse, ejusque providentia cuncta gubernari.* Ubi enim haec persuasio semel ex hominum animis discesserit, jam nulla fides, nulla religio cogitari potest. Merito igitur vera et quae hoc nomine digna est philosophia, primam in eo operam collocat, ut omni argumentorum genere demonstret, esse numen aliquod supremum, aeternum ac beatissimum, a quo constituta sunt omnia, cujus consilio omnia administrantur. Quamquam et illud persuasum nobis est omnino, homines, qui eousque dementiae pervenerunt, ut Deum esse negent, nullis posse philosophicis rationibus convinci. Tanto malo nulla ars humana mederi potest, neque unquam speranda salus, nisi excoecatis mentibus lumen a coelo illabatur, quod obfusas tenebras dissipet, et animum sedatis pravorum affectuum motibus ad saniora consilia reducat. „Ita vive, ait *Rousseau*, ut velis semper Deum testem habere; et Deum esse non dubitabis."

4. — Cum Dei existentia ita conjuncta est ejus providentia, ut nemo unquam fuerit, qui admisso Deo serio providentiam negaverit. Ideo Epicuro, qui deos inertes finxit, passim objiciunt veteres philosophi, quod re tolleret, oratione relinqueret deos. Quis enim, quaeso, Deus iste esset, qui nihil res omnes, quae in hoc universo continentur, curaret? qui administrare haec omnia, aut propter ignorantiam nesciret, aut propter imbecillitatem non posset, aut propter indolentiam non vellet? Ad hanc Dei providentiam prae caeteris pertinent creaturae, quae sunt intelligentiae participes, et quas ad rectam vitae rationem impellit insito quodam in animis boni honestique sensu, ac praemiorum ac poenarum sanctione; ita tamen, ut nullam voluntatibus inferat necessitatem.

§. II.

Anima hominis spiritualis-immortalis.

5. — Praecipuus intelligentiae, qua a Deo optimo praediti sumus, effectus in eo consistit, quod possimus nosmetipsos explorare, animum ad ea, quae mente concipimus aut voluntate appetimus, reflectere, unumque ex alio colligere. Unde recte dici potest, quod homines, nisi plerumque a se magis, quam a quacunque alia re abessent, nullibi melius, quam in se ipsis, Deum invenirent. Cum enim unusquisque facultatum ac virium suarum conscientiam habeat, nihil potest esse homini certius, quam se esse et cogitare: jam vero ex hoc principio omnium evidentissimo necessaria consecutione ad Deum ascendimus rerum omnium auctorem, quo rejecto nulla jam ratione possemus ad nostram existentiam pervenire.

Porro ex facultate cogitandi facile erit perspicere, praeter corpus, quod ex materia concretum est, aliam in nobis substantiam esse, quae sui ipsius sensum habeat, quae rerum differentias percipere, ideas comparare et veritatem rationibus exquirere possit. Si jam ulterius progredimur, reperiemus in eadem hac anima vim agendi et se ex motivis determinandi, innatum felicitatis desiderium, certamque et ineluctabilem quamdam honesti inhonestique notionem. Sed haec omnia prima sunt religionis et honestatis semina a summa ratione et sanctissimo numine mentibus humanis indita.

6. — Primum quidem nos edocet sensus intimus, illud, quod in nobis cogitat, quod ratiocinatur et disserit, quod appetit et adversatur et agit, unum ali-

quid esse et indivisum, non ex partibus coagmentatum. Deinde et illud sponte sequitur: eos summam humanae naturae injuriam facere, qui illam ad machinae conditionem deprimunt, ac si ad id conditus esset homo, ut sensibus serviret brutorum more. Neque in angustis vitae mortalis terminis coarctari potest humanum genus, ne ludi a Deo optimo videamur, qui rationem et honesti sensum ac beatitudinis desiderium ideo tantum nobis indidisset, ut caeteris animantibus infeliciores nos redderet. Nulla siquidem est in hac vita perfecta felicitas, multa econtra sunt, quae hominem vexant et cruciant, et quae effugere in ejus potestate non est. Non raro ad ea, quae honesta sunt et decora, eniti non potest homo, nisi sciat vitae praesentis jucunditate carere, et multa etiam gravia et acerba pati.

§. III.

Dei cultus internus et externus.

7. — Ex his nunc quasi ex suis elementis componitur religio naturalis. Cum enim certum nobis est, a Deo, quo nihil potest esse excellentius, nihil sanctius, qui omnis veri origo omnisque felicitatis fons est, omnia cum summa potestate et sapientia gubernari; non video, quomodo possimus de eo non cogitare, non in eum ferri piissimis affectibus, atque ut propitius nobis esse velit et beneficus, maximopere curare. Praeterea cum sciamus, nos in mortali hoc corpore immortalem spiritum gerere; satis intelligimus, non ad id conditos nos esse, ut vivamus et sentiamus, et inanibus fluxisque rebus adhaereamus; sed ut nosmetipsos noscamus et Deum, atque huic, in quo summus est amor rectitudinis, summa aversatio impietatis, virtutum exercitatione placeamus, quo solo beate vivere possumus, et immortales nos esse gaudere.

Et haec quidem praecipuam religionis partem efficiunt seu cultum Dei internum, qui in eo consistit, ut ita de Deo sentiamus, sicut perfectissimae naturae convenit, illosque in eum animi sensus foveamus, quos tanto numini debemus. Ubi vero haec semel hominum animis impressa sunt, jam sponte se ad cultum externum convertent. Quis enim, si modo recte de Deo existimet et bene erga eum affectus sit, ita comprimere poterit animi sensa, ut non verbis se et actionibus prodant? Significationes enim externae naturaliter comitantur internos animi motus; et homo, qui scit, omnes non mentis tantum, sed et corporis facultates munus esse divinae beneficentiae, eas quoque ad Dei cultum conferre religioni sibi ducet. Praeterea sicut actus externi suapte natura ex affectibus prodeunt, sic eosdem iterum sensus in nobis incendunt atque etiam in aliis excitant firmantque [1]).

PARS PRIMA.

De revelatione in genere.

8. — Omnia, quae ad revelationem in genere pertinent, commode in duo iterum capita distribui possunt, quorum prius de possibilitate, utilitate ac

1) Quae ad Deum et religionem naturalem pertinent, in quantum ratione investigari et concludi possunt, in ea philosophiae parte continentur, quae de theologia naturali et vitae moralis principiis agit. Cum in his exponendis diu immorari non possimus, ad eos remittimus, qui hoc disputationis genus cum magna subtilitate et perspicacia tractarunt. Inter recentiores legi merentur: *Bergier: Traité de la vraie religion.* Tom. II. et III. *Fénélon: Traité de l'existence de Dieu, et Lettres sur divers sujets de métaphysique et de religion. Preuves de la religion de Jésus-Christ par François.* Tom. I. *Schwarz:* Handbuch der christlichen Religion. *Sailer:* Grundlehren der Religion. *J. Hooke, doctoris Parisiensis: Principia relig. naturalis et revelatae.* Tom. I. Inter veteres praeclare et ornatissime de hac re scripserunt: *Cicero,* imprimis in libris *de natura Deorum;* et qui merito Christianorum Cicero vocatus est, *Lactantius* in suis *divinarum institutionum* libris.

necessitate revelationis tractabit, alterum de revelationis criteriis seu de notis et characteribus, quibus vera revelatio inveniri et a falsis discerni possit. Verum antequam hanc controversiam aggrediamur, pauca dicenda sunt de iis, quos impugnamus, revelationis hostibus.

Deistae, qui et naturalistae vocantur, omnes quidem retenta religione naturali contra revelationem pugnant; verum inter se concordes non sunt. Quidam omnem prorsus revelationem, etiam illam, quae esset solummodo promulgatio religionis et legis naturalis, tanquam impossibilem aut certe inutilem et Deo indignam respuunt. Alii id saltem contendunt, Deum nihil posse homini revelare, quod hic ratione assequi non possit. Horum autem non pauci etiam volunt, Deum non posse legi naturali superaddere praecepta positiva, ex quo sequeretur, religionem Christianam et Judaicam, quae plurima ejusmodi praecepta habent, divinas esse non posse.

9. — Primus Deismo formam systematicam dedisse traditur *Herbertus Baro de Cherbury* Anglus, qui anno 1648 mortuus est. Multi volunt, *Spinozam* et *Hobbesium* ex ejus libris hausisse sua plena impietatis commenta. Existit dissertatio doctissimi viri *Kortholti* Germani, de tribus impostoribus saeculi sui, *Spinoza*, *Hobbesio* et *Herberto*. Systema *Cherburyanum* adoptavit *Matthaeus Tindal*, pariter Anglus, in opere, quod biblia Deistarum vocant, et cui titulus est: *De Christianismo, mundo coaevo, vel de evangelio ut secunda legis naturalis promulgatione.* His addi possunt: *David Hume*, *Thomas Chubb*, *Locke*, *Morgan*, vicecomes *Bolingbrokius*, comes de *Shaftesbury*, *Collins* et *Woolston*, omnes Angli, et *Joannes Toland* Hibernus. In Galliis *Joannes Jacobus Rousseau* princeps fuit et dux Deistarum. Hic in opere, quod inscribitur *Emile* seu *de educatione*, et in alio: *Lettres écrites de la montagne*, principium istud: „Deum nihil posse hominibus revelare, nisi quod ratio et lumen naturale verum demonstrant," mille modis versat et in religionem convertit. Eadem in libro, cui titulus: *Les moeurs*, et in aliis multis repetuntur. Omitto plura religioni et bonis omnibus invisa nomina. Qui propius nosse desiderat viros, magis adhuc impietate et flebili nimium laborum suorum successu quam ingenio et scribendi arte famosos, adeat auctores, qui hac de re plenius scripserunt [1]).

---

1) Inter alios legi merentur D. *Wiest* historia naturalismi Tom. I. *Triumph der Philosophie. Bergier: Traité de la vraie religion. Mémoires pour servir à l'histoire ecclésiastique du dixhuitième siècle.* IV. Vol. Paris 1815. *La philosophie du dixhuitième siècle dévoilée par elle même.* II. Vol. 1816. Unum tantum aut aliud testimonium afferamus, quod ex ipsis incredulorum operibus desumpsimus .... „Quand les philosophes seraient en état de decouvrir la vérité, ait *Rousseau* (Emile liv. III. p. 37.), qui d'entre eux prendrait intérêt à elle? Chacun sait bien, que son système n'est pas mieux fondé que les autres, mais il le soutient, parce qu'il est à lui. Il n'y en a pas un seul, qui venant à connaitre le vrai et le faux, ne préférai le mensonge, qu'il a trouvé, à la vérité, découverte par un autre. Où est le philosophe, qui pour sa gloire ne tromperait pas volontiers le genre humain? . . . . Pourvu qu'il s'élève au-dessus du vulgaire, pourvu qu'il efface l'éclat de ces concurrens, que demande-t-il de plus? L'essentiel est de penser autrement que les autres. Chez les croyans il est Athée. Chez les Athées il serait croyant." — Idem eodem libro de novis generis humani praeceptoribus et publicae felicitatis architectis ita loquitur: „Sous le hautain prétexte, qu'eux seuls sont éclairés, vrais, de bonne foi, ils nous soumettent impérieusement à leurs décisions tranchantes, et prétendent nous donner pour les vrais principes de choses les intelligibles systèmes, qu'ils ont bâtis dans leur imagination. Du reste, renversant, détruisant, foulant aux pieds tout ce que les hommes respectent, ils ôtent aux affligés la dernière consolation de leur misère, aux puissants et aux riches le seul freín de leurs passions; ils arrachent du fonds des

CAPUT PRIMUM.

De possibilitate, utilitate et necessitate revelationis.

OBSERVANDA

10. — I. Necesse est, ut Deistas per eam quam ipsi ingrediuntur viam, insequamur. Cum ante omnia propositum ipsis sit, Christianam religionem funditus evertere; ut illud facilius certiusque assequantur, contra revelationem in genere undique argumenta congerunt, certi, quod si omnem revelatam religionem impossibilem, aut Deo indignam aut certe nulla ratione necessariam esse ostenderent, hoc ipso Christiana religio lethali vulnere confecta corrueret. Igitur necesse est, ut et nos, qui Christi et coelestis, quam ab eo accepimus, doctrinae causam agimus, primum de religione in genere tractemus, et in asserenda ejus tum possibilitate, tum utilitate et necessitate omnem operam collocemus.

11. — II. Religio Christiana duplicis generis veritates complectitur, ut in Prolegomenis cap. III. n. 40. observatum est. Nam 1° est promulgatio externa legis naturalis, et docet nos certo et cum summa auctoritate omnia principia et officia religionis ac vitae moralis. 2° Est supernaturalis dispensatio, quae novum aperit rerum ordinem, rationi non investigabilem, et tum in mysteriis consistit, quae credenda proponuntur, tum in praeceptis positivis, quae legi naturali adjiciuntur. Hoc discrimen diligenter retinendum est in praesenti disputatione. Quod primi generis veritates attinet, duo iterum probe distingui debent. Aliud est, ad veritatis alicujus cognitionem sola ratione pervenire; aliud, veritatem ex revelatione cognitam ex rationis naturalis principiis demonstrare. Multa siquidem in mente nostra jacent occulta et tenebris involuta, quae nonnisi accensa revelationis face deteguntur. Itaque revelatio alia mentibus nostris ingerit, cum veritates docet supra captum positas; alia in animis nostris abscondita eruit et ad lucem producit.

12.—III. Ut etiam, cum de lege naturali agitur, omnis evitetur ambiguitas, sciendum est, eam non eandem semper apud philosophos, imo et theologos habere significationem. Scilicet lex naturalis in se aut *objective* considerari potest, quatenus in immutabilibus rerum naturis et convenientiis posita est. Hanc Cicero post Platonem definivit „rationem summi Jovis natam simul cum mente divina.“ Potest etiam considerari *subjective*, quatenus est creaturis intelligentibus communicata, praecipue humanae naturae; hocque sensu a Cicerone vocatur „divina ratio in hominis mente confirmata et confecta.“ Primo sensu accepta immutabilis est et aeterna, nec commensurata majori aut minori cujusque hominis scientiae, sed infinita et soli Deo perfecte cognita, omnia in se continens officia, etiam Christiana, quae supernaturali revelatione nobis innotescunt. *Certum est*, ait S. Thomas [1]), *omnes leges, in quantum participant de ratione recta, in tantum a lege aeterna derivari.* Si autem in homine consideratur lex naturalis, varia est et magis aut minus extenditur, pro scientia cujusque; continetque collectionem praeceptorum, quam cuique promulgat propria conscientia. Hac distinctione facillimum fuisset graves doctorum de hac re controversias componere.

13. — IV. Apud probatissimos auctores non raro lex naturalis pro ipsa religione sumitur, sicut et religio pro lege; quod ex intima et necessaria unius cum altera connexione oritur. Sicut enim

---

coeurs les remords du crime, l'espoir de la vertu, et se vantent encore d'être les bienfaiteurs du genre humain. Jamais, disent-ils, la vérité n'est nuisible aux hommes; je le crois comme eux, et c'est à mon avis une preuve, que ce qu'ils enseignent, n'est pas la vérité.“

Vide etiam adnotationem pag. 53. sq.

1) I^ma II^dae qu. a. 3.

absque legis naturalis observatione nulla aut vana est religio; ita, ubi religio deest, species forsan haberi potest simulatae virtutis, at virtus ipsa et ingenua probitas non habetur. *Religio munda et immaculata apud Deum et Patrem haec est: visitare pupillos et viduas in tribulatione eorum, et immaculatum se custodire ab hoc saeculo* [1]).

§. I.

De revelationis possibilitate.

PROPOSITIO I.

Revelatio est possibilis.

14. — Probatur. Nihil revelationi repugnat, nec ex parte Dei, nec ex parte hominis, nec ex parte veritatum revelandarum: ergo est possibilis.

Prob. I. Pars. 1⁰ Nemo negat, hanc hominibus facultatem competere, ut possint sensa animi aliis manifestare, sicque novas in aliis ideas producere, quas illi fortassis nunquam habuissent: quis autem dicat, Deum id non posse, cum ipse dederit hominibus, ut possint?

2⁰ Deus summa pollet scientia et potentia agendi, atque absoluto in omnes creaturas imperio: ergo non possunt ipsi media deesse, ea quae velit, hominibus communicandi.

3⁰ Neque dicas id cum aliis Dei perfectionibus pugnare, cum ex hac ratione instituendi homines Dei bonitas, sapientia, sanctitas aliaeque perfectiones magis elucescant. Nam quamvis ratio in homine vox sit Dei docentis nos, quae vera et justa sunt; tamen cum haec ab homine non distinguatur, et vis aliqua sit naturae indita, homo facillime rationis dictamina quasi sua habet, et ad naturae auctorem non respicit. Cum autem per externam revelationem erudimur, magis apparet Dei in homines providentia sancta et justa et pia, quae omnia, imprimis ea, quae ad moralem hominis vitam ejusque felicitatem pertinent, suo imperio regit, sua auctoritate firmat, rationis imbecillitati occurrit et hominem inter infinitos errorum scopulos paterna sollicitudine dirigit.

Prob. II. Pars. Homo ita est a natura constitutus, ut ad veritatum etiam naturalium cognitionem multo magis per doctrinam et institutionem perveniat, quam propria investigatione. Absque educationis beneficio vis intelligendi sopita jaceret in animo, ita ut homo a caeteris animalibus vix aliter quam forma differret. Si ergo homo potest ab homine erudiri, et hoc auxilio indigeat humana ratio; quanto melius certiusque crescet perficieturque ejus cognitio, cum Deum ipsum doctorem habuerit et institutorem?

Prob. III. Pars. Ex parte veritatum nulla potest esse repugnantia, sive illae naturales sint, sive supernaturalis ordinis. Naturales scilicet veritates homo semper plures pluresque acquirere potest, neque eae, quae novae accedunt, cum illis, quae jam in mente existunt, pugnare possunt, cum veritas veritati non contradicat. Veritates autem humanae intelligentiae impervias in mente divina posse existere, et si existunt, revelari posse, clarius patebit ex sequenti propositione.

PROPOSITIO II.

Revelatio, prout complectitur dogmata supra rationis captum posita, possibilis est.

15. — Prob. Revelatio hoc sensu intellecta impossibilis esset, vel quia religio naturalis ea omnia complecteretur, quae sciri possunt, ita ut nulla esset revelationis materies; vel quia Deus non posset homines ejusmodi veritates docere; vel quia in homine ratio esset sola regula credendi; atqui haec dici non possunt: ergo etc.

Prob. min. Pars I. Absurdum esset dicere, nullas in mente divina veritates existere, quae omnem intelligentiae humanae vim effugiunt; rationem humanam omnia emetiri posse, quae vel

1) *Jacob.* I, 27.

Dei naturam concernunt et infinitas ejus perfectiones; vel divinae circa nos providentiae consilia hominisque conditionem, seu primaevam, seu praesentem, seu futuram: ergo etc.

Prob. min. Pars II. Cum Deus hominem ex nihilo creaverit eumque intellectu instruxerit, qui novis semper veritatibus imbui possit; Deus autem ipse multa cognoscat, quae angustos humanae rationis limites excedunt; idemque simul sapientissimus sit et potentissimus; quid obstare poterit, quominus hominibus veritates etiam supernaturales revelare possit? an illi media deerunt, voluntatem suam creaturis manifestandi, an jus eam proponendi, an auctoritas persuadendi?

Prob. min. Pars III. Ratio naturalis non potest esse in homine regula sola credendi, si homo potest de rerum veritate plene convinci per motiva externa; atqui ita est; magna enim pars cognitionis nostrae ex auctoritate et sensuum testimonio manat, et multa etiam in rerum natura absque omni haesitatione ut vera assumuntur, quorum natura penitus ignoratur.

PROPOSITIO III.

Revelatio, prout complectitur praecepta positiva legi naturali superaddita, possibilis est.

16. — Prob. I. Merito summae temeritatis et impietatis argueretur, qui vellet, Deum non posse alia praecepta dare hominibus, nisi quae in necessariis rerum relationibus posita essent; cum is Deo, qui supremus creaturarum omnium Dominus est, abjudicaret, quod ne homini quidem, qui in alios potestatem exercet, denegari potest [1]).

Prob. II. Certum est, cultum externum partem esse religionis naturalis; quo autem modo, quibus ritibus et caeremoniis cultus ille perfici debeat, lex naturalis non determinat. Quis autem negabit, Deum posse formam cultus sibi debiti per seipsum determinare? Quid magis ad cultus sanctitatem et majestatem conferre potest, quid pietatis sensus vehementius incendere; quam cum scimus, nos non tantum cultum exhibere Deo, sed illum etiam eo colere modo, qui ipsi gratissimus est?

Prob. III. Leges positivae, quae in ratione naturali directe non continentur, naturae tamen hominis non repugnant, si parendi obligatio ex parte hominis non requirat cognitionem intrinsecae bonitatis aut justitiae alicujus legis, sed sufficiat certitudo divinae revelationis: atqui hanc sufficere nemo non videt, cum homo ex ea evidenter concludere possit, justam esse legem, quae proponitur.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Contra primam propositionem.

17. — Objiciunt. Intelligi non potest, quomodo Deus hominibus aliquid revelare possit; ergo revelatio est impossibilis.

Resp. I. neg. conseq. Etiamsi ignotus esset modus, quo revelatio fieri possit, de ejus tamen possibilitate non esset dubitandi locus; quia certi sumus, Deum multa posse, quae quomodo fiant, nulla ratione assequi possumus. Quanto sapientius cogitarunt doctissimi veterum philosophorum, qui, cum revelationem aliquam exoptandam et exspectandam dicerent, eam utique possibilem crediderunt, de modo, quo illa fieri posset, parum solliciti.

---

1) Optime observat *Leibnitius* (Théodicée p. 2.), omnes leges, quibus haec praesens natura continetur, mere esse positivas. Quis enim illos, quos nunc miramur coeli motus et astrorum ordines et rerum omnium formam ac miram varietatem considerans, haec omnia ex necessario quodam partium concursu prodiisse dicet, et non ex liberrima Dei voluntate? Quis haec ita et non aliter facta esse ex ideis metaphysicis, aut ex geometriae principiis deducet? An minor est Dei in mundo morali auctoritas? Ceterum revelationis possibilitatem, imo et summam utilitatem plures etiam ex Deistis confessi sunt.

Resp. II. neg. ant. Infinitis modis potest auctor naturae mentem suam hominibus manifestare. 1⁰ Potest se homini vel sub forma humana, vel alio quocumque modo praesentem exhibere. Sic Abrahae aliisque Patriarchis apparuit, sic cum Moyse locutus est in rubo ardente, sic Israelitis in monte Sinai legem promulgavit. 2⁰ Potest rerum imagines in phantasia excitare, quod saepius Prophetis aliisque justis contigit, sive per *visionem* vigilantibus, sive dormientibus per *somnium*. 3⁰ Potest etiam per *inspirationem* immediate cogitationes suggerere, easque ad summum claritatis et evidentiae gradum elevare. Neque enim creator naturae caret illa illuminandi facultate, neque humanus intellectus illustrationis illius incapax est.

18.—Urgent I. Omnes hi revelationis modi particulares sunt, et vel singulis tantum, vel paucis simul erudiendis apti; ergo nihil juvant Judaeos aut Christianos, qui per summam contradictionem contendunt, se Deo revelanti credere, cum tamen nulla ipsis facta fuerit revelatio.

Resp. neg. conseq. Sufficit, ut revelatio uni aut paucis fiat, et hi revelationem ita acceptam aliis manifestent; quotidie enim homo ab alio homine eruditur, et Deus utique hoc medio uti potest, quo nullum est hominum ingenio et indoli magis accommodatum. Sic Judaei et Christiani divinam revelationem acceperunt, non quidem immediate, sed mediate per eos, quos Deus tanquam praecones suos ad eos direxit.

Urgent II. Si homines ab homine edocentur, jam non Deo credunt, sed homini; et talis revelatio hoc ipso revelatio non est. Ergo impossibilis est haec mediatae revelationis hypothesis.

Resp. dist. ant. Si homines edocentur ab homine, qui propria auctoritate agit et propriam doctrinam proponit, *conc.*, qui Dei auctoritate, non sua docet, sed quae a Deo accepit, *neg.* Quando Deus doctrinam aliquam per ministerium hominis manifestat, ejusmodi manifestatio nihil aliud est, quam divinae revelationis communicatio, et doctrina hoc modo proposita vere doctrina revelata dicitur. Tollitur autem omne erroris periculum, quando ii, qui Dei nomine loquuntur, fidem sibi miraculis aliisque divinae auctoritatis testimoniis conciliant.

Argumenta contra II. et III. propositionem.

19.—Objiciunt I. Veritates religionis omnibus evidentes esse debent; atqui mysteria, eo ipso quod mysteria sint, evidentiam excludunt. Ergo etc. Ita *Tolandus;* auctor operis: Lettres sur la religion essentielle à l'homme; *Christianus Edelmann* aliique Deistae.

Resp. dist. maj. Veritates religionis omnibus evidentes esse debent, vel evidentia objecti, vel evidentia testimonii, *conc.*, semper evidentia objecti, *neg.* Atqui mysteria evidentiam excludunt; iterum distinguo, evidentiam objecti, *conc.*, evidentiam testimonii, *neg.* Omnis vis argumentorum, quae a Deistis aliis semper aliisque verbis repetuntur, in aequivocatione est; consulto enim confundunt, quae maxime essent distinguenda. Aliud quippe est scire, rem esse, aliud rem, qualis est, cognoscere. Si ad rem quamcunque certo comprobandam requireretur evidentia intrinseca, qua rem ipsam mente complecti et quasi permeare possemus, nulla esset physica aut moralis certitudo, qua tamen omnis hominum vita continetur. Mysteria quamvis mentis nostrae aciem effugiant, possunt nobis esse evidenter certa. Evidenter enim certus sum, Deo revelanti esse credendum. Ergo cum mihi certum efficitur, Deum mysteria revelasse, assensum ipsis denegare non possum, nisi velim ipsam rationem abjicere.

20. — Objiciunt II. Deus revelare non potest, quae contra rationem sunt; atqui mysteria sunt contra rationem; ergo etc.

Resp. n. min. Longe aliud est *supra* rationem esse et *contra* rationem. Qui aliquid contra rationem esse pronuntiat, declarat se percipere rei disconvenientiam, aut ejus cum alia veritate repugnantiam; quod autem supra rationem est, id mentis humanae aciem ita effugit, ut de veritate aut falsitate illius ex rationibus intrinsecis judicium ferre non valeat. Ergo *supra* rationem esse, et *contra* rationem tantum differunt, quantum differunt non comprehendi et comprehendi. In mysteriis nunquam probari potest evidens contradictio, hoc ipso, quod supra rationem posita sint; quia in rebus incomprehensibilibus de intrinseca idearum convenientia aut disconvenientia judicare non possumus [1]).

21. — Inst. I. Ea sunt contra rationem, quae argumentis insolubilibus impugnantur; atqui talia sunt mysteria; ergo etc.

Resp. 1° disting. maj. Si illa argumenta evidentem in objecto contradictionem probant, *conc.*; si ex intelligentiae nostrae imbecillitate et mysteriorum sublimitate oriuntur, *nego*. In iis, quae humana ratio intelligere non potest, multae possunt difficultates occurrere, quas resolvere non possumus, quia rem, qualis est, non videmus; qui enim credit, propter revelantis auctoritatem credit; revelationis autem factae certitudo, quantacunque illa sit, intrinsecam rei obscuritatem non tollit. Si quis ex Europa in torridas Africae regiones veniens incolis narraret, se aquam vidisse farinae adinstar terrae incumbentem; aut ita concretam et solidam, ut homines super eam ambularent, aut curru veherentur; rideretur utique et insanire videretur. Homo a nativitate coecus aliorum hominum testimonio convictus firmissime credit, corporum motus, figuras, situs visione apprehendi posse, aut, quod majus est, coloribus in tabula exprimi; quamvis in his non tantum nihil intelligat, sed et varia debeat absurda deprehendere. Hoc argumentum egregie evolvit *Bergier: Déisme réfuté par lui-même.* Totum illud opus contra Deistas conscriptum est [1]).

1) „Ce qui est contre la raison, dit le grand *Leibnitz* (Théodicée p. 21. 48. 49.), est contre les vérités absolument certaines et indispensables, et ce qui est au-dessus de la raison, est contraire seulement à ce qu'on a coutume d'expérimenter ou de comprendre. C'est pourquoi je m'étonne qu'il y ait des gens d'esprit, qui combattent cette distinction, et que Mr. *Bayle* soit de ce nombre. Elle est assûrément très-bien fondée. Une vérité est au-dessus de la raison, quand notre esprit, ou même tout esprit créé ne la saurait comprendre; et telle est à mon avis la S. Trinité. . . Mais une vérité ne saurait jamais être contre la raison; et bien loin, qu'un dogme combattu et convaincu par la raison soit incompréhensible, on peut dire que rien n'est plus aisé à comprendre, ni plus manifeste, que son absurdité." Et ibid. p. 44. ex *Scaligero*:

Nescire velle, quae magister optimus
Docere non vult, erudita inscitia est.

1) Vide ejusdem D. *Bergier* Traité de la vraie relig. liv. III. p. 280 etc. Dans la logique de *Bayle*, Berlin 1785, il est dit p. 44. „Il y a des choses incompréhensibles et par rapport à leur existence, et par rapport à leur manière d'exister; tel est un cercle quarré. Il y a d'autres choses, dont l'existence est très certaine, et dont on ne peut comprendre la manière d'exister: p. ex. il est clair, que la matière est divisible à l'infini: mais on ne saurait concevoir, comme cela peut être, *ni le concilier avec les nombreuses absurdités, qui semblent en être les conséquences. La philosophie se contente de démontrer, que la chose est telle, et ne s'amuse point à en chercher la manière, parce qu'elle est au-dessus de notre portée.* Il faut dire la même chose de l'éternité. . . ." Plura in hanc materiam habet *Leibnitius* Théodicée p. 22. et alii. Praeter exemplum coeci nati, quo D. *Bergier* repetitis vicibus adversarios premit, alia quoque sunt ad rem illustrandam aptissima. Vides v. g. turrim quadratam, quae e longinquo conspecta rotunda tibi apparet; falsum est quod fers judicium, neque exeundi ex hoc errore possibilitas est, nisi vel ipse proprius accedas, vel inde venientibus credas. Sic mirum non est,

Resp. 2⁰. Hoc argumentum, sicut et alia pleraque a Deistis contra revelationem congesta, Athei et materialistae in ipsos Deistas torquent. Multae siquidem, cum de Deo agitur ejusque attributis, de creatione et providentia, difficultates occurrunt et obscuritates maximae. Quae enim tanta reperitur vis et sagacitas humani ingenii, quae res tam magnas et tam longe a nobis dissitas explicare possit? Haec pluries celeberrimi ex Deistis fassi sunt, imprimis *J. J. Rousseau*, qui inter alia haec habet [1]): „*Quo magis Dei naturam considero, eo minus intelligo. Existit tamen, et hoc mihi sufficit. Quo minus comprehendo, eo magis adoro, et dico: Ens entium! Ego sum, quia tu es. Nihil magis rationi meae convenit, quam ad nihilum redigi ante te.*“

22.—Inst. II. A veritatibus religionis naturalis non potest fieri consecutio ad mysteria; nam veritates illas ratio naturalis demonstrare potest, quamvis intellectus humanus eas non comprehendat: id autem de mysteriis dici non potest.

Resp. neg. ant. Legitima est deductio nostra, quia probat, quod nobis contra Deistas probandum est: scilicet multa ab ipsis ut certa et indubitata haberi, quae tamen nulla cogitatione comprehendi possunt; sequitur ergo, rem aliquam evidenti ratione probari posse, licet qualis sit, nulla ratione assequi possimus. Si autem res in se plane incomprehensibilis certa nobis fieri potest per rationes philosophicas; idne fieri non poterit per Dei ipsius revelantis testimonium? Adde, quod Athei, cum religionis naturalis dogmata impugnant, tam parum concedant illa ex ratione naturali probari posse, ut potius contendant, se multa in illis absurda videre et implicantia; sed in rebus etiam physicis plura ejusmodi sunt, quorum nec naturam, nec existentiam ex intimis rerum principiis probare possumus.

23.—Inst. III. Propositio, quae mysterium enuntiat, est mera verborum combinatio, sensu vacua; atqui insulsum est fide firma adhaerere verbis, cum quibus nullam ideam conjungimus, ergo etc.

Resp. n. maj. Quamvis ejusmodi propositio non possit plene et adaequate comprehendi, quia objectum continet a mentis nostrae intuitu remotum; sensu tamen vacua non est, sed cum externa certitudine eam conjungit rei cognitionem, quae sufficit non tantum ad fidem, sed etiam ad scientiam. Quando Deistae has similesque sententias proferunt: „Deus omnia ex nihilo produxit, ipse autem a nemine est; Deus aeternus est, immensus est etc.;“ numquid verba proferunt sensu vacua? Tamen, quid sit creare ex nihilo, quid aeternum, quid immensum, explicare nullo modo possunt. Jam, si ad scientias naturales convertimur, innumera sunt, quae in omnium ore versantur, quamvis plane incomprehensibilia. Nec quid sit spiritus, nec quid materia intelligimus, nec vim motricem, aut electricam, aut magneticam comprehendimus; tamen de his multae formantur propositiones, multa cum magna scientiae praedicatione disseruntur.

24.—Objiciunt III. Deus homini rationem concessit, ut ipsa duce, quae agenda et credenda sunt, agnosceret; ergo non potest eum, spreta ratione, per viam revelationis et auctoritatis ducere; sic enim sibi contradiceret, cum rationem homini dedisset, ut ea uteretur, simulque ne uteretur prohibuisset.

---

si rationis nostrae infirma acies multa quae ad Deum, vitam futuram etc. spectant, aliter videt, ac in se sunt, quia per nebulas et a longinquo videt. Quoniam autem nobis, quamdiu hanc vitam agimus, propius accedere non licet: iis credendum est, qui inde ad nos erudiendos veniunt, seu qui a Deo ipso instructi idonei sunt ad corrigenda imbecillis rationis judicia.

1) *Emile* liv. III.

Resp. n. conseq. Eadem semper occurrit concludendi ratio ambigua et confusa. Deus homini rationem procul dubio dedit, ut ea uteretur: ea autem semper utitur, cum assensum praebet iis, quae certis argumentis probantur, sive haec ab extrinseco petantur, sive ab intrinseca rerum natura. Quis unquam sanae mentis asserere ausus est, nullum aliud dari genus certitudinis, quam illud, quod ex idearum evidentia oritur? De rerum omnium naturalium existentia, de iis, quae ante nos contigerunt, aut in aliis terrae plagis existunt, nec ex idearum comparatione, nec ex sensu intimo certi sumus. Cum revelatio novas veritates docet, eas, quas ratio cognoscere potuit, non destruit; non enim contraria rationi docet, sed impervia: ut autem, ubi de revelatione divinitus facta certo constat, consensum illico praebeamus, ipsa a nobis ratio postulat [1]). Liceat hic *Baylii*, auctoris Deistis minime suspecti, testimonium adducere. Ita ille ratiocinatur [1]): „*Testimonium Dei humano testimonio certius est, Igitur quando ex hoc principio ita concluditur: Nihil est rationi magis consentaneum, quam ea, quae a Deo revelata sunt, potius credere, quam quae ratio humana docet, haecque, ubi scripturae sacrae contradicunt, absque haesitatione ut falsa rejicere; an non, qui ita concludit, fidem suam deducit ex evidentissimo rationis principio?*“

25. — Ne dicas, plura, quae revelatio credenda proponit, non tantum inscrutabilia esse, sed etiam iis repugnare, quae naturalis ratio dictat, aut sensuum testimonium comprobat. Ad id respondetur, veritates sibi contradicere non posse, ideoque veram revelationem nunquam posse rationi repugnare; quodsi repugnare videatur, id rationis nostrae infirmitati esse adscribendum; sensuum porro relationem ex fide corrigendam esse. „*Quando inter fidem et rationem aliqua videtur contradictio intercedere,* ait idem *Baylius* [2]), *idem servandum est, quod in collisione rationis cum ratione, cum duae sibi opponuntur veritates, quarum utraque nobis evidens videtur.*“ Tunc scilicet pro certo habendum, vel unam ex propositionibus sibi oppositis apparentem tantum habere veritatem, aut certe apparentem tantum

---

1) Multa in hanc rem egregie dicta reperies in insigni opere D. *Bergier: de la vraie religion.* Inter alia haec pauca hic addimus (tom. III. chap. VIII. art. I. §. IX.): „Cette proposition: *Il ne faut pas croire ce qui est incompréhensible,* est contraire à la raison, ou à cette autre maxime plus sensée: *Il faut croire tout ce qui est évidemment prouvé. . . .* Autrement il s'ensuivrait, que l'acquiescement à une proposition quelconque doit dépendre non de la force des preuves, mais du degré d'ignorance ou d'entêtement de celui, qui les examine.“

„La raison prise dans le sens que les incrédules affectent de lui donner, est celle de toutes nos facultés, dont nous tirons le moins de secours; elle n'est d'usage, que dans les matières de spéculation, dans les mathématiques et dans la métaphysique. *Le sens commun au contraire nous fait acquiescer avec une entière certitude au sentiment intérieur, à la déposition de nos sens, au témoignage unanime de nos semblables; trois sources les plus fécondes de nos connaissances pratiques, les plus nécessaires de toutes.... Celui-ci (le sens commun) est la raison par excellence, puisqu'il est le principal organe des soins de la providence à notre égard.* Ma règle, dit l'auteur d'Emile, de me livrer au sentiment plus qu'à la raison, est confirmée par la raison même.“

„Ein Glaube nach den strengsten Forderungen ist kein blinder Glaube. — Der Vernunft folgen, heisst glauben: und folgt man ihr nicht, wo Gründe es fordern, so ist man nicht mehr vernünftig. Hat einmal die Gottheit gesprochen, hat sie Jemanden als ihren Gesandten so beglaubiget, dass uns kein vernünftiger Zweifel mehr übrig bleibt, dann handelt der am vernünftigsten, der glaubt.“ (*Schwarz* Handbuch I. Band. S. 71.).

1) Oper. Tom. III. p. 836.

2) Oper. T. I.

esse oppositionem, quam mens nostra deprehendit.

26. Objiciunt IV. Revelatio, quae supernaturalis dicitur, divinis perfectionibus, imprimis sapientiae et bonitati, adversatur: ergo possibilis non est.

Prob. ant. Sapientiae et bonitati divinae repugnat 1° hominem novis onerare praeceptis, quae ad honestam vitae institutionem necessaria non sunt; aut aeternum rerum ordinem pervertere, cum arbitrarie, quae in se sunt indifferentia, mala fiant interdicto. 2° Homini credenda proponere, quae nullam habent cum ratione proportionem, nullam cum morum honestate connexionem; quorum revelatione nihil gloriae accedit Deo, nulla melioris et felicioris vitae media subministrantur homini.

Resp. ad I. Nihil est, quod supremum Dei in homines imperium, hominisque plenam a creatore suo dependentiam evidentius manifestat, quam illa praecepta, quae in lege naturali non continentur, et ubi nulla est alia ratio obediendi, quam auctoritas praecipiendi. Atque hoc solo ad sanctiorem vitam plurimum valent, cum nos novis vinculis Deo adstringunt, novaque ad promerendam ejus benevolentiam media subministrant. Caeterum leges ejusmodi positivae saepe nihil aliud sunt quam officiorum naturalium evolutiones, cum ea in specie determinantur, quae in genere lex naturae praecipit. Saepe dictata sunt summae et aeternae rationis, quorum cum necessariis justi rectique regulis connexionem nos non videmus, quia obtusa est acies nostra.

Resp. ad II. Negari non potest, in mente divina multas existere veritates, quae mens humana cogitatione complecti non potest, imprimis de Dei natura, de hominis conditione et divinis in hominem consiliis, quae ubi ab homine cognoscuntur, optimos in animo sensus excitant, et ad virtutis studium vehementer accendunt. Magna exinde gloria exsurgit Deo, qui et melius cognoscitur et diligentius colitur; et quidem obsequio, quo non est aliud Deo dignius, cum ratio, omni vana ambitione deposita, revelantis Dei auctoritati se committit, omnem fiduciam in humili obsequio collocans.

Sed haec omnia novam lucem acquirent ex sequenti paragrapho, ubi de multimoda revelationis utilitate agitur; ita enim et Deo dignissima probabitur, cum nihil magis Dei bonitatem et sapientiam commendet, quam bene facere creaturis, mentes hominum excolere sanctissimis institutis, et ad felicitatem, ad quam creati sunt, perducere novis et efficacissimis mediis.

27. — *Corollarium. Ergo, quando aliqua doctrina nobis ut revelata proponitur, non ideo praecise rejici potest, quia revelata dicitur, neque quia veritates continet supra captum positas, aut praecepto naturali superadditas.*

§. II.

De revelationis utilitate.

28. — Consideratur iterum revelatio primo tanquam externa religionis naturalis et legum naturalium promulgatio; secundo tanquam dispensatio supernaturalis. Deistarum dux et antesignanus Rousseauvius in libro, quem *Emile* inscripsit, docet [1]), naturam librum quemdam esse omnibus apertum et omnium intellectui facilem, in quo quilibet per solas facultates naturales omnia, quae ad Dei cultum et amorem proximi spectant, legere possit. Ex quo concludit, promulgationem externam religionis et legis naturalis nullam habere utilitatem. Item omnem revelationem, quaecumque illa sit, quae dogmata proponeret religioni naturali superaddita, aut legibus naturae aeternis et immutabilibus praecepta adjiceret ex positiva institutione,

1) Tom. III. p. 177—180.

inutilem prorsus esse et perniciosam. Utriusque revelationis utilitatem probabimus contra impios et ingratos homines, qui tantum Dei donum aspernantur in suam aliorumque perniciem.

PROPOSITIO I.

Revelatio, in quantum est externa religionis et legis naturalis promulgatio, homini est utilissima.

29. — Probatur. Per revelationem externam homines clarius, brevius, perfectius doceri possunt ea, quae pertinent ad religionem et bonam vitam. Ergo etc.

Prob. ant. 1⁰. Per revelationem homines sine omni ambiguitate instruuntur in iis, quae hoc adminiculo deficiente aut penitus ignorarent, aut confuse tantum et quasi per nebulam cognoscerent. Pauci sunt, qui veritatem ratione assequi valeant; sed et ii, qui perspicacioris ingenii sunt, mire hac externa promulgatione adjuvantur. Veritate enim posita, multo facilius est ejus demonstrationem invenire. Nam ut Cicero ait [1]: „*Neque tam est acris acies in naturis hominum atque ingeniis, ut res tantas quisquam nisi monstratas possit videre. Neque tanta tamen in rebus obscuritas, ut eas non penitus acri vir ingenio cernat, si modo aspexerit.*“ 2⁰ Qui revelatione instruitur, cum magno compendio discet, quae ratio nonnisi per multos anfractus et vias difficiles consequi potest, si tamen potest. *Auctoritati credere*, ait *Tertullianus* [2]), *magnum compendium est et nullus labor.* 3⁰ Non est hic permixta erroribus veritas, neque incerta fluctuat inter opiniones ratio; revelatio enim omnia principia et officia religionis ac vitae moralis docet cum summa auctoritate; neque mentitum quidquam et falsum adesse potest, ubi veritas loquitur.

1) De Orat. lib. III.
2) De praescriptione cap. XIV.

PROPOSITIO II.

Revelatio considerata ut supernaturalis dispensatio homini quoque utilissima est et exoptanda.

30. — Probatur. Revelatio supernaturalis consideratur vel relate ad veritates, vel relate ad praecepta: atqui sub utroque respectu perutilis est. Ergo etc.

1⁰ Per revelationem mysteriorum hominis superbia retunditur, ratio perficitur, fides nutritur, voluntas ad pietatem aliasque virtutes inflammatur; demum ad bonum agendum et malum vitandum motiva et media subministrantur. 2⁰ Leges positivae legis naturalis observationem promovent, sensus religionis nutriunt, virtutis exercitia praescribunt, impedimenta removent, a vitiis avocant, novas occasiones suppeditant exhibendi Deo obedientiam, testandi amorem, cumulandi merita. Et si modum cultus divini determinant, hominem certum reddunt, se Deum colere eo cultu, quem ipse praescripsit, quique ipsi gratissimus esse debet; quo nihil potest esse homini optabilius. Ergo etc.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

31. — Argum. I. Omnis religio debet esse morum disciplina et hominis ad meliorem et sanctiorem vitam institutio; atqui hoc non mysteriis, sed legibus perficitur. Ergo etc.

Resp. neg. min. Multiplex enim ex mysteriorum revelatione fructus in homines redundat, ut ex probatione patet. Ad vitam bene sancteque instituendam non tantum bonae leges requiruntur, sed etiam media et motiva, quibus animus juvatur et obfirmatur inter tot virtutis labores et vitiorum incitamenta. Vana enim sunt etiam sanctissima vitae praecepta, si ad ea implenda vires desunt aut animus. Jam vero, si mysteria hanc potissimum virtutem habent, prout illud in religionis Christianae mysteriis contingit, quis audeat asserere, ea ad vitae sanctitatem nihil valere?

32. Dicunt II. Leges positivae 1° hominis felicitatem imminuunt, quia cohibent naturalem libertatem. 2° Ex novis praeceptis, quae tamen necessaria non sunt, nova oriuntur peccandi pericula. Ergo nocent, non prosunt homini.

Resp. ad I. neg. ant. Non omnia, quae libertatem hominis refrenant, ejus etiam felicitatem imminuunt; eam econtra multum augere debent praecepta quaecunque a Deo imposita; haec enim, cum a summa ratione et sanctissima voluntate emanent, necessario hominem perficiunt, atque ad finem, ad quem conditus est, certius perducunt. Non libertas igitur, sed licentia tollitur, quae malorum omnium mater est. Optimum libertatis exercitium est, divinae voluntati se subjicere, et summa honesti piique animi jucunditas, conscientiam habere suae erga Deum devotionis, et opinionem divinae erga se benevolentiae.

Resp. ad II. neg. conseq. Si hominis felicitatem imminueret, quidquid eum peccandi periculo exponit; satius esset, ratione et libertate carere, et pejor esset hominum doctorum sors, quam rudium. Quantae utilitates ex praeceptis positivis in humanum genus promanent, jam ostensum est. Si multi praecepta transgrediendo peccant, id non praeceptis, sed malae hominum voluntati adscribendum. Id quoque observandum est, etiam apud Christianos maxima et gravissima sanctioris vitae officia in legis naturalis praeceptis posita esse; qui haec religiosius impleverit, parum aut nihil difficultatis in positivis legibus reperiet.

33. Dicunt III. Praecepta positiva virtutem praefocant, non augent; nam 1° animum rebus inutilibus onerant, ejusque attentionem a necessariis, seu a praeceptis naturalibus avocant. 2° Superstitioni occasionem et fomitem subministrant. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. ant. Tunc quidem institutiones positivae malae essent et verae virtutis studium imminuere possent, si aptae non essent ad fovendos sensus religionis, aut eorum, quibus dantur, conditioni non essent accommodatae; verum haec de legibus positivis, de quibus hic agitur, dici non possunt, cum supponantur a Deo ipso praescriptae; qui utique eorum, quos legibus instruit, felicitatem et ardentius desiderat, quam Deistae, et certius promovere potest.

Resp. ad II. neg. etiam ant. Superstitio consistit vel in eo, quod ritibus externis interior aliqua virtus et excellentia attribuatur; vel quod recipiantur tanquam divina, quae mere humana sunt; vel tandem in nimio rerum indifferentium studio: verum haec omnia ex ignorantia hominum aut vitiosa inclinatione nascuntur, non ex praeceptorum natura. Observare positiva praecepta ex pietate, quia jussa sunt a Deo, non hominis superstitiosi est, sed *sapientis legique naturae obsequentis.*

§. III.

De revelationis necessitate.

OBSERVANDA.

34. — I. Non agimus hic de revelatione, quatenus mysteria complectitur et leges positivas. Sufficit ostendisse, eam esse possibilem, Deo dignam, homini perutilem; in quantum autem ea necessaria fuerit ad hominum salutem, nos dijudicare non possumus. Posita hypothesi, quod Deus hominem ad statum supernaturalem creaverit eumque, cum ab eo statu prolapsus fuit, erigere et ad pristinam dignitatem denuo elevare voluerit; necessarium utique fuit, novum et supernaturalem rerum ordinem instituere.

Verum huc non tendit praesens cum Deistis disputatio. Tota quaestio in eo est, an sola ratio naturalis sufficiat ad cognoscendas dilucide omnes veritates religionis naturalis, omnia legis naturalis praecepta. Si probatur, lumen

rationis, quale est in homine, ad haec cognoscenda non sufficere; consequitur revelationem, etiamsi nihil contineret quam praecepta naturalia, et religionis ac legis naturalis clarior tantum promulgatio esset, hominibus fuisse necessariam, eo saltem sensu, quod absque hac revelatione ad religionem et bonam vitam nunquam fuissent recte instituti.

35. — II. Lex naturalis, quo nomine etiam religionem naturalem comprehendere possumus, idem dicit, quam lex rationis. Potest autem ratio, quae homini indita est, duplici modo considerari; vel ut est cuique homini propria, et tunc praecepta illa continet, quae apud quemque promulgat sua conscientia, aut quorum cognitionem quisque potest propria ratione habere: vel ut ratio exculta philosophorum; id est, ut collectio praeceptorum, quae variis aetatibus a viris sapientibus inventa sunt.

PROPOSITIO I.

Ratio naturalis, qualis inest hominum universitati, non est par et sufficiens ad eos instituendos ad religionem et bonam vitam.

36.—Prob. I. Ut ratio naturalis, nullo revelationis lumine adjuta, humanum genus informare posset in religionis et vitae praeceptis, requireretur in hominibus, praeter maximam mentis perspicacitatem, judicium sanum, nec falsis opinionibus nec pravis affectibus turbatum: requireretur summa attentio et constans in inquirendo diligentia. Atqui haec ab hominum vulgo nullatenus exspectanda sunt. Nam 1° paucissimi reperiuntur, qui aut ingenium habent satis perspicax, aut veritatis satis cupidi sunt, ut scientiae se dedere possint. Plerique omnis contentionis incapaces, res extra sensus positas vix etiam cum praeceptore assequuntur. 2° Pauciores sunt, qui recte utuntur ratione in inquisitione veritatis, quia praeconceptae opiniones judicia corrumpunt. „*Simul atque in lucem editi et suscepti sumus*, ait Cicero [1]), *in omni continuo pravitate et in summa opinionum perversitate versamur, ut pene cum lacte nutricis errorem suxisse videamur.*“ 3° Pauci sunt, quos non rei familiaris sollicitudo et immoderata rerum terrenarum cura detineat, et parum idoneos reddat philosophiae studio. Ergo etc. [2]).

37.—Prob. II. Etiamsi ratio naturalis posset genus humanum instruere in iis, quae ad cultum Dei et honestam vitae compositionem pertinent, nunquam

---

1) Tuscul. quaest. lib. III. n. 1.

2) Egregie jam tempore suo haec exponit S. Thomas (L. I. contr. gentes c. IV.). „*Sequerentur tria inconvenientia, si hujusmodi veritas solummodo rationi inquirenda relinqueretur. Unum est, quod paucis hominibus Dei cognitio, saltem accurata inesset: idque tum ob tardum multorum ingenium, qui ad sciendum naturaliter indispositi sunt, tum ob necessitatem rei familiaris, tum denique ob pigritiam. Secundum inconveniens est, quod illi, qui ad praedictae veritatis cognitionem vel inventionem pervenirent, vix post longum tempus pertingerent, tum propter veritatis profunditatem, tum propter multa, quae praeexiguntur; tum quod tempore juventutis, dum diversis motibus passionum anima aestuat, non est apta ad tam altae veritatis cognitionem. Tertium inconveniens est, quod investigationi rationis humanae plerumque falsitas admisceatur, propter debilitatem intellectus nostri in judicando, et phantasmatum permixtionem; et ideo in dubitatione apud eos remanerent ea, quae sunt etiam verissime demonstrata, dum vim demonstrationis ignorant, et praecipue cum videant a diversis, qui sapientes dicuntur, diversa doceri.*“ Haec quamvis in pluribus auctoribus citata reperiantur, hic tamen addenda censui, ut videatur, quam apte et accurate de hac materia saeculo XIII. locutus sit scholasticus theologus! Non multum, ut puto, a vero aberraret, qui contenderet, in libris S. Thomae plus reperiri verae philosophiae ac profundae et acutissimae investigationis, eaque, quae tam subtiliter excogitata sunt, clarius et accuratius exprimi, quam in jactatissimis hujus tam philosophici saeculi operibus.

tamen sufficeret ad ea, quae docet, efficienda, et mores juxta naturae praecepta informandos; cum nullas habeat sat firmas sanctiones, id est, cum non proponat motiva satis potentia ad hominum animos ad obsequium inclinandos.

Nam sanctiones legi naturali adjunctae aliae non sunt quam *sensus moralis*, quo percipitur virtutis pulchritudo et foeditas vitii; *conscientia* vel delicti vel innocentiae, quae angit malos et remunerat bonos; demum ipsa *vox intima rationis*, quae docet per virtutem tutissimum esse iter ad felicitatem. Atqui omnes istae sanctiones insufficientes sunt. Ergo etc.

Prob. min. Sensus moralis et conscientia recte facti in plerisque hominibus nullam aut exiguam vim habet, neque valet ad coercendos cupiditatum impetus, quibus homines ad vitia impelluntur. Illa etiam *vox rationis intima* valde est in humano genere attenuata, et si revelatione edocta non sit, virtutis praemia ipsi tanquam remota apparent et incerta, cum interea ante oculos versetur malorum prosperitas, opes et potentia facinore comparata. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Genus humanum quamdiu revelationis lumine destitutum fuit, nunquam veram sinceramque religionis ac legis naturalis cognitionem habuit.

38.—Prob. I. pars prop. Omnium saeculorum experientia constat, falsorum numinum cultum apud omnes populos fuisse diffusum, sola Judaeorum gente excepta. Praeter genios et daemones etiam homines adorarunt eosque scelestissimos, imo et sidera et multa animalia, et quae in hortis ipsis crescebant numina. Non virtutes tantum, sed et fortuna, febris, metus, impudicitia templa sua habebant. Cultum deorum ridiculis caeremoniis, spurcitiis, imo humano sanguine contaminarunt. Ipse Cicero fatetur[1]): „*tantum fuisse errorem, ut perniciosis etiam rebus non modo deorum nomen tribueretur, sed etiam sacra constituerentur.*“

Neque barbarorum tantum incultorumque populorum hic error fuit, sed eorum praecipue, qui litteris, artibus, scientiis prae caeteris quam maxime floruerunt; ut optime asseri possit, eo magis in iis, quae ad Deum et religionem spectant, ad insana quaeque et absurda prolapsos esse homines, quo fuerint in omni disciplinarum genere excultiores. Ergo etc.

39.—Prob. II. pars prop. Jam ipsa paganorum religio ad vitia viam pandebat deorum exemplo, quos sceleratissimos fingebat. Hinc factum est, ut summa flagitia apud plerosque populos publica religione consecrata fuerint; ebrietas sub Bacchi, impudicitia Veneris, furtum sub Mercurii nominibus. Jupiter ipse, quem ut maximum deorum colebant, adulteriis, incestibus aliisque sceleribus famosus fuit. Quomodo autem genuinam boni malique cognitionem habere poterant, qui diis etiam immortalibus infamia quaeque scelera affingebant, aut flagitiis coli placarique numina credebant, qui publicas foeminarum prostitutiones, promiscua utriusque sexus adulteria pro religione habebant; et humani sanguinis effusionem gratissimum diis sacrificium judicarunt?

De hac incredibili morum dissolutione et perversitate innumera sunt veterum auctorum testimonia. Unum audiamus Ciceronem, qui lib. III. Tusculanarum quaestionum sic habet: „*Ita variis imbuimur erroribus, ut vanitati veritas et opinioni confirmatae natura ipsa cedat . . . Cum vero accedit eodem quasi maximus quidam magister populus et omnis undique ad vitia consentiens multitudo, tum plane*

1) Lib. II. de natura deorum.

inficimur opinionum pravitate a naturaque ipsa desciscimus“ [1]).

Verum ipsi temporum nostrorum naturalistae rei evidentia convicti facile nobis concedunt, religionem, quam recta ratio docet, non ex communi populorum usu aut opinione repetendam. Ideo ad philosophos provocant, sed infelici successu.

PROPOSITIO III.

Communi huic populorum ignorantiae mederi nec scivit, nec potuit, nec voluit omnis gentium philosophia.

Probatur I. pars.

40. — Arg. I. *Ex induct.* Mederi nescivit philosophia gentilium, si omnes antiqui philosophi, etiam qui inter eos clarissimi habebantur, tum in iis, quae ad Deum ejusque cultum pertinebant, tum circa legis naturalis praecepta in multis misere coecutiebant. Atqui ita est; ergo etc.

Prob. min. Nulla fuit ex philosophorum scholis, quae non in absurdissimas opiniones prolapsa sit. Supremo numini, si tamen aliquod agnoverunt, multa alia adjungere non dubitabant. Epicurus deos otiosos finxit; Thales primum rerum omnium principium aquam statuit, alii ignem, aut aërem. Stoicis nulla erat deorum providentia, plurimi omnia fato regi dicebant et ferrea necessitate. Pyrrho de omnibus dubitabat. De ipsis summis apud Graecos philosophis, Socrate, Platone et Aristotele non convenitur, an non putaverint summum Deum esse hunc visibilem mundum, aut hujus mundi animam.

Scimus, quid Romani in rerum divinarum cognitione profecerint, cum ex Graecia ad eos pervenit garrula et disputatrix philosophia. Qui illam coluerunt, id tandem assecuti sunt, ut, cum falsas religiones abjicerent, mox nullam haberent omnino, quia veram non poterant invenire; et sic, ut ait *Lactantius* [1]), inciderunt in errorem multo majorem, quam illi, qui falsa tenebant.

41. — Praeterea doctrinam de animae immortalitate, de praemiis et suppliciis alterius vitae, cui omnis morum disciplina innititur, vetus philosophia vel omnino sustulit, vel insulsis fabulis commaculavit, vel ut verisimilem tantum, atque timide ac fluctuanter proposuit. Quod autem ipsam morum institutionem attinet, de *Epicureis* aliisque dissolutioris doctrinae philosophis plura attingere necesse non est. *Stoici*, qui virtute cum diis sese contendere jactabant impia arrogantia, in scriptis suis turpiter obscoeni erant; animo quoque tam immiti et iracundo, ut Zeno pro regula habuerit, sapientis esse, erga neminem esse misericordem et illatam injuriam non condonare. Demum cum fatali necessitati omnia subjiciebant, omnem virtutem virtutisque regulam sustulerunt. *Plato* ipse, qui in morali philosophia totam aetatem consumpserat, uxorum communionem, vagos concubitus, partuum abactiones, infantium expositionem, ebrietatem in festis Bacchi approbavit.

1) Vid. *Bergier: de la vraie religion.* Tom. II. p. 1. etc. *Idem: Déisme réfuté par lui-même* p. 1. let. II. *Grotius: de veritate religionis Christianae.* cap. XI. et seqq. inter alia hoc habet: „Paganorum sacra ferme per totum orbem terrarum, ut late ostendit *Porphyrius*, et nostri etiam saeculi navigatores docent, plena erant crudelitatis. Nam receptum ferme ubique, ut et humano sanguine dii placarentur, quem morem nec Romanae leges sustulerunt.... Mysteria illa sanctissima sive Cereris, sive Liberi patris plenissima fuere omnis obscoenitatis.... Illi dies, qui deorum honori sacrati erant, talibus spectaculis celebrabantur, quibus interesse Catonem puduit.... Gladiatorum mutuae dilaniationes inter oblectamenta erant publica paganorum; exponere liberos quotidianum etc.“ Siehe auch *Schwarz* Handbuch I. Band S. 96. *Hooke* T. I. pag. 742. *Mamachium: Origines et antiq. Christ.* lib. II. *Bossuet: Histoire universelle.* Partie II. chap. XVI.

1) Lib. II. cap. III. divin. Instit.

Cicero mendacii, perjurii, vindictae patronum egit; *Epictetus* autochiriae et incestus. Quae satis ostendunt, in quantis erroribus versati sint etiam ii, qui inter philosophos omnium judicio sapientissimi fuerunt et acutissimi; ut nunquam magis revelata sit humanae rationis imbecillitas[1]).

42. — Arg. II. *Ex philosophorum testimonio.* Illi, in quibus ardentius erat veritatis studium et summa ingenii perspicacia, nihilominus fassi sunt, se in religionis veritatibus balbutire, nec certi aliquid invenire posse. Plato ita Socratem loquentem inducit in dialogo cui titulus: *Secundus Alcibiades*: *Necesse est exspectare, donec dicatur, quemadmodum ad Deum et homines habere se deceat.* Cui respondet Alcibiades: *Quando erit, o Socrates, et quibus praeceptor? jucundissime enim hunc hominem, quisquis erit, agnoscam.* Ipse Plato in Epinomide ait: *Docere pietatem neminem posse, nisi Deus tanquam dux et magister praeiverit.* Et Cicero quaest. Tuscul. lib. III.: *Ex philosophis nonne optimus et gravissimus quisque confitetur, multa sibi etiam atque etiam esse discenda?* Jamblicus de vita Pythagorae cap. XXVIII.: *Quae Deo grata sunt, scire difficile est; nisi quis vel eum, qui Deum audivit, vel Deum ipsum audierit*[1]).

43. — Arg. III. Ex eo deducitur, quod ratio humana nunquam cognoscere potuisset peccati et mali moralis originem, nec peccati remedium. Non ignorabat quidem esse in homine inolitam quamdam et connatam pravitatem, noverat vitiis divinum numen offendi; verum insitae illius communisque pravitatis originem aut remedium nullus unquam philosophorum invenire potuit, neque modum, quo peccata expiari, et placari

---

1) Ethnicorum crassissimos errores, et quae exinde orta est, vitiorum omnium colluviem graphice depingit *Apostolus* ad Rom. I. Legi meretur *Cornelii a Lapide* commentarius in hunc locum. Item ejusd. Encomium scripturae sacrae cap. II. Tom. I. Operum. *Bible de Vence: dissert. sur le péché originel.* Tom. XII. Quis porro innumera errorum monstra recensere posset, quae in libris philosophorum passim occurrunt? Nec immerito *Cicero* ait lib. II. de divinat. n. 58.: *„Nescio, quomodo nihil tam absurde dici potest, quod non dicatur ab aliquo philosophorum.“* Si quas assecuti sunt veritates, si egregia quaedam morum praecepta tradiderunt; alia iterum statuerunt principia, quae omnem morum disciplinam, omnem religionem dissolvunt. „At etiam Epicuri liber est de sanctitate, ait *Cicero* (de natur. deor. lib. I. §. 44.). Ludimur ab homine non tam faceto, quam ad scribendi licentiam impio. Quae enim potest esse sanctitas, si dii humana non curant? . . . . Si talis est Deus, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat!“ Neque minus absurda erant Stoicorum aliorumque philosophorum dogmata. Vide *Pensées de Pascal.* chap. III. Quis v. gr. ferat illud *Ciceronis* (de natur. deor. lib. III. §. 36.): „Virtutem nemo unquam acceptam Deo retulit, . . . at quod dives, quod honoratus, quod incolumis;“ et illud *Horatii* (lib. I. epist. XVIII.).

Haec satis est orare Jovem, qui donat et aufert.
Det vitam, det opes: aequum mi animum ipse parabo.

1) Vide *Platonem* de legib. lib. I. et IV., *Xenophontis* Memorab. Socratis lib. IV. *Tullius* Tusculan. quaest. lib. III. inter alia inquit: „Natura parvulos nobis dedit igniculos, quos celeriter malis moribus et opinionibus depravatis sic restinguimus, ut nusquam naturae lumen appareat.“ Praeclare quoque *Lactantius* lib. III. *Ciceronem*, qui in Tusculanis disputationibus philosophiam ducem vitae, morum ac disciplinae magistram vocavit, ita alloquitur: *„Cedo igitur, quid didiceris; aut in qua secta veritatem deprehenderis! In academia scilicet, quam secutus es, quam probasti. At haec nihil docet, nisi ut scias te nihil scire. Tui te libri arguunt, quam nihil a philosophia disci possit ad vitam. Haec tua verba sunt: „Mihi autem non modo ad sapientiam coeci videmur; sed ad ea ipsa, quae aliqua ex parte cerni videantur, hebetes et obtusi.“ Idem in consolatione hanc de philosophia sententiam tulisti: „Nescio quis nos teneat error aut miserabilis ignoratio veri.“*

infensum sceleribus numen possit, aperire. Ergo etc.

Probatur II. pars.

Communi ignorantiae mederi non potuit gentilium philosophia.

44. — I. *Ex defectu consensionis.* Ad edocendos atque in officio continendos homines nihil valere potest philosophia in omnibus ipsa secum dissentiens; atqui talis erat gentilium philosophia; nemo enim ignorat, diversas semper fuisse philosophorum scholas, omnes inter se opinionibus divisas, et in primis etiam religionis et morum principiis tot fere fuisse sensus, quot capita. Fatetur *Cicero* [1]), perobscuram esse quaestionem de natura deorum; philosophos quosdam aut deos esse, dubitasse; aut nullos omnino admisisse. Eos autem, qui deos esse dixerunt, in tanta fuisse varietate et dissensione, ut eorum molestum sit dinumerare sententias. Quod etiam *Lactantius* observat, cum ait [2]): *Facile est docere pene universam veritatem per philosophos et sectas esse divisam, nullamque sectam fuisse, quae non viderit aliquid ex vero; sed cum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt, non tantum elapsa est illis veritas, quam se quaerere simulabant, sed ipsi etiam suo potissimum vitio perdiderunt.*

45. — II. *Ex defectu persuasionis.* Philosophi clarissimi plerumque anxii et dubii extiterunt circa ipsa fundamenta religionis et legis naturalis; itaque non tantum unus dissensit ab alio, sed quilibet quod docuit plerumque dubitanter proposuit, parum sibi consentiens. Sic *Cicero* lib. I. de nat. deor. ait: *Perdifficilem et perobscuram quaestionem esse de natura deorum.* Alio loco [3]) cum diversas philosophorum sententias de natura animae attulisset, ait: *Harum sententiarum quae vera sit, Deus aliquis viderit; quae verisimillima, magna quaestio est.* Ideo maximus hic antiquitatis philosophus circa animae immortalitatem semper inter oppositas sententias fluctuavit incertus. Socrates ipse, qui, ut Cicero ait, primus philosophiam devocavit e coelo, et coëgit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere, in ultimo ad amicos sermone dubitanter de vita futura locutus est. Ergo etc. [1]).

46. — III. *Ex defectu conformitatis actionum cum doctrina.* Philosophi enim, etiam qui optimi putabantur, sua vivendi ratione omnem vim adimebant praeceptis suis. Vitia hominum carpebant vitiis ipsi mancipati, ita ut etiam nominare pudeat, quae ipsis a profanis auctoribus *Diogene Laërtio, Sallustio, Tacito, Luciano* exprobrantur. Omnium loco sit *Cicero* quaest. Tuscul. lib. II. *Quotus enim quisque philosophorum invenitur, qui ita sit moratus, ita animo ac vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam suam, non ostentationem scientiae, sed legem vitae putet? qui obtemperet ipse sibi, et decretis suis pareat? Videre licet alios pecuniae*

1) Lib. I. de natura deorum.
2) Lib. VII. divinar. Instit.
3) Tuscul. quaest. lib. I.

1) De Epicuro sic ait *Cicero* (lib. V. quaest. Tusc. §. IX.): „*Multa praeclare saepe dicit, quam enim sibi constanter convenienterque dicat, non laborat.*“ De se ipso subjicit ibidem (lib. V. quaest. Tusc. §. XI.): „*Nos in diem vivimus, quodcumque animos nostros probabilitate percussit, id dicimus.*“ Omnes fere, qui philosophi facti sunt, hoc demum sunt assecuti, ut eam etiam persuasionem abjecerint, quam ex sensu communi habebant, et de omnibus disputare et dubitare didicerint. De academicis, quae secta erat omnium celeberrima, ait *Seneca* (epist. LXXXVIII.): „*Academici novam induxerunt sententiam, nihil scire.*“ Vide, quae *Cicero* de *Platone, Socrate, Aristotele* aliisque philosophis ait (de natur. deor. lib. I. n. 12.): „De *Platonis* inconstantia longum est dicere. *Aristoteles* quoque multa turbat, a magistro *Platone* non dissentiens.“

cupidos, gloriae nonnullos, multos libidinum servos; ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio. Quod quidem mihi videtur turpissimum [1]).

47. — IV. *Ex defectu auctoritatis.* Etiamsi praeclarissima protulissent philosophi, nunquam iis aures praebuisset vulgus, quia omni auctoritate destituti erant; neque enim illa publica potestate erant instructi, quae potest legum adinstar praecepta promulgare. Neque apud plebem in honore habebantur ut singulares viri, ita ut eorum reverentia, singulari virtute et doctrina comparata, vim frangeret sensuum et cupiditatum et praejudicatarum opinionum. Id ipsum fatetur *Cicero* Tuscul. quaest. lib. II.: *Est philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens, eique ipsi et suspecta et invisa, ut si quis universam velit vituperare, secundo id populo facere possit.* Praeclare in hanc rem *Lactantius* ait [1]): *Ad verum frequenter accedunt* (philosophi); *sed nihil ponderis habent ista praecepta, quia sunt humana, et auctoritate majori, id est divina illa carent: nemo igitur credit, quia tam se hominem putat esse qui audit, quam est ille, qui praecipit etc.* [2]).

Probatur III. pars.

Mederi non voluit philosophia.

48. — 1° Licet popularium opinionum vanitatem inspexerint philosophi, nunquam tamen illis satis animi fuit ad depellendas superstitiones longo usu stabilitas; nullusque fuit, qui non potius praejudiciis popularibus sit obsecutus. Socrates probabat illud Delphici oraculi responsum: *Deos ex instituto civitatis colendos esse.* Et Cicero, qui lib. II. de divinatione ait, mirari se cum Catone, quod non rideret aruspex, aruspicem cum videret: jubet tamen ut in religione instituta pontificum et aruspicum serventur. An idonei humani generis magistri esse poterant homines, qui, ut ait Apost. ad Rom. I., veritatem in injustitia detinebant; et cum cognovissent Deum, nun sicut Deum glorificaverunt?

2° Tam parum propagandae veritatis studio tenebantur philosophi, ut potius docerent, expedire falli in religione civitates. *Cicero,* summus ille *Platonis* imitator, existimavit philosophiam vulgarem non esse, paucis contentam esse judicibus, abhorrere a multitudine [3]). *Varro,* Romanorum

1) Auctores citati non Episcureos tantum et Cynicos accusant, sed eos etiam, qui inter Graecos philosophos praecipui erant, *Socratem* et *Platonem,* qui infami paederastiae vitio laborasse gravissimorum auctorum testimoniis convincuntur. Patet ergo apostolicae sententiae veritas, qui ad Rom. I. de gentilium philosophis ait: *Tradidit eos Deus in passiones ignominiae etc. etc.* Vide *Cornelium a Lapide* in hunc locum. Hoc quoque argumentum contra gentiles versat *Lactantius* (lib. III. cap. XV.): „*Cum ex philosophis perraro fuerit, qui aliquid in vita fecerit laude dignum, quis non videat, eos homines virtutis, qua ipsi egent, non esse doctores? Nam si quis mores eorum diligenter inquirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinosos, arrogantes, protervos et sub obtentu sapientiae sua vitia celantes.*“ De *Seneca,* qui toties praeceptorem virtutis egit, multa ignominiosa narrant auctores pagani *Tacitus* (Annal. lib. XII. cap. VIII. et lib. XIII. cap. XLI.), *Suetonius* (in Claudio), *Dio Cassius* (lib. LXI. et in excerptis *Valesii* pag. 685.). Nam et turpissimae impudicitiae addictum fuisse dicunt, et divitiarum, quarum in libris suis contemptorem se ostendit, ita cupidum, ut brevi tempore iniquis etiam mediis immensas opes cumulaverit. — Vide etiam *Bergier: de la vraie religion* Tom. II. fausse apologie d'Epicure, des Cyniques, mauvaise apologie des Cyrénaiques etc.

1) Lib. III. cap. XXVII. divin Instit.

2) Quid valere possent etiam optima praecepta sine auctoritate? „*On a beau vouloir établir la vertu par la raison seule,* ait *Rousseau* (Emile Tom. III. p. 187.), *quelle solide base peut-on lui donner? Philosophes, ces lois mora es sont fort belles, mais montrez m'en ae grâce la sanction.*“

3) Vid. ibid. cap. XXII.

doctissimus, de religionibus loquens evidenter ait: „multa esse vera, quae vulgo scire non sit utile.“ Vid. *Augustin.* de civ. Dei lib. IV. et X.

PROPOSITIO IV.

Etiam hodierna philosophia in iis, quae ad religionem et legem naturalem pertinent, ad informandos homines prorsus est insufficiens.

49. — Probatur. Facillimum esset ex recentioribus philosophis eadem tum circa Deum ejusque cultum, tum circa gravissima morum praecepta, opinionum atque errorum monstra recensere, ex quibus apparet, eos non minus rationi, quam sanctissimae, in qua educati fuerant, religioni bellum indixisse. Porro eadem inter eos regnat opinionum diversitas, idem persuasionis defectus, cum in diversis operibus, aut in eodem saepe opere diversa et pugnantia affirment; idem defectus auctoritatis. Itaque, si hucusque probatum est, gentilium philosophiam nunquam veritatem invenire, nec hominum ignorantiae mederi potuisse: nunc etiam certum fit ex recenti experientia, quod veritates omnes ad religionem naturalem et morum institutionem pertinentes, quas revelatio in tam aperta luce posuit, hoc lumine rejecto denuo obscurentur et ex oculis evanescant. Vix enim revelationem aspernari coeperunt philosophi nostri, cum subito visi sint quasi vertigine abrepti et distracti in contrarias sententias; ut continuis dubitationibus jacti, quid velint, quo tendant, ne ipsi quidem sciverint. Vere *evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum: dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt.* Ad Rom. I. [1]).

1) Videantur quae jam dicta fuerunt adnot. pag. 36 seq. Quando primum caput attollere coepit moderna philosophia, religionis ac legis naturalis principia, quae tamen, nisi ex evangelio didicisset, nunquam scivisset, cum magna jactatione proclamavit. Verum, laxatis semel habenis, nihil cohibere potuit impotentem hominum illorum mentem, et cum quilibet ex novitate gloriam quaereret, ad omnem insaniam prolapsi sunt. Inde Atheorum, Materialistarum, Indifferentistarum et Pyrrhonistarum greges. Eousque obscuratum est insipiens cor eorum, ut omnem veri rectique rationem funditus eruerint. Sufficiat pauca tantum in probationem afferre, ab his viris in humani generis omnimodam perniciem excogitata. *„La qualité de père est un hazard; elle ne donne pas un droit. La faiblesse de l'enfant a seule donné empire sur lui, et cet empire cesse avec la faiblesse.“* Ainsi parle l'auteur du livre intitulè: *les Moeurs. „Il n'y a en soi ni vice, ni vertu, ni juste, ni injuste, ni bien, ni mal moral.“ (Spinosa, Hobbesius, la Métrie etc.) „Nos passions sont innocentes, et la raison coupable.“* (De l'Esprit. liv. I.) *„Lorsque les effets de nos passions nous sont utiles, nous n'avons point de remords.“* (Système de la nature.) *„L'état naturel de l'homme est d'être sauvage, la société est un état contre nature.“* (Discours sur l'inégalité.) *„La pudeur est seulement un vertu de bienséance, les voluptés sensuelles de l'amour devraient être la récompense des hommes vertueux. Les plaisirs des sens sont l'unique objet des désirs de l'homme.“* (Les Moeurs II. part. De l'Esprit.) etc.

En, quos subito progressus fecerit humana ratio duce et magistra hac nova philosophia! Caeterum nihil inter eos fixum certumque est, nisi hoc unum, totis viribus repugnare revelationi: eorum ratio philosophandi, si propius spectetur, nihil est aliud, quam ars non credendi. *„Leur manière de philosopher n'est au fond, que l'art de décroir.“* (Encyclop. art. *unitaires.*) Si quando virtutis patronos agunt, et in vitia liberius invehunt; nihil auctoritatis possunt habere praecepta, quibus vita moresque reclamant. „Toutes les fois, dit un écrivain très connu (Préface de Narcisse.), que je songe à mon ancienne simplicité, je ne puis m'empêcher d'en rire. Je ne lisais pas un livre de morale, ou de philosophie, que je ne crusse y voir l'âme ou les principes de l'auteur; je regardais tous ces graves écrivains comme des hommes modestes, sages, vertueux, irréprochables,... je ne comprenais pas, que l'on pût s'égarer,

Adde, quod religio naturalis philosophica hominum captui non sit accom-

modata; quod ratio humana semper in animis anxietatem aliquam et dubitationem relinquat; quod animum non possit contra cupiditatum illecebras, contra dura omnia et aspera virtutis obfirmare; quod ignoret medium certum placandi numen offensum, sicut et mali originem ac remedium. Ergo etc.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

50. — Obj. I. Ex eo, quod homines revelatione destituti veram et genuinam officiorum naturalium cognitionem non habuerint, inferre non licet, quod ad eam pervenire non potuissent, si voluissent rationis ductum sequi. Nam ex eo, quod multi revelatione abutantur, minime sequitur, eam ad vitam recte sancteque instituendam non sufficere. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Res facti est, genus humanum, dum revelationis lumine caruit, in omni pravitate et in summa opinionum perversitate vixisse; ex hac igitur hypothesi argumentamur. Quid in alia quacumque hypothesi fieri potuisset, non quaerimus.

Porro nulla est allata comparatio. Si posita etiam revelatione multi sunt, qui malis cupiditatibus serviunt: exinde concludi non potest, revelationem ad vitam optime informandam non sufficere; cum hominibus ejusmodi nec religionis cognitio, nec sanctioris vitae praecepta desint, neque omnia, quae possunt a vitiis absterrere et ad omne bonum inflammare. Vel igitur illi revelationem repellunt, vel falsam pro genuina amplectantur, vel in summa cum principiis suis contradictione vivunt.

51. — Obj. II. Si revelatio necessaria est, non intelligitur, quomodo Deus per tot aetates potuerit homines propriae ignorantiae et pravitati relinquere. Ita enim salutem consequi, et aeternum interitum evitare non potuissent, quia carebant medio ad ea, quae vera, quae pia et honesta sunt, cognoscenda et amplectenda necessario. Ergo etc.

Resp. Ad hoc argumentum omnium quae in hac quaestione afferri possunt, procul dubio gravissimum, vario modo responderi potest.

1° Cum revelationis necessitatem adstruimus, non absolutam necessitatem intelligimus, sed hypotheticam et ut dicitur moralem. Supponimus enim 1. genus humanum ad eam mentis animique perversitatem prolapsum, de qua dubitare non permittit omnium saeculorum experientia. 2. Deum voluisse huic malo remedium afferre sufficiens et efficax, tum ad depellendam ignorantiam, tum ad sanandam voluntatis pravitatem.

2° Supponit hoc argumentum, genus humanum primitus revelationis auxilio caruisse, quod falsum est. Nunquam enim absque revelatione fuerunt homines: haec autem primitiva revelatio perpetuo usu et traditione non interrupta conservata fuit in familiis Patriarcharum. Neque dubitandum est, apud alias etiam gentes corruptionem, rerumque divinarum ignorantiam paulatim tantum crevisse, quo magis scilicet a communi fonte recesserint, et memoria factorum lapsu temporis interierit. *Errant*, inquit *Lactantius, qui deorum cultum ab exordio fuisse contendunt.* Ex hac traditione genuinam de Deo et virtute doctrinam hauserunt Job aliique veri Dei adoratores.

52. — 3° Aliud est dicere, homines non potuisse absque revelatione perfectam religionis et legis cognitionem acquirere; aliud, eos fuisse ad aeternum interitum damnatos. Falsum est enim, Deum ab hominibus male sanis omnia illa exigere, quae a sanis exiguntur. A justo judice poena non infligitur, nisi propter culpam. Unde ab hac

---

en démontrant toujours; ni mal faire en parlant toujours de sagesse. Enfin je les ai vus; ce préjugé puéril s'est dissipé; et c'est la seule erreur, dont ils m'aient guéri."

quaestione puto esse abstinendum; quia nescimus, quousque laudabiles hominis conatus, quos Deus adjuvare paratus est, pertingere possint; aut in quantum homo revelatione destitutus naturalia officia citra culpam possit ignorare.

4⁰ Cum sic disputant deistae, non attendunt, hoc argumentum contra ipsos retorqueri posse. Nam ad naturalia officia rite cognoscenda ipsis fatentibus requiritur ratio philosophicis disciplinis erudita. Quare ergo Deus homines per tot aetates absque philosophiae magisterio reliquit? Primus enim Socrates noscitur animum informandis moribus applicuisse. Unde illa inter diversas gentes, diversosque homines ratione facultatum naturalium diversitas? Quare cum aliqui veritatem, cui inveniendae pares nunquam fuissent, cum lacte accipiunt; alii ad omne examen pariter inepti in crassissimis erroribus haerent?

53. — Obj. III. Mahumetani et Sinenses, quamvis revelationem divinam non habeant, corpus tamen doctrinae habent satis perfectum. Ergo etc.

Resp. ad I. Quod Muhametis doctrinam attinet, eam alio loco examinabimus. Sufficiat hic observasse: 1⁰ Quaecumque bona et rationi consentanea in Mahumetis religione reperiuntur, ex Judaeorum et Christianorum libris esse deprompta. 2⁰ Religionem Mahumetis non ut corpus aliquod doctrinae philosophicae, sed tanquam revelationem divinitus factam promulgatam fuisse, et a populo acceptam. Quo probatur illud, quod antea asseruimus, nempe rationem et philosophiam nunquam potuisse homines in societatem religiosam colligare. Quantum autem Dei praecepta in animis hominum valeant, hoc ipsum evidentissime probat, quod falsae etiam religiones tantam sibi auctoritatem conciliaverint ementito Dei nomine.

Ad II. Cum Sinensium mores, instituta, religionem etc. laudibus commendant increduli, non tantum suum in religionem Christianam odium, sed et magnam historiae illarum gentium ignorantiam probant. Contrarium nos docent viri, qui in illis regionibus versati sunt, aut saltem animo minus praeoccupato hac de re scripserunt [1]).

54. — Obj. IV. Saltem hodierna philosophia tam bene de Deo sentit, tam purum perfectumque tradit moralis doctrinae complexum, ut revelatio jam inutilis sit. Ergo etc.

Resp. Contrarium probat prop. IV. Si in recentiorum scriptis puriora reperiuntur doctrinae moralis principia, id evangelio debetur, non humanae rationi, quae in philosophis nostris perspicacior non est, quam in Socrate, Platone, Aristotele fuit. Veritas cum scitur, inventu probatuque facilis videtur: sed ignota difficile magnoque negotio invenitur. Imo qui philosophiae hodiernae historiam attentius considerat, eamque videt in foedissimos errores et summam impietatem incitato motu delapsam; fateri cogitur, revelationem non minus ad retinendam conservandamque veritatem necessariam esse, quam ad inveniendam. Vide quae in probatione dicta sunt.

55. — Coroll. I. *Ergo genus humanum in praesenti statu, spectata mentis humanae imbecillitate et voluntatis ad malum propensione, perfectam religionis et legis naturalis cognitionem acquirere nunquam potuisset.*

Coroll. II. *Ergo ex hypothesi, quod Deus voluerit humanae infirmitati succurrere, et tamen statum hominis naturalem non immutare; necessarium fuit medium aliquod supernaturale homini externum, quale est revelatio.*

---

1) Vide *Voyage de George Auson; Esprit des lois* l. XVI. chap. VIII. Oeuvres diverses de *J. J. Rousseau* T. I. Le Père *Duhalde* T. III. Histoire universelle par une société de savants Anglais T. II, pag. 90.

CAPUT SECUNDUM.

De ratione indagandae revelationis.

OBSERVANDA.

56. — I. Cum revelatio, etiam spectata ut supernaturalis dispensatio, possibilis sit; sequitur, eam respui non posse ideo tantum, quia revelatio dicitur, aut veritates continet rationi impervias (ex I. cap. §. I.); sed examinandum esse, an revera facta sit. Quia porro nihil videtur homini utilius, quam a Deo ipso per revelationem instrui; sequitur etiam nihil esse homini hac revelatione optabilius (ex §. II.). Ex quo jam oritur praesumptio aliqua, eam factam esse, et vehemens desiderium eam, si facta sit, cognoscendi. Jam vero si rem propius inspicimus, in quanta scilicet rerum divinarum ignorantia, ac praeceptorum etiam naturalium oblivione omnes homines versati sint, cum lumen revelationis non habuerunt; quodque nullum naturale medium huic malo mederi unquam potuerit, aut hodiedum possit; plane convincimur, non tantum utilem esse homini revelationem, sed totum genus humanum in summa esse opis hujusmodi supernaturalis indigentia; ex quo non tantum praesumptio oritur, sed persuasio quaedam praevia factae revelationis.

57. — II. Verum quaecunque etiam argumentis, quae hucusque exposuimus, vis attribuatur, tamen ad illam, quam instituimus, Christianae religionis demonstrationem non sufficiunt. Nam 1° omnia argumenta, quae a priori sumuntur, non sunt ejus naturae, ut revelationis necessitatem omnimodo probent, ita ut ex iis stricte ad ejusdem existentiam concludi possit. 2° Parum profecisset, qui de revelationis alicujus necessitate esset convictus; sed quaenam illa sit, et an alicubi existat, invenire non posset. In hoc igitur praecipue laborem nostrum et omne studium collocare debemus, ut, an a Deo hominibus facta sit revelatio, et quaenam illa sit, scire possimus. Ut autem nihil eorum omittamus, quae ad hanc rem omnium nostra aetate gravissimam pertinent, 1° de revelationis indagatione aliquid in genere dicemus; 2° quae verae revelationis criteria sint, speciatim examinabimus.

SECTIO I.

De verae revelationis indagatione in genere.

58. — Duplex deistarum error est. Primum religiones omnes, quae se revelatas dicunt, ut indifferentes habent; dummodo religio naturalis servetur, cui soli ab omnibus obsequendum esse contendunt. Deinde volunt, in revelationis indagatione primum veritates, quae credendae proponuntur, ad rationis tribunal vocandas esse et examinandas; neque ulterius procedendum, nisi perspecta sit earum intrinseca cum ratione conformitas; quod certissimum esset non inveniendae, sed destruendae revelationis medium.

PROPOSITIO I.

Quando religio aliqua ut divinitus revelata proponitur, homini non licet esse indifferentem.

59. — Prob. I. Ex dictis patet, revelationem non exoptabilem tantum esse, sed etiam aliquo modo necessariam; quia homines hac luce destituti nunquam potuissent se ab innumeris erroribus, quibus implicati erant, expedire et quidem in rebus maximi momenti. Cum ergo hominis ante omnia intersit, in rebus ad ejus felicitatem quam maxime pertinentibus non falli; profecto indifferens manere non potest, cum revelatio aliqua ut divina ipsi proponitur.

60. — Prob. II. Si Deus religionem aliquam revelavit, necessario ab hominibus exigit obsequium; ergo qui se indifferentem haberet, conjiceret se in periculum divinae voluntati non obtemperandi, adeoque salutem suam in summum discrimen adduceret; quo

nihil est a vera sapientia magis alienum.

61. — Prob. III. Indifferentia religionum supponit absurdum; supponit enim omnes religiones esse aequaliter veras, quod nemo sanae mentis asserere potest, siquidem tum in dogmatibus, tum in praeceptis sibi invicem opponuntur.

Confirmatur. Indifferentismus non tantum injuriam Deo, hominique perniciem infert gravissimam, sed etiam pestis est societatis. Supponatur enim, religionem spectari ut medium in officio continendi et principes et populos; numquid efficax esse poterit medium hoc, nisi religionis cultoribus persuasum sit, eam vere divinam esse, neque posse se pro libitu ab ejus obsequio se eximere? Sed haec cum religionum indifferentia consistere non possunt.

PROPOSITIO II.

Optima verae revelationis indagandae ratio est examen auctoritatis; non philosophica rerum et veritatum, quae revelatae dicuntur, disquisitio[1]).

62. — Prob. Via philosophicae disquisitionis nec religioni convenit, nec religionis indagatoribus; contra utrique parti quam maxime convenit examen auctoritatis. Ergo etc.

Prob. ant. pars. I. Non convenit religioni ex triplici ratione: 1° Quia revelatio ex parte Dei est actus liber, qui rationibus metaphysicis probari non potest. 2° Quia revelatio est factum: factum autem argumenta externa tantum admittit. 3° Quia Deus potest revelare mysteria, ut cap. I. §. I. probatum est; atqui ineptum esset, veritates rationi impervias ad rationis tribunal adducere. Ergo etc.

63. — II. Non convenit religionis indagatoribus. Nam cum religio res sit maximi momenti, et bonum aliquod omnibus hominibus commune; necesse est, ut ad eam perveniri possit via tuta et facili: verum nec tuta, nec facilis est investigationis philosophicae via. Ergo etc.

Prob. min. *Non est tuta.* Cum enim religio multa continere possit rationi impervia; facillimum esset, errorem pro veritate amplecti. Quis porro nescit, rationem humanam, cum sibi relicta est, fere semper praejudiciis et cupiditatibus famulari, et crebris discussionibus dubia non tolli, sed augeri? Quis nescit etiam philosophos in omnibus, quae suae rationi et inquisitioni subjecerunt, semper in varias easque absurdissimas sententias abiisse? Quod imprimis in religionis indagatione conspicitur, cum omnes illi, qui eam ex proprio componere voluerunt,

1) Vide Prolog. nn. 24. 37. item adnot. et hujus primae partis cap. I. §. I. de possibilitate revelationis p. 38. et seqq. — „Si quis magis urgentia (argumenta) desideret, ait *Grotius* (de verit. relig. Chr. lib. II. §. XXII. versus finem), scire debet, pro rerum diversitate diversa quoque esse probandi genera; alia in mathematicis, alia de affectionibus corporum, alia circa deliberationes, alia, ubi facti est quaestio: in quo genere sane standum est nulla suspicione laborantibus testimoniis; quod ni admittitur, non modo omnis historiae usus periit, medicinae quoque pars magna, sed et omnis, quae inter parentes liberosque est pietas, ut quos haud aliter noscamus etc. etc." Similia legi possunt apud *Muratorium* (de ingeniorum moderat. lib. I. cap. III. et cap. V.), illust. *Huetium* (quaest. Alnet. lib. I. cap. III. §. IV.). *Schwarz* Handbuch (I. Bd. Einleit. nn. 1. 2. 3. etc.), wo unter andern auch dieser Gedanke aus *Reinhold* angeführt wird: „Die Menschheit wäre übel geborgen gewesen, wenn sie ihre unentbehrlichsten Ueberzeugungen räsonnirenden Vernunftgründen hätte verdanken müssen." — Cavillantur ergo increduli, dum nos laesae rationis reos arguunt, ac se ipsos ineptos et perfidos probant veritatis magistros. Nemo magis rationem sequitur, quam qui divinae auctoritati se credit. Aliud est rem aliquam probare ex *ratione*, seu ex cognitione rerum *intuitiva*: aliud *per rationem*, id est concludere ex argumentis certis, quibus nemo sanae mentis fidem detrectare potest.

ita semper diversis et pugnantibus rationibus implicati fuerint, ut nunquam potuerint solidum religionis systema construere.

Non est facilis. Illa enim methodus opus est difficillimum, quod longe vires excedit, non tantum illiteratorum, qui partem hominum efficiunt longe maximam, et nec vim habent ingenii satis acutam, nec tempus tam operosae inquisitioni impendere possunt: sed et eorum, qui aetatem suam in studio philosophiae conterunt, et qui, cum religionem sola ratione investigant, omnia confundunt, et tam parum novas veritates inveniunt, ut etiam eas, quas tenuerunt, amittant.

64. — Prob. ant. pars II. Via auctoritatis 1° convenit religioni, ut patet ex praecedente probatione. 2° Convenit religionis indagatoribus, quia et tuta est et facilis; nam motiva habet certa, quibus secure quilibet etiam in rebus maximi momenti fidere possit; siquidem credere Deo revelanti tutissimum est; scire autem an Deus revelaverit facillimum, cum motiva credibilitatis obvia sint, et omnium captui accommodata; ut ex sequentibus patebit. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Ad amplectendam religionem revelatam examinanda sunt credibilitatis motiva.

65. — Prob. Vera est propositio, si 1° homo non potest revelationem amplecti sine examine; si 2° aliud examen instituere non potest, quam illud motivorum credibilitatis; atqui utrumque verum est. Ergo etc.

Prob. I. pars. 1° Homo non potest revelationi firmum praebere assensum, nisi de illius divinitate intime persuasus sit; persuasio autem necessario argumenta supponit et argumentorum cognitionem. Ergo etc.

2° Deus infinite justus et sapiens non potest ab homine exigere, ut revelationi se subjiciat, quam divinam esse scire non potest: atqui ut illud sciat, examen adhibeat necesse est; vel dicendum esset, Deum hominem per internam inspirationem instruere; quod falsum esse omnium hominum experientia probat. Ergo etc.

3° Experientia certum est, diversas esse religiones, quae revelatae dicuntur; cumque non omnes possint simul esse verae et divinae, necesse est veram a falsis discernere; atqui hoc sine examine fieri non potest. Ergo etc.

Prob. II. pars. Si examen necessario instituendum est, illud versari debet vel circa intrinsecam veritatem rerum, quae credendae sunt, vel circa auctoritatem, cui credendum est; atqui 1^{m} fieri non potest ex rationibus in prop. II^{da} allatis. Ergo manet secundum.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

66. — Objiciunt contra I. propositionem. Cum de revelatione agitur, inquisitio homini est impossibilis; ergo potest manere indifferens.

Resp. neg. ant. Non enim requiritur examen veritatum, ut diximus, quod non tantum omnibus fere hominibus esset impossibile, sed etiam plenam convictionem nunquam generaret, imprimis quando hominis interesset non credere. Verum agitur hic de examine auctoritatis, ut constet Deum esse locutum; quod argumentis perficitur externis, omniumque hominum ingenio accommodatis, tamque obviis et splendidis, ut facillime cognosci possint ab iis, qui sensum communem habent, et animum ad obsequendum divinae voluntati paratum.

67. — Instant I. Facilior est via ad veritatem per rationem, quam per auctoritatem. Nam ut revelationem aliquam factam esse cognoscam, eique assentire possim, non tantum examinanda sunt facta, miracula, prophetiae etc., quibus revelatio probatur; sed et testium auctoritas, librorum, in quibus ea continentur, authenticitas et veracitas; determinandus est genuinus li-

brorum sensus. Imo cum plures religiones se revelatas dicant; omnes excutiendae sunt, argumenta ponderanda, objecta examinanda, cum aliorum responsis conferenda. Sed in his omnibus labor est infinitus, et plerorumque hominum vires excedens. Ergo etc. (Ita *Rousseau, Emile* Tom. III.).

Resp. I. Hoc argumentum nimis probaret; sequeretur enim, neminem Deum unicum colere, justum ab injusto secernere, neminem mentem humanam immortalem credere posse, nisi omnes philosophos inter se dissidentes legerit, et argumenta in utramque partem pugnantia perpenderit, aut novas humani generis praeceptores ipse audierit. Sequeretur, opifices et agricolas totam vitam legendo, meditando, discurrendo transigere debere: quod sane ridiculum est. Jam vero si absurdae consecutiones principii falsitatem evidenter probent; quilibet intelligere potest, quid censendum sit de ridicula illa *Rousseavii* argumentatione.

Resp. II. Religionis Christianae veritas iis innititur argumentis, quae nulli sincerae mentis homini incerta esse possunt, cum sint notoria habeantque evidentiam facti; talia sunt splendida quaedam miracula Christi, imprimis ejus resurrectio, insignes utriusque testamenti prophetiae, Christianae religionis per orbem propagatio etc. Qui autem plane rudes sunt, iis semper manet motivum, quo etiam doctissimi carere non possunt, nempe societatis Christianae seu ecclesiae auctoritas, qua prudentissime ad credendum inclinantur.

68. — Instant II. Ut indifferentia circa religionem posset in vitium verti, debuisset Deus verae religioni tam certos et conspicuos characteres imprimere, ut quilibet etiam rudis homo eam facillime a falsis discernere posset; atqui tamen res aliter se habet. Ergo etc.

Neg. min. Manifestum est, religionem Christianam tam splendidis fulgere characteribus, ut eam ab aliis secernere difficile non sit; quamvis fateamur, tantam non esse vim luminis, ut etiam nolentes cogat ad assensum, nullumque libero voluntatis obsequio locum relinquat. Quod disponente benignissima providentia ita factum est, ut ad veritatem pervenire possint, qui eam recto corde inquirunt; et tamen fides non sit sine merito. Adest lux clarissima, qua frui possunt omnes venientes in hunc mundum; sed manet etiam tenebris locus, ut possint in umbra mortis permanere, qui tenebras magis diligunt quam lucem. Vide *Pensées de Pascal, chap. XVIII.*

69. — Objiciunt contra II. propos. Omnis revelationis probatio necessario reducitur ad testimonium hominum; atqui ex hominum testimonio nunquam tam certum efficitur argumentum, quam ex philosophica demonstratione, quae veritates ex primis principiis deducit. Ergo melior et tutior est rationis via quam auctoritatis.

Resp. I. neg. min. Quamvis diversa sint certitudinis genera propter rerum, quae probandae sunt, diversitatem; non sequitur diversos etiam esse certitudinis gradus, ac si daretur certitudo certitudine major. Ea certe, quae ex generali et constanti hominum testimonio comprobantur, non minus certa sunt, quam demonstratio quaevis geometrica. Magis enim valent ad convincendos animos, ad excludendam omnem errandi formidinem. Principia, quibus innituntur demonstrationes metaphysicae, ab ingeniosis tantum hominibus cognoscuntur, neque ab omnibus etiam philosophis pro veris habentur. At principia moralia, quae fundamentum sunt moralis certitudinis, tum acutiorum, tum tardiorum consensum habent. Atque ubi semel haec certitudo adest, tanta est tamque perfecta mentis adhaesio, ut novis accedentibus argumentis augeri non possit. Sic homo quadraginta annorum circa solis ortum et occasum, lunae tum crescentis, tum decrescentis mutationes, miram rerum

terrestrium, animalium, arborum, fluminum varietatem tam certus est, ut etiamsi vitam ad centum annos protraheret, toties repetita experientia majorem certitudinem non acquireret. Quis non de pugna Waterslaviensi ita nunc certus est, ut quae ultra accedere possunt testimonia, firmiorem reddere non valeant assensum?

70. — Resp. II. Etiamsi major esset certitudo metaphysica quam moralis, non sequeretur illud, quod in minore propositione asseritur; probandum enim esset, philosophicas veritatum probationes rectam viam esse, qua ad certitudinem metaphysicam perducimur. Verum quis haec audeat asserere? An non potius revelatae veritates hac methodo in philosophicas opiniones transirent, quibus nihil est in mundo incertius, nihil mutabilius? Nam quae a philosophis ut certa hodie praedicantur, ut evidentia veritatum principia, novo succedente systemate ut vana exploduntur et absona. Praeter mathematicas conclusiones et principia quaedam metaphysica nihil est, de quo non disputent. Quin etiam geometriae principia, ut diximus, a mathematicis nonnullis in controversiam vocata sunt; cum in iis, quae sensus percipiunt, et in factis historicis quam plurimis tam concors, tam firma sit totius humani generis persuasio [1]).

1) Multis paradoxum videbitur, quod moralem demonstrationem nihilo minorem dicamus geometricae; quid si hac certiorem clarioremque diceremus? Attamen si illud probandum susciperemus, nec argumenta deessent, nec auctoritates ponderosissimae. Hoc unum ex celeberrimo *Huetio* (Demonst. evang. praef. n. 3.) afferamus. „Cum eadem sit vis demonstrationis, qualis est principiorum, non plus geometricis demonstrationibus adjungendum est fidei, quam principiis ipsis geometricis adjungi solet... Atqui theses quaedam morales et practicae, sive positiones sive principia appellare mavis, vel experientia vel historica fide nixae, plures assentientes habent, pauciores repugnantes, quam principia geometrica... Constantinopolim primariam Turcici imperii urbem esse, pro certo et comperto habemus, quam neque ego vidi, neque fortasse tu. Digitum admotum igni adustum iri, nemo homo est tam stipes, qui non fateri malit quam experiri etc. Atque haec quidem ita credimus, ut pro eorum veritate fortunas omnes velimus vitamque adeo ipsam pacisci. Geometrica vero principia pro veris habent acuti tantum quidam et subtiles viri; reliquorum hominum magna pars ne capit quidem, nonnulli etiam perfracte negant... Principia geometrica Academici repudiant, repudiant et Sceptici. Epicurus geometriam et reliquas artes mathematicas, utpote ab initiis non veris profectas, veras esse non posse docebat.... Quin etiam a mathematicis nonnullis in controversiam vocata sunt geometriae principia, eaque oppugnavit acriter Hobbesius Anglus. Qui fidem principiis moralibus a me propositis eorumque similibus detraheret, adhuc repertus est nemo.“ Legi haec merentur in ipso auctore fusius explicata; tum loco citato, tum et *Definitione VII. Postulato II.* etc. *Hobbes* dit avec raison, *que si les hommes y avaient quelqu'intérêt, ils douteraient des éléments d'Euclyde, et les nieraient.* Syst. de la nat. liv. II. chap. IV.

71. — Resp. III. neg. conseq. Etiamsi admitteretur 1° certitudinem metaphysicam esse morali certitudine majorem; 2° ex philosophicis rationibus oriri posse metaphysicam certitudinem, adhuc confecta res non esset; sed probandum esset, eos, qui convincendi sunt, hujus discussionis esse capaces, et res ipsas tales esse, quae ejusmodi discussiones admittant. Contrarium ex probatione patet.

Pauci sunt, qui veritatem ratiocinando assequi possunt, neque id ignorant philosophi, qui ideo tantum Dei auctoritatem eripere volunt hominibus, ut suam imponant. Quid autem volunt, cum de rerum seu veritatum indagatione loquuntur? an non sophisticam suam philosophandi rationem consulto cum mathematica demonstratione confundunt? aut an serio contendunt, veritates religionis mathematice demonstrandas esse? Sed quis nescit, ejusmodi demonstrationes nonnisi ad res

mere theoreticas et abstractas pertinere, ita quidem ut cum ad res physicas geometriae vel arithmeticae regulae applicantur, ad eas transferri non possit mathematica evidentia? Qui agros v. g. juxta geometriae regulas metandos susciperet, metaphysice quidem de regulis suis certus esset: de recta autem agrorum partitione eam certitudinem non haberet. Jam cum religio omnis et revelatio res sit ad hominis vitam quam maxime pertinens; cum non de ideis agatur rebusque possibilibus, sed de eo, quod a Deo ipso profectum dicitur, et homini ad aeternam salutem datum; stultum esset, genus aliquod certitudinis requirere, quod ad rem, de qua agitur, pertinere non potest. Aeque ridiculus esset, qui facta vellet metaphysicis demonstrationibus probare, et domi sedens, abjectis libris, meditando et ratiocinando historiam componere, quam qui theorema aliquod geometricum ex historia probaret.

SECTIO II.

De verae revelationis criteriis.

OBSERVANDA.

72. — Id puto a nemine in dubium vocari posse, revelationem, si Deum auctorem habeat, absque ulla dubitatione esse amplectendam; siquidem divina auctoritas supra ipsam rationem valet, et ab omni fallaciae suspicione immunis est: verum, cum latere neminem possit, varias a populis religiones tanquam divinitus revelatas usurpari, omnis adhibenda est diligentia, ut, quaenam sit vera, quaenam falsa agnoscamus; nam sicut ille summae impietatis reus esset, qui Deo revelanti fidem detrectaret; ita stulte ageret, qui religionem aliquam ut revelatam admitteret, nisi perspicuos verae revelationis characteres prae se ferat. Tota haec quaestio *in facto* posita est: „*an haec vel illa religio, quae se revelatam dicit, sit vere a Deo revelata?*“ In hac inquisitione primum examinandum est, quinam sint characteres illi vel notae, quibus vera revelatio a falsa discerni possit. Cum hae notae nos in cognitionem ducant verae religionis, et mentem in veritatis inquisitione dirigant, vocantur etiam *criteria* revelationis. Ratio humana illa partim ex proprio desumit, partim in revelatione divina reperta cognoscit et approbat. Exinde divisio in *naturalia* et *supernaturalia*. Naturalia vel *interna* sunt, et ex ipsa veritatum, quae revelatae dicuntur, natura oriuntur, vel *extrinseca*, et testes concernunt ac praecones revelationis. *Supernaturalia* vocantur facta illa et signa supernaturalis ordinis, quae, cum a Deo solo effici possint, ad manifestandam et comprobandam divinam voluntatem aptissima sunt.

73. — Itaque observandum est, non omnes, quae a theologis recensentur, revelationis notas ejusdem esse generis et auctoritatis. Quae naturales tantum sunt, tum internae, tum externae, id est, quae vel ex doctrinae natura, vel ex testium aut praeconum dexteritate, veracitate morumque sanctitate desumuntur, quamvis ad probandum vim aliquam habeant, cum adsunt, magis tamen valent ad infirmandum, cum desunt. Ubi illae notae non reperiuntur, falsa probatur revelatio, aut saltem falsitatis vehementer suspecta. Ubi autem adsunt, id primum efficiunt, revelationem divinam esse posse, cum nulla in ea reperiatur falsitatis nota; tum etiam Deo dignam esse ostendunt, amorem illi conciliant et reverentiam, atque eo saltem animos adducunt, ut divinam esse exoptent et vehementer suspicentur, et cum nova argumenta accedunt, convinci se libentissime patiantur.

Argumenta autem, quae omnem prorsus dubitationem tollunt, sunt signa externa, seu directae et positivae voluntatis divinae significationes per miracula et prophetias. Unde quod characteres naturales, tum intrinsecos tum extrinsecos attinet, pauca prae-

mittamus; latius postea de miraculis et prophetiis dicturi.

ARTICULUS I.

Characteres vel notae revelationis naturales.

Notae internae negativae et positivae.

74. — I. *Revelatio nihil potest continere evidenter absurdum aut contradictorium; nihil in se, vel in modo, quo facta est, quod cum Dei perfectionibus, aut certis religionis et legis naturalis veritatibus pugnet.*

Demonstratur. 1° Si religio, quae contraria rationi vel contradictoria docet, a Deo revelata esse posset, Deus sibi ipsi contradiceret. 2° Deus nihil agere potest, neque ab hominibus exigere, quod ipsius perfectionibus esset contrarium; quia ita cum seipso pugnaret. 3° Veritas non potest esse veritati opposita; ergo si aliqua religio cum veritate jam certo cognita pugnet, necessario falsa est.

Observ. Cavendum est tamen, ne doctrina supra rationis captum posita contraria rationi putetur; et sic omnis veritatis normam faciamus illam, qua Deus nos dignatus est, lucis ingenitam scintillam.

75. — II. *Nulla revelatio posterior priori opposita esse potest.*

Demonst. Veritas non potest cum veritate pugnare; ergo, cum utique hic de revelatione vera agatur, posterior non potest priori esse opposita.

Observ. Possunt tamen leges positivae, quae temporum et personarum circumstantiis accommodatae fuerunt, mutari, et aliae aliis succedere, aut obscura revelatio per aliam explicari. In his nulla cernitur contradictio.

76. — III. *Ratio gravissima, revelationis falsitatem suspicandi est: si doctrina insigni quadam praestantia se non commendet; si ea, quae ad Dei cultum veramque hominis felicitatem pertinent, non melius perfectiusque evolvat ac determinet; si nihil de mali origine et remedio dicat, neque peccatori viam doceat, qua in Dei gratiam redire possit.*

Demonst. Vera revelatio debet Deo digna esse et hominum felicitati accommodata; neque Deo digna haberi potest, nisi humanae indigentiae succurrat in iis, quae cum hominis salute intime connexa sunt, et tamen absque revelatione sciri non possunt. Ergo etc.

77. — IV. *Si revelatio mysteria complectitur, quae cum naturalibus veritatibus aptissime cohaerent, quae sapientissima Dei pro salute nostra consilia melius explicant, et ad omnem honestatem et pietatem vehementius accendunt, non tantum divina esse potest, sed positivum hoc ipso divinitatis characterem ostendit.*

Prob. Nunquam mens humana cogitando in ejusmodi dogmata incideret. Nunquam falsae religionis architecti mysteria credenda proponerent. Nunquam homo posset vana phantasiae figmenta cum omnibus religionis naturalis veritatibus et sanctissimis morum praeceptis ita conjungere, ut subito in unum religionis corpus coalescerent, et intima sese connexione sustinerent.

Notae externae.

78. — *In praeconibus revelationis requiritur dexteritas et sinceritas; id est, illi, per quos revelatio ad homines defertur, tales sint, ut rite testari valeant de veritatibus sibi revelatis, et rite testari velint.*

Prob. Cum religionis revelatae cognitio testimonio hominum ad nos deferatur, sequitur nullam revelationis certitudinem cogitari posse, nisi testimonium, cui innititur, omnes legitimi testimonii characteres habeat; atqui praecipui hi characteres sunt testium dexteritas et sinceritas. Ergo etc.

79. — Coroll. 1. *Ergo in examine revelationis merito ad eorum, qui eam annuntiant, probitatem morumque sanctitatem attenditur. Decere enim videtur divinam sapientiam, uti viris sanctis*

ad religionem sanctam hominibus impertiendam. Quamvis fieri sine dubio possit, ut Deus etiam impios cogat ad veritatis declarationem.

Coroll. 2. *Ergo sicut veritas religionis non parum infirmatur per eorum, qui eam promulgant, impietatem aut vitae corruptionem; ita mirifice extollitur, si ex illis elucet insignis morum integritas et vitae sanctimonia, si ab omni terreni commodi suspicione alieni, quae Dei sunt, unice quaerunt, parati ad testimonium suum, si necesse est, proprio sanguine obsignandum.*

ARTICULUS II.
De miraculis.

§. I.
Observationes circa definitionem et naturam miraculi.

80. — I. Statim ab ingressu hujus tractationis plures sese objiciunt difficultates; cum enim quaeritur, quid sit miraculum, et quomodo definiri debeat, in varias sententias abeunt theologi, et inter se tum rationibus, tum auctoritatibus pugnant; ita ut vix non actum esset de evidentissimo revelationis criterio, si ex una aut alia opinione dependeret pondus probationis. Verum id ab initio statim observandum est, omnem hanc de natura miraculorum disputationem vim miraculorum non infringere, sed manere integram criterii auctoritatem in quacumque sententia; nisi forsan illam *Lockii* excipias, quae paucos hucusque patronos habuit, cum nimis aperta sit ejus falsitas. Quapropter ab ea exponenda abstinemus.

81. — II. Idem fere de opinione illa dicendum est, quam suam fecit et multis argumentis commendare conatus est doctissimus Abbas *de Houteville*, insignis religionis Christianae defensor, in opere: „*La religion prouvée par les faits.*“ Liberet magis ridere, quam refutare sententiam nimium singularem, nisi prohiberet tanti viri reverentia. Auctor contendit, Deum ita ab initio cuncta constituisse, ut ea, quae praeter cognitum naturae ordinem fiunt, et miracula vocantur, nihilominus ex legibus universalibus fluant nobis incognitis. Vir doctissimus hanc definitionem tantum ut hypothesin excogitasse dicitur ea mente, ut nova ratione *Spinozae* sophismata refelleret.

Verum, praeterquam quod nova prorsus sit haec sententia et nonnisi incertis quibusdam argumentis a priori ductis innixa; pugnat quoque contra sensum communem hominum, et modum philosophandi omnibus hucusque, etiam maximis ingeniis usitatum, et fundamenta certitudinis, quae totam hominum vitam sustentant, experientiam scilicet et analogiam convellit. Quis sanae mentis sibi persuadere poterit, cum Petrum legit supra mare ambulasse, effectum hunc naturalem fuisse et ex legibus generalibus motuum nobis incognitis prodiisse? Aut si id credere possemus, quae esset tunc physicorum effectuum certitudo? Quis navim mari committens timere non posset, ne in aquas incideret, quae ex generalibus legibus ipsi incognitis subito in materiam solidam concresceret?

82. — III. Igitur communis sententia est, miraculum esse effectum externum, non extraordinarium modo, sed etiam praeter naturae ordinem productum. Verum disputatur, an miraculum a solo Deo immediate effici debeat, ut docet S. *Thomas* [1]); an etiam ab intelligentiis creatis produci possit, ut ab angelis et daemonibus, quae *Clarkii* philosophi Angli sententia est [2]); aut an illa potius media inter utramque sententiam via tenenda sit, quam *Benedictus XIV.* ingressus est in praeclaro opere: *De servorum Dei beatificatione*; ubi ait [3]): *Ex his*

1) Part. I. quaest. CXIV. art. IV.
2) Oper. de relig. naturalis et revelatae argumentis. 3) Lib. IV.

(quae dicta sunt) *inferri posse videtur, effecta insolita et admiranda, quae excedunt vires et facultatem naturae creatae visibilis et corporeae nobis notae, miracula esse, sed minora illis, quae excedunt vires et facultatem totius naturae creatae.* Huic sententiae absolute non repugnat D. *Thomas*, qui loco citato ait: *Dicitur quandoque miraculum large, quod excedit humanam facultatem. Sic daemones possunt patrare miracula.*

83. — IV. Verum alia hic exsurgit quaestio, quae mihi videtur non exigui ponderis esse. Quaeri scilicet potest: quid ergo possit daemon efficere propriis naturae suae viribus; seu quousque extendere se possint vires intelligentiae creatae in res ad mundum hunc corporeum pertinentes? D. *Serces* in speciali de miraculis tractatu, omnem potestatem immutandi, aut ullo modo intervertendi ordinem naturae, seu potius effectum in mundo hoc corporeo, praeter id quod naturaliter fieret, producendi soli Deo reservat, ideoque omnia, quae feruntur daemonum mirabilia, veteratorum fraudibus et artibus adscribit. Fatendum est, hanc sententiam se valde simplicitate sua commendare, ac praeterea magnam praebere miraculis auctoritatem, magnam securitatem populis. At renituntur alii, et objiciunt omnium saeculorum fidem et scripturarum auctoritatem, quae videntur in angelis malis agnoscere potestatem naturalem mira operandi, qua non raro abutuntur in hominum perniciem. Effectus ejusmodi insoliti, inquiunt, quamvis proprio sensu miracula dici non possint, tamen miracula dici possunt quoad nos, quando fiunt praeter ordinem naturae nobis cognitae, per virtutem nobis ignotam. Porro omnem difficultatem sublatam esse contendunt, si dicatur, potestatem illam naturalem daemonum ita esse imperio divino subjectam, ut illam exercere non possint, nisi in quantum illud Deus justissimo judicio permittat: quo fit, ut illae daemonum molitiones, quas ultra praescriptos a Deo limites urgere non possunt, quasque Deus ab aeterno praevidit, pertineant, sicut mala quaecumque physica et moralia, ad sapientissimam illam providentiae divinae administrationem, quae scit ex malis bona eruere, et aptissimis semper mediis finem suum prosequitur.

84. — V. Unum est, quod contra hanc sententiam observandum putamus. Vix intelligitur, quomodo tanta esse possit spiritibus creatis in res visibiles potestas, ut nisi a Deo prohiberentur, omnia possent susque deque vertere. Spiritus siquidem in res corporeas aliter agere non possunt, quam *volendo*. Ut ergo angelus corpus aliquod ab eo, quem naturaliter habet, motu aut situ transferre possit in alium, requiritur, ut solo voluntatis imperio agere possit in creaturas; quod nobis videtur ad omnipotentiam pertinere, et ei soli proprium esse, de quo scriptum est; „*Ipse dixit, et facta sunt.*“ Neque dicas, animam humanam multiplici ratione in corpus agere: Nam 1⁰ an anima motuum illorum causa productrix sit, an occasionalis tantum, finitum non est. 2⁰ Quidquid anima agit, ex lege naturae agit constanti et uniformi. Pone autem, voluntatem humanam extra hunc ordinem a naturae auctore stabilitum suam exserere velle virtutem; an non illico sentiet imbecillitatem suam? An vel atomum reperiet imperio suo obsequentem?

85. — VI. Verum, etiamsi in his multae semper remaneant obscuritates, quae nostram tum circa res corporales, tum circa naturam spirituum ignorantiam probant; nihil tamen causae nostrae, ut jam diximus, officiunt. Non est nobis anxie examinandum, quousque se extendere possit angelorum, vel bonorum vel malorum potestas; an naturali virtute et ex ipsa causarum naturalium applicatione effectus insolitos producere possint, aut an in ejusmodi operationibus causae tantum oc-

casionales sint, non autem efficientes. Illud in utraque sententia manet: nihil praeter ordinem naturae in mundo hoc visibili effici posse, nisi Deus intersit, vel permittendo vel efficiendo.

VII. Miraculum dici potest supra vires naturae sub duplici respectu; vel *quoad substantiam*, quando effectus in se spectatus totius naturae creatae legibus derogat, ut cum mortuus revocatur ad vitam, motus diurnus solis aut terrae interrumpitur etc.; vel *quoad modum*, ut cum morbi sanantur solo nutu et imperio.

§. II.

De possibilitate miraculi.

PROPOSITIO.

Miraculum est possibile.

86. — Probatur. Miraculum non repugnat neque ex parte subjecti seu creaturae, neque ex parte causae efficientis seu Dei; ergo est possibile.

Prob. I. ant. 1° Non repugnat ex parte creaturae: omnis enim creatura ex natura sua indifferens est, neque modum aliquem existendi prae alio necessarie exigit, sed Deo subjicitur, sicut lutum figulo; ergo disponi et moveri potest modo diverso ab eo, quem postulant leges naturae universales. Sic sol ex natura sua indifferens est, vel ad progrediendum vel ad regrediendum. 2° Non repugnat ex parte Dei, qui omnipotens est et auctor naturae. Ideoque leges, quas ipse libere posuit, interrumpere vel mutare potest; aut praeter communem rerum ordinem aliquem effectum immediate potenti sua virtute producere.

Prob. II. *Ex omnium populorum persuasione.* Omnes enim, ut religioni suae fidem et auctoritatem concilient, miracula proferunt, aut vera aut falsa. Atqui prius est, miracula possibilia credere, quam ea sibi vindicare. Ergo etc.

Objiciunt.

87. — Deus non potest legibus naturae generalibus derogare; ergo miraculum est impossibile.

Prob. ant. 1° Leges naturae sunt ipsa Dei decreta aeterna et immutabilia. 2° Illa derogatio in legibus naturae generalibus argueret in Deo vel ignorantiam vel inconstantiam. Ergo etc.

Resp. neg. ant. et utramq. probat. Deus enim potest derogare legibus, quas ipse instituit. Qui ab aeterno leges condidit, quibus hunc mundum regeret, ab aeterno etiam casus aliquos excipere potuit, ubi ipse immediate in creaturam ageret omnipotenti virtute; hocque simul cum legibus naturae ab aeterno fuit decretum. Ergo nec ignorantia hic supponi potest, nec inconstantia, nec decretorum mutatio, cum Deus genus humanum, quod voluit crescere et multiplicari super terram, postea per diluvium delevit.

§. III.

De causa efficiente miraculorum.

88. — Observ. Alia est causa efficiens, alia instrumentalis. Causa *efficiens* est illa, quae propria virtute operatur effectum; *instrumentalis*, quae alterius nomine et virtute agit. Deus potest angelorum et hominum ministerio uti ad patranda miracula etiam proprie dicta; quia non hominis aut angeli, sed Dei virtute fiunt. Sic ait Petrus Actor. III, 6: *Viri Israëlitae, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute et potestate fecerimus hunc ambulare?*

PROPOSITIO I.

Solus Deus est causa efficiens miraculi proprie dicti.

89. — Prob. 1° Miraculum proprie dictum est opus, quod totius naturae vires superat. Ergo superat vires angelorum sive bonorum sive malorum, quia angeli sub ordine totius naturae creatae continentur. 2° Miraculum est effectus, quem natura producere non potuisset, imo ab eo, qui ex naturae legibus sequi debuisset, plane diversus; atqui ita agere nemo potest nisi

Deus, qui totius naturae et legum naturalium supremus Dominus est. 3° Ex communi hominum sensu, qui a supremo numine miracula poscere, et pro concessis ipsi gratias rependere consueverunt; ut universalis experientia probat omnium temporum et religionum. Quae Judaeorum et postea Apostolorum persuasio fuerit, ex scripturis discimus, tum veteris, tum novi testamenti, quae constanter docent, miracula a sola virtute divina derivanda esse. Psalm. LXXI, 18.: *Benedictus Dominus Deus Israel, qui facit mirabilia solus.* Hebr. XI, 4.: *Contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus secundum suam voluntatem.*

PROPOSITIO II.

Angeli mali, quaecumque sit eorum vis naturalis, miracula etiam improprie dicta patrare non possunt, nisi permittente et volente Deo.

90. — Prob. I. pars. Quamvis admitteretur, angelos etiam malos, quia majore intelligentia praediti sunt, quam homo, quia praeterea nulla corporis mole impediuntur, et modo invisibili agunt, id habere ex naturae suae proprietate, ut effectus insolitos et stupendos producere possint: nihilominus certum esset, eos potestatem quamcumque in creaturas pro libitu exercere non posse; idque probat ipsa naturalis Dei ejusque attributorum cognitio. Deus res cunctas ditione sua continet et providentia moderatur; sicut ergo nihil potest casu et fortuito contingere, sic non potest regni sui habenas impuro spiritui committere. Quaenam enim esset Dei sanctitas, veritas, justitia, bonitas, si in rerum humanarum administratione partem haberent pessimi spiritus, qui potestate sua nonnisi ad hominum perniciem uterentur, et ad subvertenda Dei pro hominum salute consilia? Ex una parte homines malis innumeris vexare possent et opprimere, et ex altera ad confirmandos errores et veritatem labefactandam effectus producere, quos nemo ob rerum naturalium ignorantiam et vim agendi invisibilem daemonum posset a vero miraculo discernere.

Idem probatur tum experientia, qua constat, malignam daemonum mentem, nocendique cupiditatem divina virtute cohiberi, nec quidquam timendum illi, qui in Deo spem collocat; tum ex sensu communi hominum, qui, quamvis daemonum vires exploratas non habeant, tamen optime sciunt, se suaque omnia a solo Deo dependere, nec quidquam esse in hoc mundo, quod non ejus imperio regatur.

Prob. II. pars. Dicitur: *nisi permittente et volente Deo.* Deus enim potest justo judicio permittere, ut daemones virtute sua naturali utantur, vel ad exercendos bonos aut puniendos malos, vel ut vera et splendidiora miracula patrando, et daemonum vim sua potestate depellendo, majorem veritati auctoritatem conciliet. Nihil itaque veritati timendum est, cum Deus nunquam permittere possit, ut in erroris confirmationem cedat, quod, cum a vero miraculo discerni non posset, ex communi omnium hominum persuasione certissimum esset veritatis testimonium.

ARGUMENTA CONTRARIA.

91. — Argum. I. Creatura potest esse causa efficiens effectus finiti; atqui miraculum etiam proprie dictum est effectus finitus. Ergo etc.

Resp. I. neg. maj. nimis generalem. Omnis quidem effectus a creatura productus finitus est; sed non omnis effectus etiam finitus a creatura produci potest. Creatura nihil efficere potest, nisi quod ipsius naturae accomodatum est, et intra potestatis ipsi concessae limites continetur. Si creatura leges naturae infringere posset, nonne in hujus universi administratione divisum cum Deo imperium haberet?

Resp. II. neg. min. Miraculum est quidem effectus finitus in se, vel spectata rei, quae efficitur, natura. Si au-

tem ad modum attenditur; quod scilicet effectus ex solo voluntatis imperio prodeat, nullo causae naturalis interventu, est opus infinitum, et supremum in creaturam dominium arguit.

92. — Arg. II. Libri sacri, ex quibus Christiani et Judaei miracula sua probant, multos quoque effectus memorant a daemonibus productos, vere stupendos et communibus naturae legibus contrarios; ex quibus colligitur, magnam esse daemonum ad patranda prodigia potestatem. Ergo etc.

Prob. ant. *Gen.* III. Daemon per serpentem locutus est. *Exod.* VII. legitur, magos imitatos esse Moysis miracula. In libro *Job* plurima habentur exempla potestatis daemonum. Libr. I *Reg.* c. XXVIII. Pythonissa evocavit animam Samuelis ex inferis. *Matth.* IV. narratur, Christum a daemone translatum fuisse super pinnaculum templi. Ergo etc.

Resp. ad 1. Historia, quae cap. III. Genesis narratur, nimis obscura est, ut ex ea aliquid in praesenti quaestione probari possit. Adamus et Eva in ea tunc erant vitae conditione, quae a nostra multum discrepabat, neque indignum erat Deo, uti ministerio daemonum ad tentandam hominum obedientiam.

Ad 2. Quod prodigia magorum attinet, de iis dicemus, cum de divina Moysis missione agetur.

Ad 3. Ex nulla scripturae sacrae parte melius intelligimus, quam ex libro Job, nullam esse daemonis in res naturales potestatem. Nam in sanctum virum agere non potuit, nisi facta ipsi a Deo facultate.

Ad 4. Majorem difficultatem parit historia Pythonissae Endorensis. An totam rem fraudulenter gessit astuta anus, ut *Jacobus Serces* asserit; an revera virtute magiae evocata fuit anima Samuelis; an tantum loco animae Samuelis spectrum aliquod oblatum fuit Saulo; an potius, cum Pythonissa se ad fraudes pararet, speciali Dei voluntate apparuit Samuel, ut Saulo futura praediceret? Primum admittere vetat auctoritas Ecclesiastici, qui de Samuele loquens, ait[1]): *Et post hoc dormivit, et notum fecit regi et ostendit illi finem vitae suae; et exaltavit vocem suam de terra in prophetia delere impietatem gentis suae.* Neque secundum admitti potest; quis enim credat, piorum virorum ac Prophetarum animas a Deo ita daemonum imperio permitti, ut voce praestigiatricis e suo domicilio evocari possint? Tertium textui sacro et Siracidis testimonio non satis convenit. Porro unde constat, daemoni hanc esse potestatem, ut spectra excitare possit, eaque ad quos lubet usus adhibere? Manet ergo quartum.

Ad 5. Exemplum tentationis Christi alienum est a nostra causa. Agitur enim ibi de tentatione, quam Christus libere pati voluit, ut suo nos exemplo instrueret. Praeterea nihil contra consuetum naturae ordinem contigisse, alio loco probabitur.

93. — Arg. III. Scriptura virtutem patrandi miracula pseudoprophetis attribuit. Sic Jer. XXIII. de falsis Prophetis dicitur: *Seduxerunt populum meum in mendacio suo et in miraculis suis.* Matth. XXIV.: *Surgent pseudoprophetae et dabunt signa magna et prodigia.* II Thess. II. de Antichristo ait Apostolus: *Cujus erit adventus secundum operationem satanae in omni virtute et prodigiis et signis mendacibus.* De bestia idem asseritur Apoc. XIII. Ergo etc.

Resp. Cum de praestigiis falsorum Prophetarum agitur; merito intelliguntur ea prodigia, quibus astrologi, vates et pagani sacerdotes cultum deorum propagarunt, et quae Deus permisit ad explorandam Israëlitarum fidem. Apud Jeremiam vox, quam Vulgata vertit per *in miraculis*, significat *in temeritate.* Paraphrastes Chaldaeus

1) Cap. XLVI. v. 23.

et Septuaginta habent: *in erroribus suis*. Textus Matth. XXIV. ad tempora excidii Jerosolymitani referri debet, ubi impostores populum seducebant, promittentes illi signa et prodigia. Exinde non probatur, eos vera miracula edidisse. Locus ex II. ad Thess. valde obscurus est. Quicumque autem illius sensus sit, non probat daemonem posse miracula patrare, cum Apostolus signa pseudoprophetarum *signa mendacia* appellet. Idem dicendum est de textu Apocalypsis XIII., in quo diserte dicitur v. 14. „*Seduxit habitantes in terra propter signa, quae data sunt illi facere in conspectu bestiae.*“ Ergo id nonnisi permittente et volente Deo fieri potest.

§. IV.

De vi et efficacia miraculi in genere probationis.

OBSERVANDA.

94. — I. Quae hucusque de miraculis dicta sunt, tantam in hanc quaestionem lucem effundunt, ut facillime nunc intelligi possit, nihil esse hoc criterio ad probandum efficacius; et miraculum, dummodo tale esse constet, vere Dei sigillum appellari posse, seu Dei ipsius manifestationem tam apertam et magnificam, ut omnes in admirationem rapiat, et quasi cogat ad assensum. Verum cum negari non possit, sicut veros Prophetas sic et impostores in hoc miraculorum testimonio auctoritatem suam posuisse, et falsas religiones etiam miracula sua praedicare; necesse est, ut vera sciamus a falsis secernere. Omnem siquidem ad probandum vim argumentum hoc amitteret, nisi certe adessent veri miraculi signa, quibus Dei testimonium facile distingui possit a praestigiis veteratorum, aut artis diabolicae machinationibus.

II. In his ergo veri miraculi characteribus investigandis et exponendis paululum immorandum est; quamvis res non sit adeo operosa, dummodo sinceri simus veritatis indagatores. Scilicet cavendum est a duplici extremo: a nimia credulitate, quae ex superstitione nascitur et rerum naturalium ignorantia; et a nimia incredulitate, quae vitium est illorum hominum, qui se tunc credunt philosophos esse, cum turpissime desipiunt, et summam rationem putant, absque ratione negare, quidquid laevae et corruptae menti non arridet.

95. — III. Ut in hac investigatione recto ordine agamus, haec sunt diligenter distinguenda. 1° Dantur miracula, quae evidenter omnes vires creatas superant, et quae soli Deo adscribi posse omnes fatentur, neque dubitari potest, ad hanc miraculorum classem pertinere omnes eventus, qui generalibus et constantibus naturae legibus adversantur; hi enim nonnisi per immediatam Dei operationem produci possunt. 2° Dantur etiam prodigia, quae tam certum non habent divinae virtutis characterem; quamvis enim immediatae Dei operationis effectus esse possint, id tamen perspicuum non est. Cum enim rerum naturae in multis ignotae nobis sint, et valde imperfecti sensus nostri; cum homines singulari solertia praediti et in veteratoriis artibus exercitati, multa efficere possint, quae nostram intelligentiam superant; cum perspectae nobis non sint vires spirituum, nec eorum agendi modus in res corporeas, non raro incerti haerere possumus, an effectus insolitus divinae virtuti, an creatae alicui causae adscribendus sit.

Agemus ergo 1° de *efficacia* veri miraculi ad probandum; 2° de notis et characteribus, ex quibus vera miracula a falsis discerni possint.

PROPOSITIO I.

Miraculum proprie dictum certum est doctrinae, in cujus gratiam editum est, argumentum.

96. — Prob. I. Miraculum proprie dictum a solo Deo tanquam causa effi-

ciente proficiscitur; ergo certum est veritatis argumentum.

Anteced. ex 1ma propos. prioris §. certum est.

Conseq. autem necessario fluit ex antecedente; nam si falsa esse posset doctrina, in cujus confirmationem verum et proprie dictum miraculum patratum esset, Deus ipse errorem confirmaret, et quidem eo testimonio, quo nullum potest esse majus: ita ut Deus homines ipse falleret, et quasi omnipotente manu in errorem impelleret, quod vel cogitare impium esset.

97. — Prob. II. *Ex consensu omnium populorum;* qui semper miraculum habuerunt ut divini testimonii signum certissimum. „*Quod apud omnes gentes unum est, non est erratum, sed traditum; et opinionum commenta delet dies, naturae vero judicia confirmat,*“ ut ait *Tullius.*

Hinc omnium saeculorum experientia edocemur, nihil esse hoc medio efficacius ad frangendam voluntatis etiam obstinatae repugnantiam; quod Pharaonis et magorum exemplum probat, et postmodum Judaeorum et gentilium ad fidem Christianam conversio. Nam miraculis Christi Judaei convicti sunt. „*Scimus quia a Deo venisti, magister,* ait *Nicodemus*[1]*; nemo enim potest haec signa facere, quae tu facis, nisi fuerit Deus cum eo.*“ Miraculis profligata est impia et tot sacculorum consensu inveterata gentilium superstitio. Miraculis crucis stultitia triumphavit de vana Graecorum sapientia. „*Fides vestra,* ait Apost. ad Cor.[2]), *non in sapientia hominum, sed in virtute Dei.*“

Dicitur: „*Doctrinae, in cujus gratiam editum est.*“ Miraculum enim id probare non potest, ad quod probandum non fuit editum. Sicut sigillum regium, quod certum est regiae voluntatis testimonium, auctoritatem tamen conciliare non potest, nisi illis litteris, quibus imprimitur; sic et miraculum, quod Dei quasi sigillum est, non potest divinam auctoritatem alicui doctrinae conciliare, nisi illi applicetur, et quodammodo imprimatur, quod certe non fieret, nisi constaret illud ad confirmationem hujus doctrinae factum esse.

Huc pertinet illa S. Augustini regula, qui inter veri miraculi characteres etiam hunc nominat: quod debeat fieri invocato Dei nomine.

PROPOSITIO II.

Quando incertum est, an miraculum vel in se, vel ratione modi totius naturae creatae vires superet, tunc ut probet doctrinae, in cujus gratiam factum est, veritatem, indagandum est, an divinum sit, nec ne.

98. — Prob. I. pars. Vis argumenti non potest esse certior, quam ipsum argumentum: seu consequentia non potest majorem habere certitudinem, quam praemissae. Ergo vim probandi habere non potest eventus, de quo incertum est, an sit miraculum proprie dictum; nisi Deum illius auctorem esse ex certis rationibus dijudicari possit.

Prob. II. pars. Cum autem probatum fuerit, Deum auctorem esse alicujus prodigii, non est anxie inquirendum, an omnes vires creatas superet, vel non; in utraque enim hypothesi vim habet probandi; cum Deus nunquam possit errori patrocinari, et suam auctoritatem interponere ad fallendos homines.

SCHOLION.

Regulae in dijudicandis miraculis adhibendae.

99. — In dubio, an eventus aliquis extraordinarius Deum auctorem habeat, vim magnam habent regulae quaedam *negativae*, quae vel probant ejusmodi effectum Deo attribui non posse, aut saltem vehementem fraudis suspicionem movent. Igitur 1° *divi-*

1) *Joan.* III, 2. 2) I *Cor.* II, 5.

nam auctoritatem vindicare non possumus miraculo, quod aliis plurimis et splendidioribus eliditur. Deus enim non potest falsam simul et veram doctrinam miraculis confirmare; ergo iis standum est, ubi digitum Dei adesse evidenter apparet; alia ut falsa repudianda. 2° *Inter divina miracula computari non possunt, quae in se ridicula sunt et Deo indigna, vel in modo, quo patrata sunt, obscoenum aliquid habent, et bonis moribus inimicum; neque si doctrina, quam confirmare debent, in morum corruptelam tendit, aut religioni naturali, aut veritati jam certo revelatae contradicit.* 3° *Merito in suspicionem veniunt prodigia, quibus homines inutiliter vexantur.* Notandum tamen, hanc regulam non excludere prodigia in malorum vindictam patrata, quorum maxima est ad ostendendam solius veri et summi Dei majestatem, sanctitatem et justitiam, atque ad commovendos improborum animos utilitas. 4° Potest equidem Deus donum miraculorum etiam malis hominibus communicare; quando nempe veritas detrimentum non patitur, aut alia adsint detegendae falsitatis media. Attamen *prodigia a scelestis hominibus patrata merito suspicionem movent,* cum Deus ordinarie ejusmodi administros suae omnipotentiae non adhibeat. Contra daemon libentissime malis utitur, tanquam aptissimis suae fallaciae instrumentis.

100. — *Positivae* regulae iterum vel certo probant Deum intervenisse, vel illud credibile reddunt; atque illud, ubi nulla de caetero suspicionis causa adest, facile persuadent sinceris mentibus. Sic 1° *certo divinum est miraculum, quod longe antea praedictum fuerat, aut quod aliis postea, omnino certis confirmatur.* 2° *Merito praesumitur, illa prodigia Deum auctorem habere, quibus homini auxilium impenditur in iis rerum angustiis, quae auxiliatricem Dei manum efflagitant.* Nihil enim magis convenit naturae divinae, quam opem ferre miseris, et omnipotentiam suam benefaciendo manifestare. 3° *Tunc quoque Deum intervenisse censendum est, quando miraculum editur in confirmationem doctrinae, quae Deo digna et tota ad fovendam pietatem et morum sanctitatem promovendam composita est.*

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

101. — Objiciunt I. Impossibile est homini discernere inter miracula primi et secundi ordinis, vel inter miracula proprie et improprie dicta. Ergo etc.

Prob. ant. Nemo hominum ita omnes naturae leges cognoscit, ut possit certo pronuntiare, an effectus aliquis insolitus revera naturae vires excedat. Ergo etc.

Resp. neg. ant. generaliter sumptum. Quamvis multa nobis sint in rerum natura incognita: plura tamen etiam ex constanti sensuum relatione, omnium temporum et locorum experientia tam certa sunt, ut absque omni erroris periculo pronuntiari possit, effectum his legibus contrarium omnis naturae creatae vires excedere. Nam cum idem non possit simul esse et non esse, sequitur, praeter ordinem naturae fieri, quidquid cognitis et uniformibus naturae legibus adversatur. Unde si tempore aequinoctii ad vocem hominis, qui Dei nomine loqueretur, sol staret in cursu suo, et easdem terrae plagas per horas viginti quatuor illustraret; nemo posset hunc effectum occultis naturae viribus adscribere, cum cognitis naturae legibus, de quibus certitudinem physicam in summo gradu habemus, contradiceret, et non possint in rerum natura leges contradictoriae existere. Hic igitur applicari possunt omnia illa argumenta, quibus a philosophis probatur, sensuum relationem constantem et uniformem certitudinem efficere plenam et perfectam. Notandum praeterea est, cum de probanda revelationis divinitate agitur, non unum aliumve eventum ejusmodi afferri, sed

plurimos talesque, qui evidenter omnes naturae vires excedunt; quod facile inspicere poterit, quicunque velit miracula examinare in Pentateucho et Evangeliis relata.

Hoc principium: leges naturales bene cognitas interrumpi non posse per effectus ex aliis legibus naturalibus incognitis ortos, D. *Bergier* [1]) egregie evolvit ex ordine morali et divina providentia, qua res omnes humanae sapientissime administrantur. Incertae essent et instabiles res omnes, ad vitam et mores hominum quam maxime pertinentes, si fieri posset, ut cognitum semel naturae ordinem aliae ignotae leges interturbarent.

102. — Objiciunt II. Miracula non posse esse criteria veritatis, si de eorum existentia certi esse non possumus; atqui etc. Ergo etc.

Prob. Miracula hominum testimonio probanda essent: atqui impossibile est effectus supernaturales hominum testimonio probari. Ergo etc.

Resp. dist. min. In quantum supernaturales sunt, *conc.*; in quantum facta sunt, *neg.* Duo, cum de miraculo agitur, investiganda sunt: 1^0 an factum revera contigerit; 2^0 an factum sit eventus supernaturalis. Primum ex regulis, quas sana philosophia de factorum probatione tradit, dijudicandum est, et sicut facta quaecumque naturalia testimoniis probari debet. Non enim de modo supernaturali, quo effectus producitur, sed de ipso effectu, quoad physicam suam substantiam spectato, testimonium datur. Quod autem effectus ejusmodi supernaturalis sit; hoc ipse sensus communis et recta ratio ex cognitis naturae legibus deducit. Sic cum de resurrectione Lazari agitur, ex testimonio hominum nobis certo constat, Lazarum fuisse mortuum, per quatuor jam dies in sepulchro latuisse, ad Christi vocem vivum prodiisse, ac postmodum inter homines vixisse. Quis neget, homines de his testari posse? Verum ubi haec semel probata sunt, necessario sequitur, eum per miraculum fuisse ad vitam revocatum.

103.—Inst. I. Contra miraculum stat constans experientia, qua discimus, omnia in mundo evenire secundum leges a Deo constitutas; atqui nulla est tanta vis testimonii, ut hanc certitudinem infringere possit. Ergo etc.

Resp. neg. min. Quaecumque sit illa experientia, tamen nonnisi physicam certitudinem parere potest; haec autem miraculum non excludit. Dum dicitur, nos certos esse rem juxta constantes naturae leges eventuram; semper intelligitur, nisi Deus velit ex speciali providentia a se constitutum rerum ordinem interpellare. Cum enim Deus hoc possit, ut ipse *Rousseau* non diffitetur, hoc solum probandum est, an etiam voluerit; quo effecto, infirma sunt argumenta ex communi naturae ordine desumpta. Porro notandum est, miracula leges naturales non tollere, non immutare, neque vim inferre naturae. Cursus enim rerum naturalis stabilis et fixus permanet, quando Deus praeter communem ordinem effectum aliquem immediate per suam omnipotentiam producit.

104. — Instant II. Quo factum aliquod ex natura sua minus probabile est, eo majus requiritur auctoritatis pondus ad illud probandum; atqui miraculum utpote contra naturae ordinem factum nullum habet probabilitatis gradum; ergo nulla auctoritate potest fieri credibile.

Resp. Hoc argumentum merum est sophisma, quod varia certitudinis genera confundit. Itaque distingui potest minor. Nullum habet probabilitatis gradum ex legibus naturae et experientia, *conc.*, ex hominum testimonio *neg.* Fatemur, experientiam et ordinem naturae communem non tantum miraculum non probare, sed illi potius ob-

1) Traité de la vraie relig. tom. V., et Déisme réfuté, lettre XII.

esse. Cum autem non sit impossibile, ordinem naturae a Deo suspendi, tota probatio ex testimonio sumenda est. Neque id diffitemur, rem, quo magis est insolita, eo esse accuratius inquirendam, et non sufficere meras probabilitates, sed proprie dictam certitudinem, quae omne prudens dubium excludat.

105. — Objiciunt III. Nullus fere populus est, qui non miracula quaedam jactet in religionis suae confirmationem patrata. Ergo miracula non possunt esse medium, veram revelationem a falsa discernendi.

Resp. neg. conseq. Argumentum evidenter probat, omnes populos in hac semper persuasione fuisse, quod miraculum invictum sit veritatis argumentum. Igitur falsa et ficta miracula veris fidem non detrahunt, sed adaugent potius; nisi enim vera facta fuissent miracula, nunquam falsa confingi aut credi potuissent. Ex eo, quod philosophi, cum varias oppositasque sententias defendunt, omnes sibi evidentiam vindicent; merito concluditur, evidentiam esse tutissimam veritatis regulam. Verum, sicut philosophorum non pauci fallacem evidentiae umbram pro re ipsa amplectuntur, et eorum error verae evidentiae nocere non potest; ita falsarum religionum cultores falsis miraculis gloriantur, neque eorum error potest verorum miraculorum vim elidere.

106. — Objiciunt IV. Inter regulas, quae ad discernenda miracula stabiliuntur, aliquae sunt, quae apertum circulum continent; e. g. cum miracula dicuntur primum ex doctrina dijudicanda esse, ut ipsa postmodum doctrinae patrocinentur.

Resp. Non currimus in circulo vitioso, quia diligenter distinguimus inter miracula primi ordinis, certo divina, et ea, quae dubia sunt. Praecipuum revelationis fundamentum sunt signa illa eminenter divina, quae omnipotentis Dei operationem per se et primo intuitu manifestant. Iis autem, quae tam distinctum non habent divinae potentiae characterem, vim probandi non attribuimus, nisi re mature perpensa divina esse appareant. Praeterea observandum est, regulas illas maxime valere, cum detegendae sunt impostorum fallaciae, et impugnandae falsae religiones, quae sua quoque miracula praetendunt. Ex hac parte plures attulimus, quae certa sunt falsitatis argumenta. Sic evidens est, miraculum, quod in confirmationem impiae superstitionis patratum dicitur, *divinum esse non posse.* Aliae, cum falsitatis notas removent, probant miraculum *posse esse divinum.* Aliae iterum positivos characteres continent: ut cum miraculum a viro efficitur sanctitate conspicuo, qui doctrinam annuntiat sanctam et dignam, quae sigillo divinae auctoritatis muniatur. Hae scilicet regulae, etsi plenam et perfectam probationem non contineant, praesumptionem tamen pariunt quam maximam, a Deo factum esse istud, quod est mirabile in oculis nostris.

Adde, quod non ideo in circulo versemur, quando duo sese mutuo confirmant et sustentant; id enim in rebus innumeris contingit. Verissime v. g. dicitur, nutriri non posse hominem, nisi vivat; nec vivere, nisi nutriatur. Si dubia sunt miracula, ex religione dijudicari possunt: at ubi dubia adhuc est religio, ex miraculis certis et evidentibus fertur judicium. „*Il faut juger de la doctrine par les miracles*, dicit Pascal [1]); *il faut juger des miracles par la doctrine. La doctrine discerne les miracles, et les miracles discernent la doctrine. Tout cela est vrai: mais cela ne se contredit pas.*“

107. — Objiciunt V. Prodigia non pauca olim facta sunt in gratiam paganae aut Mahumetanae religionis; atqui nec pagana, nec Mahumetana religio divina dici potest; ergo miracula non probant religionis, in cujus gratiam facta sunt, divinitatem.

1) Pensées de *M. Pascal.* chap. XXVII. pensée 1.

Prob. maj. Celeberrimae sunt apud profanos auctores *Isidis* et *Aesculapii* curationes; *Vespasianum*, cum Alexandriae moraretur, coeco visum restituisse et aegrum manu admota sanasse, ex Tacito et Suetonio constat; similia narrantur de *Hadriano* imperatore; magna sunt et prorsus mirabilia, quae *Pythagorae* attribuuntur, et postmodum *Apulejo* secundi saeculi philosopho; at nullus tantam apud veteres celebritatem habet, quam *Apollonius Tyanaeus*, cujus miracula non minus splendida fuerunt, atque ea, quae in evangelio narrantur. His addi potest strages Gallici exercitus sub *Brenno* duce, quae apud Delphos contigisse narratur, et quam Gallis revera divinitus inflictam fuisse negari non potest. Ergo etc.

Resp. I. Omnia illa prodigia, quae cum tanta confidentia a Deistis objiciuntur, ad duas classes revocari possunt; alia scilicet sunt effectus mere naturales; alia autem commentitia esse et inter fabulas releganda, operosum non esset ostendere.

Resp. II. Etiamsi admitteretur, aliqua ex illis prodigiis esse miracula improprie dicta, nihil tamen exinde conficeretur; vel quia patrata non sunt in confirmationem alicujus doctrinae, vel quia ex regulis jam stabilitis omnis illorum vis infringeretur. Hinc valere debet generalis haec responsio: vel in confirmationem idololatriae facta sunt illa miracula, vel non; si primum, manifestum est, ea divina esse non posse ex negativa regula II.; si secundum, nihil exinde contra nos inferri potest.

Resp. III. speciatim ad facta in probatione relata.

1° *Isidis* et *Aesculapii* curationes vel fabulae sunt, vel ope medicamentorum factae.

2° *Jamblichus* et *Porphyrius*, qui Pythagorae miracula celebrant, coaevi non sunt, sed pluribus saeculis Pythagora recentiores; nec alium finem in scribendo habuerunt, quam ut miraculis Christi fidem detraherent.

3° *Apulejus* ipse in prologo *Asini aurei* se fabulas scribere fatetur.

4° Curationes, quae a *Vespasiano* factae dicuntur, merus erant ludus in gratiam hujus imperatoris adornatus. Ex *Tacito* discimus, *Vespasianum* propositionem sibi factam primum risu excepisse, eique tunc tandem accessisse, cum rei utilitatem inspiceret. Nam cum a militibus imperator renuntiatus fuisset, et ad capessendum imperium Romam pergeret, multum ipsius intererat, ut crederetur apud vulgus, eum sub numinum praesidio esse, ac singulari apud deos gratia valere.

5° *Spartianus*, cum sanationes refert ab *Hadriano* factas, addit, auctorem, ex quo haec facta deprompsit, ea jocando narrasse.

6° Tota *Apollonii Tyanaei* historia levissimis nititur fundamentis. De miraculis ejus et vaticiniis auctores coaevi silent; *Philostrati* autem, qui centum postea annis vitam ejus scripsit, nulla est auctoritas, nec monumentorum, quibus usus est. Vitam scilicet illam contexuit ex chartis, quas illi *Julia Augusta, Septimii Severi* uxor, tradiderat, et quae a *Damide* quodam *Apollonii* discipulo scriptae dicebantur. Quaeri nunc merito potest, an *Damidi* illi fides adhiberi possit, qui scripta sua evulgare ausus non erat, cum adhuc recens fuisset factorum memoria? an *Philostratus* nihil ex suo addiderit, cum tota haec historia ideo conscripta videatur, ut miraculorum Christi auctoritas imminueretur?

7° Quod stragem attinet Gallorum apud Delphos, respondemus 1° non deesse inter Christianos auctores, qui hanc cladem divinitus immissam fuisse asserunt, non quidem ad confirmationem cultus idololatrici, sed ad sacrilegii vindictam defensionemque religionis in genere. 2° Alii cum *Warburton* prodigia illa artibus sacerdotum tribuunt. 3° Alii demum historiam in

multis partibus fabulosam esse contendunt.

De miraculis *Mahumetis* alio loco dicetur.

ARTICULUS III.

De prophetiis.

OBSERVANDA.

108. — I. Prophetiae nomen a verbo Graeco προφητεία derivatur, quod idem est ac praedictio. Si prophetia in stricto sensu sumitur, est *praedictio certa futuri alicujus eventus, qui ex naturalibus causis praevideri non potuit.* 1° *Praedictio certa*, ut excludantur conjecturae mere probabiles, aut praedictiones temerariae absque rei praescientia factae, et quas casu quandoque veras esse contingit. 2° *Eventus futuri*, ut distinguatur a rerum praeteritarum vel praesentium, sed abditarum manifestatione. 3° *Qui ex naturalibus causis praevideri non potuit.* Sicque differt ab illa futurorum notitia, quae in perspecta causarum secundarum connexione nititur, quales sunt praesagitionis physicorum, medicorum aut politicorum, saepe probabiles, aliquando etiam certae.

109. — II. Hanc prophetiae definitionem praemittendam censuimus, ne nos in praesenti investigatione vocis prophetiae diversa acceptatio conturbet; nam haec vox multa et varia sonat non profanis tantum, sed et sacris auctoribus. Sic et praeteritorum et praesentium datur prophetia. *Prophetiza nobis, quis est qui te percussit?* ajebat impius satelles [1]), qui colapho Jesum ceciderat. Sic quaecumque inter *Naaman* et *Giezi* pacta fuerant, *Elisaeus* perspecta habuit [2]). Sumitur etiam pro patratione miraculorum [3]). Non raro cantorem sacrum denominat, aut hominem rerum divinarum meditationi et praedicationi addictum; inde illae Prophetarum scholae, illi Prophetarum greges aut cunei, de quibus scripturae saepius. Igitur quando legimus [1]), Saulum obvium habuisse cuneum Prophetarum, et accessisse ad eos et prophetasse in medio eorum: existimandum est, chorum notari psallentium et saltantium hominum, quos cum viderant Saul et socii ejus, afflatu divino ita sunt permoti, ut ipsos cantandi quoque et psallendi libido incesserit. Quinimo Prophetae nomen attributum legimus non tantum falsis prophetis [2]), sed et poëtis ethnicis [3]) et hominibus furentibus et mente captis [4]).

110. — III. Eaedem quaestiones hic fieri possunt, quae circa miracula factae sunt. Nam omnis prophetia genus quoddam miraculi est, nihil enim magis vires naturae creatae superat, quam illae rerum futurarum praedictiones, quae nullum habent in naturalium causarum consideratione praesidium. Quaeritur itaque 1° an possibiles sint? 2° An soli Deo attribui debeant? 3° An sint certum revelationis divinae criterium? Respondebimus totidem propositionibus, quibus regulae quaedam subjicientur in discernendis prophetiis adhibendae.

PROPOSITIO I.

Prophetia stricte sumpta est possibilis.

111. — Probatur. Prophetia etiam in sensu stricto accepta nec Deo repugnat, nec homini. Ergo etc.

1° Non Deo, qui cum res omnes futuras ab aeterno notas habeat et perspectas, eas etiam homini manifestare potest.

2° Non homini, quia homo acquirendae hujus cognitionis capax est, solo enim lumine naturali adjutus eventus plurimos praevidet: ergo etiam supernaturali luce collustratus, et a Deo edoctus, ea praescire potest, quae creatam omnem intelligentiam effugiunt.

---

1) *Matth.* XXVI, 68. 2) IV *Reg.* V. 3) *Eccl.* XLVIII, 14.

1) I *Reg.* X. 2) *Ezech.* XIV, et alibi. 3) Ad Tit. I, 12. 4) I *Reg.* XVIII.

PROPOSITIO II.

Solus Deus est causa efficiens prophetiae stricte sumptae.

112. — Prob. I. Solus Deus potest esse causa efficiens illius cognitionis, quae omnem creatae intelligentiae vim superat; atqui talis est prophetia stricte sumpta: ergo etc.

Prob. min. Prophetia stricte sumpta est infallibilis praedictio rei futurae, quae in sua causa cognosci non potest: qualis est v. g. effectus praeter naturae ordinem divina et supernaturali virtute producendus; vel res omnino contingens, quae ab hominum nondum existentium libera determinatione, imo ex innumerabilium voluntatum consensione earundemque cum infinita serie causarum physicarum conjunctione dependet. Atqui res ejusmodi is solus praevidere potest, qui rerum omnium ordinem tum physicum tum moralem ipse constituit, cui cogitationes hominum et consilia omnia nota sunt ab aeterno. Ergo etc.

113. — Prob. II. *Ex communi populorum consensu.* Hanc esse Christianorum, Judaeorum et Mahumetanorum persuasionem, in manifesto est. Quod vero eadem fuerit omnium populorum etiam gentilium opinio, multis antiquorum testimoniis probat *Huetius* axiomate quarto. Idem testatur *Cicero* initio libri de divinatione, ubi ait: *Veterem esse opinionem ab heroicis ductam temporibus, eam et populi Romani et omnium gentium consensu firmatam, versari quamdam inter homines scientiam rerum futurarum, eamque non ab ingenio humano, sed a diis proficisci.*

Merito igitur in scripturis rerum futurarum cognitio et praedictio tanquam proprius veri Dei character praedicatur. Sic *Js.* XLI, 23. dicitur: *Annuntiate quae ventura sunt in futurum, et sciemus, quia dii estis vos.* Et cap. XLVI, 9. 10.: *Recordamini, quoniam ego sum Deus, et non est ultra Deus, nec est similis mei annuntians ab exordio novissimum, et ab initio, quae necdum facta sunt.*

PROPOSITIO III.

Prophetiae sunt certum divinae revelationis argumentum.

114. — Prob. Solus Deus est auctor prophetiae proprie dictae, ut propositione secunda probatum est. Ergo etc.

Consequentia patet, quia alioquin error in ipsum Deum tanquam illius causam refunderetur.

SCHOLION.

115. — Sicut miraculorum, ita et prophetiarum criteria sunt, quibus vera a falsis discernuntur. 1° *Prophetia miraculis confirmata certo vera est.* 2° *Videndum est, an fuerit eventu completa;* nam si effectus, qui a creata ratione praesciri non potuit, eo tempore eoque, quo praedictus fuerat, modo evenerit; dubitari non potest, praedictionem illum habuisse auctorem, qui solus futura omnia cognoscit. Hinc *Jeremiae* XXVIII. dicitur: *Propheta, qui vaticinatus est pacem, cum venerit verbum ejus, scietur propheta, quem misit Dominus in veritate.*

Prophetiae falsitas 1° nulla re certius intelligitur, quam *si res praedicta non evenerit.* Hanc regulam *Deuteron.* XVIII, 22. legimus: *Quod in nomine Domini Propheta ille praedixerit, et non evenerit, hoc Dominus non est locutus.* 2° *Certo quoque falsae sunt prophetiae, quae miraculorum auctoritate eliduntur; aut quae doctrinae adversantur, cujus veritas ex ratione naturali, aut ex praecedente revelatione certa est.* Merito falsitatis suspicionem incurrunt vaticinia, 1° *quae ab improbis hominibus eduntur,* nisi pateat, Deum rem ita singulari providentia disposuisse, ut ex inimicorum ore splendidius veritati testimonium prodiret. 2° *Ea, quae ambigua sunt et aequivoca, aut omni ex parte obscura.* Verae siquidem prophetiae, si quid obscuritatis habent, saltem per

eventum clarae fiunt et perspicuae. 3° *Si Propheta, cum vaticinia sua enuntiat, usu libertatis et rationis destitutus est.* Deus enim suaviter disponit omnia; *et spiritus Prophetarum Prophetis subjecti sunt.* I Cor. XIV, 32. *Proprium est falsi prophetae,* ait Chrysost[1]), *emotae esse mentis, vim pati, trahi, raptari tanquam furentem: verus autem propheta non sic; sed cum mente sobria et cum modestia et temperante constitutione, et sciens quae loquitur, dicit omnia.*

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

116. — Objiciunt I. cum *Rousseavio*[2]). Ut prophetia certum veritatis argumentum esse posset, requireretur; 1° ut idem, qui audivit prophetiam, testis quoque esset eventus; 2° ut certum esset, non casu evenisse, quod praedictum est; atqui haec in eadem prophetia concurrere non possunt; ergo etc.

Resp. I. neg. maj. Quaenam haec est philosophandi ratio, cum primum conditiones ponuntur pro arbitrio; ut, cum non adesse deprehenduntur, explodatur argumentum? Ergo nihil credere possumus ab aliis factum, nisi videamus; nihil dictum, nisi ipsi propriis auribus audiamus? Ergo nulla erit fides historica, nulla moralis certitudo! Liceat ita desipere Rousseavio: homini sanae mentis id certo non licebit.

Resp. II. neg. min. Quamvis ea, quae Deista noster exigit, non in omni prophetia conjuncta reperiantur, falsum tamen est, eorum concursum esse impossibilem. Contrarium multis exemplis probari posset. Sic resurrectio Christi iisdem Apostolis praedicta fuerat, qui postea Christum vivum propriis oculis viderunt; rem autem non casu aut naturali virtute factam esse, satis per se patet.

1) Hom. XXIX. in epist. I. ad Cor.
2) Emile. Tom. III.

117. — Objic. II. Vaticinia non sunt solius Dei opus, si detur naturalis vaticinandi facultas; atqui dari ejusmodi facultatem insignes philosophi docuerunt; inter alios *Aristoteles, Plutarchus.* Ergo etc.

Resp. neg. min. Illa gentilium testimonia nihil aliud probant quam communem omnium persuasionem, divinationem existere; cujus cum veram originem non cognoscerent, ad incertas ejusmodi suppositiones confugerunt. Neque enim potest aut ex ratione aut ab experientia aliquod afferri argumentum, quo haec opinio probaretur. Loquimur scilicet de prophetiis proprie dictis; non de praesensionibus quibusdam ex causis naturalibus ortis; aut de praesagiis, quorum rationes sufficientes in praesentibus aut praeteritis jam continentur. Hinc necesse non est, pauca quaedam exempla, quae in probationem afferri possent, discutere. Quis enim authenticitatem id genus historiarum probavit; quis asserere potest, quod non potuerit casu contingere, quod praedictum fuerat? Sententia certis argumentis semel stabilita convelli non potest per facta quaedam dubia, aut paucos aliquos casus, propter temporum distantiam et ignorantiam circumstantiarum inexplicabiles.

118. — Objic. III. Etiam pagani sua habuerunt vaticinia; nemo enim nescit celebratissima fuisse pluribus in locis oracula, quibus effectus futuri annuntiabantur. Ergo prophetiae non sunt certum veritatis argumentum.

Resp. dist. ant. Et illa oracula erant vel fraudis, vel daemonis opus, *conc.*, verae erant prophetiae, quales ad probandam veritatem requiruntur, *neg.* Duplex est eruditorum circa haec vaticinia sententia; in utraque firma stat thesis nostra.

1° Plures cum *Van-Dale* medico, et D. *Fontenelle* in libro, cui titulus: *Histoire des oracles,* contendunt, daemones in paganorum oraculis nullas

habuisse partes, omnemque divinationis artem sacerdotum fraudibus attribuunt. Id probant variis argumentis et testimoniis. Oracula edebantur in regionibus montanis, in antris et speluncis, in quibus omnia ad fraudem composita erant. Modus ea edendi diversus quidem erat, sed ita semper comparatus, ut abesse nullibi possit fraudis suspicio: vel enim per furores fatidicos dabantur, qui facile fingi poterant; vel per sortes, quas versabant et pro libitu interpretabantur sacerdotes; vel per statuas cavas parietibus applicatas, ex quibus sacerdotes responsa dabant; vel per schedulas obsignatas, in quibus suas quaestiones scripserant consultores. *Lucianus* in Pseudomante artes describit, quibus sacerdotes utebantur, ut libellos recluderent, et iterum obsignarent. Non raro etiam detectae sunt eorum nefariae fraudes[1]); imprimis cum diruta sunt paganorum templa tempore *Constantini Magni*. Ipse *Herodotus*[2]) decipiendi artes ejusmodi plurimas refert. Idem cum aliis pluribus ipsoque *Plutarcho* testatur, sacerdotes ad edenda oracula mercede conductos fuisse. Hinc illud *Demosthenis: Pythonissa philippizat;* et *Caesaris,* cum ipsi auguria laeva nuntiata essent: *futura laetiora, cum vellet.* Adde ejusmodi oracula saepe exitum non habuisse; plerumque autem fuisse ambigua et ad omnem eventum temperata.

2⁰ Multi alii, imprimis theologi catholici censent, non omnia paganorum oracula humanis artibus esse adscribenda; plura etiam a daemonibus edita fuisse. Hanc sententiam multa eruditione gravissimisque rationibus probavit pater *Baltus* in opere, quod inscribitur: *Réponse à l'histoire des oracles de Mr. de Fontenelle.* Praetermissis iis, quae ex veteri testamento afferuntur, unicum ex novo testamento locum adducimus Act. XVI., ubi legitur, Apostolum ex puella, quae spiritum Pythonis habebat, daemonem ejecisse. Nec desunt Patrum testimonia quam plurima; unicum allegabimus *Cyprianum*, qui in lib. de idolorum vanitate sic habet: *Hi ergo spiritus sub statuis atque imaginibus delitescunt, hi afflatu suo vatum pectora inspirant: oracula efficiunt.* Porro nemo facile credet, omnia illa, quae historia de oraculis paganorum narrat, humana arte effici potuisse.

Jam si prima sententia admittitur, manifestum est, oracula paganorum a veris prophetiis toto coelo differre. Qui autem secundam sententiam tenent, prophetias, sicut et miracula, distinguunt in proprie et improprie dictas. Priores soli Deo adscribunt; at secundi generis vaticinia dicunt etiam a daemone edi posse permittente Deo. In hac quoque sententia certum manet, facultatem praedicendi futura valde remota, aut quae praeter naturae ordinem contingere debent, sicut et cognitionem certam futurorum contingentium et liberorum ad solum Deum pertinere: quamvis spectata daemonum intelligentia, sagacitate et natura mere spirituali negari non possit, eos multa scire, ideoque et vaticinari posse, quae hominum admirationem excitant. Possunt, ut ajunt SS. Patres, praedicere mala, quorum futuri sunt auctores; possunt ea, quae modo fiunt in alia remotissima regione, eodem quasi momento manifestare; possunt ex praesentibus sua sagacitate quaedam proxime futura conjicere. Verum, cum eventus etiam proxime futuri ab hominum libera determinatione et variarum rerum concursu dependent, qui ex causis naturalibus certo praevideri non possunt, nihil certi praedicere possunt. Ideo oracula cum de ejusmodi eventibus consulerentur, partim falsa erant, ut observat *Cicero*, partim casu vera, partim flexiloqua et obscura, ut interpres eguisset interprete.

1) Vid. *Daniel.* XIV. 2) Lib. V. VI. VII. et VIII.

119. — Inst. Celeberrima semper fuerunt non apud gentiles tantum, sed etiam apud antiquos ecclesiae Patres Sibyllarum carmina, quibus multa futura praedicantur. Ergo vera erant apud paganos vaticinia.

Resp. I. Quod oracula Sibyllina attinet, ea jam dudum viluerunt eruditis; nam 1° de Sibyllarum origine, numero, vitae ratione aut tempore quo floruerint, nihil certi dici potest. 2° Ex historia notum est, antiquos Sibyllarum libros, quos Romani tanquam sacros in capitolio servabant, centum circiter ante Christum annis flammis fuisse consumptos. Missi sunt quidem a senatu Romano legati in Asiam, Africam, Siciliam etc., qui ea, quae tunc ferebantur Sibyllina carmina, colligerent; at hujus collectionis apud Romanorum doctissimos nunquam magna fuit auctoritas; neque ex illa quidquam ad nos pervenit praeter fragmenta, quae apud *Plutarchum* aliosque scriptores reperiuntur. Quod vero attinet collectionem illam Sibyllinorum carminum, octo libris contentam, quae in bibliotheca Patrum reperitur; nemo jam dubitat, illam in multis partibus, imo fere totam esse commentitiam.

Resp. II. Etiamsi admitteretur carminum illorum authenticitas, nihil exinde contra nostram de prophetiis doctrinam inferri posset. Nihil enim in illis praesidii reperit pagana superstitio; cum econtra multa contineant antiquae traditionis monumenta, multa de Christo ejusque religione vaticinia. Ideo libenter et cum laude Sibyllarum oracula citarunt plures ex SS. Patribus, quod iis magis confirmari viderent religionem, quam infirmari.

120. — Objic. IV. *Contra regulas discernendi prophetias.*

Ex eventu non potest dijudicari prophetia, si 1° eventu compleri potest, quin sit vera. Si 2° eventus non semper sequitur prophetiam Dei nomine factam. Si 3° eventus nonnisi post longum tempus annuntiatus non potest esse veritatis argumentum. Atqui etc. ergo etc.

Prob. min. 1m Patet ex textu Deut. XIII.: *Si surrexerit in medio tui Propheta, et praedixerit signum atque portentum; et evenerit, quo locutus est, et dixerit tibi, eamus et sequamur deos alienos, . . . non audies verba Prophetae illius.* 2m Variis exemplis probari potest. Sic Jsaias praedixit Ezechiae mortem in crastinum futuram. Sic Jonas Ninivae subversionem annuntiavit. 3m Demum ex innumeris prophetiis certum est.

Resp. ad I. Valet regula nostra caeteris paribus. Quoniam autem ex alia regula necessario falsa est prophetia, quae certae veritati repugnat: sequitur illam, de qua in Deuteronomio agitur, ut veram et proprie dictam prophetiam haberi non posse, et eventum vel naturaliter cognosci potuisse, vel casu secutum esse. Alii interpretes putant, ea verba hypothesin impossibilem continere, ad rem fortius exprimendam. Ejusmodi hypotheses in vulgari sermone non raro adhibentur. Simili argumento utitur Apostolus ad Gal. I.: *Licet angelus de coelo evangelizet vobis, praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Demum nihil impedit, verba illa intelligere de Propheta, qui cum veras edidisset prophetias, postmodum in idololatriam lapsus auctoritate sua abuteretur ad fidem populi corrumpendam.

Ad II. Illae praedictiones non erant vaticinia in confirmationem alicujus doctrinae edita, sed comminationes factae peccatoribus, quae, ut Maimonides ex majorum suorum dictis observat, ut plurimum sunt conditionatae.

Ad III. Prophetia, longo post tempore effectu complenda, non poterat esse veritatis argumentum iis, qui Prophetae tempore vivebant; sed iis, qui eventum viderunt. Sic prophetiae, quae Messiam concernebant, nihil probare debuerunt Judaeis Jsaiae aut Jeremiae tempore existentibus; sed

iis, qui tempore Messiae ex prophetiis convincendi erant. Porro Prophetae semper res etiam proxime futuras praedicebant, ut priorum prophetiarum eventus fidem conciliaret posterioribus.

PARS SECUNDA.

De existentia divinae revelationis.

121. — Notissima res est atque omnibus ante oculos posita, existere religionem, quae a Jesu Christo nomen habet; eamque non in exiguo terrae angulo contineri, sed per orbem universum diffusam, integras nationes et vastissima regna occupare. Manifestum quoque est, religionem hanc non esse novum quoddam et recens inventum humanarum opinionum, eamque non minus temporum quam regionum spatia implere et ita implere, ut nullis saeculorum aetatibus, nulla rerum humanarum conversione fuerit immutata. Porro ad nostra usque tempora, non plebis tantum, quae ad superstitionem proclivis est, animos tenuit, nec tantum inter barbaras incultasque gentes fuit propagata; sed summa ingenia sibi subdidit hominesque omnium ordinum praestantissimos, gentes omni liberali doctrina expolitas.

Scimus praeterea eandem hanc doctrinam ab ortu suo divinam sibi attribuisse originem, et quidquid priora tempora divinum habebant, sibi vindicasse; omnes autem, qui usque terrarum ejus se imperio subjecerunt, eam ut doctrinam e coelo in terras delatam suscepisse, cui nemo sine magno piaculo fidem et obsequium detrectare possit.

Itaque religionem Christianam aggredi, divinam ipsi auctoritatem detrahere, eam ad humanae inventionis conditionem deprimere, quid est aliud, quam asserere, ab octodecim saeculis omnes per totum orbem Christianos aut deceptores fuisse, aut deceptos; imo ab exordio humani generis mundum turpiter errasse, cum divinum aliquod cum hominibus commercium factamque hisce revelationem credidit?

Haec utique ad continenda praepropera et immatura contra divinam hanc revelationem judicia sufficerent viris, qui pacati et ingenui animi essent. Verum nihil deterret minutos nostros philosophos, qui jam diu omnem verecundiam abjecerunt. Nihil eos movet religionis, quam aggrediuntur, antiquitas, nihil doctrinae excellentia, nihil infinitus prope virorum virtute et scientiarum studio celeberrimorum numerus, qui eam ut divinam coluerunt: temerario ausu dejicere nituntur aedificium super fundamentum Apostolorum et Prophetarum exstructum. Quo magis autem irritos vident conatus suos, eo magis clamant, et maledicta jactant ac blasphemias, pueris petulantibus non absimiles, qui obsistentem portam, quam infringere diu frustra laborarunt, lapidibus impetunt et coeno ac spurcitiis commaculant.

122. — Interea non paucos videmus, qui hominum istorum impudentia et inani loquacitate turbantur. Quare et nos in revelationis causa defendenda omnem diligentiam adhibere necesse est; nec quidquam eorum omittere, quae nostro imprimis aevo in tam gravi materia theologo scitu necessaria sunt. Non ii sumus nos, ut falso calumniantur Deistae, qui velint homines a religionis inquisitione absterrere; cum econtra omnino persuasum habeamus, plurimos ex incredulis blasphemare quae ignorant, et ideo tantum a religione Christiana esse alienos, quia eam nunquam diligenti studio didicerunt, sed tantum ex philosophorum libris et captiosis sophismatibus dijudicant. Non est haec religionis nostrae indoles, ut clanculum serpere velit, et in occulto doctrinam suam propagare, ut aliud ostendat in publico, aliud in secreto doceat: vult illa in aperto lumine videri, doctrinam suam praedicat super tecta. Melius quidem eam et clarius vident

docti quam indocti, sed non aliam: sicut idem est lumen solis, quod hebetes oculos parum, acutiores multum illustrat, ac prout acies melior est, eo vividius et abundantius illabitur.

Proprius quidem demonstrationis nostrae scopus est, religionis Christianae divinam originem ostendere. Verum hoc ipsum a nobis exigit, ut alias quoque religiones, quae se revelatas dicunt, examini nostro subjiciamus; tum ut illis, quae revera a Deo exierunt, suam dignitatem vindicemus, tum ut aliorum falsitatem et impietatem demonstremus. Quae Christum praecesserunt verae revelationes eo magis ad scopum nostrum pertinent, quod cum religione Christiana intime cohaereant, ad eam viam paraverint, atque in ea perfectae demum fuerint et completae.

123.— In hoc nunc examine applicanda sunt, quae parte prima hujus demonstrationis fusius sunt exposita; ubi, quinam verae et divinae revelationis characteres sint, ostendimus. Cum ergo probatum fuerit, notas omnes divinae originis in Mosaica et Christiana religione reperiri, neque in ulla alia; imo Mosaicam omni divina auctoritate fuisse exutam ab eo tempore, quo in ejus locum successit religio Christiana, confectum erit, quod demonstrandum suscepimus, scilicet religionem Christianam vere esse divinam, nec aliam esse hoc charactere insignitam. Quia autem argumenta, quibus in praesenti tractatione utimur, magna ex parte ex libris illis sumuntur, in quibus tum origo et prima propagatio hujus religionis, tum ipsa religio continetur; praevie vindicanda est librorum illorum auctoritas, et quidem non novi tantum testamenti, sed et veteris; cum Christiani multa ex his argumenta desumant, atque hoc ipsum jam pertineat ad Christianae religionis doctrinam, libros illos esse sacros, et religionem in iis contentam Deum habere auctorem.

Ex his tria exsurgunt hujus disputationis capita. In 1^0 scripturarum novi et veteris testamenti auctoritatem vindicabimus. In 2^0 ostendemus, revelationem aliquam divinam in mundo semper exstitisse, atque Mosaicam praecipue et Christianam a Deo originem ducere. 3^m probabit, solam nunc Christianam religionem divinam habere auctoritatem.

Causam agimus Dei et Christi ejus. Tanti numinis ductu et auspicio manum operi admoveamus, memores hujus Salviani sententiae non minus verae, quam piae: „*Tantam esse majestatis sacrae et tam tremendam reverentiam, ut non solum ea, quae ab impiis hominibus contra religionem dicuntur, horrere, sed etiam quae pro religione nos ipsi dicimus, cum grandi metu et disciplina dicere debeamus.*“

CAPUT PRIMUM.

Vindicatur fides et auctoritas librorum, qui a Christanis pro sacris habentur.

124. — Prima nunc de libris scripturae sacrae loquendi offertur occasio, multa adhuc in decursu dicenda sunt, non de eorum tantum authentia, sed et divinitate et genuina interpretatione. Quapropter credimus, non inutile nec injucundum fore sacrae theologiae candidatis, si librorum omnium, tum veteris tum novi testamenti, brevem commentarium praemittamus.

Libri utriusque foederis dividi possunt in *legales*, *historicos*, *sapientiales* et *propheticos*.

Scimus hanc divisionem librorum N. et V. testamenti non omnibus probari. Scimus in libris sacris legibus facta, morumque praeceptis vaticinia misceri, atque his iterum historiae morumque documenta. Verum hic non agitur de systematica rerum divisione, sed de commoda aliqua librorum in classes distributione, ad juvandam candidatorum memoriam. Unde non video, cur non eam retineamus, quae

jam usu aliquo modo invaluit et ubique fere eundem, quem libri sacri in nostra vulgata editione tenent, ordinem servat.

S. *Hieronymus* in prologo galeato, qui vulgatae editioni praefixus est, antiquam Hebraeorum divisionem refert. Hebraei juxta numerum literarum, quibus Hebraea lingua comprehenditur, XXII volumina veteris legis supputant; eaque dividunt in legem seu quinque libros Moysis, in libros Prophetarum octo, et in novem hagiographa.

Alia adhuc divisio est in libros *proto-canonicos* et *deutero-canonicos*. *Proto-canonici* vocantur illi, qui semper et ab omnibus ecclesiis ut divini habiti sunt; *deutero-canonici* vero, qui nonnisi successive a tota ecclesia inter divinos relati sunt. Sed haec in praesenti quaestione sufficiant.

SERIES LIBRORUM VETERIS ET NOVI TESTAMENTI.

TESTAMENTUM VETUS.

CLASSIS I.
Libri legales.

125. — *Pentateuchus.* Quinque sunt libri legales, a Moyse Judaeorum legislatore conscripti, in quibus praeter historiam mundi, religio et omne jus Judaicum continentur. Quintuplex hoc volumen una comprehensione vocatur *pentateuchus*, a πέντε et τεῦχος. Complectitur autem:

1° *Genesin* (Capita L.), in qua continetur creatio et origo mundi, mirabilisque Dei gubernatio usque ad obitum Josephi anno mundi 2369.

2° Librum *Exodi* (Capita XL.), a voce Graeca ἔξοδος, exitus. Narrat enim egressum Moysis et Hebraeorum ex Aegypto post longam et duram persecutionem; plagas Aegypti et prodigia stupenda pro Judaeorum liberatione patrata; tum legis in monte Sinai promulgationem; sicque historiam Judaicae gentis deducit a morte Josephi usque ad erectum tabernaculum, seu annum primum post exitum, qui est annus mundi 2515.

3° Librum *Levitici* (Capita XXVII.) ita vocatum, quia leges continet, quae ad caeremonias et officium Levitarum pertinent. Spatium unius tantum mensis complectitur.

4° Librum *Numerorum* (Capita XXXVI.), qui ita inscribitur, quia in ipsa fronte Moyses et Aaron ineunt numerum populi tributim. Continet res gestas et leges latas a secundo mense anni secundi post exitum usque ad initium mensis undecimi anni 40^mi, id est historiam annorum fere 39.

5° *Deuteronomium* (Capita XXXIV.) ita vocatum a δεύτερος, secundus, et νόμος lex, quasi *secunda lex*, vel potius lex prima denuo repetita coram filiis eorum, qui post primam promulgationem perierunt in deserto. Praeter novam hanc legis promulgationem continet res gestas ab initio undecimi mensis usque ad septimum diem mensis duodecimi anni illius, qui quadragesimus erat ab exitu.

Pentateuchi historia finitur in morte Moysis anno mundi 2553.

CLASSIS II.
Libri historici.

126. — Liber *Josue* (Capita XXIV.) ab eo, cujus nomen praefert, scriptus creditur. Continet res gestas populi Israëlitici, a morte Moysis usque ad mortem ipsius Josue, quem per 17 annos populum rexisse communis fert opinio.

Liber *Judicum* (Capita XXX.) refert statum reipublicae Judaeorum sub judicibus, a morte Josue usque ad Samsonis mortem, servitutes varias et secutam toties, quoties populus ad Deum revertebatur, per judices liberationem. Quanti temporis sit totius libri historia, valde incertum est. Probabilior tamen videtur eorum sententia, qui ei spatium tribuunt 317 annorum; ita ut

ad annum usque mundi 2887 pertingat. Verisimile est, Samuelem libri auctorem esse.

Libellus, qui *Ruth* (Capita IV.) inscribitur, exhibet historiam *Ruth* Moabitidis, quae secundis nuptiis juncta est Booz, ex quo genuit Obed, avum Davidis. Historiam hanc judicum tempore contigisse certum est, quo autem judice, incertum. A multis Samueli attribuitur.

Libri quatuor *Regum* a Graecis βασιλείων vocantur, id est, *Regnorum*. Hebraei duos posteriores tantum *Regum* appellant; priores *Samuelis* nomine insigniunt; quamvis Samuel partem tantum primi libri scribere potuerit.

Regum primus (Capita XXXI.) narrat res gestas sub Heli et Samuele, nec non sub Saule rege usque ad ejus mortem, quae anno 2949 adscribi potest.

Secundus (Capita XXIV.) historiam regni Israëlitici prosequitur a morte *Saulis* usque ad obitum *Davidis*, seu annum mundi 2990.

Hi duo libri probabilius *Samueli*, *Nathano* et *Gad* Prophetis tribuuntur. Vide I *Paralip.* c. XXIX.

Tertius (Capita XXII.) a morte *Davidis* incipit, regnum *Salomonis* complectitur regumque, qui post ipsum in Juda et Israël regnarunt per spatium 119 annorum.

Quartus (Capita XXV.) res gestas regum Juda et Israël persequitur usque ad regni utriusque exterminium; Israëlitici quidem sub Salmanassare rege Assyriorum anno 3283; Judaici vero, cum sub Nabuchodonosore Juda translatus est a terra sua et Babylonem deportatus anno 3416; 70 autem servitutis Babylonicae anni ab anno quarto regis Joachim, mundi vero 3398 inchoandi sunt.

Quis duos posteriores Regum libros scripserit, incertum est; quidam eos Esdrae, alii Isaiae adscribunt; alii putant singulorum regum res conscriptas fuisse a Pontificibus et Prophetis, qui eorum aetate floruerunt.

Libros *Paralipomenon* ab Esdra scriptos fuisse constans fama semper obtinuit. Hebraei utrumque librum in unum jungunt eumque vocant: *Verba dierum;* id est *Diarium* aut *Chronicon.*

In *primo* (Capita XXIX.) propagatio gentis Israëliticae ab Adamo usque ad reditum ex captivitate Babylonica breviter recensetur; deinde regnum *Davidis* usque ad unctionem *Salomonis* acuratius describitur.

Secundus (Capita XXXVI.) historiam 479 annorum percurrit ab anno scilicet 2990 usque ad annum 3468, quo finitis septuaginta annis captivitatis Cyrus Judaeis redeundi potestatem fecit.

127. — Libros Paralipomenon excipit liber *primus Esdrae* (Capita X.), ab eo, cujus nomen praefert, conscriptus. Continet seriem historiae annorum 82; ab anno scilicet 3468 usque ad annum 3550, qui est annus *Artaxerxis Longimani* vigesimus; ab Urbe condita 300.

Secundus Esdrae (Capita XIII.) continet instaurationem Hierosolymorum, correctionem populi ex servitute reducis, et labentis Dei cultus renovationem. *Nehemiam* auctorem habet. Esdrae secundus dicitur, quia apud Hebraeos in uno volumine cum primo Esdrae continetur. Refert historiam annorum circiter 83; ab anno 20. Artaxerxis Longimani usque ad regnum jam inchoatum Darii Nothi.

Liber Tobiae (Capita XIV.) ita inscribitur, quia utriusque Tobiae patris et filii gesta continet. Totus plenus est eximiis pietatis, patientiae et Dei in suos providentiae documentis. Tobias uterque hujus libri auctor creditur. In Graeca versione cap. XII. v. 20. Angelus sic jubet: *Scribite in libro, quaecumque evenerunt.*

Liber Judith (Capita XVI.) exhibet Bethuliae ab Holoferno obsessae libe-

rationem per Juditham illustrem feminam. Quis illius auctor sit, plane incertum est.

Liber Esther (Capita XVI.) illustris hujus feminae cum Assuero rege Persarum conjugium, et Judaeorum opera Estheris a communi ruina liberationem narrat. De auctore et tempore, quo historia contigerit, disputatur.

Liber Job (Capita XLII.) in viro illo sanctissimo eximium patientiae exemplum exhibet, docetque Deum in hac vita etiam pios et justos non raro malis et calamitatibus affligere. Communis Hebraeorum sententia Moysen libri hujus auctorem facit.

CLASSIS III.

Libri morales seu sapientiales.

128. — *Psalmorum* (CL.) liber unicus est apud Latinos, sed apud Hebraeos in quinque partes dissectus, quarum quaelibet hac clausula terminatur: *fiat*, *fiat*. In collectione non temporis servatus est ordo, sed materiae. Davidis dicuntur, non quod ille omnium sit auctor; sed quod quosdam veterum collegerit, plurimos ipse addiderit. Alios etiam posterioris aetatis esse, negari non potest.

Proverbia (Capita XXXI.) a Salomone conscripta, divina sapientia referta sunt.

Ecclesiastes (Capita XII.) seu *Concionator* eundem Salomonem auctorem habet. De mundi ac mundanarum rerum vanitate agit; ex quo orta est multorum Patrum sententia, opus esse Salomonis de mundi vanitate tristi experientia convicti, ideoque resipiscentis et poenitentis.

129. — *Canticum canticorum* (Capita VIII.) sic vocatum, quasi diceres, nobilissimum carmen et excellentissimum, Salomoni communissime adscribitur. Sensum libri figuratum esse et translatitium, atque sub symbolo casti amoris conjugum et sponsorum charitatem illam eximiam exprimi, qua Deus olim synagogam et postmodum Christus ecclesiam complexus est, tum Judaeorum, tum Christianorum communis semper opinio fuit: quod virum quemque prudentem et gravem magis movere debet, quam recentioris liberiorisque exegesis minutae inventiones. Si cui videntur in sacro isto poëmate aliqua minus convenienter dicta; sciat videntis hunc errorem esse, seu corrupti oculi, non rei lectae. Sic enim res vel maxime innocuas in malam partem accipere possumus; quod imprimis illis contingit, qui obscoenis jocis, viro honesto et sapiente indignis delectantur. Idcirco etiam lectio hujus libri hominibus immaturae aetatis et inconstantis ingenii suadenda non est.

Liber sapientiae (Capita XIX.). Hic liber ita inscribitur, quia totus agit de sapientia sive creata sive increata. Graece dicitur: *Sapientia Salomonis;* quia collectus fuit ex Salomonis sententiis; quis autem illas sententias graece expresserit, incertum est.

Ecclesiasticus (Capita LI.) sic dictus ad imitationem simul et distinctionem libri Salomonis, qui *Ecclesiastes* inscribitur. Auctorem habet Jesum filium Sirach. Plenus est sapientissimis vitae regulis et coelestis sapientiae doctrina.

CLASSIS IV.

Libri prophetici.

130. — *Prophetae majores* vocantur illi, quorum majora sunt volumina. Hebraei tres tantum numerant; Danielem enim Prophetis non adscribunt, sicut nec Davidem, quia propheticum vitae genus non sectabantur; cum alter rex fuerit, alter satrapa. Apud Graecos minores Prophetae praecedunt.

Isaias (Capita LXVI.) vir per omnia magnus, tum generis nobilitate, erat enim regiae stirpis, tum vitae sanctitate, tum sermonis eloquentia. De eo ait S. *Hieronymus*, quod non tam Propheta dicendus sit, quam Evangelista; ita enim de futuris vaticinatur,

ut putes eum de praeteritis historiam contexere. Anno 25. Osiae regis prophetandi munus auspicatus, eoque integro fere saeculo functus creditur.

Jeremias (Cap. LII. et Threni Capp. V.) Propheta et sacerdos munus suum per annos 45 constanter obiit, ab anno scilicet 13. regis *Josiae*, usque ad quintum excisae Jerusalem et templi. Vir plane magnus et fortis, qui innumeris miseriis afflictus, expressa Christi patientis effigies et figura extitit.

Scriba ejus *Baruch* fuit, qui cum prophetias diversis temporibus editas colligeret, ordinem temporum neglexit, ut legenti patet. Prophetiae Baruch (Capita VI.) Jeremiae volumini adjiciuntur tanquam hujus complementum.

Ezechiel (Capita XLIII.) ex nobili sacerdotum stirpe ortus, ex eorum numero fuit, qui primi omnium Babylonem deducti fuerunt cum Jechonia rege Juda. Prophetare coepit in Chaldaea anno 5. deportationis usque ad annum 27., id est per 22 annos, quorum undecim priores cum undecim posterioribus Jeremiae concurrunt.

Daniel (Capita XIV.) ex semine regio natus a Nabuchodonosore Babyloniam translatus est, cum pene puer adhuc esset, anno regni Joachimi quarto, quo etiam 70 anni captivitatis currere incipiunt. S. Hieronymus observat, Danielis prophetiam idiomate Chaldaico tempore captivitatis scriptam fuisse. Hebraice paulo post edita videtur a Judaeis.

131. — *Minores Prophetae duodecim* unico volumine apud Hebraeos continentur, non tamen eodem, quo apud nos, ordine. Hi autem viri Prophetae non uno eodemque tempore, non uno eodemque loco vixerunt; vixerunt autem vel ante captivitatem aut Assyricam aut Babylonicam, vel in captivitate vel post captivitatem.

Osee (Cap. XIV.) totus commaticus est, et per sententias loquitur, ut ait S. *Hieronymus*. Sermonem ad decem tribus potissimum dirigit. Vixit sub Jeroboamo II. rege Israël; prophetias tamen nonnisi post hujus mortem edidisse creditur.

Joël (Capp. III.) sermone puro et magnifico utitur; Oseae aequalem fuisse censet S. *Hieronymus*. Sicut prophetiae prioris potissimum ad Israëlitas spectant, sic Joëlis ad Judaeos.

Amos (Capp. IX.) ovium pastor, ex Thecua oppido tribus Zabulon, prophetavit in regno Israël circa annum Oziae regis 23.

Abdias (Caput I.) adversus Idumaeos prophetavit; S. *Hieronymus* eum prioribus coaevum facit.

Jonas (Capita IV.) ad Ninivitas directus est sub Phul patre Sardanapali, ut creditur. Solus ex omnibus Prophetis ad gentes missus est.

Michaeas (Capita VII.) praecedentibus Prophetis aetate suppar fuit, ac nominatim Isaiae, cui ut spiritu, ita et stylo simillimus est. Judaeis pariter et Israëlitis excidium et captivitatem praedixit, regnante in Judaea Ezechia rege.

Nahum (Capita III.) contra regnum Assyrio-Niniviticum vaticinatus est; quo tempore, non ita liquet.

Habacuc (Capita III.) eversionem Jerosolymorum populique per Cyrum liberationem praedixit. Quo tempore prophetaverit, certo determinari non potest. Multi putant, eum alium esse ab illo Habacuc, qui ab angelo raptus Danieli in lacu leonum subvenit. *Daniel* cap. XIV.

Sophonias (Capita III.) ex nobili prosapia e tribu Simeon oriundus scripsit tempore Josiae regis. Jeremiae coaevus fuit, cui etiam stylo ita similis est, ut ejus quasi abbreviator haberi possit.

Aggaeus (Capita III.) soluta jam captivitate Judaeos ad templi constructionem adhortatur, quod aliquando Messiae adventu condecorandum annuntiat.

Zacharias (Capita XIV.), Aggaei

aequalis, cum eo templi et civitatis sacrae urgent aedificationem.

Malachias (Capita IV.) ultimus Prophetarum tempore Nehemiae vixit. Ad legis observationem hortatur, de Messia et ejus praecursore vaticinatur. Totum Prophetarum tempus ab anno 3194 usque ad Darii Nothi initia anno 3581, id est per quadringentos fere annos extenditur.

Appendix ad libros historicos.

132. — *Libri Machabaeorum* statum exhibent Judaicae gentis sub Graecorum monarchia. Ita inscribuntur a Machabaeis, viris illustribus, quorum fortia gesta commemorant. Quis eorum auctor sit, valde incertum est. Non eundem esse utriusque libri auctorem vel inde patet, quod prior historiam longius protrahat et posterior paulo altius repetat. Stylus etiam longe diversus est.

Liber primus (Capita XVI.) 40 circiter annorum tempus complectitur, ex quo scilicet Mathathias et filii ejus contra reges Syriae arma sumpserunt, usque ad Hyrcani Simonis filii imperium, qui, jugo Syriae penitus excusso, plenam Judaeis libertatem asseruit.

Liber secundus (Capita XV.) brevem historiam continet rerum Judaicarum a fine Seleuci, Antiochi Magni filii, usque ad regnum Antiochi Eupatoris. Ex variis partibus hinc inde collectis conflatus est ab aliquo Judaeo Hellenista.

TESTAMENTUM NOVUM.

CLASSIS I.

Libri legales.

133. — *Sancta Evangelia.* Quae Jesus Christus novi testamenti mediator, quamdiu in his terris versaretur, fecit et docuit, haec divino utique consilio ad ecclesiae solatium et institutionem quatuor discipuli litteris mandarunt, quorum duo, *Matthaeus* et *Joannes*, rem, ut ipsi viderant et audierant, narrarunt; alii duo, *Marcus* et *Lucas*, diligenter et ex ordine scripserunt, quod acceperant ab iis, qui ab initio ipsi viderunt, et ministri fuerunt sermonis (*Luc.* I.).

Matthaeus, alio nomine *Levi* appellatus, primus evangelium (Capita XXVIII.) scripsit Hierosolymis circa annum aerae vulgaris 40. Scripsit autem in usum potissimum Judaeorum, qui Christi fidem amplexi fuerant. Ideoque linguam adhibuit Hebraicam vel Syrochaldaicam, apud Judaeos Palaestinae tunc vernaculam. Hoc evangelium in ea, qua scriptum est, lingua non exstat; habetur autem versio Graeca Apostolorum tempore exarata. Matthaeus id praecipue intendisse videtur, ut Judaeis probaret, Jesum esse Messiam a Deo promissum, et prophetias veteris testamenti in eo esse impletas.

Marcus, S. Petri discipulus et interpres, ut ait S. *Hieronymus*, juxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romae a fratribus breve scripsit evangelium (Cap. XVI.); quod cum Petrus audivisset, et probavit et ecclesiae legendum sua auctoritate dedit. Licet Matthaeo brevior sit, ejus tamen breviator dici non potest. Ordinem chronologicum accuratius servat, et quaedam, quae a S. Petro prolixiore sermone prolata audierat, fusius narrat, quam Matthaeus. Hoc evangelium Romae scriptum creditur anno 44, Graeco, ut probabilius est, idiomate. Videtur eo potissimum collineasse, ut Jesum regem summum rerumque omnium dominum ostenderet.

Lucas, natione Syrus, S. Pauli adjutor et comes individuus, ex iis, quae ab Apostolis acceperat, evangelium suum composuit (Cap. XXIV.). Plura refert, quae desiderari videbantur in jam evulgatis Matthaei et Marci evangeliis. Scripsit graece, stylo perquam polito circa annum 53. Teste Origene pro gentilibus potissimum evangelium

exaravit, hocque maxime intendisse videtur, ut Christum vere Jesum, id est Salvatorem mundi, esse ostenderet.

Joannes, Jesu Christi Apostolus, ab Asiae episcopis rogatus omnium novissimus evangelium (Capita XXI.) scripsit, vel in insula Patmos, vel cum sub Nerva principe Ephesum redierat, circa annum 97. Communis est patrum sententia, eum hoc opus suscepisse, tum ut quaedam a prioribus evangelistis omissa suppleret; tum ut contra Valentinum, Cerinthum et Ebionitas probaret, Jesum vere esse filium Dei.

CLASSIS II.

Liber historicus.

134. — Evangelia excipiunt *Actus Apostolorum* (Capita XXVIII.), graece πράξεις τῶν Ἀποστόλων. Hic videmus admiranda ecclesiae Christi exordia, ejusque propagationem per Apostolos, et praecipue per Apostolorum principes Petrum et Paulum. S. *Lucas*, qui in evangelio audita narravit, hic visa memorat, eaque quorum ipse pars magna fuit. Scripsit Graeco idiomate, et quidem verosimilius Romae, tempore, quo S. Paulus in urbe detinebatur; quippe ad illud usque tempus pertingit historia in actibus Apostolorum contenta, quae ab anno aerae nostrae 33 usque ad annum circiter 63 currit.

CLASSIS III.

Libri morales.

135. — *Epistolae S. Pauli* XIV. *Paulus* vir Judaeus Tarsis, quae Ciliciae metropolis erat, natus, ex persecutore ecclesiae factus est Apostolus. Quatuordecim epistolas ab ipso scriptas agnoscit ecclesia. In bibliis eodem ordine non habentur, quo scriptae sunt. Primum ponuntur illae, quae ad integras ecclesias datae sunt, excepta ea, quae ad Hebraeos inscribitur. Epistola ad Romanos primum locum occupat; in reliquis non tantum dignitatis ecclesiarum habetur ratio, sed et longiores praeponuntur brevioribus.

En ordinem chronologicum.

Epistolae.	*Scriptae.*	*Anno aerae vulg.*
I. ad Thessalon.	— Corinthi	52°
II. ad Thessalon.	— ibidem	53°
Ad Galatas	— Ephesi	55°
I. ad Corinth.	— ibidem	56°
II. ad Corinth.	— in Macedonia	57°
Ad Romanos	— Corinthi	57°
Ad Philemonem	— Romae	61°
Ad Philippenses	— ibidem	62°
Ad Colossenses	— ibidem	62°
Ad Ephesios	— ibidem	63°
Ad Hebraeos	— ibidem	63°
I. ad Timoth.	— in Macedonia	64°
Ad Titum	— Nicopoli	64°
II. ad Timoth.	— Romae	65°

136. — Inter omnes divi Pauli epistolas illa, quae ad *Romanos* (Capita XVI.) scripta est, primum locum tenet, non tantum propter Romanae urbis et ecclesiae praecellentiam, sed etiam propter rerum, quae in ea tractantur, gravitatem. Orta siquidem contentione inter fideles tum Judaeos, tum gentiles, cum utrique suis meritis evangelii gratiam arrogarent, ostendit Paulus, neutri parti licere de suis meritis gloriari; hominis justificationem donum Dei esse omnino gratuitum, eamque non ex lege et meritis operum, sed ex fide Christi proficisci.

Paulus per amicos edoctus, ortas apud *Corinthios* contentiones variosque abusus, *primam* hanc ex urbe Ephesina ad eos epistolam (Capita XVI.) dedit, egregiis religionis ac morum documentis refertam.

Cum Timotheus, quem Apostolus Corinthum miserat, retulisset, quo loco res apud Corinthios essent, Paulus interjecto unius fere anni spatio *secundam* ad eos epistolam (Capita XIII.) scripsit, in qua bonis de sincero erga se studio gratulatur, et pseudoapostolorum sibi invidentium obtrectationibus respondet.

Jam ante datas ad Corinthios epistolas ad *Galatas* (Capita VI.) ex Epheso scripserat Apostolus. Cum enim rescivisset, Galatas statim ab ejus discessu deceptos fuisse a falsis fratribus, qui legem cum Christo conjungendam esse contendebant, Apostoli autem

tanquam acerrimi hujus dogmatis adversarii auctoritatem deprimebant; necessarium duxit apostolatui suo vindicare auctoritatem, et quaestionem de legalium necessitate discutere; quibus salutaria quaedam morum praecepta addidit.

137. — Epistola ad *Ephesios* (Capita VI.) Romae scripta est ex vinculis. Basilius et Hieronymus observant, eam ita fuisse inscriptam: Τοῖς ἁγίοις τοῖς οὖσι . . . καὶ πιστοῖς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, vel, ut in litterarum encyclicarum inscriptione fieri solebat, *sanctis qui sunt, et fidelibus in Christo Jesu.* Ita ut ab Epheso, Asiae metropoli, ad ceteras ejusdem provinciae civitates adscripto cujusque civitatis nomine transmitti potuerit. Hujus epistolae sensus primis praecipue capitibus involutus est et explicatu difficilis. Rerum nimirum sublimitatem verborum sublimitas adaequat.

Philippenses pro singulari, quo in Apostolum ferebantur studio, ipsi, cum Romae detinebatur captivus, subsidium miserunt per Epaphroditum. Eundem paulo post ad Philippenses remisit Paulus cum epistola (Capita IV.), quae facili stylo scripta tenerum ubique amorem et paternam sollicitudinem spirat.

Ex eodem carcere scripsit Apostolus ad *Colossenses* (Capita IV.), quae urbs est Phrygiae ab Hierapoli et Laodicea non procul dissita. Eos laudat, instruit, hortatur. Prima pars contra Judaicas et philosophicas observationes dirigitur; secunda compendium suppeditat de potioribus vitae Christianae regulis.

Thessalonica metropolis est Macedoniae. In hac urbe Apostolus plures Christo adjunxerat; cumque postmodum Corinthi commorans florentem hujus ecclesiae statum a Timotheo intellexisset, eos *prima* hac epistola (Capp. V.) collaudat, et in quibusdam non satis instructos docet; mox subjungit praecepta vitae Christianae.

Secundae ad *Thessalonicenses* (Capita III.) epistolae occasionem dedit prima non bene intellecta. Falsos doctores, qui iis, quae Paulus de instante omnibus judicii die dixerat, ad terrendos animos abutebantur, redarguit; cumque illos, quos in priore epistola ut otiosos et inquietos homines notaverat, nondum emendatos esse intellexerat, eosdem nunc acrius castigat.

138. — Inter epistolas, quae ad personas peculiares diriguntur, primum absque dubio locum obtinent illae, quae ad *Timotheum* scriptae sunt. *Prima* (Capita VI.) probabilius exarata est, cum Timotheus Ephesi, Paulus vero in itinere Macedonico versaretur.

Secundam (Capita IV.) scripsit Apostolus ex secundis vinculis paulo ante mortem, veluti testamentum ab optimo patre dilectissimo filio relictum. In utraque epistola Timotheus ad episcopi et pastoris munus a beato Paulo instituitur. Quidquid in iis continetur, tanto magistro dignum est, et omnibus, qui ad animarum curam vocati sunt, nunquam satis meditandum.

Titus alter divi Pauli discipulus fuit, ab eodem Cretae episcopus consecratus. Apostolus eum hac epistola (Capp. III.) in munere pastorali, pro divina, qua praeditus erat, sapientia instruit.

Paulus Romae vinctus anno 61. scripsit ad *Philemonem* civem Colossensem per Onesimum hujus Philemonis servum, quem Apostolus profugum Romae suscepit, atque in fide institutum et baptizatum ad herum suum remisit cum litteris commendatitiis (Caput I.), in quibus miro artificio et ingenti studio id agit, ut eum dominus in gratiam recipiat.

139. — Eodem fere tempore scripta est Romae epistola ad *Hebraeos* (Capita XIII.) sive ad fideles ex Judaismo conversos et in Palaestina versantes. Egregia haec epistola singulari artificio et elocutione elaborata excellentiam legis novae prae veteri multis modis demonstrat et Hebraeos recens

conversos ad malorum tolerantiam et perseverantiam fidei adhortatur. Paulum hujus epistolae auctorem esse, hodiedum extra dubium est, quamvis fuerint olim, qui id negarent. Puro et eleganti sermone exarata est et stylo differt a ceteris S. Pauli epistolis; quae ratio fuit quibusdam conjiciendi, eam Hebraice scriptam esse ab Apostolo et a S. Luca aut Clemente in Graecum conversam; aut Apostolum scopum dedisse et dispositionem, phrasin vero et elocutionem vel Clementis esse, vel potius Lucae. Id certum est, Hebraeum autographum, si unquam exstitit, interiisse, Graecum autem, si translatoris opus est, ejusdem esse cum Hebraeo antiquitatis.

140. — *Septem*, quae sequuntur epistolae, *Catholicae* vocantur, quia, si secundam et tertiam S. Joannis excipias, ad fideles per imperii provincias dispersos directae sunt. Vocantur etiam *canonicae*, ut ostendatur, eas aeque ac Paulinas ad canonem sacrorum librorum pertinere, vel etiam quia regulas vitae Christianae continent.

Prima scripta est a *Jacobo* (Capita V.) Alphaei filio, qui et frater Domini dicitur et *minor*, ut distinguatur a Jacobo Zebedaei filio et fratre Joannis. Tota est in commendandis bonis operibus. Non absque ratione asseri potest, Jacobum scribendo, epistolam ad Romanos prae manibus habuisse, idque potissimum intendisse, ut quorumdam falsis interpretationibus occurreret.

141. — *Prima Petri* epistola (Capita V.) digna Apostolorum principe, verbis parca, sententiis gravis, plena auctoritatis apostolicae, Romae scripta est, quo autem anno incertum: fortasse non multo ante secundam ejusdem Petri, quam certum est ultimis vitae ejus temporibus esse exaratam. II Petri I, 14.

In *secunda* (Capita III.) Petrus fideles hortatur, ut fidem, ipso e vivis sublato, constanter retineant et errorum seminatores longissime fugiant. Circa epistolae hujus auctoritatem nonnulli olim dubitaverunt. Verum canonicam esse pronuntiavit ecclesia.

S. *Joanni* tres adscribuntur epistolae, omnes Graeco sermone scriptae Ephesi. *Primam* (Capita V.) S. Joannis esse omnes consentiunt. Quamvis nomen adscriptum non sit, stylus tamen et proprius quidam dictionis character auctorem produnt. Agit de divinitate Christi contra Ebionitas et Cerinthum et de ejus humanitate contra Basilidem.

Secunda (Caput I.) ad Electam matronam Christianam dirigitur, atque idem fere ac prima argumentum tractat.

Tertia (Caput I.) Cajo cuidam scripta est propter suam in fratres hospitalitatem commendabilem. Apostolus eum ad perseverantiam adhortatur. Hujus et prioris epistolae authentia olim a quibusdam in dubium vocata fuit.

Judas cognomine *Thaddaeus* gravem epistolam (Caput I.) Graeco idiomate scripsit contra pseudoapostolos et haereticos, doctrinae ac morum corruptores. Anno circiter 68. evulgata est. Hujus etiam epistolae authentia per aliquod tempus dubia visa est.

CLASSIS IV.

Liber propheticus.

142. — Ultimus sacrae scripturae liber est *Apocalypsis* S. Joannis (Capita XXII.) in insula Patmos circa annum 91. Graece scripta. *Tot habet sacramenta, quot verba*, ait S. *Hieronymus* ad Paulinum: *parum dixi, pro merito voluminis omnis laus inferior est.* Firma nunc stat hujus libri auctoritas, quae prioribus et posterioribus saeculis suos habuit impugnatores.

OBSERVATIONES GENERALES.

Libri deutero-canonici.

143. — Librorum *deutero-canonicorum* divinam auctoritatem probabimus

in demonstratione catholica, quando de canone librorum sacrorum agetur. Interim ad praeviam scripturae notitiam sufficiat tironibus scire, quinam sint libri deutero-canonici, tum V. tum N. testamenti.

Veteris testamenti sunt: *Tobias*, *Judith*, *Sapientia*, *Ecclesiasticus*, *Baruch* et *duo libri Machabaeorum*. His addi debent quaedam librorum partes: *Estheris* septem posteriora capita, et ex *Daniele* historia Susannae (c. XIII.), Beli et draconis (cap. XIV.), et canticum trium puerorum in fornace ignis cum oratione Azariae antecedente (c. III. v. 24.). Haec omnia canon Judaeorum non habet.

Deutero-canonici N. T sunt: Epistola ad *Hebraeos*, epistolae *Jacobi*, *Judae*, *Petri secunda*, *Joannis secunda* et *tertia* et *Apocalypsis*. Item partes quaedam librorum: *Marci* caput ult., *Lucae* XXII., historia de sudore Christi sanguineo, et ex evang. *Joan.* cap. XIII. historia mulieris adulterae.

Libri apocryphi.

144. — Quaestio hic esse non potest de libris *deutero-canonicis*, de quibus aliquanto tempore in quibusdam ecclesiis dubitatum fuit, an essent canonici; donec ecclesiae universalis judicio inter divinas scripturas adnumerati fuerint. Neque de illis loquimur, qui sunt positive ab ecclesia repudiati tanquam falsi, et impiorum aut haereticorum hominum foetus; ejusmodi sunt falsa evangelia plurima, apocalypses et acta Apostolorum nomine inscripta etc. Loquimur de scripturis apocryphis, de quibus aliquando dubitatum fuit, essentne in numero divinarum scripturarum habendae; quibus autem ecclesiae auctoritas non accessit. Sunt autem ex vetere testamento lib. III. et IV. *Esdrae*, III. et IV. *Machabaeorum*, *oratio Manasse*, *appendiculae quaedam libri Job* et *Psalterii*, et *praefatiuncula* Threnis Jeremiae praefixa. Inter libros sacros N. T. aliqui ex veteribus numerasse videntur librum *Pastoris*, *canones Apostolorum*, epistolas *Clementis*, epistolam *Barnabae*, libros *constitutionum apostolicarum*, *evangelium ad Hebraeos* inscriptum etc. Vid. P. *Goldhagen* introduct. in script. tom. I. sect. I. quaest. IX. et *Jac. Bonfrerii* praeloq. cap. V. tom. III. *Menoch.* edit. Venet. in folio.

De idiomate, quo primum conscripti fuerunt libri canonici.

145. — Libri veteris testamenti fere omnes Hebraico indiomate conscripti sunt. Notat tamen S. Hieronymus (praef. in Dan.), librum *Job* cum Arabica lingua plurimam habere societatem. *Daniel* et *Esdras*, ut idem ait, Hebraicis quidem litteris, sed Chaldaeo sermone conscripti sunt; quamvis fatendum sit, utriusque libri initium Hebraeum esse. *Tobias* et *Judith* Chaldaice scripti fuerunt, teste eodem Hieronymo, sed in hoc idiomate non amplius extant. *Ecclesiasticus* et lib. I. *Machabaeorum* Hebraico quidem sermone exarati fuerunt, et Hieronymus testatur, se utriusque textum Hebraicum vidisse; hodie tamen non amplius Hebraice reperiuntur. *Libros Sapientiae* et II. *Machab.* Graecam originem habere, solus jam librorum stylus probat. Quaedam *Estheris* et *Danielis* partes nonnisi Graece habentur. Qua lingua scripta fuerit prophetia *Baruch*, certo non constat. Aliter quam Graece et Latine non extat quidem; attamen dubitari non potest, quin vel Hebraice, vel Chaldaice fuerit conscripta. N. testamentum Graece scriptum est. Excipiuntur evangelium S. *Matthaei* et epistola ad *Hebraeos;* de quibus jam dictum est. Eorum opinionem, qui volunt evangelium S. *Marci* et epistolam ad *Romanos* Latino idiomate primum exarata fuisse, merito hic praetermittimus.

ARTICULUS I.

Vindicatur fides et auctoritas librorum novi testamenti.

146. — Cum librorum sacrorum fidem et auctoritatem vindicandam suscipimus, merito a libris novi testamenti initium facimus; haec enim praecipua sunt fidei nostrae instrumenta, et cum semel firma consistunt, non exiguam veteri testamento conciliant fidem.

Ut probetur, libros novi testamenti plenam habere ad probandum auctoritatem, tria nobis ostendenda sunt: 1° libros N. T. genuinos esse et authenticos; id est, ab illis, quorum nomina prae se ferunt, et eo circiter tempore conscriptos, quo scripti esse dicuntur. 2° Illos integros et incorruptos ad nos pervenisse. 3° Auctores librorum testes esse fide dignissimos.

Hanc inquisitionem non ita necessariam credimus, ut hac non praemissa firma stare non posset religionis Christianae auctoritas. Notum est, gentes plurimas in Christum credidisse sine libris sacris; et si nunquam conscripti fuissent illi libri, ex publicis eventibus, ex historia primorum temporum, ex persuasione constanti et universali omnium populorum certum esset, Christum eo. quo a nobis asseritur, tempore vixisse, religionem, quae Christiana dicitur, ab eo traditam fuisse et ab orbe receptam, propter fidem miraculorum ejus et Apostolorum.

Verum cum nihilominus ex libris N. T. firmissima religionis argumenta hauriantur, et in iis potissimum tum ipsa religio, tum et facta plurima et insignia Christi et Apostolorum contineantur, ex quibus immensum exsurgit argumentorum pondus; cum hanc ob causam Deistae ad librorum istorum auctoritatem convellendam omne studium, omnem operam adhibeant, nostrum est in celebri hac, quam cum incredulis agimus, causa, praecipua instrumenta, quibus factum revelationis comprobandum est, ab omni falsitatis suspicione vindicare.

§. I.

Probatur authentia librorum N. T.

PROPOSITIO.

Libri N. T. genuini sunt, seu ab illis ipsis conscripti, quorum nomina prae se ferunt.

147. — Prob. Certa stat haec assertio et inconcussa, si 1° suppositio librorum novi testamenti non modo nullo argumento probari possit, sed plane etiam impossibilis fuisset; si 2° in his libris omnes ingenuitatis, vel, ut dicunt, authenticitatis characteres in summo gradu reperiantur. Atqui etc. Ergo etc.

Probatur minoris pars I.

1° Increduli, qui post tot saecula contendunt, libros N. T. Apostolis esse recentiores, ac sub eorum nominibus secundo aut tertio saeculo conscriptos, deberent utique assertum hoc novum et insolitum certis argumentis stabilire. At nullum hucusque ne probabile quidem argumentum attulerunt, neque hujus suppositionis vel locum vel tempus vel auctorem vel ullum aliud vestigium indicare potuerunt.

2° Si libri N. T. conficti fuissent, id contigisset vel viventibus Apostolis, vel his fato functis. Utrumque absurdum est, et quidem

I. Quis enim hoc tempore Apostolorum, ipsis docentibus et ecclesiae summa cura invigilantibus tentasset? Num passi fuissent Apostoli, ut impius impostor eorum auctoritate abuteretur?

II. non minus absurdum est; nam si libri illi post Apostolorum mortem conficti fuerunt, quomodo adduci potuerunt fideles, ut crederent, ecclesias eos ab Apostolis, dum hi viverent accepisse, imo ut sibi persuaderent, se eos tanquam ab Apostolis perfectos hucusque privatim et publice cum summa reverentia legisse? Ergo etc.

Probatur minoris pars II.

148. — Characteres ingenuitatis alicujus libri alii *intrinseci* sunt et ex libro ipso petuntur, cum scilicet omnia aetati, cui attribuitur, et eorum, quorum nomine inscriptus est, indoli, studio, moribus etc. apprime conveniunt: alii *extrinseci* et extra librum quaeruntur ex testimoniis, quae fidem faciunt. Atqui omnes hi characteres in libris N. T. reperiuntur. Ergo etc.

I. Characteres intrinseci.

I. In libris N. T. nihil occurrit, quod Apostolorum aetati non conveniat, nihil quod cum historicis, tum profanis, tum Judaeis ullo modo dissentiat, nihil quod postea evenisse suspicari liceat. Nullus in geographia et chronologia error deprehenditur. Quod fieri vix potuisset, si auctores post illam aetatem et eversam funditus rempublicam scripsissent.

149. — II. Non tantum nihil est, quod recentiorem aetatem, aut alios librorum auctores prodat; sed omnia manifestam faciunt antiquitatem, omnia auctores illos, quibus libri adscribuntur, denotant, eorumque formam et quasi vivam imaginem exprimunt. Nam:

1° Exprimuntur in illis libris rerum et personarum circumstantiae individuae et minutae, quae ita accurate scire tantum poterant viri, qui res non e longinquo, sed prope aspexerunt. In exemplum afferri possunt terrae Judaeae divisiones, familiae Herodianae mutationes etc. Haec autem ita enarrantur, ut cuilibet vel obiter attendenti certum sit, auctores ea referre, quae viderunt et audierant ipsi, quaeque aliis secum viventibus nota esse sciebant [1]).

2° In evangeliis Matthaei, Marci et Lucae referuntur vaticinia Christi de urbis excidio, nec quidquam additur de praedictionum completione. Ex quo manifestum est, illos libros ante urbis Jerosolymae excidium scriptos fuisse. In actibus Apostolorum historia Pauli usque ad primum ejus in urbem Romam adventum deducitur, quod probat, librum editum fuisse ante Pauli a primis vinculis solutionem: scriptor enim posterioris aetatis res gestas Apostoli ulterius protraxisset. Sic et Pauli epistolae aperte suam produnt aetatem.

3° Lingua et stylus manifeste ostendunt auctores gente et religione Judaeos. Graece loquuntur, sed ita, ut ubique homines Judaeos deprehendas, qui etiam in Graeco idiomate patriae linguae proprietates retinuerunt. Similitudines, parabolae, allusiones, quibus utuntur, ita comparatae sunt, ut statim videantur Judaico solo natae.

4° Quilibet ex N. T. libris proprium sui auctoris characterem nativumque colorem refert. In evangelio et epistolis suis totus spirat Joannes Apostolus. Petrus nativam ingenuitatem, junctamque cum summa humilitate auctoritatem ubique in epistolis suis exprimit. Porro omnes alii libri, si S. Pauli epistolas excipias, tales omnino auctores ostendunt, quales Apostolos fuisse constat, homines indoctos, nulla humana eruditione et litteratura expolitos. Nullibi sermonis elegantiam sectantur,

1) A pluribus jam eruditis viris probatum est, ut observat D. *Dobmayer* t. III. p. 48., libros sacros in iis, quae historiam, geographiam et chronologiam spectant, aut exterarum gentium fata et celebriores viros, cum iis, quae ab aliis auctoribus narrantur, mire concordare. In exemplum adduci potest Taciti testimonium lib. XV. Annal. Nr. 44., quod *Gibbonius* nulla vaferrimi ingenii calliditate obscurare potuit. Conferatur *Schwarz* Handb. II. Bd. S. 162. et III. Bd. S. 21. Neque illud praetermittendum, quod non exiguum probationi pondus addit; eo praecise tempore in Judaea tantam, tamque subitam rerum tum publicarum, tum particularium mutationem factam esse, ut illius provinciae status saeculo primo ad finem vergente alius omnino fuerit ab illo, quem Christi et nascentis ecclesiae tempora viderant.

nullibi tanquam philosophi comparent, sed ut fidi historici earum rerum, quarum scientiam habebant. Dixi, si S. Pauli epistolas excipias, quae a reliquis N. T. libris iisdem lineamentis distinguuntur, quibus Apostolus ipse a reliquis differt.

Cum igitur omnes notae authenticitatis intrinsecae, quibus critici vulgo libros genuinos a suppositis secernunt, in libris N. T. ita reperiantur, ut vix in aliquo libro omnes tam aperte promineant, nemo profecto, cui non falsa philosophia omnem veri gustum sensumque corrupit, legitimos librorum istorum natales in dubium vocare poterit.

II. Characteres extrinseci.

150. — Authentia librorum N. T. probatur 1° fide et traditione publica; 2° testimoniis domesticis; 3° testimoniis externorum. Ergo etc.

Prob. I. pars ant. Libri N. T. (de protocanonicis potissimum loquimur) Apostolorum nomina prae se ferunt, ipsis publica et constanti traditione semper fuerunt adscripti ab omnibus Europae, Asiae et Africae ecclesiis. *Istum librum credite esse Matthaei*, ait S. August. contra Faustum [1]), *quem ex illo tempore, quo Matthaeus ipse in carne vixit, non interrupta serie temporum ecclesia certa connexionis successione usque ad tempora ista perduxit.* Idem de aliis libris dicendum. Ex quo ita concluditur: Nemo sanae mentis dubitat, Homerum esse auctorem Iliadis, Virgilium Aeneidos, quia traditio constans et fides publica id testantur. Ergo idem valere debet argumentum, cum de auctoribus librorum N. T. agitur.

151. — Prob. II. pars ant. Ex Patribus primorum saeculorum. Hi enim partim ex N. T. libris textus referunt, non indicato librorum vel auctorum nomine; ut *Clemens Rom.*, *Ignatius*, *Polycarpus*, S. *Ignatii* discipulus, *Justinus* etc. [1]). Partim evangelia aliaque scripta novae legis expresse sub Apostolorum nominibus laudant, ut *Papias* S. Joannis auditor apud *Eusebium* l. III. hist. *Irenaeus*, qui exeunte saeculo secundo floruit, eadem quatuor evangelia laudat, quae nos hodiedum habemus, eaque sola omnium Christianorum suffragiis comprobata scribit. *Justinus Martyr*, qui initio secundi saeculi vixit, testatur Apolog. I. libros evangeliorum tunc in conventibus Christianorum lectos fuisse et quidem ex antiqua consuetudine: *Sicut priscis traditum. Tertullian.* de praescript. c. XXVI. ipsa Apostolorum autographa suo tempore extitisse testatur. *Percurre ecclesias apostolicas*, ait, *apud quas ipsae authenticae litterae (Apostolorum) recitantur, sonantes vocem et repraesentantes faciem uniuscujusque.* Haec utique ad refellendos illos sufficiunt, qui contendunt, libros N. T. tertio tantum saeculo, aut secundo sub Apostolorum nominibus fuisse confectos. Adde *Clementem Alex.* variis in locis, et imprimis *Originem* et *Eusebium Caesariensem*, qui ambo in secernendis scripturae libris omnem curam adhibuerunt, et quibus in hoc

1) Lib. XXVIII. cap. II.

1) Nimis longum esset omnes Patrum, qui Apostolorum tempori proximi fuerunt, textus referre, in quibus verba evangeliorum sonant. Videri potest D. *Bergier, Certitude des preuves du Christianisme*, ejusdem *Traité historique.* Tom. VII. *La Religion prouvée par les faits.* Tom. II. *La Bible vengée.* Tom V. pag. 280. et seq. *Hoocke.* Tom. II. pag. 362. *Duvoisin Demonst. Evang.* chap. II. Unum tantum aliudve testimonium in exemplum afferamus. S. *Clemens Rom.* Apostolorum discipulus in epist. ad Cor. ait: *Miseremini, ut misericordiam consequamini, dimittite, ut vobis dimittatur, .. qua mensura metimini et vobis mensurabitur*, quae verba aperte ex S. Marci evangel. desumpta sunt. S. *Ignatius* in *epist. ad Smyrnaeos* ad cap. III. S. Matthaei evidenter alludit cum scribit: *Baptizatus est Christus a Joanne, ut impleatur omnis justitia.*

opere neque mentis perspicacia defuit, neque copia eruditionis. Vide *Euseb.* hist. l. V. c. VIII. et l. VI. c. XXV.

152. — Prob. III. pars ant. His domesticis testibus adjungi possunt veteres plerique haeretici. *Ebion*, *Cerinthus*, *Marcion* aliique, qui nostris evangeliis usi sunt; et quamvis ea suo modo explicarunt aut corruperunt, nunquam tamen abjudicare ausi sunt Apostolis. Quin et ipsi pagani nobis testes sunt omni exceptione majores; quotquot enim ex illis contra Christianam religionem scripserunt, ut *Celsus*, *Porphyrius*, *Julianus* Apostata, de sacrorum librorum authentia ne levissimum quidem dubium movent; licet quam maxime eorum interfuisset, fidem librorum istorum minuere. *Celsus*, qui secundo saeculo scripsit, plura laudat ex evangeliis, seque illa ex libris discipulorum Christi describere affirmat.

Itaque et fides publica et innumera tum domestica, tum extranea testimonia genuinam librorum N. T. originem probant, et ita probant, ut perspicuum sit, nullum librum in universo orbe terrarum tot testimoniis fulciri.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

153. — Multa contra librorum sacrorum authentiam congesserunt increduli; inter alios Comes *de Bolingbroke* in opere: *De studio et usu historiae; Collins* et *Toland; Voltarius* in libro: *L'évangile du jour; Rousseavius*, *Lettres de la Montagne; Baylius*, *Dictionnaire historique* in plurimis locis; *Fréret*, *Examen critique des Apologistes de la Religion chrétienne; Christianus Edelmann* etc. etc. Pauca, sed praecipua afferamus, ut evidentius appareat, quam vana sint et nullius momenti, quae ad labefactandam librorum nostrorum fidem afferri possunt.

Objiciunt igitur contra argumentum a testimonio scriptorum Christianorum deductum: 1° Notum est, veteres Christianos homines fuisse credulos, praejudiciis mancipatos, ad pias fraudes propensos. 2° Multa olim spuria extiterunt evangelia et scripta Apostolorum, quibus iidem Patres, quorum testimoniis nunc innituntur Christiani, tanquam genuinis usi sunt. 3° Patres ea, quae nobis videntur ex evangeliis citata, potuerunt haurire vel ex evangeliis spuriis vel ex traditione. Nam neque librum, neque auctoris nomen citant, et plura afferunt, tanquam a Christo dicta, quae in evangeliis non reperiuntur. Tale est illud Clementis Rom.: *Estote boni usurarii*! et illud ejusdem Patris epistola secunda ad Corinthios: *Si in modico non fuisti fidelis, quis tibi majora confidet? Amen dico vobis, qui fidelis est in minimo, in maximo fidelis erit.* 4° Canon scripturarum confectus non est, nisi post Apostolorum mortem, atque, ut plurimis videtur, sub Hadriani imperio circa annum 117. Ergo etc.

154. — Resp. ad I. 1° Christiani tam creduli non erant neque coeco religionis Christianae amore praeoccupati, cum a teneris in Judaica vel ethnica religione instituti fuerint. Libros sacros una cum fide Christiana acceperunt, cui certe sine plena convictione sese non subjecissent. 2° Constat primos ecclesiae Doctores summam adhibuisse diligentiam in libris veris et genuinis a falsis et adulterinis secernendis; atque in hoc examine critices regulas accurate esse secutos. 3° Non hic agimus de librorum N. T. divinitate, ideoque non quaerimus, an Christiani, cum hos libros tanquam divinos acceperunt, decepti fuerint; quaestio est, utrum eos primis jam ecclesiae temporibus in manibus habuerint, et tanquam ab Apostolis conscriptos laudaverint: hujus autem rei testes meliores habere non possumus, quam ipsos Christianos auctores. 4° Illud Christianorum testimonium confirmatur testimonio haereticorum, Judaeorum et paganorum.

155. — Ad II. Mirum non est, res

tantas a Christo ejusque discipulis peractas, quae Christianae religioni originem dederunt, multorum commovisse scribendi studium, et inter hos plures non satis accuratam instituisse narrationem. Praeterea non defuerunt a primis religionis Christianae incunabulis, qui miscere res nascentis ecclesiae conati sunt, et in suorum dogmatum confirmationem relationes ab apostolicis diversas in vulgus spargere. Verum cum impuri hi erroris et ignorantiae foetus a Christianis fuerint repudiati, magis adhuc firmant verorum librorum auctoritatem: exinde enim cognoscimus, quam cauti et diligentes Christiani iis temporibus fuerint in expendenda genuina librorum origine, qui tum sub nomine discipulorum Christi evulgabantur. Qui autem dicunt, antiquos Patres evangelia spuria una cum veris recepisse; hi magnam produnt inscitiam et impudentiam. Antiquissimi scriptores, *Ignatius*, *Polycarpus*, *Clemens Rom.*, *Justinus* illorum nusquam meminerunt: quamvis omnes et imprimis *Justinus* multa testimonia ex veris evangeliis describant. S. *Irenaeus* meminit falsorum evangeliorum; sed asserit, ea ab omnibus repudiata fuisse. *Tertullianus* [1]) contra Marcionem jam usus est argumento praescriptionis ad probandam quatuor evangeliorum auctoritatem. *Clemens Alexandr.* et *Origenes* laudant quidem scripta apocrypha; sed ex iisdem auctoribus probari potest, sola quatuor evangelia in ecclesia auctoritate divina valuisse [2]). Neque putandum est, tot fuisse evangelia apocrypha, quot vulgo perhibentur. Fabricius collegit quidem quinquaginta titulos, sed ipse fatetur, plures saepe unum eundemque librum indicare [3]).

1) Lib. IV.

2) Vid. *Clem. Alex.* Stromat. lib. IV. cap. II. et VI. *Orig.* lib. IV. expositionum apud *Euseb.* lib. IV. cap. XXV.

3) Si evangelia apocrypha, quae primo saeculo prodierunt, propius examinentur,

156. — Ad III. Sunt quidem inter antiquissimos Patres aliqui, qui nomina Apostolorum, quorum testimonia adducunt, non citant, quod non raro etiam apud nos oratores sacri faciunt, imprimis quando textus aliquis ita auditoribus cognitus est, ut jam sciant, eum esse ex evangelio desumptum. Illi textus, qui a Patribus citantur, tam exacte cum verbis evangelii conveniunt, ut statim appareat, ex quo fonte defluxerint. Quod autem dicitur, Patres

ait D. *Beausobre*, celebris inter Calvinianos scriptor, *Histoire du Manich. liv. I.*; difficile non est videre, ea a veris parum differre; totumque discrimen in eo consistere, quod aliqua minoris momenti vel detrahant, vel adjiciant; quae autem addita reperiuntur, non ideo falsa habenda sunt; sed vel traditione conservata, vel ex alio libro authentico quidem, sed non canonico excerpta. Sic evangelium S. Matthaei cum aliquibus mutationibus dictum est *evangelium Cerinthi* et *Carpocratis* et *duodecim Apostolorum* et *secundum Hebraeos* et *secundum Nazaraeos* aut *secundum Syros; secundum Ebionitas*, *secundum Barnabam* et *secundum Bartholomaeum*. Porro alia sunt falsa evangelia aperte ab haereticis fabricata, quae non tam narrationem historicam exhibent, quam opinionum et errorum deliramenta, quibus Valentiniani et Gnostici tum temporis suos deludebant. Tale est *evangelium Valentini* vel *Valentinianorum*, quod etiam *evangelium veritatis* vocabant; evangelium a Gnosticis editum et *evangelium perfectionis* inscriptum. Vid. doctissimi *Hermanni Janssens Hermeneut. sacram* Tom. II. §. 248. de evangeliis apocryphis; *Calmeti dissert. in evang. apocryph.* Commentario in S. Matthaeum praefixam. Ejusdem Diction. bibl. voce: *Evangelium*. D. *Beausobre* lib. jam citato primorum Patrum in dijudicandis scripturis veris et apocryphis intelligentiam et sagacitatem mire extollit, eosque ad sanae ac solidae critices regulas omnia diligenter expendisse probat. Denique adnotandum est, scripta illa apocrypha, quamvis a partibus dissentientibus vulgata, Christi resurrectionem et ascensionem aliaque miracula, quae praecipuum religionis nostrae fundamentum sunt, continere; ideoque in hac parte magis confirmare nostrorum librorum testimonium, quam eorum auctoritatem minuere.

textus illos ex evangeliis apocryphis desumpsisse, caret omni probatione; nam neque ejusmodi evangelia appellant, neque extitisse olim demonstratur, in quibus illi textus reperirentur. Verba citata ex S. Clemente potuerunt ex traditione nota esse: alia autem in substantia eadem sunt cum verbis evangelii.

157. — Ad IV. Ridicula prorsus est haec ratio. An non libri illi debuerunt existere, atque ut veri et genuini agnosci, antequam eorum fieret collectio? Scimus eos diversis temporibus diversisque in locis fuisse scriptos; et quemlibet librum, statim atque editus fuit, non minori cum observantia fuisse servatum, quam post canonis confectionem.

§. II.

Probatur librorum N. T. integritas.

158. — Quando instrumentum in causae patrocinium producitur, primum quidem est, veram ejusdem ac genuinam originem probare; quo facto nondum peracta res est; nam ut fidem facere possit, necesse est, ut nullum adsit corruptae integritatis indicium; vel si de corruptione postulatur, depellenda est iniqua accusatio et omnis suspicio ex animo judicantium excutienda. Quod idem nobis circa libros N. T. agendum est. Neque difficile erit probare, nullam in his libris factam fuisse corruptionem nec demendo, nec mutando, nec interpolando.

PROPOSITIO.

Libri N. T. ad nos integri et incorrupti pervenerunt.

159. — Prob. I. Si libri N. T. corrupti fuissent, illud vel tempore Apostolorum contigisset, vel statim post Apostolorum mortem, vel sequentibus saeculis: atqui nihil horum dici potest; ergo etc.

Prob. min. 1° *Non Apostolorum aetate.* Quis enim sibi persuadeat, Apostolorum scripta sub eorum oculis impune temerari potuisse? 2° *Non statim post Apostolos.* Tunc enim recens adhuc erat Apostolorum doctrina; autographa sacrorum codicum in ecclesiis servabantur, aut certe probata Apostolis exemplaria. 3° *Non postea.* Quia diffusa jam erat ubique terrarum Christiana religio et scriptum testimonium cum orali doctrina non amplius consensisset. Exemplaria quam plurima ubique terrarum existebant et cum summa religione servabantur. Aderant antiquissimae versiones, imprimis Syriaca et Latina. Unum ergo ex duobus esset admittendum, aut quod omnia omnino exemplaria corrupta fuerint, quod impossibile fuisset; aut aliqua tantum manente aliorum integritate, quod falsum esse ex eo patet, quod facta, miracula, dogmata, quae in hodiernis exemplaribus leguntur, in omnibus aliis sive Graecis, sive Arabicis, sive Syriacis, sive recentioribus, sive veteribus reperiantur.

160. — Prob. II. Si libri N. T. fuissent vitiati, id factum fuisset vel a Judaeis, vel a paganis, vel a Christianis; atqui nihil horum dici potest; ergo etc.

Prob. min. Primo quidem non fuerunt vitiati a Judaeis; restitissent enim totis viribus Christiani; et si Judaei id attentassent, corrupissent procul dubio ea, quae ipsis contraria erant et indecora.

2° A gentilibus corruptio facta non est, neque fieri potuisset, cum exemplaria fuerint per totum orbem dispersa, et multo magis inter Christianos quam inter gentiles evulgata.

3° Neque in Christianos cadere potest aliqua suspicio. Si enim haereticis hoc crimen impingitur: obsistunt rationes jam expositae; si catholicis: explicandum est, quomodo illi potuerint omnia exemplaria corrumpere, quae in manibus erant Judaeorum, paganorum, haereticorum. Deinde an tale tentamen tum infensissimos hos catholicae ecclesiae hostes latuisset? Nonne exinde occasionem sumpsissent, novum odium in catholicos concitandi? Sed tamen ea de re omnino siluerunt.

161. — Prob. III. Factam non fuisse librorum N. T. corruptionem certo colligitur ex eo, quod jam secundo saeculo eaedem notiones religionis, eademque dogmata ubique credita fuerint propter librorum sacrorum auctoritatem, quae nos hodiedum tanquam in illis libris contenta credimus: quod necessarium fuisset cum libris N. T. omnia etiam antiquorum Patrum scripta corrumpere, in quibus eadem facta, eadem prorsus verba occurrunt, quae adhuc in libris sacris legimus. Porro certum est, antiquissima manuscripta, quae supersunt, cum posterioribus ita concordare, ut nulla reperiatur in rebus majoris momenti discrepantia. Ergo etc.

Merito itaque incredulis et haereticis sui temporis respondit olim August. [1]): *Nihil mihi videtur ab eis impudentius dici, vel ut mitius loquar, incuriosius et imbecillius, quam scripturas divinas esse corruptas; cum id nullis in tam recenti memoria extantibus exemplaribus possent convincere.*

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

162. — Objiciunt I. Ab ipsa ecclesiae origine Christiani violatae scripturarum integritatis accusati sunt a paganis. Inter alios Celsus hoc argumento contra Christianos utitur apud Origenem [2]). Ergo etc.

Resp. cum eodem Origene: *Etenim non alios novi, qui evangelii contextum immutaverint, quam Marcionis, Valentini, fortassis et Lucani sectatores; id vero criminis nostrae doctrinae non imputandum est: in culpa sunt, qui evangelia depravare audent.*

163. — Obj. II. Autographa librorum N. T. perierunt; ergo facile potuerunt adulterari.

Resp. neg. conseq. Nullus est ex veteribus historicis, cujus autographum habeamus; multi sunt, quorum versiones tantum supersunt; quis exinde concludet, veteres historias esse adulteratas?

164. — Obj. III. Plurima hodiedum in libris N. T. reperiuntur, quae in multis codicibus olim non legebantur, ut v. g. historia mulieris adulterae Joan. VIII.; insignis versiculus I Joan. V.: *Tres sunt, qui testimonium dant in coelo etc.* Ergo sacri codices fuerunt corrupti.

Resp. I. Nihil probat haec argumentandi ratio. Ex eo enim, quod quaedam sint Livii, Caesaris, Ciceronis loca, quae dubiae sunt auctoritatis, non sequitur, cetera quae unanimi exemplarium fide comprobantur, genuina non esse, aut non integra ad nos pervenisse. Demus ergo incredulis, nihil posse ex citatis locis probari: an ea, quae nullum exhibent interpolationis vestigium, ad demonstrandam revelationis Christianae divinitatem non sufficiunt?

Resp. II. Nullus est ex his scripturae locis, cujus authenticitas non possit probari, ut in decursu ostendetur.

165. — Obj. IV. In N. T. exemplaribus innumerae reperiuntur variantes lectiones. Doctissimus *Millius* Anglus in editione Graeca N. T. earum collegit circiter triginta millia.

Resp. Illae variantes lectiones non obstant, quominus sibi quoad substantiam consonent libri evangelici; varietas in verbis est, non in rebus. Millius quotquot reperire potuit exemplaria scripturae, versiones et citationes, quae apud SS. Patres reperiuntur, secum invicem contulit, omnes minutissimas variationes, etiam accentuum dissimilitudines annotavit. Haec autem variatio lectionum magis confirmat sacrorum librorum auctoritatem; probat enim infinitum prope exemplarium numerum; atqui evidens est, eo majorem esse libri alicujus veteris auctoritatem, quo plura habentur libri istius exemplaria. Neque res aliter contingit in scriptoribus profanis. Eos maxime corruptos et mutilos deprehendimus,

1) De utilitate credendi cap. III.
2) Lib. III. contra Celsum.

quorum pauciora inventa sunt exemplaria mss. Econtra Terentii textus purus est et integer, etsi litterati plus quam viginti millia lectionum variantium annotaverint.

§. III.

De eorum, quae in libris N. T. continentur, veritate.

PROPOSITIO.

Apostoli et Evangelistae eorum, quae in libris N. T. referuntur, testes sunt fide dignissimi.

166. — Prob. Auctoris cujuscumque fides ex tribus aestimari solet: 1° ex iis, quae ipsius auctoris personam spectant; 2° ex eorum, quae refert, natura; 3° ex modo, quo res referuntur; atqui haec simul juncta auctoribus librorum N. T. fidem conciliant, qua major dari non potest.

167. — Prob. I. pars min. Si auctores plures coaevi res narrant, quas nemo melius atque ipsi scire poterat; si de caetero evidens est, nihil potuisse eos ad fallendum inducere; sane ex eorum parte nihil est, quod non eorum narrationi summam fidem conciliare debeat, atqui tales sunt auctores librorum N. T. Ergo etc.

Prob. I. Auctores librorum N. T. plures sunt, coaevi sunt, testes sunt vel oculati, ut *Matthaeus*, *Joannes*, *Petrus*, *Jacobus* et *Judas:* vel tales qui oculatis aequivalent, ut *Marcus*, *Lucas* et *Paulus*, qui cum reliquis Apostolis conversati sunt, et quae Jesus fecit et docuit, ab illis tanquam fidelissimis testibus didicerunt. *Petrus* evangelium S. *Marci* auctoritate sua confirmavit; S. *Joannes*, ultimus Evangelistarum, quae ab aliis scripta fuerant evangelia vidit et probavit, ut testatur *Eusebius* lib. III. cap. XXIV. Praeterea docent ac referunt, non quae obiter ab ipsis visa, aut absque sufficienti attentione percepta fuerunt; sed quorum ipsi pars magna fuerant et quae accurate cognoscere neminis magis quam ipsorum intererat; socii sunt, comites individui, discipuli, qui de magistri sui, cui tanto tempore quotidiana consuetudine conjuncti erant, factis et doctrina testantur. Ergo etc.

II. Nihil ad fallendum inducere potuit auctores librorum N. T. Si quid enim, fuisset sane commodum, vel in hac vel in altera vita sperandum; atqui nihil ejusmodi sperare poterant. Non certe in hac vita; sciebant enim nihil sibi, cum Christi doctrinam annuntiarent, exspectandum, quam persecutiones, contumelias, labores innumeros et cruciatus, mortem denique, quam etiam subierunt, ut veritati testimonium redderent omni exceptione majus. Nihil quoque in altera vita sperandum fuisset hominibus, qui in re gravissima, qualis est religio, Deum falsitatis et mendacii testem adhibuissent. Ergo etc. [1]).

---

1) *Je crois volontiers les histoires, dont les témoins se font égorger. Pensées de Pascal* chap. XXVIII. pensée LXXII. Sunt, qui dicunt, Apostolos aliosque Christi discipulos miracula confinxisse ideo tantum, ut pia hac fraude auctoritatem sibi conciliarent, sicque doctrinam, quam sciebant veram et sanctam esse atque humano generi ultissimam, facilius persuaderent. En novi generis impostores! Sed si doctrinam persuadere potuissent, admissa veritate factorum, nondum intelligitur, quomodo potuissent tot facta et tam extraordinaria orbi universo obtrudere, a nemine visa nullaque auctoritate suffulta. Insulsum hoc commentum egregie refutat D. *Bonnet* Genevensis, *dans ses recherches philosophiques sur les preuves du Christanisme* chap. XVI. Mirum, quot suppositiones admittant adversarii prorsus incredibiles, ut ea, quae summe credibilia sunt, destruant! „Je suppose, ait auctor citatus, que ces hommes auraient en conséquences feint des miracles et se seraient produit ainsi comme des envoyés du Très-haut; je suppose, qu'inspirés et soutenus par un genre d'héroisme si nouveau, ils se seraient dévoués volontairement aux souffrances et à la mort, pour soutenir une imposture, qu'ils auraient jugée si utile au bonheur du genre humain: voilà déjà un grand entassement de suppositions, toutes très-singulières. Je me demande d'abord à moi-même, si un pareil

168. — Prob. II. pars min. Rerum, quae ab auctoribus sacris narrantur, natura ea est, ut adhuc magis eorum veritatem probet. Narrant enim facta publica, tempori, quo scribebant, vicina, ad religionem et salutem populorum aeternam pertinentia, adeoque gravissima, facta diuturna ac permanentia. Narrant miracula non clanculum, sed Hierosolymis, in templo, vel alibi coram innumeris testibus facta; doctrinam non in occulto, sed publice propositam [1]). Haec autem omnia referunt non confuse aut aenigmatice; sed aperte et omnibus vestita circumstantiis, atque illis ipsis hominibus, a quibus, si vera non fuissent, facillime mendacii convinci potuissent.

169. — Prob. III. pars min. Modus scribendi auctoris veracitatem probat, si in narratione reperitur candor et simplicitas et accurata circumstantiarum descriptio. Atqui haec in scriptoribus N. T. in summo gradu reperiuntur. Nullus unquam scriptor res tam altas, tam stupendas, ad seipsum aut personas ipsi arctissime conjunctas pertinentes stylo tam simplici expressit. Nulla est in libris eloquentiae affectatio, nulla eorum quae narrant exaggeratio; facta referunt nude, nec quidquam eorum adhibent, quibus judicium lectoris occupari solet; ita Christi supplicia et ignominias narrant, sicut miracula illius et resurrectionem: suam ipsi levitatem et invidiam, suos errores et lapsus, ut fidem, amorem, constantiam aeque commemorant. Nihil ex adulatione aut odio dictum, cuncta econtra tam moderate, tam candide, ut si veritas ipsa homines alloqui vellet, aliam scribendi rationem adhibere non posset. Adde, quod facta referant cum omnibus circumstantiis loci, personarum, temporis: quod vicos, urbes, annum, diem, aliaque quae fraudi, si qua adfuisset, detegendae aptissima fuissent, accurate describant, cum illa securitate, quae propria est hominis ingenui. Ita certe non narrant, qui decipere volunt, neque ita narrando decipere possent [1]).

---

héroïsme est bien dans l'ordre moral? Je dois éviter sur-tout de choquer le sens commun ... des hommes, qui loin d'être assurés, que Dieu approuvera leur imposture, ont au contraire des raisons très-fortes à craindre, qu'il ne la condamne; s'exposeront-ils aux plus grandes calamités, aux plus grands périls, à la mort, pour défendre et propager cette imposture? A peine pourrais-je concevoir qu'un héroïsme si singulier eut pu se glisser dans une seule tête: comment concevrais-je, qu'il se fût emparé des plusieurs têtes, et qu'il eût agi dans toutes avec la même force, la même constance, la même unité?"

1) *Joan.* XVIII, 10.

1) Qui evangeliorum sublimem et inimitabilem simplicitatem non admiratur, hunc omni veri bonique sensu destitutum esse oportet. Unde viris illiteratis et plebejis nova haec narrandi ratio, quam nulli unquam sapientum libri assecuti sunt? Cuncta ita moderate et candide dicunt, ut nemo non videat, eos procul abfuisse ab omni humano affectu. „Jamais la vertu n'a parlé un si doux langage, dit *Rousseau (Observations sur la réponse etc.)*. Jamais la plus profonde sagesse s'est exprimée avec tant d'énergie et de simplicité." Et ailleurs *(Emile* T. III. p. 170.): „Voyez les livres des philosophes avec toute leur pompe; qu'ils sont petits près de celui-là! Se peut-il, qu'un livre à la fois si sublime et si simple soit l'ouvrage des hommes?" Voyez aussi *Bonnet, Recherches philosophiques* chap. XIX., ubi exempli causa citat, quae Matth. IX. leguntur: *Surge, tolle lectum tuum et vade in domum tuam. Et surrexit et abiit in domum suam.* Similia habentur Joan. V, 8. et 9. Et illud Actor. III, 12.: *Viri Israëlitae, quid miramini in hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra virtute aut potestate fecerimus hunc ambulare?* Ubi haec subjicit auctor: *„A ce trait si caractéristique méconnaitrais-je l'expression de l'humilité, du désintéressement, de la vérité? J'ai un coeur fait pour sentir et je confesse, que je suis ému toutes les fois, que je lis ces paroles."* Idem argumentum tractat D. *Rollin, Traité des études,* Tom. II. liv. IV. chap. III. de l'éloquence de l'Ecriture sainte, ubi in exemplum affert haec Lucae XXIII. *Ibi crucifixerunt eum. „Plus, dit-il, on fait attention au caractère inimitable des Evange-*

Confirmatur. Si Apostoli descipiendi animum habuissent, vel consilium iniissent texendae fraudis, vel suo quilibet consilio egisset; atqui neutrum dici potest:

Non primum; alias tanta non esset in eorum libris differentia: non secundum; alias tanta non esset in eorum libris concordia. Ergo etc. [1]).

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

170. — Obj. I. 1⁰ Facta evangelica referuntur a discipulis Christi; atqui hi in propria causa non sunt audiendi. 2⁰ Ante Constantinum pauci admodum fuerunt Christiani; qui autem Christo nomen dederunt, erant homines plebeji, rudes, fanatici, creduli, prodigiorum amatores, quales Judaeos omni tempore fuisse ex profanis auctoribus discimus. Ergo nec Apostolorum, nec sequentium saeculorum testimonium aliud probat.

---

listes, plus on y réconnait la conduite d'un autre esprit, que celui de l'homme etc.

1) „Parceque un fait n'est jamais mieux connu, que lorsqu'il est plus circonstancié; et qu'un concert sécret entre les déposans n'est jamais moins présumable, que lorsque les dépositions embrassent les circonstances *essentielles* du fait, sans se ressembler dans la manière, ni dans les termes: le témoignage veut des dépositions circonstanciées *convergentes* entre elles, et *variées* néanmoins dans la forme et dans les expressions." *Bonnet, Recherches philosophiques* chap. VIII. Voyez le même chap. XXVI. Neque praetermittere possumus notum *Rousseauvii* testimonium, quo finem imponimus iis, quae de librorum N. T. auctoritate dicta sunt: „Dirons-nous, que l'histoire de l'Evangile est inventée à plaisir? Ce n'est pas ainsi qu'on invente, et les faits de Socrate, dont personne ne doute, sont moins attestés, que ceux de Jésus-Christ. Au fond c'est réculer la difficulté sans la détruire; il serait plus inconcevable, que plusieurs hommes d'accord eussent fabriqué ce livre, qu'il ne l'est, qu'un seul en ait fourni le sujet. Jamais des auteurs juifs n'eussent trouvé ce ton, ni cette morale, et l'Evangile a des caractères de vérité si frappans, si parfaitement inimitables, que l'inventeur en serait plus étonnant que le héros."

Resp. ad I. nego min. Evangelistis fidem denegari non posse, jam probatum est. Et quis alius de factis et doctrina Christi melius instructus esse poterat, quam ii, qui per plures annos familiari ejus contubernio fruebantur? Quis non credit Platoni et Xenophonti, Socratis facta et doctrinam narrantibus? Praeterea qnaeritur ab incredulis: Cur homines illi facti sunt Christi discipuli? Cur ipso etiam defuncto tam constanter ipsi adhaeserunt? Cur tanta pro ipsius nomine passi sunt? Cur sanguinem profuderunt?

171. — Resp. ad II. 1⁰ neg. ant. Falsum est, primis saeculis paucos admodum fuisse Christanos. Sufficiat hic, ut de Christianis scriptoribus sileamus, testimonium Plinii junioris, qui in sua ad Trajanum epistola scribit, religionem Christianam implere civitates, vicos et agros, templa esse deserta et neminem emere victimas. Aeque falsum est, primos Christianos homines tantum rudes et illiteratos fuisse. Certum enim est, religionem Christianam in civitatibus potissimum fuisse praedicatam, et exinde demum sese in pagos et vicos diffudisse, jam Apostolorum tempore in celeberrimis per orbem urbibus Romae, Corinthi, Athenis, Ephesi, Jerosolymis, Antiochiae, Alexandriae religionem Christianam floruisse. Quis inter illiteratos numerabit *Paulum*, *Marcum*, *Lucam*, *Stephanum*? Quis *Gamalielem*, *Zachaeum*, *Jairum* synagogae principem, *Josephum* ab Arimathia, *Nicodemum*? Quis *Cornelium* centurionem, *Sergium* proconsulem, *Dionysium* Areopagitam, *Clementem* Romanum et plures alios?

Porro Apostolos et primos Christianos non fuisse fanaticos, nec credulos, nec ex solis Judaeis conversos, ex historia illorum temporum clare apparet. Simplicitas, moderatio plusquam humana ubique ex sacris codicibus elucet; Christiani omnia patienter tolerant, neminem laedunt, bona pro malis

impendunt; ita nec loquuntur neque agunt fanatici.

172. — Resp. 2° nego conseq. Etiamsi detur, primos Christiani nominis sectatores tales fuisse, quales ab adversariis nostris depinguntur; quis non videt, magis adhuc exinde confirmari, quae diximus? Constat enim non natos tunc fuisse Christianos, sed factos. Nemo autem praejudiciis ab infantia haustis, imprimis cum religionem spectant, firmius inhaeret, nemo communi aliorum opinione magis ducitur, quam homines rudes et fanatici. Quomodo ergo fieri potuit, ut homines pravis opinionibus contra Christum ejusque doctrinam a teneris imbuti, Apostolorum scripta tam avide arriperent, tanta constantia defenderent? Plebs quidem prodigia et mirabilia amat: sed cum ea favent suis praejudiciis, suis propensionibus, suae religioni. Porro quod Judaei ut homines creduli et prodigiorum amatores traducantur ab auctoribus profanis, alia procul dubio ratio non est, quam quia in libris sacris Judaeorum multa narrantur vera miracula, quae pagani sine examine et ratione irriserunt, sicut increduli nostri Christianorum miracula sine ratione et examine irrident.

173. — Obj. II. Scriptores evangelici stylum simplicem et alios sinceritatis characteres affectant, ut facilius decipiant. Ergo etc.

Resp. nego ant. Si ita licet argumentari, omnis ruet historica fides. Unde autem viris istis, idiotis et illiteratis, tanta inesse potuit ingenii subtilitas, tanta in texendis fraudibus, iisque sub ingenuitatis et sinceritatis specie tam astute tegendis sagacitas, qualis in vaferrimis et subtilissimis ingeniis non reperitur? Quomodo factum est, ut quamvis alii post alios diversis temporibus scripserint; nihil tamen ipsis exciderit, quod vel leve tantum esset fraudis indicium?

174. — Inst. Apostolorum et Evangelistarum sinceritas ex eo maxime colligitur, quod nihil eos potuisset ad fallendum inducere; atqui tamen propriam gloriam, aut alia commoda sperare potuerunt; quamvis sua eos spes deluserit. Ergo etc.

Resp. neg. min. Nunquam id Apostolis objecerunt etiam infensissimi religionis hostes. Neque satis intelligi potest, quae illis potuisset gloriae aut commodi spes affulgere. Etiamsi supponeretur, eos tanquam homines rudes et simplices promissis Christi, qui se regem Judaeorum dixit, per aliquod tempus decipi potuisse; an non omnis spes necessario evanuisset post Christi mortem, quem extremo supplicio interemptum sciebant? Nec, si celebritatem hominis et commodum proprium quaesiissent, religionem praedicassent omnium gentium opinionibus contrariam, neque eam sanguine suo obsignassent.

175. — Obj. III. Christiani non raro miracula confinxerunt; ergo etiam miracula Christi et Apostolorum conficta esse possunt.

Resp. neg. conseq. Si Christiani quidem auctores miracula fictitia commemorant, facile est eos nimiae credulitatis convincere: quod et factum est a viris probis et eruditis, qui juxta sanae critices regulas fabulosa a certis magna cum cura et diligentia secreverunt. Verum an ideo repudianda est veritas, quia mendacium saepe veritatis larvam induit? An repudiandae omnes historiae, quia multi jam fabulas pro historiis vendiderunt? An quia saepe nummi adulterini sparsi sunt, nummos omnes nunc abjicient philosophi?

176. — Obj. IV. Ex scriptis gentilium, quibus olim facta evangelica oppugnarunt, nonnisi fragmenta supersunt, quae, cum in Patribus tantum reperiantur, merito mutilata habentur et corrupta.

Resp. Quis non videt, inanibus ejusmodi conjecturis omnem fidem historicam convelli? Orbis ad Christum conversus est, cum scripta illa adhuc exi-

sterent; quod certissimo argumento est, philosophorum scripta tunc temporis contra librorum evangelicorum auctoritatem parum valuisse. Quis autem sibi persuadeat, Patres ea quae ex scriptis illis adduxerunt, corrumpere voluisse aut potuisse; cum scripta ipsa existerent, et fraus haec omnibus aperta fuisset? Certe argumenta paganorum, quae in SS. Patrum operibus leguntur, non minus sunt subtilia, quam illa Deistarum hodiernorum, qui ea tam libenter sua faciunt, et ex ipsis PP. operibus, neglectis responsionibus, exscribunt. Quod plura gentilium opera postmodum perierint, temporum injuria factum est, quae etiam Christianorum et Patrum scriptis non pepercit.

177. — Obj. V. Si vera fuissent miracula Christi aliaque facta evangelica, historici Graeci et Latini, qui tempore Apostolorum vel paulo post scripserunt, de illis mentionem fecissent; at illi omnino silent. Ergo etc.

Resp. I. neg. maj. Hoc argumentum mere negativum est et contra ea, quae in probatione allata sunt, nihil probat; praecipue cum hujus silentii rationem reddere possimus. Ex auctoribus Graecis, qui primo et secundo saeculo scripserunt, omnes fere grammatici fuerunt, aut mathematici, poëtae, philosophi, oratores etc.; duo tantum inveniuntur historici, *Arrianus* et *Appianus*. Primus gesta scripsit Alexandri Magni, secundus in sua provinciarum imperii historia Judaeam omisit; mirum ergo non est, si de Jesu ejusque miraculis silet.

Inter Romanos *Tacitus*, *Suetonius* et *Plinius* soli sunt, qui de Christo et Christianis sermonem habere potuissent. Tacitus et Suetonius Romae scripserunt, cum jam Christiana religio severissimis imperatorum edictis exagitaretur; quid mirum, si de Christianis negligenter et cum despectu locuti sunt. Suetonius tamen Christianos ut magnos incantatores traducit [2]). Plinius honorifice de Christianis loquitur [1]), ut infra videbimus. Caeterum nemo nescit, ex innumeris libris, qui imperantibus Augusto et Tiberio editi fuerunt, perpaucos ad nos devenisse [2]).

178. — Resp. II. neg. min. Multa afferri possunt testimonia, quibus constat, Christi miracula non tantum cognita fuisse paganis, sed etiam a multis credita. Huc pertinent 1° relatio *Pilati* de Christi supplicio et miraculis ad *Tiberium* facta, quam *Tertullianus* et *Justinus* paganis cum summa fidentia objiciunt in suis apologiis. Addit Tertullianus [3]), hac relatione adeo commotum fuisse Tiberium, ut Christum inter deos referre voluerit, atque Christianorum accusatoribus periculum comminatus sit.

2° Quae *Lampridius* de *Alexandro Severo* scripsit [4]), quod scilicet Christum cum Abrahamo et Orpheo coluerit in domestico templo.

3° Quae idem auctor de *Hadriano* narrat [5]), quem ait templa in omnibus civitatibus sine simulacro fieri jussisse, Christo, uti putabatur, dicanda; sed

1) In vita Neronis.

1) Epistola ad Trajanum.

2) Difficile non est causam invenire, cur tot auctorum gentilium libri perierint. Cogitemus urbis Romanae incendium sub Neronis imperio, bella intestina saevissima et totius Italiae crebras devastationes; tum barbararum gentium in imperium Romanum irruptiones, provinciarum depopulationes, urbium excisiones et coecum in artium et litterarum monumenta Vandalorum furorem. Cogitemus recentiores Saracenorum incursiones et strages a fanaticis hominibus religioni et litteris illatas. Iniquum igitur esset, Christianis vitio dare, quod nulla eorum culpa factum est. Nam et Patrum antiquorum scriptis injuria temporum non pepercit. Neque mirum videri debet, quod Christiani, quamvis paganorum opera ex industria non destruxerint, majorem tamen in conservandis et describendis scripturae et Patrum libris operam collocaverint. Id magis mirandum, tot adhuc ex profanis auctoribus volumina superesse, a Christianis ac plerumque a monachis descripta.

3) Apologet. cap. VI. 4) In vita Alexandri. 5) Ibidem.

prohibitum fuisse *ab eis, qui consulentes sacra repererant, omnes Christianos futuros, et templa reliqua deserenda.*

4⁰ Testimonium *Porphyrii*, infensissimi Christianorum hostis, cujus haec sunt verba a S. Augustino citata [1]): *Christum piissimum et immortalem factum dii pronuntiaverunt.*

5⁰ Celebris *Plinii* junioris epistola ad *Trajanum* [2]). Praeterea *Celsus* apud *Origenem* [3]) Christi miracula admittit. *Hierocles* iis Apollonii fallacias assimilat. *Porphyrius* ea magicis artibus adscribit, neque ea negare ausus est *Julianus*. Haec summatim attigisse sufficiat, quaedam adhuc paulo inferius occurrent.

179. — Obj. VI. Saltem scriptores Judaici de Christo ejusque miraculis non siluissent, si vera essent, quae in Christianorum libris referuntur. Ergo etc.

Resp. Duo tantum sunt Judaeorum scriptores, qui illis temporibus vixerunt, *Philo* et *Flavius Josephus*. Primus philosophus fuit, non historicus, extra Judaeam semper vixit, et omnia fere ejus scripta Christo et Apostolorum operibus sunt anteriora [4]). Quod secundum attinet, respondemus:

1⁰ Etiamsi de Christo siluisset Josephus, nihil exinde inferri posset, cum tam impudens fuerit Vespasiani adulator, ut etiam prophetias de Messia ipsi applicaverit. Porro argumentum nimium probaret; probaret enim, nec Christum extitisse sub Tiberio, nec Christianos tempore Vespasiani imperatoris, quod nemo nisi insaniens asserere posset.

2⁰ Falsum est, quod Josephus de Christo siluerit; nam insigne de eo testimonium habet lib. XVIII. antiquitatum cap. IV. Non abs re erit integrum hic locum referre. *Fuit hoc tempore Jesus vir sapiens, si tamen virum illum oportet dicere; erat enim mirabilium operum effector, et plurimos quidem ex Judaeis, plurimos etiam ex gentilibus ad se pertraxit. Hic erat Christus, cumque eum a primoribus gentis suae accusatus Pilatus ad mortem damnasset, ab eo diligendo non abstinuerunt, qui primum coeperant; nam post tertium diem redivivus ipsis apparuit; cum divini vates haec aliaque quam plurima admiranda de eo praedixissent. Neque ad hanc diem defecit denominatum ab eo Christianorum genus.*

180. — Inst. Plurimi inter eruditos contendunt, hunc textum pio dolo a Christianis historiae Josephi assutum fuisse. Ergo etc.

Resp. Multo plures illum germanum Josephi foetum esse probarunt; neque certis, quae adducunt, et possitivis argumentis praevalere debent quaedam audacioris critices conjecturae. Textus a nobis citatus in omnibus Josephi codicibus reperitur; ut genuinus citatur ab *Eusebio*, *Hieronymo*, *Rufino*, *Isidoro Pelusiota*, S. Chrysostomi discipulo, *Sozomeno*, *Cedreno* etc. Easdem habet locutiones, eundem dictionis colorem, qui in aliis Josephi scriptis reperitur, prout egregie ostendit *Carolus Daubutz*, dissert. in hanc materiam Londini anno 1706 impressa. Tandem id probe observandum est, neminem ante saeculum XVI. hujus testimonii authentiam negasse, primumque ejus impugnatorem fuisse *Osiandrum*, Lutheri discipulum. Vide D. *Houteville* Tom. II. pag. 229 usque ad 294. *Huetium* Demonst. evang. propos. III. §. XI. et seqq.

181. — Obj. VII. Evangelistae ipsi inter se non consentiunt; ergo fidem non merentur.

Resp. dist. ant. Non consentiunt eo sensu, quod non omnes eadem facta, neque eodem prorsus modo referant, *conc.* Eo sensu, quod unus neget, quod alter affirmat, *neg.* Varietas in evangeliis est, non contradictio; exinde autem veritas historica non infirmatur, sed roboratur potius.

182. — Inst. I. Atqui Evangelistae sibi in pluribus aperte contradicunt; ergo etc.

1) Lib. XIX. de civitate Dei. 2) Lib. X. Epist. XCVII. 3) Lib. I. contra Celsum. 4) Vide *Euseb.* l. II. cap. XVI. XVII.

Prob. ant. Duplicem in evangeliis Christi genealogiam reperimus, quarum alteram S. *Matthaeus*, alteram S. *Lucas* descripsit. Ita autem inter se pugnant illi Evangelistae, ut impossibile sit, utrumque vera narrare. Sic juxta Matthaeum *Salathiel* fuit filius *Jechoniae*, qui a Davide per *Salomonem* descendit. S. Lucas eundem *Salathiel* filium dicit *Neri* a Davide per *Nathanem* descendentem. Juxta utrumque Salathiel genuit *Zorobabel*. Post Zorobabel eadem iterum dissensio usque ad *Joseph*, qui a Matthaeo dicitur filius *Jacobi* ex Zorobabele descendentis per *Abiud*, a S. Luca vero filius *Heli* a Zorobabele descendentis per *Resa:* atqui in his contradictionem esse nemo negare poterit; ergo etc.

Resp. neg. min. Etiamsi in evangeliis conciliandis quaedam remanerent obscura, id nihil probaret contra eorum veracitatem. Cum enim alia temporum illorum monumenta desint, cum usus, mores et instituta illius aetatis a nostris longissime distent, quid mirum, si quaedam occurrant impedita et explicatu difficilia? Varia genealogias Christi conciliandi initur via. Unam hic ostendamus, quam passim sequuntur recentiores interpretes.

Dicimus igitur 1° *Salathielem* filium fuisse verum et naturalem *Jechoniae*, ut habet S. Matthaeus, qui expressis verbis ait: *Jechonias genuit Salathiel;* eundem autem fuisse filium *Neri* legalem, cujus filiam unicam duxerat; cum enim Neri filios non habuerit, omnia successionis jura ad Salathielem transierunt, qui ideo in ejus genealogiam successit. Itaque *Zorobabel* filius unicus Salathielis duplici titulo filius erat *David;* primo per *Salomonem* ex parte patris, et per *Nathan* ex parte matris. 2° *Zorobabel*, qui duplicis stirpis jura in se collegit, ea duobus filiis reliquit, quorum unus *Abiud* genealogiam Davidis per *Salomonem*, alter *Resa* dictus, genealogiam Davidis per *Nathanem* ad posteros perduceret. Duae hae stirpes in *Josepho* iterum conjunctae sunt. Josephus enim filius erat naturalis *Jacobi* et filius legalis et adoptivus *Heli* (qui etiam *Heliacim* vel *Joachim*), quia *Mariam* filiam ejus unicam uxorem duxerat.

En duplicis genealogiae schema:



Itaque Matthaeus genealogiam texuit per eum, qui pater Jesu putabatur, servando communem morem Judaeorum. Neque dicas, Christianos exinde concludere non potuisse, Jesum ex sanguine Davidico fuisse progenitum, cum Joseph ejus pater non fuerit: sciebant enim Christiani ex Judaeis conversi, pro quibus S. Matthaeus evangelium scripsit, viros regia stirpe ortos non alias quam ejusdem stirpis uxores sumpsisse; accedebat quoque traditio in ecclesia semper servata, qua constabat, Mariam filiam fuisse David.

183. — Inst. II. S. Lucas genealogiam a Davide deducit per Nathanem, sed benedictio Davidi promissa erat in Salomone; ergo non solvitur difficultas.

Resp. Inter Mariae progenitores numeratur *Zorobabel*, qui per patrem suum *Salathiel* ex Salomone descendebat, ut in schemate videri potest.

184. — Inst. III. Matthaeus in sua Christi genealogia in pluribus hallucinatur. A Davide usque ad captivitatem Babylonicam quatuordecim generationes numerat et tres ex regibus Juda omittit; scilicet post Joram, omissis *Ochozia*, *Joa* et *Amasia*, ponit *Oziam*. A captivitate Babylonica usque ad Christum tredecim tantum generationes recenset et nihilominus versu 17. concludit: *itaque a transmigratione Babylonica usque ad Christum generationes quatuordecim.*

Resp. ad I. Cur Matthaeus tres reges omittat, necesse non est, ut tam anxie inquiramus, cum certum sit, ut observat D. *Bullet*, hanc apud Judaeos consuetudinem obtinuisse et apud auctores sacros vix duas reperiri genealogias integras et completas.

Ad II. Vel David his numerandus est, ita ut primam classem claudat et secundam incipiat; quo posito tertia classis a Jechonia inchoari potest. Vel dicendum cum P. *Weitenauer*, incuria librariorum factum esse, ut post *Josiam* omitteretur *Joakim*, qui tres fratres habuit et pater fuit *Jechoniae*. Hujus autem erroris ratio ex eo deducitur, quod Jechonias etiam *Joachim* vocetur lib. IV. Reg. cap. XXIV.; quae vox mutata unica littera *h* in *k* facile pro *Joakim* sumi potuit. Male utique diceretur: *Josias genuit Jechoniam et fratres ejus;* quia Jechonias non tantum filius immediatus Josiae non fuit; sed etiam unum tantum fratrem habuit, nempe *Sedeciam*.

185. — Inst. IV. Quaestio de ultimo Christi paschate hucusque a scripturae sacrae interpretibus solvi non potuit; quia ea, quae a Joanne narrantur, cum aliorum Evangelistarum testimoniis conciliari non possunt; ergo etc.

Resp. I. neg. conseq. Jam dictum est, ex eo, quod nos post tot saecula, cum plurimas locorum et temporum et personarum circumstantias ignoremus, quasdam apparentes contradictiones solvere non possemus, minime concludi posse, evangelia sibi revera contradicere.

186. — Resp. II. neg. ant. Diversas hic iterum vias ingrediuntur interpretes. 1° Quaeritur, an Christus revera pascha Judaeorum in hac ultima coena celebraverit? Contrarium tenet *Grotius*, *Lami* et praecipue *Calmet*, qui assertionem suam probare omnibus modis nititur. Si ipsi fides est, decima quarta mensis *Nisan* eo anno incidit in diem Veneris, ita ut Christus eo praecise tempore in cruce mortuus sit, quo agni paschales occidebantur. Verum, cum haec sententia cum expressis Matthaei, Marci et Lucae textibus pugnet, insuper et communi omnium ecclesiarum traditioni contradicit, ab omnibus pene deseritur. Ex professo eam impugnavit D. *Plumyoen* Dissert. *de supremo Christi paschate.* 2° Admisso igitur, quod decima quarta lunae anno trigesimo tertio aerae Christianae in diem Jovis inciderit, et Christus pascha juxta leges praescriptum celebraverit, iterum quaeritur:

quare Joan. XIII., ubi de ultima Christi coena agitur, dicatur: *Ante diem festum paschae?* Cur, cum altero die Judaei Christum ad Pilatum ducerent, Joan. XVIII, 28. addatur: „*Ipsi non introierunt in praetorium, ut non contaminarentur; sed ut maducarent pascha?*“ Cur iterum dicatur Joan. XIX, 31.: *Judaei ergo (quoniam parasceve erat), ut non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati), rogaverunt Pilatum?* Haec omnia probare videntur, eo tantum die, quo Christus mortuus est, ad vesperum paschalia festa habuisse initium; eamque diem fuisse decimam quartam lunae.

187.—Respondet *Harduinus*, pascha revera eo anno in sabbatum incidisse, sed propter affluentem undique hominum multitudinem institutum esse, ut, qui ex Galilaea aliisque provinciis a Jerosolyma longius distantibus aderant, pascha anticiparent et decima tertia sub vesperam agnum comederent, cui usui Christus, qui Nazarenus habebatur, cum Apostolis ex Galilaea ortis se hoc imprimis anno accomodavit, ut posset mortem sequenti die obire.

Haec sententia, quamvis satis ingeniose excogitata, paucis tamen arridet, quia mera est conjectura et nullo argumento sustinetur. Unde pro certo tenent alii, Christum eodem die, quo et alii Judaei, pascha comedisse; id enim, dicunt, a tribus Evangelistis tam expresse asseritur, ut nullum possit dubium remanere. Quae autem ex S. Joannis evangelio opponuntur, facillime dilui posse existimant; si attendatur, 1⁰ verba: *ante diem paschae* nihil aliud exprimere, quam ante *diem festum* vel ante *lucem festivitatis;* nam decima quinta mensis vere erat prima dies festivitatis. 2⁰ Judaeis non omne opus interdictum fuisse in die paschatis, imprimis quando sequens dies sabbatum erat. Potuisse ergo Christum etiam eo die ab ipsis accusari. 3⁰ Verba: *ut manducarent pascha*, juxta usum apud Judaeos communem non agnum tantum paschalem significare, sed et usum azymorum et victimas, quae per septem dies immolabantur. Num. XVIII. Deut. XVI. „*Immolabis phase domino Deo tuo de ovibus et bobus.*“ Lucas pascha vocat *diem azymorum.* 4⁰ Per *magnum diem sabbati* nihil aliud intelligi, quam sequens sabbatum, quod solemnius habebatur, quando in octavam paschae incidebat.

188. — Sunt demum, qui putant, omnem difficultatem toli posse, si dicatur, apud Judaeos post captivitatem Babylonicam usum invaluisse, ut festa nunquam immediate ante, vel post sabbatum celebrarentur, ne duo concurrerent dies, in quibus abstinendum esset ab operibus servilibus; idque imprimis propter sepulturam mortuorum factum esse. Exinde ortae sunt regulae quaedam translationis festorum, quae adhuc hodiedum a Rabbinis observantur. Igitur cum pascha eo anno, quo Christus mortuus est, in diem Veneris incidisset, juxta morem jam introductum in sequens sabbatum translatum est. Christus ergo, qui hac dispensatione vel Rabbinorum interpretatione uti non voluit, pascha celebravit decima quarta ad vesperam, sicut in lege praescriptum erat, quod fortassis et alii religiosi Judaei fecerunt; sacerdotes vero cum maxima populi parte decima quinta tantum ad vesperam agnum comederunt, et sequenti sabbato, qui idciro jure a S. Joanne *magnus dies sabbati* vocatur, paschalem solemnitatem celebrarunt. Videatur *Stolberg* tom. V. zweite Beilage. *Evangile analysé* par M. *Mauduit*, prêtre de l'Oratoire. Tom. IV. dissert. XXIX. XXX. *Bible de Vence.* Tom. XI. dissert. *sur la dernière Pasque de Jésus-Christ.* Prima pars dissertationis sententiam continet D. *Calmet;* secunda ejusdem confutationem a D. *Plumyoen.*

189. — Inst. V. Evangelistae Petri

negationem tam varie narrant, ut nihil exinde certi colligi possit; ergo etc.

Resp. neg. ant. Christus Petro expressis verbis praedixerat: *Antequam gallus cantet*[1]). Vel ut Marcus habet[2]): *Priusquam gallus vocem bis dederit, ter me negabis.* Prima scilicet Petri negatio ante primum galli cantum contigit, tertia ante secundum. Porro triplex negatio tres potius epochas significat, et sic ordinari potest: Petrus in atrio ad prunas videtur ab ancilla ostiaria, quae quum circumstantibus dixisset[3]): „*Et hic cum illo erat;*" ad Petrum conversa dixit[4]): „*Et tu cum Jesu Nazareno eras. At ille negavit coram omnibus, et exiit foras ante atrium et statim gallus cantavit*[5])." Prima negatio.

Exeunte illo, vidit eum alia ancilla et ait his, qui erant ibi[6]): „*Et hic erat cum Jesu Nazareno.*" Petrus ut eam declinaret, regressus est in atrium, et alius videns eum dixit[7]): „*Et tu de illis es.*" Idem etiam alii ex circumstantibus dixerunt[8]). „*At ille negavit cum juramento*[9])." Secunda negatio.

Et intervallo facto quasi horae unius, iterum inter servos haec quaestio orta est. Mox omnes, mox iterum unus, inter alios etiam cognatus Malchi, qui eum in horto viderat, insistunt. „*Tunc coepit anathematizare et jurare, quia nescio hominem illum* [10])." Et statim gallus iterum cantavit. Tertia negatio. Vide *Evangile analysé* tom. IV. chap. 139. *Stolberg* V. Band S. 533.

190. — Inst. VI. Matthaeus et Marcus dicunt, duos latrones Christo in cruce pendenti exprobrasse; contrarium habet S. Lucas, qui cap. XXIII. rem ita refert: *Unus ex his, qui pendebant, latronibus blasphemabat eum. Respondens autem alter increpabat eum.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. S. Lucas rem accuratius narrat, quam alii obiter tantum attingunt. Ille autem loquendi modus, ut in genere aliquid dicatur de pluribus, quod tamen uni aut alteri tantum convenit, valde usitatus est; ut cum dicitur, etiam ab amicis meis mala sustinui, etiam filii insurrexerunt contra me; quamvis unus tantum amicus, aut unus ex filiis id fecerit.

191. — Inst. VII. Evangelistae, cum horam indicant, qua Christus in crucem actus est, aperte sibi contradicunt; ergo etc.

Prob. ant. Marcus ait[1]): „*Erat autem hora tertia, et crucifixerunt eum,*" Lucas contra[2]): „*Erat fere hora sexta, et tenebrae factae sunt in universam terram usque ad horam nonam.*" Joannes quoque[3]) Jesum nonnisi hora sexta condemnatum fuisse asserit: „*hora quasi sexta;*" atqui haec sibi aperte contradicunt: ergo etc.

Resp. I. Etiamsi inextricabilis esset haec difficultas, nihil tamen juvaret Deistas. Hic quippe non agimus de divina librorum N. T. origine; sed de eorum auctoritate ad faciendam fidem. Jam vero omnes critici fatentur, libros historicos non ideo abjici posse, quia in minutis quibusdam circumstantiis aliqua reperitur differentia.

192. — Resp. II. In duas potissimum sententias scinduntur interpretes. Prima ita rem explicat: Judaei diem in quatuor partes dividebant incipientes ab ortu solis usque ad occasum; quaelibet pars tres complectebatur horas, et nomen habebat illius horae, qua incipiebat, ita ut omissis horis intermediis computatio fieret a prima ad tertiam, a tertia ad sextam etc. Itaque, cum tempore aequinoctii seu paschalis hora prima cum nostra sexta matutina coincidat, sequitur tertiam

1) *Matth.* XXVI, 34. 2) *Marc.* XIV, 30. 3) *Luc.* XX. 4) *Matth.* XXVI. *Marc.* XIV. 5) *Matth.* ibidem v. 70. *Marc.* ibidem v. 68. 6) *Matth.* XXVI. 7) *Luc.* XXII. 8) *Joan.* XVIII, 18. 25. 9) *Matth.* XXVI, 72. 10) *Marc.* XIV, 71. *Joan.* XVIII, 26. 27. *Matth.* XXVI, 73. 74. etc.

1) Cap. XV, 25. 2) Cap. XXIII, 44. 3) Cap. XIX, 14.

Judaeorum ab hora nostra nona sumpsisse initium, et totum illud tempus continuisse, quod ab hac nona usque ad meridiem effluxit. His positis, rem ita explicant: Mane, ut ait Joannes, seu hora tertia jam incoepta, Judaei Christum duxerunt ad Pilatum et petierunt, ut crucifigeretur. Diu restitit Pilatus, ac tandem post horam undecimam, *hora quasi sexta*, Christum Judaeis tradidit, ut crucifigeretur; erat autem adhuc hora tertia seu ante meridiem, ut habet Marcus. Cum autem facta esset hora sexta, ut ibidem legitur [1]), tenebrae factae sunt. Sic omnia sibi cohaerent, Christus ad mortem damnatus est hora quasi sexta juxta Joannem. Cruci affixus hora fere sexta juxta Lucam: paulo post hora sexta jam incipiente tenebrae factae sunt.

Secunda sententia eorum est, qui putant librariorum errore factum esse, ut apud Marcum τρίτη poneretur pro ἕκτη, quod multo facilius fieri potuit, si numerus supponitur Graecorum more per litteram expressus: tres per Γ et sex per ϛ. Vide auctores jam citatos.

193. — Inst. VIII. Matthaeus, cum de caede infantium et de fuga Christi in Aegyptum loquitur, omnino contraria narrat iis, quae Lucae II. de purificatione Mariae et praesentatione Christi in templo habentur. Ergo etc.

Resp. Vel dicendum est, caedem infantium et fugam in Aegyptum nonnisi post purificationem contigisse; vel purificationem post reditum ex Aegypto factam fuisse. Utraque sententia suos habet patronos.

194. — Obj. VIII. Plura ab Evangelistis narrantur absurda. Ergo fidem non merentur.

Prob. 1° Matthaeus narrat, Magos ad Bethlehem stella duce venisse; quod hominem rudem indicat, qui stellas terrae viciniores esse putat, nec majores quam apparent. 2° Marci XI. Christus dicitur maledixisse ficui, eo quod fructus non haberet; et tamen in eodem textu additur: *Non enim erat tempus ficorum.* Ergo etc.

Resp. ad I. Stella, quae Magos ad Christum perduxit, non erat stella vera et proprie dicta, sed meteorum aliquod splendidum in aëre efformatum, et fortassis solis Magis visibile. Eventus hujus tam singularis testimonium reperitur apud *Chalcidium*, gentilem et philosophum Platonicum III. saeculi, qui in suo in Platonis Timaeum commentario ita scribit: *Est quoque alia sanctior et venerabilior historia, quae dicit, ortu stellae cujusdam non morbos mortesque denuntiatas, sed descensum Dei ad humanae conversationis rerumque mortalium gratiam, quam stellam quum nocturno itinere conspexissent Chaldaeorum sapientes viri, quaesiisse dicuntur recentem ortum Dei, repertaque illa majestate puerili veneratos esse; et vota tanto Deo nuncupasse convenientia.* Sed ne Julianus quidem diffitetur, novum sidus post Christum natum apparuisse, et ad eum Magos venisse; sed stellae illius ortum ad causas naturales accommodare studet.

Ad II. Alii textum ex Graeco ita vertunt: *Ibi enim* (in Judaea scilicet) *erat tempus ficorum.* Vox οὐ, inquiunt, quam Vulgata per *non* exprimit, in Graeco mutato accentu idem significat ac *ibi*. Alii ita rem explicant: Christus ad ficum accessit eo tempore, quo ficus in Judaea fructus maturiores jam habebant. Nihil tamen in ea arbore invenit, quamvis tempus colligendorum fructuum nondum fuerit; quod probat arborem sterilem fuisse, nullosque omnino protulisse fructus.

195. — Inst. Absurda certe sunt et fabulosa, quae narrantur in historia tentationum Christi. Ergo etc.

Resp. neg. ant. 1° Vox *assumpsit* non bene redditur per haec verba: *er trug ihn.* Graeca vox: παραλαμβάνει,

1) *Marc.* XV, 33.

sicut et Latina *assumpsit*, significat: *er führte, er nahm mit sich.* Quod clarius adhuc exprimitur per verbum ἤγαγεν, quo utitur S. Lucas.

2⁰ Haec verba: *omnia regna mundi*, nihil aliud sunt, quam modus aliquis loquendi vulgaris. Potuit tentator per varias terrae plagas regnorum terrestrium situm ostendere, eorumque splendorem extollere, imo et eorum possessionem Christo promittere. Quoties enim fallacibus suis pollicitationibus incautos ad peccatum non allicit, dum oculos obcoecat inani felicitatis specie, quam nec dare intendit, nec dare potest?

196. — Obj. IX. In evangeliis facta leguntur tam extraordinaria et simul tam publica; ut si revera contigissent, de iis silere non potuissent profani auctores; atqui tamen silent; ergo etc.

Prob. I. Atrocem illam puerorum caedem, quos Herodes jussit interfici, solus Matthaeus refert cap. II. Nullam tantae crudelitatis mentionem faciunt profani scriptores, ne Josephus quidem, qui alia omnia ab Herode crudeliter gesta commemorat.

II. S. Lucas ait [1]), tempore quo Christus natus est, factam fuisse universi orbis descriptionem a praeside Syriae Cyrino. Verum de hac recensione non tantum silent auctores profani, sed ex Josepho et aliis constat, Cyrinum illum praesidem Syriae non fuisse, nisi decem circiter annis post mortem Herodis.

III. Ab Evangelistis narratur, in morte Christi solem fuisse obscuratum et tenebras factas super universam terram. Sed res tam insolita, si revera contigisset, in omnibus temporum illorum historiis fuisset consignata.

197. — Resp. ad I. Cur Josephus de caede puerorum siluerit, nostrum non est inquirere; scimus eum res complures memoria dignas silentio pressisse. Caeterum non videtur, tantum fuisse infantium occisorum numerum, quam a nonnullis asseritur, neque tam extraordinarium eo tempore visum est, quod crudelis tyrannus, qui propriis liberis non pepercit, saeviret in ignobile puerorum vulgus. Quidquid sit, habemus testimonium, quod apud adversarios praevalere debet Josephi testimonio. De imperatore Augusto ita narrat *Macrobius* [1]): *Cum audisset, inter pueros, quos in Syria Herodes rex Judaeorum intra bimatum jussit interfici, filium quoque ejus occisum, ait: melius est Herodis porcum esse, quam filium.*

198. — Ad II. Sensus Evangelistae est: *Haec est prima descriptio, quam fecit Cyrinus.* Duplex a Cyrino facta est conscriptio; prima vivente adhuc primo Herode; quae cum ad finem non sit perducta, altera deinde decem post annis, cum praeses Syriae esset, instituta est. Inter profanos auctores solus *Dio*, ut observat *Tillemont*, accuratam Augusti imperatoris historiam scripsit. Intercidit autem illius historiae pars ab anno Urbis conditae 748 ad 758. Porro *Justinus* et *Tertullianus*, cum in apologiis suis de hoc facto loquuntur, ad publicas census illius tabulas provocant, in scriniis imperii asservatas. Respondent alii, vocem Graecam πρώτη, quam usurpat Evangelista, verti posse per *prius*, ita ut sensus sit: *haec descriptio facta fuit, prius quam Cyrinus esset praeses Syriae.* Vocem πρώτη significare *prius-quam, ante*, plurimis exemplis demonstrat doctissimus *Bullet* [2]); hoc vero addidit Evangelista, quia illa descriptio, quae postea a Cyrino facta est, utpote posterior et famosior in recenti adhuc memoria erat.

199. — Ad III. Solis defectionem et terrae motum, quae in morte Christi contigerunt, narrat *Phlegon* Hadriani libertus in chronico Olympiadum [3]):

1) Cap. II, 1. 2.

1) Libro II. Saturnalium. 2) Réponses critiques. T. I. p. 456. 3) Lib. XIII.

Quarto anno CCII. Olympiadis (quo anno Christus mortuus est) *magna et excellens inter omnes, quae ante eam acciderant, defectio solis facta est. Dies hora sexta ita in tenebricosam noctem versus, ut stellae in coelo visae sint, terraeque motus in Bithynia Niceae urbis multas aedes subverterit. Eusebius* in chronico testatur, haec ipsa in aliis ethnicorum commentariis reperiri. Imo *Tertullianus* et *Lucianus* Antiochenus martyr paganos ad tabularia et publica instrumenta in eorum archivis servata remittere non verentur [1]).

ARTICULUS II.

Vindicatur fides et auctoritas librorum veteris testamenti.

200. — Praecipua revelationis Christianae argumenta ex libris N. T. hauriuntur. In his religionis suae ortum et progressum, in his filii Dei inter homines conversantis exempla et coelestem doctrinam; in his vaticinia, quae ex ipso Christi ore profluxerunt, atque illa, quibus orbis subactus est, Christi et Apostolorum miracula reperit Christianus. Unde nihil nobis antiquius esse debet, quam auctoritatem horum librorum asserere, quos tanquam sacratissimos nostrae haereditatis et adoptionis titulos veneramur.

Verum et libros V. T. summa veneratione prosequimur, neque eorum auctoritati quidquam detrahi permittimus. Nostri sunt, quia in repudiatae synagogae jura intravimus. In his generis nostri originem, et mundi exordia reperimus, et ab initiis deductam salutis nostrae oeconomiam; et factas patribus promissiones; et ad perfectam Christi aetatem adolescens genus humanum; ex his legis Mosaicae, cujus tanta est cum Christiana religione connexio, divinam originem eruimus, ac tot insignia Prophetarum oracula in Jesu et per Jesum completa, quem Pater constituit haeredem universorum, per quem fecit et saecula. Eandem in hac materia viam ingredimur, quam ad probandam librorum N. T. auctoritatem secuti sumus, ita tamen, ut primum de Pentateucho separatim loquamur, in quo tota Mosaica religio continetur, tum etiam de aliis libris, ex quibus V. T. componitur.

§. I.

De Pentateuchi authenticitate.

PROPOSITIO.

Extitit revera Moyses dux et legislator populi Israëlitici, isque verus est auctor Pentateuchi.

Prob. I. pars.

201. — Nemo unquam in dubium vocare ausus est facta historica, quae constanti et perpetua traditione nituntur, et non tantum contradictionem nullam passi sunt unquam; sed et testimoniis fundantur innumeris, tum domesticorum, tum externorum; atqui talis est existentia Moysis ducis et legislatoris Judaeorum; ergo etc.

Major negari non potest, cum ad certitudinem historicam etiam in summo gradu nihil ulterius exigi possit; neque alio modo probari possint facta historica quaecumque, etiam celebratissima.

Prob. itaque min. Moysen extitisse, eumque populi Judaici ducem et legislatorem fuisse, publica fama ad nos usque perductum est; id certum semper fuit et indubitatum Judaeis tum veteribus, tum hodiernis; atque imprimis ex sacris voluminibus liquet, quae proxime et continua serie Moysis aetatem consecuta sunt; ut *Josuae*, *Judicum*, *Regum*, *Paralipomenon*, *Esdrae*, *Danielis* volumina. Judaeis suffragantur Samaritani, hostes Judaeorum infensissimi, imo auctores pagani omnes, qui de Judaeis, eorum lege et legislatore loquuntur. Praeter *Tacitum*, *Dionem Cassium*, *Juvenalem* etc. consentientes habemus *Cel-*

1) Vide *Tertull.* Apologetici cap. XXI. *Euseb.* lib. VIII.

sum, Porphyrium, Julianum, aliosque religionis Christianae impugnatores, qui rei evidentia convicti negari ausi non sunt, quod tamen negare ipsorum intererat. Inde certe factum est, ut inter tot auctores, quorum scripta ad nos pervenerunt, atque inter ipsos Naturalistas nullus sciatur, qui unquam dubitaverit Moysen extitisse, ac Judaeorum fuisse legislatorem.

Prob. II. pars.

202. — Eadem argumenta, quae probant extitisse Moysen ducem et legislatorem populi Judaici, probant etiam illum auctorem esse Pentateuchi. Ergo etc.

Prob. ant. Quod Pentateuchus a Moyse conscriptus fuerit, constans probat traditio, et fides publica omnium saeculorum. Ac primum quidem in Pentateucho pluribus in locis expressis verbis asseritur, Moysen res a populo Dei gestas in litteras retulisse. Exod. XVII, 14. dixit Dominus ad Moysen: *Scribe hoc ob monimentum in libro et trade auribus Josuae.* Ibid. XXIV, 4. *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini.* Similia habentur Exod. XXXIV. Num. XXXIII. Deuteron. XXXI. Idem auctores omnes tum Judaei, tum Christiani uno ore testantur, quibus consentiunt et Mahumetani in Alkorano, et pagani, ut *Diodorus Siculus, Strabo, Plinius, Tacitus, Juvenalis* aliique quam plurimi, quorum testimonia collegit illustrissimus *Huetius* prop. IV. cap. II. Neque illud unquam in dubium vocarunt religionis tum Judaicae, tum Christianae saevissimi hostes, *Celsus, Porphyrius* et *Julianus* Apostata etc. Ex his ita concluditur:

Nemo unquam dubitavit, Homerum auctorem esse Iliadis, Virgilium Aeneidos, Ciceronem Catilinarum etc.; quia traditio constans et fides publica testantur, ipsos esse horum librorum auctores; ergo idem valere debet argumentum, cum de auctore Pentateuchi agitur; ergo contra omnium scriptorum asserta, contra publica populi Judaici monumenta, contra infensissimorum religionis tum Judaicae, tum Christianae hostium confessiones, post tria et amplius annorum millia nihil valere possunt paucorum scepticorum conjecturae et cavillationes.

203.—Prob. II. Si Moyses non scripsit Pentateuchum, explicari non potest, quomodo libri tanti momenti, qui jus sacrum et civile totius nationis complectuntur, qui tot ritus, tot instituta continent, cum tota Judaeorum vita, tum civili, tum domestica intime connexa, huic populo successu temporis obtrudi potuissent tanquam a Moyse conscripti.

204. — Prob. III. Illi, qui contendunt, Pentateuchum a Moyse non fuisse vulgatum, nullum praeter Esdram auctorem assignare potuerunt. Atqui evidens est Esdram illius auctorem non fuisse; nam (ut multa alia argumenta omittam, quae suppositionis hujus absurditatem ad oculum demonstrant) quomodo ad Samaritanos pervenissent libri illi, post captivitatem ab Esdra primum evulgati, cum omnibus notum sit, eo imprimis tempore capitale odium inter Judaeos et Samaritanos exarsisse? An non hi fraudem detexissent, et palam fecissent omnibus.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

205. — Dicunt. I. Multa deorum et heroum nomina constanti et publica traditione ad nos pervenerunt, quae nihilominus tanquam fabulosa explodimus. Praeterea scimus, nihil certi in historia reperiri ante bellum Trojanum, quod trecentis circiter post Moysen annis contigit. Ergo etc.

Resp. 1° Hoc argumentum nimis probaret. Si enim ita concludere liceret, omnis fides historica rueret et in dubium vocari posset omnium, qui unquam floruerunt, celeberrimorum virorum existentia. 2° Certitudo moralis aut historica, qualem hic ad-

struimus, vim plenam perfectamque ad persuadendum habet ex argumentorum congerie, quae sese invicem sustinent ac roborant. Itaque hoc argumentum ex traditione publica desumptum ab aliis divelli non debet. 3° Dubium non est, extitisse olim viros famosos, qui postmodum inter deos relati sunt; sed non minus apud omnes eruditos notum erat, multa de illis narrata fuisse fabulosa. 4° Non negamus, ante bellum Trojanum omnia incerta esse et confusa in historia profana; ratio est, quia nullos habemus scriptores coaevos, qui facta illorum temporum collegerunt. Contrarium de historia sacra valet.

206.—Dicunt. II. Tempore, quo Moyses Pentateuchum scripsisse dicitur, ignota adhuc erat scriptura alphabetica; ergo etc. Ita *Voltarius* et alii.

Deinde Moysi plures alii libri in Pentateucho attribuuntur, ut *liber legis*, *liber foederis*, *liber mansionum filiorum Israël*, *liber bellorum Domini*, *liber belli Amalec:* atqui tot libros simul cum Pentateucho scribere non potuit Moyses. Ergo etc.

Resp. ad I. Falsum est, quod *Voltarius* cum tanta confidentia asserit. *Cadmus*, qui litteras ad Graecos transtulit, Moysi coaevus fuit, ergo eas tunc habuerunt Aegyptii et Phoenices; idque fatetur *Spinosa*, qui librum bellorum Dei, librum foederis etc. Moysi adscribit. Adde, ut observat auctor eximii operis: *Lettres de quelques Juifs* [1]), *Voltarium* pro more suo aperte sibi contradicere; nam alio loco [2]) docet nos, Sanchuniatonem antiquissimum Phoeniciarum rerum scriptorem Moysis fere tempore vixisse, suumque librum exarasse litteris alphabeticis.

Ad. II. Nihil impedit, quominus dicatur, omnes fere illos libros partes esse ipsius Pentateuchi; librum *legis* non esse alium quam Deuteronomium; librum *foederis* collectionem esse praeceptorum decalogi et aliorum, quae in monte Sinai tradita sunt; librum *mansionum* eundem esse cum libro Numerorum; librum *bellorum Amalec* probabilius esse caput XVII. Exodi. Quod librum *bellorum Dei* attinet, de quo Num. XXI., non satis constat, an a Moyse conscriptus fuerit; potuisset enim liber ejusmodi existere Pentateucho antiquior, qui lapsu temporis fuisset deperditus.

207. — Dicunt III. Gen. XVII, 14. mons *Moria*, in quo Deus jubet Abrahamum immolare filium suum, vocatur mons: *Dominus videbit*, quod nomen tum demum accepit, quando templum ibi conditum est.

2° Ibid. cap. XXXVI. legitur: *Reges, qui regnaverunt in terra Edom, antequam haberent regem filii Israël, fuerunt hi*... statimque recensentur octo reges et undecim duces, qui nonnisi post reges imperarunt, ut habetur I. Paralip. I.; atqui haec aperte scriptorem ostendunt Moyse longe posteriorem. Nam 1° tempore Moysis nec Israëlitae reges habuerunt, nec Idumaei duces. 2° Impossibile fuisset, ut ab Esau usque ad Moysen, id est, spatio ducentorum circiter annorum, octo reges et undecim duces sibi successissent. Ergo etc.

Resp. ad I. Nomen *Moria* ex his Abrahami verbis ortum videtur: *Dominus providebit.* Falsum ergo est, hoc ei nomen a templo ibi condito inditum fuisse. D. *Houbigant*, diligentissimus scriptor et linguae Hebraicae peritissimus, ita vertit: *Appellavitque Abraham nomen loci illius: Dominus videbitur.* Putat enim vir doctissimus, Abrahamum jam tum intellexisse, Isaaci immolationem typum fuisse melioris victimae, in illo ipso monte aliquando immolandae; quando ipse Dominus e cruce pendens omnibus se videndum praebiturus esset.

Ad II. Nihil impedit, quominus Moysi, qui populum regia auctoritate

---

1) Tom. I. lettre IV. §. I. 2) Philosophie de l'histoire art. Phéniciens.

gubernavit, etiam regis nomen attribuatur. A Philone diserte βασιλεύς dicitur. Idumaeos autem jam ante Moysem duces et reges habuisse ex cantico Moysis apparet Exod. XV. ubi v. 15. dicitur: *Tunc conturbati sunt principes Edom.* Praeterea omnes historiae testantur, communiter plus quam octo reges ducentorum annorum spatio sibi succedere: duces autem illos eodem tempore, sed diversis in locis populo praefuisse ex capitis XXXVI. versu ultimo colligitur: *Hi duces Edom habitantes in terra imperii sui.*

208. — Dicunt IV. In Deuteronomio referuntur Moysis obitus et Judaeorum luctus etc. Atqui haec a Moyse scribi non potuerunt; ergo etc.

Resp. Communis est interpretum sententia, caput ultimum proprie ad Deuteronomium non pertinere, sed initium esse libri Josuae. Deuteronomium optime terminatur per solemnes Moysis precationes, quae capite penultimo ejusdem libri leguntur. Quod autem abstractum fuerit hoc exordium libri Josuae et Deuteronomio adjectum, non alia videtur ratio fuisse, quam ut Judaei in uno volumine universam haberent Moysis historiam.

SCHOLION.

Omittimus plura alia argumenta, quae etiamsi vera essent, nunquam tamen convellere possent Pentateuchi auctoritatem, tantis caeteroquin momentis stabilitam. Manet semper libro sua auctoritas, etiamsi constet, textum in minutis quibusdam rebus corruptionem passum esse: ut cum aliquid omissum fuit incuria librariorum, aut forsan nota ad marginem adscripta in textum relata fuit. Haec in genere hic dicta sint: porro nullum est incredulorum argumentum, quod non solutum, ac penitus dilutum reperias a novis et veteribus revelationis defensoribus.

§. II.

De Pentateuchi integritate.

PROPOSITIO.

Pentateuchus integer et incorruptus ad nos pervenit.

209. — Prob. 1° Eadem fides publica et totius gentis Judaicae per omnes generationes perducta traditio, quae probat Pentateuchum genuinum esse Moysis opus, etiam probat eum integrum semper et incorruptum permansisse: siquidem integrae semper nationi persuasum fuit, se illud ipsum opus habere, quod a Moyse acceperunt Patres eorum, neque additum quidquam fuisse, aut detractum iis, quae Moyses scripserat. Ergo si haec fides publica et constans traditio invicte probat Pentateuchi authentiam, etiam probat integritatem: imprimis cum nullum possit corruptionis argumentum, nullum vestigium assignari.

210. — Prob. 2° Si Pentateuchus fuisset interpolatus, interpolari quoque debuissent libri omnes V. T.; atqui hoc nemo adhuc ausus est asserere. Ergo etc.

Prob. major. Omnes V. T. libri Pentateuchum supponunt, mire cum eo colligantur, tum in factis, tum in praeceptis, ut apertum sit, illum labefactari non posse, nisi et aliorum convellatur auctoritas.

211. — Prob. 3° Si Pentateuchus fuisset interpolatus, illud factum fuisset vel a Judaeorum adversariis, vel ab ipsis Judaeis; atqui neutrum dici potest. Ergo etc.

Prob. I. pars. min. Judaeorum adversarii fuerunt Samaritani, Christiani et Gentiles; jam vero certum est, 1° Judaeos his nunquam aliquid ejusmodi objecisse; 2° nullam esse differentiam inter codices Judaeorum, et eos qui in aliorum manibus sunt; 3° omnes Judaeorum adversarios exemplaria codicum a Judaeis tantum habuisse; nunquam ergo potuissent aliquam corruptionem attentare, aut si

eam attentassent, efficere, ut etiam in Judaeorum exemplaria irreperet.

Prob. II. pars min. Si interpolatio a Judaeis facta fuisset, vel omnes in eam conspirassent; vel aliqui tantum id attentassent; sed neutrum admitti potest. *Non primum:*

Hoc enim admittere omnino vetat summa Judaeorum erga libros sacros veneratio, et in illis conservandis incredibilis sollicitudo. Praeterea libri, de quibus agitur, non fuerunt privati et obscuri hominis opus, paucis cognitum, scientiarum arcana et res extra usum communem positas complectens; sed universo populo notissimi et sacratissimi, utpote qui totam regiminis tum ecclesiastici, tum civilis normam complectebantur, et populi historiam, monumentis publicis, ritibus festisque testatam. *Secundum* aeque fuisset impossibile. Si enim a quibusdam fraus tentata fuisset, restitissent alii omnes, imprimis legis doctores, Prophetae, aut alii religiosi viri, qui zelum legis habebant: neque difficile fuisset fraudis convincere impios corruptores; quia libri in omnium manibus erant, et unum exemplar cum omni cura in templo asservabatur, atque etiam coram populo solemniter singulis septenniis legebatur.

212. — Prob. 4° Corruptio Pentateuchi, si qua facta fuisset, debuisset contingere aut ante schisma decem tribuum, aut post illud schisma. Atqui neutrum dici potest. Ergo etc.

Prob. min. *Non primum*, tum ob rationes superius allatas, tum quia recentior adhuc erat eorum, quae a Moyse gesta et scripta fuerant, memoria. *Neque secundum;* quia rationibus jam allatis nova accedit et peremptoria ratio, ex ipso schismate desumpta. Certum enim est, Pentateuchum Samaritanum, qui idem est cum illo, quem decem tribus post factum schisma habuerunt, a Pentateucho Judaeorum non differre; si autem post schisma a Judaeis facta fuisset aliqua in textu corruptio, eam aliae tribus, et postmodum Samaritani non tantum non admisissent, sed Judaeis, quibus infensissimi erant, exprobrassent.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

213. — Dicunt I. Libro IV. Reg. XXII. et II Paralip. XXXIV. legitur, *Helciam* sacerdotem volumen legis reperisse in domo Domini; et ad illius lectionem regem *Josiam* et pontificem et universum populum obstupuisse, tanquam de re nova et inaudita. Ergo nullum aliud tum temporis existebat legis exemplar; ergo et facillime corrumpi potuit volumen illud, quod unicum supererat.

Resp. Volumen illud, quod ad regem delatum est, ipsum Moysis autographum erat, et probabilius Deuteronomium, quod ad latus arcae positum fuerat a Moyse. Quod autem dicitur illud volumen unicum superfuisse, id sine omni probabilitate asseritur. Certum est econtra, politiam et religionem a Moyse institutas nunquam abrogatas fuisse, reges post hunc legislatorem novas leges non condidisse; librum Moysis unicum fuisse legum codicem, juxta quem jus populo dividebatur, et sacra religionis ordinabantur; ac proinde interire non potuisse, stante constitutione Mosaica. Verum est, Manassem reges omnes, qui ante ipsum erant, impietate et dementia superasse; sed plures etiam tunc temporis Prophetae vivebant, qui cum magna constantia impium principem reprehendebant; multi etiam religiosi viri, qui impii regis offensionem incurrere non reformidabant. Quis autem sibi persuadeat, viros tam constantes, tam studiosos legis libros suos sacros igni tradidisse? Dicendum est igitur, Josiam commotum fuisse aspectu tam venerandi autographi et ideo verbis legis et comminationibus ex ipso hoc volumine recitatis attentiorem mentem praebuisse. Ita enim ait II Paralip. XXIV, 21.: *Magnus furor domini*

stillavit super nos, eo quod non custodierint patres nostri verba domini; non ait: *eo quod non noverint*, sed *quod non custodierint.*

214. — Dicunt II. Libro IV. Esdr. XIV. narratur, quod omnia exemplaria legis incendio Jerosolymitano perierint, et ab *Esdra* iterum ex integro fuerint restituta. 2⁰ Grassante *Antiochi* persecutione codices sacri omnes flammis consumpti sunt ex I Mach. I, 59.

Resp. ad I. Nulla est auctoritas libri quarti Esdrae, in quo multa falsa et fabulosa referuntur. Quamquam et illi narrationi veri aliquid subsit; quia Esdras in lege doctissimus et scriptor theopneustus, soluta captivitate, libros sacros temporum injuria dissipatos collegit et a mendis expurgavit.

Ad II. Libro I Mach. narratur quidem, libros sacros fuisse conquisitos et combustos, cum invenirentur. Sed insulsum esset exinde concludere, omnia exemplaria fuisse abolita; imprimis cum eo jam tempore variis in regionibus dispersi fuerint Judaei et jam exstiterit LXX interpretum versio. Sed etiam in Judaea deleta non fuisse sacra volumina ex eodem primo Machabaeorum libro colligitur cap. I, 46. et cap. XII, 9.

215. — Dicunt III. SS. Patres teste *Morino* Judaeos accusant interpolationis scripturae; et revera magna est in exemplaribus discordantia, neque cum textu consentiunt versiones.

Resp. neg. conseq. 1⁰ Patres non accusant Judaeos, quod ante Christum florente adhuc synagoga sacros codices violaverint.

2⁰ Interpolatio a Patribus Judaeis objecta saepe interpretationem tantum respicit, non textum. Hinc *Justinus* [1]) id solum conqueritur, quod LXX illi senes scripturam recte interpretati fuerint, Judaei vero aliter *interpretari* aggrederentur. Et *Irenaeus* ait [2]):

Non igitur vera est quorumdam interpretatio, qui ita audent interpretari scripturam: Ecce adulescentula in utero habebit et pariet filium; quemadmodum Theodotion Ephesius est interpretatus et Aquila Ponticus, utrique Judaei proselyti.

3⁰ Si Judaei aliquam textus interpolationem tentarunt, haec unam aut aliam vocem, aut paucos versiculos respicit, non autem rerum et imprimis factorum substantiam.

4⁰ Ex eo, quod exemplaria Hebraica et Samaritana aut alii codices in quibusdam non concordent, nihil sequitur; quia haec lectionum varietas librorum substantiam non afficit; eadem enim in omnibus facta referuntur, eaedem leges, eadem doctrina. Hoc autem, quod, ubicumque error irrepsit, exemplaria differant, plane convincere nos debet, nullam supponi posse corruptionem, ubi exemplaria omnia et versiones concordant.

216. — Dicunt IV. Triplex habetur historiae Mosaicae chronologia, alia Hebraeorum, alia Samaritanorum, alia septuaginta interpretum; quae omnes insigniter inter se differunt; ergo corruptus fuit Pentateuchus.

Resp. 1⁰ Fides non denegatur factis historicis ab Herodoto ex Xenophonte relatis, quamvis in eorum chronologiis reperiatur discrepantia.

2⁰ Haec diversitas causam nostram magis juvat, nedum ei noceat. Contendunt adversarii vitium in Pentateuchi historiam irrepsisse, atque inde factum esse, ajunt, ut codices et versiones in hac parte dissentiant. Si ergo in rebus praecipuis et magni momenti mutatio aliqua facta esset, utique in eo capite etiam discreparent exemplaria. Ergo, ubi non discrepant, certum est nullam factam fuisse interpolationem.

3⁰ Ex argumento proposito ad summum sequeretur, mutationem aliquam fieri potuisse in rebus levioribus, ad historiae substantiam non pertinentibus, et ea, quae statum populi tum

1) Dial. cum Tryph. n. 7. 2) Lib. III. cap. XXIV. alias XXI.

publicum, tum privatum concernunt, non attingentibus.

4⁰ Inter scripturae interpretes quam plurimi sunt, qui contendunt genuinam esse, neque unquam vitiatam fuisse chronologiam, quae in textu Hebraico habetur, cum quo etiam Vulgata nostra concordat. Rationes praecipuae sunt: 1⁰ quia textus Hebraicus primigenius est, custodiae populi Dei ab ipso Deo traditus; ideoque a Judaeis tanta cura conservatus. 2⁰ Quia in Hebraeorum codicibus calculi integre verbis exprimuntur; cum econtra LXX. interpretes calculos characteribus numericis expresserint, in quo facilius vitium irrepere potest. Hae rationes eo magis valere videntur chronologiae Hebraicae defensoribus, quod ex adverso nihil sibi opponi posse dicant, ad quod respondere non valeant [1]).

217. — In gratiam candidatorum praecipuas chronologiae sacrae difficultates brevi commentario subjicimus. Neque vitio dabitur, si paulisper extra Pentateuchi historiam excurrentes, pauca addimus ad quartam mundi aetatem pertinentia. In quatuor enim primis mundi epochis praecipuae occurrunt chronologicae difficultates, ex quibus magna deinde exorta est inter chronologos opinionum diversitas. Vide Dissertationes de annis Patriarch. T. III. Menochii edit. Venet. p. 344. et seqq.

I. Ante diluvium. Vide Genes. V.

Juxta codicem *Hebraeum* et *Vulgatam* a creatione usque ad diluvium numerantur anni 1656. Septuaginta interpretes annos computant 2262, vel juxta alias editiones 2242. *Samaritanus* codex annos tantum continet 1307. Ratio differentiae in eo sita est, quod Graecus codex omnibus Patriarchis ante genitum filium 100 annos adjiciat; eosque detrahat post genitum filium, exceptis *Mathusala* et *Lamech.*

II. Post diluvium a Noëmo usque ad Abrahami vocationem. Vide Genes. XI.

Juxta Hebraeos Abraham vocatus est annis 427 post diluvium. Verum ab Hebraeo dissentiunt tum Samaritani, tum Graeci interpretes. Hi ab Arphaxad iterum usque ad Nahor centum annos addunt ante generationem, nec post generationem aliquod detrahunt: insuper inter Arphaxad et Sale in hodiernis saltem exemplaribus insertus reperitur *Caïnan*, qui filius Arphaxad dicitur et pater Sale, et cui anni 130 tribuuntur ante genitum filium. Itaque Graecorum chronologia a diluvio ad vocationem Abrahami annos numerat circiter 1247. Samaritanus codex, qui ante diluvium magis Hebraeo quam Graeco concordat, post diluvium magnam habet cum Graeco codice affinitatem, omittit autem Caïnam post Arphaxad.

Major est in hac parte eruditorum dissensio. Pluribus Graecorum chro-

1) Tanta est interpretum in annis mundi computandis differentia, ut plus quam XC diversae sententiae numerentur. Ea, quae numerum annorum plus caeteris coarctat, usque ad Christum annos exhibet 3740; quae autem spatium maxime extendit, annos computat 6984; quod discrimen efficit 3244 annorum. Verum non est, cur difficultatibus immoremur, quae ad historicam fidem, ordinem et naturam factorum nihil conferunt. *Hujusmodi haerere quaestionibus,* ait *Hieronymus* (Epist. ad Vitalem), *non tam studiosi, quam otiosi hominis est.* Alibi (in cap. III. Epist. ad Titum.) ejusmodi de numeris annorum quaestiones inutiles et vanas appellat, quae tantum speciem scientiae habent, caeterum nec dicentibus, nec audientibus prosunt. *Quid enim mihi prodest,* ait, *scire quot annos vixerit Mathusalem?* Sic et S. *Augustinus* ait (Lib. XV. de civit. Dei cap. XIII.): *„Etiam nunc, cum numeri non faciunt intentum ad aliquid, .. et negligenter describuntur et negligentius emendantur.“* Rem ipsi ecclesiae tanti momenti visam non esse ex eo cernimus, quod, licet Vulgatam, quae Hebraeorum chronologiam sequitur, authenticam declaravit, ipsa tamen in Martyrologio ad vigesimum quintum Decembris Graecorum computationem sequatur.

nologia, cui etiam Samaritana exemplaria favent, valde probatur. Ex his tamen plerique *Caïnan* ex numero Patriarcharum expungunt, quem putant suppositititium esse et amanuensium errore in Graecos codices et evangelium S. Lucae irrepsisse.

III. Ab Abrahami migratione usque ad exodum.

218. — Quaeritur inter interpretes, quot annos huic tertiae aetati assignare oporteat. Controversiam omnem dirimere videtur *Apostolus ad Galat. III.*, cum dicit, legem datam post 430 annos a facta Abrahae promissione. Verum non exiguam difficultatem pariunt alia scripturae loca[1]), quae Israëlitas totos 400 vel 430 annos in Aegypto mansisse dicunt; ita ut adjectis annis, quibus Patriarchae peregrinati sunt in terra Chanaan, spatium haberetur plus quam sexcentorum annorum. Rationes, quibus utriusque sententiae patroni inter se pugnant, expendere nostri non est instituti. Communis sententia 430 annos numerat, eosque in duas partes aequales distribuit; id est 215 peregrinationis in terra Chanaan, et 215 alios in Aegypto usque ad exitum transactos.

IV. Ab exitu ex Aegypto usque ad templi Salomonici aedificationem.

219. — Non exiguus chronologis labor est in annis quartae hujus aetatis determinandis. Summa hujus intervalli praecise definitur a scriptura III Reg. cap. VI., ubi sic legitur: *Factum est ergo quadringentesimo et octogesimo anno egressionis filiorum Israël de terra Aegypti in anno IV. mense Zio (ipse est mensis secundus) regni Salomonis super Israël aedificari coepit domus Domino.* Sed difficultatem pariunt, quae in lib. Judicum leguntur: nam si anni Moysis et Josuae et spatium illud, quod inter mortem Josuae et primam servitutem effluxit, numerentur; tum anni singulorum principum, qui populo praefuerunt, nec non interregna, cum scilicet alienigenis in servitutem traditi sunt Israëlitae; hisque jungantur anni Samuëlis, Saulis et Davidis ex lib. I. Regum, sexcenti et plures confient anni. Multum igitur desudant chronologi, ut ad summam ann. 480, quae tam aperte in scripturis exprimitur, calculos suos redigant. Nobis praeferenda videtur eorum sententia, qui annos numerant per pactas pacificationes et quietes terrae datas; ita ut anni interregnorum, servitutum et quietum, in annis judicum includantur. Sic cum Judicum III. post mortem *Othonielis* dicitur, Israëlitas serviisse Eglon regi Moab octodecim annis, liberatos autem ab *Aod*, terramque quievisse octoginta annis, idem est ac si diceretur: quievitque terra octogesimo anno, scilicet a prima quiete sub *Othoniele* parta. Quod ut facilius intelligatur, notandum est, apud Hebraeos numerum cardinalem saepe pro ordinali poni, v. g. octoginta pro octogesimo; item in texto Hebraeo שָׁנָה legi, non שָׁנִים, hoc est *anno* non *annis*. Igitur praecipuae epochae historiae sacrae usque ad templi aedificationem hae sunt:

	anni
1. a creatione usque ad diluvium (Genes. V.)	1656
2. a diluvio usque ad vocationem Abrahae (Gen. XI.) .	427
3. usque ad exitum ex Aegypto (ad Gal. III.)	430
4. usque ad annum IV. Salomonis, quo templum exstrui coepit (III. Regum VI.) . .	480
Quibus addendi usque ad consummationem aedificii (III. Reg. VI. v. 36.) anni . . .	7
	3000

1) *Genes.* XV, 13. 19. *Exod.* XII, 40. 41. *Judith.* V.

§. III.
De Pentateuchi veritate.

PROPOSITIO.

Vera sunt, quae Moyses in Pentateucho scripsit.

220. — Prob. Omnium consensu credendum est testi, qui 1° decipi non potuit, 2° decipere non voluit, 3° neque etiam decipere potuisset, si voluisset; atqui talis est Moyses auctor Pentateuchi. Ergo etc.

Probatur minor per partes.

I. Moyses decipi non potuit.

Moyses in Pentateucho scripsit, quae vel ipse fecit, vel propriis oculis vidit, vel ex certissima traditione didicit. Ergo etc.

Prob. ant. Primum quidem, ea omnia quae, excepta Genesi, in Pentateucho leguntur, vel a Moyse ipso facta esse, vel sub ipsius oculis contigisse, tam apertum est, ut probatione non indigeat. Quae vero in Genesi continentur, ea Moyses facillime scire potuit 1° ex antiqua et in Patriarcharum familiis conservata traditione. Nemo autem mirabitur, traditionem per continuam generationum seriem puram et integram ad Moysen pervenisse; si perpenderit, priscis illis temporibus nihil antiquius habuisse familiarum principes, quam ut eventus memorabiles ad filios et nepotes transmitterent fideli et crebra narratione; neque errorem hic irrepere potuisse, cum agatur de factis publicis ac domesticis, et paucae tantum generationes inter Moysen et primos parentes intercesserint. Nam Adamus Mathusalem vidit, Mathusalem Semum. Post diluvium Sem per 50 circiter annos cum Isaaco vixit, Isaacus cum Levi, Levi autem patrem vidit Moysis.

2° Ex monumentis, quae Moysis tempore adhuc existebant; forsitan ex scriptis etiam documentis, quae prae manibus habuit, in quibus insignes veteris orbis eventus consignati erant.

Non exiguum pondus his argumentis ex eo accedit, quo Genesis pauca admodum referat ad primam et secundam mundi aetatem pertinentia, atque ea imprimis, quae non facile poterant oblivione deleri; prolixior autem fit narratio ab Abrahamo; ab eo enim tempore et propiora narrat, et Judaeicae genti propria.

II. Moyses decipere non voluit.

221. — In scriptis Moysis nihil est, quod fraudis suspicionem movere possit; econtra ipsa viri indoles, ac tota agendi et scribendi ratio testem probant sincerum, et ab omni dolo et fallacia longissime remotum. Ergo etc.

Prob. Moyses nunquam vitiis hominum blanditur, nunquam populi favorem aucupatur; sed gravissimas leges imponit hominibus durae cervicis; iisque rebellionem, impietatem saepius et dure exprobrat, nullos adhibet testes ad fraudem comparatos, sed fidem publicam appellat, ad universi populi provocat testimonium; tam longe autem ab omni proprio commodo alienus est, ut propriis filiis in Levitarum plebe relictis, Aaronem sacerdotem, et Josue ex tribu Ephraim ducem populi constituerit. Ubique tum in vita ipsius, tum in sermone sese offert optimi viri effigies, eximius morum candor, et fraudis ac falsitatis nescia indoles; egregia in Deum pietas, studium virtutis constans, in confitendis suis et suorum erroribus admiranda ingenuitas, in ferendis ingrati populi contradictionibus summa patientia et charitas. Quin et stylus ipse simplex et apertus et modestiae plenus satis ostendit auctoris candorem et veracitatem, omnemque expellit fraudis suspicionem. Ergo etc.

III. Moyses decipere non potuisset, etiamsi voluisset.

222. — Prob. Omnia fere facta, quae a Moyse narrantur, publica fuerunt, et in totius populi conspectu contige-

runt; uti plagae Aegyptiacae, transitus per mare rubrum etc. Quis autem impostor eo insaniae unquam devenit, ut voluerit immensae hominum multitudini persuadere, eam egisse, vidisse, audivisse, quae nec egit, nec vidit, nec audivit? Aut quae ratio ita desipere posset, ut id crederet? Neque supponi potest, gentem numerosissimam voluisse in asserendis mendaciis sibi notissimis cum Moyse conspirare. Repugnat enim, gentem integram ita omnem veritatis amorem exuere; repugnat, populum tam pervicacem submittere cervicem auctoritati impostoris sibi cogniti, ab eo duras et vix tolerabiles leges accipere etc. Ergo etc.

ARGUMENTA CONTRARIA.

223. — Objic. I. Facta, quae in Pentateucho narrantur, quam longissime a nobis distant: atqui facta tanto a nobis temporum intervallo distantia fidem nullam merentur. Ergo etc.

Resp. neg. min. Falsum est hoc philosophorum suppositum. Facta historica non vilescunt vetustate; non minuitur certitudo temporum successu, quando monumenta, quibus ab initio innitebatur, inconcussa manent. Eadem ac patres nostri scripta habemus, quae nec supponi, nec adulterari potuerunt. Quis dubitat hodiedum de existentia reipublicae Atheniensium ac de factis, quae, cum floreret haec respublica, contigerunt?

224. — Obj. II. De miraculis in Pentateucho relatis nemo, exceptis Judaeis, loquitur; atque hoc certum est falsitatis argumentum; nam si prodigia ejusmodi nostro nunc tempore fierent, ab omnibus historicis et eruditis viris celebrarentur.

Resp. 1° neg. maj. Scriptores veteres multi prodigia a Moyse relata commemorant, ut apud *Josephum*, *Eusebium*, *Huetium*, aliosque Christianae religionis defensores videri potest.

2° Paucissima nobis fragmenta veterum scriptorum supersunt, ut ipse *Voltarius* fatetur. *Il est triste*, dit-il[1]), *que dans la guerre de César la moitié de la fameuse bibliothèque de Ptolomé ait été brulée, et que l'autre ait échauffée les bains des Musulmans, quand Omar subjugua l'Egypte.* Caeterum nemo nescit, Judaeos ab omnibus populis tum lingua, tum religione et institutis fuisse divisos. Mirum ergo non est, si aliarum gentium scriptores prodigia, quae in Pentateucho narrantur, vel ignoraverint, vel non crediderint et historiae suae aliisque libris inserere noluerint, aut pro more suo adulteraverint.

225. — Obj. III. Historiae Moysis contradicunt annales et libri gentium antiquissimarum. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Sicut Pentateuchi veritas et factorum, quae in eo referuntur, fides ex omnibus certitudinis criteriis stabilitur; sic omnia concurrunt ad probandam falsitatem fabulosae illius quarumdam gentium antiquitatis. Auctores enim, qui de illa loquuntur, testes idonei non sunt. Nam nec coaevi sunt, nec monumentis certis facta sua confirmant, nec inter se consentiunt. Populorum, quorum historiam texunt, gratiam aucupantur, remotissimam illis antiquitatem affingentes, cujus sciebant esse amantissimos; omnia sine ordine et delectu arripiunt, inanes annorum cumulos congerunt, nulla serie factorum distinctos. Merito jactatas ejusmodi antiquitates ridet S. *Augustinus*[2]). „*Ridendi potius, quam refellendi sunt, qui de spatio temporum tam diversa et huic* (Mosaicae) *tam exploratae veritati contraria persuadere conantur. Cui enim narranti melius praeterita credimus, quam qui etiam futura praedixerit, quae praesentia jam videmus?*“ Ita quoque *Lactantius*[3]) et jam ante *Cicero*[4]) fabulosam hanc antiquitatem ri-

1) In lib. La philosophie de l'histoire. 2) Lib. XVIII. de civit. Dei. 3) Lib. V. Institut. c. XIV. 4) Lib. I. de divinatione.

serunt. Plures etiam inter recentiores eruditissimi viri ejus falsitatem manifestam fecerunt, ostendentes aliarum gentium chronologias detersis fabulis Mosaicae nullatenus repugnare. Praeterea obscura illa et vanissima antiquitas quarumdam gentium satis confutatur ex omnibus antiquorum temporum monumentis, quae mundi recentem originem probant et totius gentis humanae quasi ab infantia ad pueritiam et adultam aetatem progressum. Nova sunt et omnibus nota regnorum exordia, novae artes et scientiae, leges et historiae populorum; quod utique *Lucretius* ipse agnovisse videtur, cum ait:

Verum, ut opinor, habet novitatem.
Summa, recensque
Natura est mundi, neque pridem
exordia coepit.

His generatim praemissis, non inutile fore duximus, gentium illarum, quas increduli nobis cum tanta confidentia objiciunt, antiquitatem singillatim examinare; nam magnam in hoc argumento vim ponunt contra Pentateuchi historiam, magnam quoque levioris suae eruditionis ostentationem.

Chaldaei.

226. — Primum quidem de Chaldaeorum antiquitate dicendum. Narrant *Berosus* et *Diodorus Siculus*, gentem illam astronomicas observationes habere, quae usque ad Alexandri M. tempora spatium complectebantur 472,000 ad minimum annorum. Ex his, ajunt philosophi nostri, facile est summam Chaldaeorum antiquitatem colligere.

Resp. Nihil esset hac conclusione certius, si fides haberi posset *Beroso* aliisque scriptoribus, qui haec Chaldaeorum somnia referunt. *Berosus* ipse Chaldaeus fuit et circa Ptolomaei Philadelphi, aut ad summum Alexandri M. tempora vixit; quibus autem usus sit monumentis, ignoramus. Unde nemo est hodiedum, qui non vanam illam Chaldaeorum jactantiam rideat; iisque libenter assentiatur, quae jam *Cicero* de Chaldaeis dixit[1]): *Condemnamus etiam Babylonios...Condemnamus, inquam, hos aut stultitiae aut vanitatis aut impudentiae, qui CCCCLXX millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent, et mentiri judicemus, nec saeculorum reliquorum judicium, quod de ipsis futurum sit, pertimescere.* Adde, quod ex *Berosi* historia pauca tantum fragmenta supersint a *Josepho* citata, quae cum factis in Pentateucho relatis mire concordant; quod, cum Alexander M. Babylonem ingressus esset, *Callisthenes* ab *Aristotele* rogatus astronomicas observationes quascunque apud Babylonios collegerit: nullas autem detegere potuerit, quae ultra 1903 annos ascenderent. Jam vero si annis 1903 alios addimus 330, quibus Alexander ante Christum vixit, annum habebimus ante Christum 2233, qui juxta communem chronologiam in tempora Nimrodi incidit, ad quem plurimi Assyriorum et Babyloniorum regni primordia referunt[2]).

---

1) De divinatione lib. 1. §. 19.

2) Plus hic adversariis concedimus, quam necesse esset; illud enim, quod Callisthenes astronomicas observationes annorum 1903 apud Babylonios invenerit, Voltarius ex Simplicio refert, qui 900 post Alexandrum annis scripsit. Caeterum *Aristoteles*, ad quem missae dicuntur illae observationes, de illis silet, quamvis l. II. *de coelo* copiose de hac materia loquatur. Sed et *Hipparchus* astronomiae peritissimus, qui centum ante Christum annis vixit, eas videtur penitus ignorasse. Plinius (Lib. VII. cap. LVI.) duos quidem ex veteribus citat, qui de Babyloniorum observationibus loquuntur. Sed primus *Epigenes* nomine, quem gravem auctorem vocat, illis annos tantum 720 attribuit; secundus est ipse *Berosus*, qui Chaldaeorum antiquitati impensius favet, et nihilominus fatetur, se observationes tantum invenisse 490 annorum. Vide *Bible vengée* T. I. p. 202.

Aegyptii.

227. — De Aegyptiorum antiquitate loquuntur *Herodotus* [1]) et *Diodorus Siculus* [2]), praecipue autem *Manethon* sacerdos Heliopolitanus, qui Ptolomaei Philadelphi jussu gentis suae historiam scripsit, in qua tres recenset dynastiarum ordines, annos complectentes 53,535.

Verum vana haec sunt et omni fundamento destituta. Herodotus et Diodorus satis ipsi ostendunt, quam fidem Aegyptiorum fabulis adhibeant. Primus lib. XI. scribit: *Cuicunque credibilia videntur, is eis utatur.* Secundus ait: *Portenta illos narrationum pro veritate amplexos.* Nulla quippe gens fatentibus tum antiquis, tum recentioribus auctoribus antiquae originis avidior fuit quam Aegyptii. Quod Manethonem attinet, nihil ex ipsius historia superest praeter fragmenta quaedam Juliani Africani, Manethonis abbreviatoris, quae in Eusebii Chronico reperiuntur. Aliunde constat, Manethonem istum omnia sine examine congessisse et multa narrare ridicula et absurda; v. g. mellis exundationem per Aegyptum fuisse transfusam, novam lunae accessionem factam esse, LXX reges per LXX dies regnasse etc. Neque hoc praetermittendum est, plures simul regnasse reges in diversis Aegypti provinciis; annos quoque illorum populorum mensis unius spatio contineri, seu unam tantum lunae conversionem significare, ut Plutarchus testatur in vita Numae [3]).

1) *Herod.* lib. 11. 2) *Diod.* lib. 1.

3) „Il ne faut pas croire, dit le célèbre *Bossuet* (Histoire universelle III. partie chap. III.) comme quelques-uns, que ce que l'Egypte publiait de ses antiquités, ait toujours été aussi exact, qu'elle s'en vantait, puisqu'elle-même est si incertaine des temps les plus éclatans de sa monarchie.“ Novos triumphos egerunt hoc nostro tempore increduli, cum occupata a Francorum exercitu Aegypto duo Zodiaci inventi sunt. Primus magnifico urbis *Denderae* templo insculptus solstitium aestivum in signo *Leonis* exhibet, quod sexaginta gradibus ab eo

Sinenses.

228. — Adversarii, ut Sinensium antiquitatem elevent, ad eorum annales

puncto distat, in quo nunc conspicitur: cum autem solstitium per spatium annorum 72 unum tantum gradum retrorsum agat; sequitur Zodiacum Denderae repertum annos habere ad minimum 4320. Huic accedit secundus, quem dux exercitus *Désaix* in alia Aegypti urbe, quam *Henné* vocant, reperit, in quo solstitium aestivum repraesentatur in signo *Virginis*. Sed hoc signum triginta gradibus Orientem versus a *Leone* distat, et triginta gradus annos efficiunt 2160. Si itaque hic numerus priori addatur, annos habemus 6480. Ergo ruit Moysis chronologia: probatur enim, Aegyptios non tantum annos 6480 jam extitisse, sed eo jam tempore magnam habuisse rerum astronomicarum scientiam, quod sensim tantum et post longiores temporis periodos fieri potuit. Ita scioli nostri. At parum felices sunt viri isti, cum de rebus agitur ad eruditionem pertinentibus. Quamprimum enim homines accedunt solidioris ingenii et notitia rerum naturalium non vulgari instructi, corruunt omnia levioris eruditionis figmenta. Jam *Viscontius*, celeberrimus antiquitatum investigator, utriusque Zodiaci confectionem in primum aerae Christianae saeculum posuerat: sed totam rem confecit clarissimus *Testa*, membrum academiae catholicae Romanae et S. Pontifici ab epistolis, in dissertatione de Zodiacis in Aegypto detectis. Probat autem vir doctissimus, utrumque Zodiacum inventum esse Aegyptiorum, ut sibi summam antiquitatem attribuerent, cujus hunc populum amantissimum fuisse scimus. Quomodo enim Zodiacos conficere potuissent, qui nequidem accuratam anni solaris notitiam habebant? Nam annis tantum 1325 ante Christum, 360 diebus anni solaris, quos antea numerabant, quinque alios addiderunt. Porro si tanta esset Zodiacorum, de quibus hic agitur, antiquitas, quomodo fieri potuisset, ut Aegyptii usque ad Hipparchum, qui 160 circiter annis ante Christum floruit, motum stellarum in Orientem, seu quod idem est, processionem aequinoctii ignorarent? Quod autem omne dubium tollit, hoc est, quod *Libra*, quae a Graecis Alexandrinis primum inter constellationes et signa Zodiaci posita est, et quae penitus ignota fuerat antiquis Aegypti incolis, in Zodiaco, qui Denderae repertus est, contineatur. Vid. *Bible vengée* Tom. I.

appellant, qui XXX vel XL millia annorum intercessisse dicunt inter nationis Sinicae initia et monarchiam, quam Fohi fundavit.

Confecta procul dubio res esset, si probarent increduli, illos Sinensium annales fidem mereri. At contrarium ostendunt probatissimi auctores, qui non tantum veteres illius populi annales explodunt, sed et recentiores suspectos habent, ob rationes minime contemnendas, quas exponunt Angli historiae universalis scriptores lib. IV. et alibi. D. *Fouquet* episcopus Eleutheropolitanus, qui 25 annos apud Sinenses commoratus est, in erudito opere de *chronologia Sinensi* probat, viros gentis illius litteratos et eruditos ultro confiteri, nihil in sua historia certi esse, si altius repetatur, quam a ducentis aut trecentis ante Christum annis. Id saltem cum certitudine asseri potest, Sinenses nullos habere libros Confucio antiquiores; hic autem celeberrimus apud ipsos philosophus DL ante Christum annis vixit, et cum historiam gentis suae scriberet, nihil potuit ultra ducentos annos cum certitudine repetere. Praeterea nemo est, qui non fateatur, omnia fabulosa esse, quae Fohi tempora praecedunt. Fohi autem imperium, quaecumque admittatur computandi ratio, ad summum tempora illa attingit, quae diluvium proxime subsecuta sunt. Forsan a vero non aberraret, qui illum imperatorem, quem Sinenses regni sui fundatorem fuisse contendunt, eundem cum Noëmo esse diceret, a quo omnes gentes post diluvium propagatae sunt.

Si increduli objectant, antiquissimas solis aut lunae defectiones a Sinensibus observatas fuisse: respondemus 1° antiquissimam, quae in Sinensium tabulis reperitur, eclipsin juxta eorum, qui huic populo quam maxime favent, calculum anno tantum post diluvium CLXXXV contigisse. 2° Tabulas illas a Patribus societatis Jesu fuisse correctas. 3° Vix credibile esse populum, qui ante Europaeorum adventum ne calendarium quidem conficere poterat, jam per quatuor annorum millia astrorum conversiones tam accurate notasse. 4° Demum neminem latere, solis eclipses aliasque coeli vicissitudines confectis semel tabulis chronologicis supputari posse [1]).

Nota. Multa quoque de Indis et Persis in lucem protulerunt novae impietatis magistri, quae aperto ore excepta sunt et centies repetita a tota incredulorum credula gente: verum cum haec non tam antiquitatem, quam religionem et libros sacros illorum populorum spectent, hic praetermittenda duximus et ad cap. III. hujus secundae partis remittenda.

229. — Obj. IV. Multa sunt naturae phaenomena, quae probant terram hanc, quam incolimus, varias jam expertam esse partium suarum permistiones et immutationes; ex quo sequitur, eam multo antiquiorem esse, quam a Moyse traditur. Antecedens a nemine negari potest hac nostra imprimis aetate, qua omnes naturales scientiae atque imprimis geologiae studium tot novis auctum est incrementis. Inde novae telluris theoriae, nova ad praesentem terrae hujus compositionem explicandam systemata prodierunt, quibus Moysis historia funditus destruitur.

Resp. I. Etiamsi summa esset terrae antiquitas, atque etiam quantam volunt recentiores quidam systematum fabricatores, non ideo rueret Pentateuchi veritas. Chronologia Moysis ab

p. 172. *Spectateur français* VIII. année pag. 31.

1) Cycli vel periodi confici possunt pro annis, qui jam diu elapsi sunt, aut nunquam extiterunt: quod ex periodo Juliana conspicitur; nam mundus creatus dicitur anno periodi Julianae 710. Ubi semel principia seu elementa alicujus periodi ope observationum astronomicarum cognita sunt; reliqua per numerorum computationes facile inveniuntur ab homine astronomiae perito. Voyez *la Bible vengée* T. I. p. 157.

Adamo incipit, primo totius humani generis parente. Quidquid hanc chronologiam impugnat, hancque hominum ex uno parente propagationem, aut alia facta in Genesi narrata, a nobis diluendum est. Eos autem, qui dicunt, terram antequam praesens hoc hominum genus conditum fuerit, varias subiisse vicissitudines; sex dies creationis totidem fuisse epochas, quas sibi quilibet aut longiores aut breviores fingere pro libitu possit, non audemus tanquam revelationis hostes traducere; scimus enim sententiam hanc viris quibusdam probari, qui longe absunt ab omni impia molitione contra scriptuae veritatem, cum potius religionis tuendae studio id agant, quamvis forsan inconsiderato.

Nobis interea persuasum est, quaecunque illa sint naturae phaenomena a philosophis tantopere jactata, nulla hucusque afferri potuisse, quae cogerent a sensu obvio Moysis recedere; nulla, quae non ex diluvio Noëmico, vel ex particularibus aquarum eluviis, flammarum eruptionibus, terrae motibus, aliisque ejusmodi gravissimis malis deduci possint, quibus non raro convulsa fuit haec mortalium habitatio.

Resp. II. Nullum est ex recentioribus systematibus contra Moysis historiam excusis, quod non egregie confutatum fuerit a viris in historia naturali versatissimis. Omnia enim scatent erroribus innumeris et cum legibus notis certisque naturae pugnant; immaturi non experientiae, aut solidioris studii, sed evagantis phantasiae foetus. Habemus hic confitentem reum, D. *Buffon*, qui in sua telluris theoria[1]) haec ait: *Ce sont des suppositions, sur lesquelles il est aisé de donner carrière à son imagination ... D'une seule de ces hypothèses on va tirer mille romans physiques, que leurs auteurs appelleront théories de la terre.*

1) Théorie de la terre lib. I.

230. — Inst. I. Si partem telluris nostrae superiorem paulo attentius examinamus, videmus eam ex diversis materiae stratis constare sibi invicem ita superpositis, ut ipse stratorum situs ostendat, ea fuisse ab aquis successiva alluvione sedimenti adinstar deposita; videmus in montibus vicinis et oppositis alternam angulorum prominentium et internorum oppositionem; montes autem ita oppositos eandem habere altitudinem. Item notum est, in verticibus altissimorum montium conchas, aliasque maris exuvias reperiri in maximas moles quandoque coacervatas, aut lapidibus marmoribusque inclusas et materia circumjecta plenas; quasdam etiam in terrae visceribus inventas fuisse ad 800 pedum profunditatem. Atqui haec omnia summam terrae antiquitatem ad oculum demonstrant; probant enim universam telluris partem exteriorem olim maris fundum fuisse et talem, qualis nunc est, per successivas aquarum alluviones fuisse compositam; imprimis per illum maris motum, quo ab Oriente in Occidentem fertur; quae nonnisi multis abhinc saeculorum millibus effici potuerunt.

Resp. Negari non potest, exteriorem telluris partem ad certam usque altitudinem fictitiam esse et ab aquis compositam: verum nihil hic est, quod tantam terrae antiquitatem probet; econtra nulla rei explicandae aptior via est historiae simul atque observationibus magis conveniens quam diluvium, quale illud a Moyse describitur. Constat, conchas marinas plerumque in superficie terrae, vel in primis terrae stratis reperiri. Si quae detectae sunt ad profunditatem 800 pedum, id ex causis accidentalibus, v. g. ex terrae motibus oriri potuit. Quod montes et rupes attinet, quibus conchae insertae reperiuntur; recte dicunt, eos ante diluvium non extitisse, et montes quidem ingenti illa aquae commotione congestos, lapides vero et rupes indu-

rescente paulatim materia formatas; nam rupes ex materia olim fluida concretas esse ne ipsi quidem adversarii negare possunt: alias enim non potuissent conchas in se recipere. Optime igitur et eleganter D. *de Fontenelle* illas maris exuvias *numismata diluvii* vocat [1]).

231. — Sicut autem ex sola hypothesi diluvii et aliarum mutationum, quae ab eo tempore per quater mille annos in orbe contigerunt, omnia rite explicantur; sic in philosophorum vana suppositione nihil cohaeret, sed indigesta sunt omnia et confusa.

---

1) Quam vana sint et ridicula geologorum systemata contra Moysis narrationem excogitata, a viris monstratum est, quorum auctoritatem recusare non possunt philosophi. Inter alios egregie in hanc materiam scripsit *de Luc* Genevensis, diligentissimus naturae investigator: *Lettres physiques et morales sur l'histoire de la terre et de l'homme.* 5 Vol. Item *Lettres physiques de la terre, ou lettres géologiques.* Sed omissis aliis, unicum opponamus D. *Cuvier,* quem nec ignorantiae, nec propensae nimium in religionem voluntatis suspectum habebunt adversarii. Cum D. *André de Gy,* alias Pater Chrysologus dictus, vir geologiae et physices peritissimus, librum, quem de structura terrae conscripsit, ad Parisiensem academiam transmisisset anno 1806; haec tribus e gremio electis judicibus librum examinandum tradidit. Inter eos praecipuus erat D. *Cuvier,* qui consultationis summam in publico membrorum consessu ad academiam retulit. Inter alia de geologiae scientia primum in genere disserens, ait, tot nostris temporibus ad explicandam telluris compositionem systemata et theorias prodiisse, ut plus quam octoginta numerentur. Ita autem in falsas hypotheses et vanas conjecturas excurrere auctores, ut jam solum geologiae nomen risum moveat. Tum prosequitur: *Qui sont, dans l'état actuel des sciences, les auteurs des systèmes géologiques, si non des gens, qui cherchent les causes des faits, qu'ils ne connaissent pas? Peut-on imaginer rien de plus chimérique? Qui, l'on ignore, je ne dis pas seulement la nature et les dispositions intérieures du globe, mais celle de sa pellicule la plus extérieure.* Et iterum: *C'est une chose curieuse de voir les auteurs de systèmes, à l'affût des découvertes, que font les observateurs, prompts à s'en emparer, à les arranger à leurs idées. Heureusement ces châteaux aériens s'évaporent comme de vaines apparences.* Tunc rationem reddens operis ostendit, D. *André,* quem virum perquam eruditum et venerandum vocat, praesentem terrae compositionem quoad partes ejus superiores in tempus refundere non adeo remotum et in causam unicam, quae subito et eodem tempore totam terrae superficiem vehementissimo impetu permiscuit. Senatus academicus relatione D. *Cuvier* audita auctori testatum voluit, valde sibi probari tum praeclaras et doctissimas observationes, tum, quod ex toto opere elucet, singulare et cum magna perspicacia conjunctum veritatis studium. Nemo est, qui non facile perspiciat, systema D. *André* cum Moysis chronologia apprime convenire, et *diluvium* esse causam illam unicam, quae subito et violento impetu omnes terrae partes pervasit; ut ex narratione Moysis Genes. VII. et VIII. luculenter patet. Sufficit, ut id intelligamus, ad ea Moysis verba attendere cap. VI.: *Ego disperdam eos* (homines) *cum terra,* et cap. VIII, 3.: *Reversaeque sunt aquae de terra euntes et redeuntes.* Vid. etiam II Pet. III, 6. 7. Quoniam de doctissimis D. *de Luc* elucubrationibus quaedam diximus, non inutile erit candidatis nostris ab ipso hoc viro audire, quantum sit apud noviores philosophos, qui se ingenuos veri rectique investigatores vocant, opprimendae veritatis et propagandi erroris studium. *„Avant la publication de mes lettres sur l'histoire de la terre et de l'homme,* dit le célèbre naturaliste (lettre de M. *de Luc* du 16. Août 1797), *j'avais comme physicien le suffrage de nos antagonistes, autant pour le moins, que celui des amis de la religion; mais dès que les incredules me virent paraître comme champion de la révélation, ils me tournèrent le dos et sans entreprendre de m'attaquer en face, ils ont si bien joué leur jeu, que par leurs ramifications diverses dans la société, ils sont parvenus à faire presque ignorer l'existence de mes lettres physiques, et à produire l'indifference sur ce que j'ai publié depuis.* Vid. inter catholicos *Stolberg* I. Bd. S. 353. *Bergier.* Tom. V. p. 393. *Lettres Helviennes.* Tom. I. *Examen impartial des Epoques. Lettres d'un Voyageur sur la structure de la terre etc.*

1° Si propter conchas marinas in montibus congestas aut rupibus inclusas necesse est admittere, ut *Buffonius* et *Telliamedes* contendunt, terram per plura saeculorum millia aquis opertam jacuisse; explicent, cur inter illas exuvias etiam plantae reperiantur et arbores peregrinae; quae utique tanta aquarum mole obruta tellus producere non potuisset.

2° Nec intelligitur, quomodo mare, quod supponitur cum summis montium verticibus saltem ad libellam compositum, ad tantam postmodum profunditatem descendere potuerit. Nam ex physicae legibus certum est, libram maris per abrasionem terrarum mutari non posse, quia abrasae terrae transferuntur in alias fundi partes.

3° Observatum est conchas, quae in montibus reperiuntur, quamvis accurate occlusae sint, nihilominus repletas esse materia circumjacente: quod fieri non potuit per lentas et successivas alluviones.

4° Neque felicius successit incredulis successiva illa terrae per strata compositio: quomodo enim non vident, se in summam contradictionem incidere, cum admittere teneantur, in primo telluris statu haec strata jam extitisse, cum hac tantum differentia, quod inferiora tum fuerint, quae jam sunt superiora? Sed excoecat vanissimos homines propriae adinventionis amor.

5° Imaginarius quoque est motus ille maris ab Oriente in Occidentem, quem sagacissimi naturae exploratores tum primum invenerunt, cum eo ad systematis sui constructionem indigerent. Cui enim ignotum esse potest, non terram tantum, sed et ipsius atmosphaeram ab Occidente in Orientem moveri? Quis autem sibi persuadeat, mare contrario motu in Occidentem ferri, cum nulla id ratio probet, et omnes observationes physicae demonstrent, oceanum impetum facere in Orientem? Hinc oras pulsat Hollandiae et magna vi imminet illis regionibus; hinc viam sibi prope columnas Herculis aperuit, et novum orbem defluendo produxit. Hinc orae pleraeque occidentales abruptae sunt, et perpendiculariter exesae, littora vero Orienti obversa minimae altitudinis.

232. — Inst. II. Scimus pluribus in locis olim extitisse montes ignivomos, qui lava sua totum circum solum contexerunt; idque iis in locis, ubi nunc fruges nascuntur et silvae conspiciuntur longaevis arboribus consitae. Ex quo ita argumentum efficitur: Reperiuntur terrae tractus integri, qui quamvis ante plura jam annorum millia lava obducti fuerint, steriles tamen manserunt ad hanc usque diem; ergo regiones illae, quas nunc foecundas frugibus, silvisque ornatas conspicimus, summam probant terrae hujus antiquitatem.

Resp. neg. conseq. Materiae, quae ab his montibus evomuntur, non ejusdem ubique naturae sunt. Sic Herculanum, quod prope Vesuvium ante annos 1700 adhuc extitit, hodie terra et lava obtectum est ad profunditatem 112 pedum. Porro a superficie usque ad Herculanum descendentibus plura occurrunt strata lavae per strata terrae frugiferae distincta.

233. — Obj. V. Moyses in ea historiae parte, quae a mundi exordio currit usque ad diluvium, plura pugnantia narrat, plura prorsus incredibilia. Ergo etc.

Probatur. Primum quidem inter se aperte pugnant, quae de lucis creatione habentur Genes. I. v. 3. et 14. Item, cum hominis creatio narratur c. I. v. 27., dicitur: *Masculum et foeminam creavit eos;* attamen c. II., quando Adamus in paradiso voluptatis positus est, additur, eum non habuisse adjutorium simile sibi; v. 18. et 20.

2° Ridicula est geographica paradisi descriptio, quae Genes. II. legitur a versu 10 usque ad 15. Sic et ea, quae

de Patriarcharum longaevitate et de gigantibus narrantur, omnem fidem excedunt.

Resp. ad primam argumenti partem. Dubium non est, prima statim die lucem factam fuisse, quae tres primos dies distinxit, priusquam sol et luna formarentur: quo autem modo lux illa diem a nocte diviserit, quidve ea fuerit, incertum est; forsan ingens illa luminis massa intelligitur, ex qua deinde sol et alia luminaria procreata sunt. Si autem juxta aliam non improbabilem sententiam lucem a sole distinguimus et materiam aetheream admittimus, quae ubique diffusa motu et vibratione sua lucem producat; dicendum est, prima die secretionem factam esse subtilissimae hujus substantiae, Deo motum ipsi, antequam solem et astra produceret, alio quocunque modo imprimente.

Quod creationem hominis attinet, vix responsionem meretur insulsa illa Voltarii objectio. Moyses ut cap. I. integrum creationis opus absolveret, summatim dumtaxat de homine dixit, quae deinde cap. II. explicatius evolvere sibi proposuerat.

234. — Resp. ad II. partem argum. 1° Quo terrae loco paradisus situs fuerit, in quos fines se extenderit, diu quaesitum est ab eruditis; neque certi aliquid inveniri potuit. *Locus est,* ait *Tertullianus* in apolog., *divinae amoenitatis, a notitia orbis communis segregatus.* Ad vanas Voltarii cavillationes respondemus. 1. Hortum vel paradisum voluptatis exiguam tantum partem fuisse terrae Eden, in cujus orientali parte situs erat. 2. Per terram *Hevilath* optime intelligi posse Arabiam, quae auro abundat; per terram autem *Chus*, ut in Hebraeo habetur, *Susianam*, quae hodie adhuc *Chusistan* appellatur. 3. Si nomen *Aethiopiae* retinetur, duplicem juxta antiquos distinguendam esse Aethiopiam, meridionalem unam, seu Aethiopiam Africae, alteram relate ad Hebraeos orientalem. Vid. *Dissert. sur le paradis terrestre.* T. I. de la bible de Vence. *Lettres de quelques Juifs.* T. I. p. 431.

2° Nescio quid absurdi in illa primorum Patriarcharum longaevitate reperiri possit; post diluvium sensim decrevit hominum vita; quia alia fuit aëris temperies et terra aquis diluta infelix facta est frugibus. Igitur necesse non est, annos fingere nostris decuplo breviores, imprimis cum scripturae id minime patiantur. Moyses enim praeter annos etiam menses numerat et dies mensium; loquitur de secundo, septimo, decimo mense anni etc. Vide cap. VII. et VIII. Genes., ubi diluvium tam accurate describitur, ut annus integer eruatur, nostris perfecte similis [1]).

3° Non Moyses solum de gigantibus loquitur, sed omnes fere historici profani, ut videri potest apud *Grotium*

---

1) Quando diluvium incoepit, Noë annorum erat 600 (Genes. VII, 13.), cum autem ex arca egressus est, annorum 601 fuisse dicitur: ergo anno integro in arca permansit; quod autem hic annus nostris perfecte similis fuerit, ex diluvii descriptione evidenter constat. Noë arcam ingressus est *decima septima mensis II.* (Decembris nostri octavo Genes. VII, 11.) In ipsomet die Deus pluviam immisit in terram per quadraginta dies; aquae autem terram obtinuerunt diebus centum quinquaginta a die, quo rupti sunt fontes abyssi magnae, id est quinque mensium spatio, usque *ad decimam septimam mensis VII,* ut est in Hebraeo. Et arca requievit super montes Armeniae (Genes. VIII, 4.). At vero aquae ibant et decrescebant usque ad *diem primam mensis decimi,* et apparuerunt cacumina montium (ibidem. v. 5.). Expectavit Noë adhuc quadraginta dies, et emisit corvum *die undecima mensis XI.* (ibidem v. 6.). Postea ter columbam emisit interjectis semper diebus, quod perducit ad *diem secundum mensis XII.* (ibidem v. 8. 10. 12.). *Die prima mensis I.* Noë anno aetatis 601 detexit arcam (ibidem v. 13.). *Mense autem II die vigesima septima* arefacta est terra, et Noë egressus est ex arca (ibidem v. 14. 18.). Certe non potest completi et perfecti anni majus dari argumentum.

de veritate religionis Christianae[1]). Novissime a duce *Byron* Anglo in America meridionali detecta est gens integra gigantum, qui *Patagones* vocantur; nec est, qui eorum existentiam in dubium vocet. Vide *Histoire des voyages* par M. *l'Abbé Prévost.* Tom. XVII. Item *Dissertation sur les géants.* Tom. I. de la bible de Vence. *Lettres de quelques Juifs.* Tom. II. p. 327.

235. — Obj. VI. Moyses, cum de diluvio loquitur, narrat 1⁰ aquas ita omnia replevisse in superficie terrae, ut *quindecim cubitis altior fuerit aqua super montes, quos operuerat*[2]). 2⁰ Ex cunctis animantibus universae carnis bina, imo ex singulis mundorum animalium speciebus septena arcam Noë ingressa dicuntur: at quomodo haec fieri potuerint nulla ratione intelligi potest. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. min. Etiamsi explicari non posset, unde tanta aquarum copia erumpere potuerit; fides tamen deberetur narrationi, quae omnes veritatis characteres habet, et testem habet ipsam experientiam; imprimis cum auctor Deum speciali modo interfuisse declaret. Verum evanescit difficultas, si ad haec scripturae verba attenditur: *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnae et cataractae coeli apertae sunt*[3]). Quis profunditatem illius abyssi dimensus est? Quis numeravit aquas in coelo pendentes? In primo mundi exordio aquae totam terram involvebant, cur non sufficerent ad eam denuo mergendam?

Resp. ad II. D. *Pelletier* in opere, cui titulum fecit: *Dissertation sur l'arche de Noë*, inito calculo demonstrat arcam, qualis in Genesi describitur, praeter octo homines omnes animalium species cum omnibus ad victum necessariis continere potuisse. Nulla ergo ex hac parte superest difficultas. Si opponitur, concipi non posse, quomodo tot animalium genera, quorum multa sunt quibusdam regionibus, Americae v. g. propria, subito in eum locum convenirent, ubi arca constructa erat: respondemus, Deum, qui singulas animalium species servare voluit, utique efficere potuisse, ut in ea tunc regione congregarentur. Vide dissert. D. *Calmet sur le déluge. Stolberg* Bd. I. Beilage II. über die Sündfluth[1]).

236. — Obj. VII. Gen. IX. Deus dicit Noëmo: *Arcum meum ponam in nubibus et erit signum foederis inter me et inter terram.* Atqui phaenomenon illud juxta naturae leges jam ante diluvium existere debuit. Porro quae de turre Babylonica, de linguarum confusione dicuntur, item de etymologia vocis *Babel* et de familiarum dispersione (Gen. XI.) nullam fidem merentur. Ergo etc.

Resp. ad I. Textus Hebraicus non habet: *ponam arcum meum;* sed: *posui arcum meum in nubibus et signum erit foederis mei.* Si iris jam ante diluvium visa est, quod tamen non omnes concedunt, fuit tunc effectus mere naturalis per reverberationem radiorum solis in nube rorida productus. Post diluvium vero instituta est in signum foederis inter Deum et Noëmi posteros.

Resp. ad II. Turris Babylonicae constructio factum historicum est,

1) Lib. II. §. 16. not. 40 seq.
2) Genes. VII. v. 20.
3) Genes. VII. v. 11.

1) Non possumus hic silentio praeterire aliam adversariorum objectionem, quam ex opere D. *Tournefort* mutuati sunt. Scilicet Genes. VIII. v. 11. dicitur, columbam, cum ad arcam rediit, viridem ramum olivae in rostro tulisse; verum ut D. *Tournefort* ait, nullae in Armenia reperiuntur hujus generis arbores. Respondemus, contrarium constare ex antiquissimis historiae et geographiae scriptoribus. Inter alios *Strabo,* cujus geographia ab incredulis in magno numero habetur, quique ipse Cappadox fuit et Armeniae vicinus, haec de Armenia dicit: *„Tota haec regio fructibus et arboribus abundat mansuetis, itemque semper virentibus; oleae etiam ferax est.“*

quod destruere nunquam potuerunt inanes Voltarii cavillationes; cavillatur enim, cum vim tantam in illis vocibus ponit: *facimus turrim, cujus culmen pertinget ad coelum.* Hic enim loquendi modus auctoribus tum sacris, tum profanis usitatissimus nihil aliud, quam altitudinem non communem exprimit:

J'ai vu l'impie adoré sur la terre:
Pareil au cèdre il portait dans les cieux
Son front audacieux.

Ad III. Quod etymologiam vocis Babel attinet; puto, potius credendum esse Moysi, qui expressis verbis ait: „*Idcirco vocatum est nomen ejus Babel, quia ibi confusum est labium universae terrae;*“ quam Voltario, qui linguae Hebraicae vix prima elementa scivit. Vox *Babel* a *balbel* derivatur: quod Chaldaicum est, et idem dicit, quod *confundere.* Mirum autem videri non potest, si nomen urbis, quae totius Chaldaici regni princeps fuit, Chaldaicae originis sit.

Ad IV. Si tempus, quod a diluvio usque ad dispersionem familiarum juxta Hebraeorum chronologiam effluxit, alicui non sufficit; liberum illi erit LXX interpretum chronologiam amplecti, aut inter Arphaxad et Sale Caïnan numerare et sic majus sibi spatium sumere pro libitu. Probant tamen illi, qui Hebraeum sequuntur, Noëmi familiam usque ad tempus dispersionis ad hominum millia LX et ultra accrescere potuisse, quod ad primam illam terrae divisionem sufficit. Caeterum, quis tempus illius dispersionis assignabit? Cap. XI, 25. *Phaleg* dicitur hoc nomen accepisse, *quod in diebus ejus divisa sit terra;* sed non dicitur, an dispersio statim secuta sit hanc divisionem, quam multi putant a Noëmo tunc adhuc vivente factam esse. Neque ex textu concludi potest dispersionem familiarum, si de ea revera agitur, ipso anno nativitatis Phaleg contigisse; dicitur enim: *quod in diebus ejus divisa sit terra.* Hinc probabile est, *Phaleg* tempore dispersionis jam caput fuisse illius familiae, ex qua postmodum Patriarchae nati sunt, eum in Chaldaea mansisse, cum alii in alias regiones diffunderentur; et ob hanc causam nomen *Phaleg* a posteris accepisse [1]).

237. — Obj. VIII. Fidem nullam merentur facta prorsus singularia, quibus Moyses vitam Abrahami exornat. Narrat 1° Abrahamum cum 318 vernaculis quatuor reges percussisse, eosque persecutum esse usque ad Damascum, quod 300 leucis a Sodoma distat [2]). 2° Uxorem Loth versam esse in statuam salis [3]). 3° Abrahamum circumcisionem a Deo accepisse [4]), cum ex historia certum sit, Hebraeos eam accepisse ab Aegyptiis. Ergo etc.

Resp. ad I. Abraham, cum reges illos persequeretur, non ex Sodoma exiit, sed ex valle Mambre; ab hac autem valle usque Dan, ubi hostem attigit, quinquaginta leucae numerari possunt; porro hostem in fugam actum prosecutus est usque Hoba. Quod autem Abraham quinque reges cum trecentis decem et octo vernaculis vicerit, nemini incredibile videbitur, si atten-

1) Observat D. *Le Clerc* Patriarchis ea, quae nunc gerunt, nomina non a nativitate imposita fuisse, sed tanquam cognomenta addita et ex aliqua personae qualitate, ex vitae circumstantiis, aut eventu alio desumpta. Sic *Abel* luctum aut vanitatem designat. Primus Babyloniorum rex, quem sui *Bel* vocarunt seu dominum, a scripturis *Nimrod* vocatur, quod idem est, ac *rebellis* contra Deum, quia auctor creditur idololatriae. *Esau* cognominatus est *Edom* seu rufus, quia propter coctionem rufam seu lentis edulium Jacobo primogenia vendidit. *Mathusalem* ita vertitur: *post mortem diluvium,* quod probat, hoc nomen illi Patriarchae post mortem inditum fuisse, ut ostenderetur, eum usque ad annum ante diluvium vitam protraxisse. Sic *Agar* fugitivam significat, *Balaam* avarum. Usus hic apud Orientales semper extitit et adhuc hodiedum reperitur. Voyez *Lettres de quelques Juifs* T. I. p. 497.

2) Genes. XIV. 3) Genes. XIX, 26.

4) Genes. XVII, 10.

derit, reges illos vix unius aut alterius urbis principes fuisse; Abrahamum probabiliter ex regum devictorum copiis aliquas sibi adjunxisse, ac diviso in plures turmas exercitu nocte irruisse in hostes magna praeda onustos, neque aliquid ejusmodi suspicatos, forsan somno et vino sepultos. Demum neque id praetermittendum est, Abrahamum Deum habuisse adjutorem: *Benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt.* v. 20.

Ad II. Etiamsi in facto uxoris Loth necesse esset miraculum admittere; nihil exinde probaretur contra Moysis narrationem, qui totum illum eventum ita refert, ut clarum sit, Deum speciali modo intervenisse. Josephus narrat, statuam illam suo tempore adhuc extitisse. Auctor sacer libri Sapientiae cum de eversione Sodomae loquitur cap. X. ait: *Incredibilis animae memoria stans figmentum salis.* Hinc nullus interpretum reperitur, qui hoc factum in dubium vocet, quamvis aliqui existiment, illud ex causis naturalibus explicari posse.

Ad III. Herodoti et posteriorum quorumdam scriptorum conjecturae non valent contra auctoritatem Moysis, qui ait [1]), Deum ipsum circumcisionis auctorem fuisse. Sed dicunt: Unde ergo ritum hunc acceperunt Aegyptii? Nostrum non est, hanc quaestionem decidere. Vel illam a Josepho didicerunt, qui sub Pharaone Aegypto praerat; vel ab Arabis, qui Abrahami progenies sunt et per aliquod tempus in Aegypto regnarunt. Haec ultima sententia probabilior efficitur ex eo, quod Aegyptii non octavo die infantes circumciderint, sed plerumque decimo tertio tantum aetatis anno, juxta morem ab Arabis retentum, qui ab Ismaële descendunt.

238. — Obj. IX. 1° Exod. IX. v. 6. dicitur quinta plaga, quae pestis erat valde gravis, mortua esse *omnia animantia Aegyptiorum.* Nihilominus v. 25. narratur, per septimam plagam, sive grandinem, periisse *in omni terra Aegypti cuncta, quae fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum.* Imo post duplicem hanc plagam Pharao Israëlitas insecutus est cum magno equitatu et 600 curribus [1]). Atqui haec conciliari non possunt. 2° Exod. XXXII. dicitur, Aaronem intra unius diei spatium vitulum ex auro fudisse, Moysem autem combusto vitulo aurum in pulverem conversum et sparsum in aquam potum dedisse populo Israël. Verum unde tanta Judaeis auri copia fuit in deserto? Quomodo intra tam breve tempus in vitulum conflari potuit? qua arte chemica fieri potuit, ut aurum potabile efficeretur?

Resp. ad I. Per verba *omnia animantia* intelliguntur animalia omnis generis. Pestis scilicet statim per totam Aegyptum sese extendit, infecitque omnes greges animalium. Modus hic loquendi inusitatus non est. Sic Christus *Matth.* IV, 23. dicitur curasse omnem languorem et omnem infirmitatem in populo; id est omnis generis languores et infirmitates. Quod secundam plagam attinet, non debuisset auctor omittere, quod in eodem capite additur: *Qui timuit verbum Domini de servis Pharaonis, fecit confugere jumenta in domos.*

Ad II. Tantae molis non erat vitulus ille, ut non potuerit ex auro, quod Israëlitae asportaverunt, conflari; agitur enim de idolo, quod ante populum gestari debuit. *Fac nobis deos, qui nos praecedant.* Vid. *Exod.* cap. XXXII, 1. et seqq.

Scriptura tempus non determinat, quod ad conflandum vitulum adhibitum fuit. Auctor *des lettres de quelques Juifs* invictis argumentis evincit [2]), paucos dies ad id suffecisse. Idem

1) Genes. XVII, 20.

1) Exod. XIV. 2) Conf. T. I. p. 103 et 359.

auctoritate virorum in arte chemica doctissimorum probat, aurum facili negotio potabile effici. Ergo hoc argumentum, in quo Voltarius aliique Moysis oppugnatores vim maximam collocant, praeter magnam rerum naturalium imprimis artis chemicae ignorantiam, nihil evincit.

239. — Obj. X. 1° Moyses terram promissam depingit ut regionem feracissimam, lacte et melle manantem; atqui constat, eam sterilem esse et omnis culturae impatientem. 2° Exod. XXI. numerantur spolia a Madianitis reportata 675 millia ovium, 72 millia boum, totidem fere asinorum millia, et quod omnem fidem longe superat, in regione, quae non habet nisi octo leucas longitudinis et totidem latitudinis, triginta duo millia puellarum.

Resp. ad. I. Palaestinam uberrimam olim fuisse non tantum ex auctoribus sacris probari potest et ex immensa prope hominum multitudine, quam regio tam arctis angustata limitibus continere non potuisset, nisi frugibus omnibus ad vitam necessariis abundasset; sed etiam ex profanis auctoribus tum antiquis tum recentioribus. Vide *Josephum contra Appionem* lib. II. c. IV. *De bello Judaico* lib. III. c. IV. *Antiquitatum Jud.* lib. VIII. et XV. S. *Hieron.* in cap. V. Isaiae. *Tacitum* lib. V. Hist. num. 6. etc. Si hodie tanta non est terrae illius fertilitas, illud non naturae soli, sed aliis omnino causis adscribi debet. Terram enim etiamnum ferendis uberrimis frugibus idoneam esse, fatentur viatores plurimi, quorum testimonia collegit D. *Bullet, réponses critiques* Tom. I. Inter illos principem locum obtinet D. *Shaw* vir geographiae et antiquitatum scientissimus, qui de Palaestina haec habet: „*Si la terre sainte étoit aussi peuplée et aussi bien cultivée aujourd'hui, qu'elle l'étoit autrefois, elle seroit encore plus fertile, que la plus belle contrée de la Syrie et de la Phénicie. La stérilité, dont quelques auteurs se plaignent, ou par ignorance, ou par malice, ne vient pas de la nature même du terroir.*"

Resp. ad. II. Nullibi dicitur, Israëlitas illam pecorum et filiarum multitudinem reperisse in castris Madianitarum. Moyses econtra refert, victores per totam regionem dispersos omnia hinc et inde rapuisse. Probarunt autem interpretes, calculo juxta communes propagationis humanae leges inito, numerum a scriptura expressum incredibilem non esse; etiamsi admitteretur, totam Madianitarum regionem iis coarctatam fuisse limitibus, quas ipsi constituunt increduli. Vide *Lettres de quelques Juifs* Tom. II.

§. IV.

De reliquorum librorum veteris testamenti auctoritate.

240. — Quam hucusque Pentateucho vindicavimus dignitatem, eam par est, ut et reliquis libris sacris Judaeorum asseramus. Eadem in iis reperitur religio, quae Judaeis per Moysen data est, sed in quibusdam tamen veritatibus magis evoluta. Omnes divinis pleni sunt consiliis, omnes praesentem hominum actionibus providentiam, infelicem malorum exitum, paternam Dei in bonos pietatem ad oculum demonstrant; ubique sanctissimus spirat virtutis amor et zelus religionis. Nova hic miracula, nova vaticinia occurrunt, quibus non tantum divina religionis Mosaicae origo confirmatur, sed etiam ad meliorem et perfectiorem via sternitur, ut merito dici possit, his quasi intermediis libris foedus antiquum cum novo, Pentateuchum cum evangelio connecti.

Si praesentem quaestionem vellemus paulo diligentius pertractare, integer liber conscribendus esset; itaque ea tantum dicemus et quidem summatim, quae ad scopum nostrum propius pertinent; plura ad criticos sacros remittimus. Caeterum monemus, nos illam, quae de liberis deuterocanonicis move-

tur, controversiam hic non attingere, ideoque de illis tantum libris loqui, qui tum a Judaeis, tum a Christianis omnibus semper divini habiti sunt.

PROPOSITIO.

Praeter Pentateuchum reliqui quoque veteris testamenti libri authentici sunt, incorrupti et fide dignissimi.

241. — Prob. I. *auctoritate N. T.* Libros N. T. genuinos esse et plenam ad faciendam fidem auctoritatem habere, jam notum est ex iis, quae Art. I. dicta sunt: atqui N. T. libri frequenter mentionem faciunt, non tantum legis et factorum, quae in Pentateucho leguntur, sed reliquorum etiam librorum. Ex iis argumenta depromunt, Prophetarum oracula citant, facta referunt, ut legenti patet. Neque illud obest, quod ex libris V. T. etiam protocanonicis aliqui reperiantur, quorum nulla in novo testamento expressa mentio habetur, uti Canticum, Ecclesiastes, liber Esther et libri duo Esdrae; nam illi omnes jam tum in canone contenti fuerunt, et partem effecerunt scripturae, quam reperimus non semel generali testimonio a Christo et Apostolis probatam et commendatam. Vide Joan. V, 29. *Scrutamini scripturas.* Luc. XXIV, 27. 44. II. ad Timoth. III.: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum etc.*

242. — Prob. II. per partes. I. Liber genuinus is est, qui ab illo auctore scriptus est, a quo scriptus esse dicitur, atque eo circiter tempore, quo scriptus esse fertur. *Huetius* definit. I. Atqui tales sunt omnes V. T. libri. Ergo etc.

Prob. min. Sunt quidem inter libros aliqui, qui nulli certo auctori tribuuntur; sed quod omnes antiquissimi sint, et ad ea tempora referendi, quibus scripti dicuntur; quod ii, qui nomen auctoris prae se ferunt, illos praecise, et non alios auctores habeant, ex notis tum intrinsecis, tum extrinsecis probari potest. 1° quidem modus narrandi facta, accurata circumstantiarum etiam minutarum descriptio, ac proprius cujuslibet libri character, stylus ipse et structura sententiarum cum diverso populi statu, diversa cultura, moribusque cujuslibet aetatis apprime conveniens omnem deceptionis metum removent. Accedunt 2° notae extrinsecae maximi ponderis: persuasio unanimis et traditio constans et publica omnium Judaeorum et Christianorum; canon Esdrae a magna synagoga confirmatus; versio LXX interpretum tempore Ptolomaei Philadelphi ducentis et octoginta circiter ante Christum annis adornata; intima omnium librorum inter se connexio, qua fit, ut posteriores semper priores supponant. Haec argumenta imprimis valent pro scriptis Prophetarum, quas iis auctoribus, quorum nominibus inscribuntur, semper et unanimi consensu attribuit tum synagoga, tum ecclesia. Neque illas prophetias post eventum confingere potuissent Christiani, cum in Judaeorum quoque manibus versarentur; neque ante Christum illas confingere voluissent aut potuissent Judaei. Tempore autem, quo in canonem ab Esdra relatae sunt, recens adhuc erat Prophetarum memoria, et ex illis nonnulli exiguo annorum intervallo Esdrae reditum ex captivitate praecesserunt, fortasse et vitam ad id usque tempus protraxerunt.

243. — Prob. II. pars. Librorum integritas iisdem argumentis evincitur. Corruptionem factam non esse, satis probant Judaeorum summa in libros suos sacros religio, versionis Graecae cum codicibus Hebraeis consensus, interpolationis impossibilitas, quae in omnibus exemplaribus omnium ubique Judaeorum fieri debuisset. Porro non videtur, quae tanta potuisset esse ante Christum interpolationis ratio, ut totam nationem ubique tunc dispersam simul ad fraudem impulisset. Post Christum autem nihil ejusmodi nec a

Judaeis, nec a Christianis tentari potuisse in aperto est.

Prob. III. pars. Valent ad probandam horum librorum veritatem omnia ea argumenta, quae jam a nobis exposita sunt, cum de Pentateuchi veritate agebatur. Facta in iis referuntur publica, ad totius gentis historiam pertinentia, cum nationis integrae statu et fatis intime connexa, non raro toti populo probrosa, aut principibus maxime adamatis, quique gloria gentis suae et decus habebantur, parum decora. Haec autem narrantur a viris vel coaetaneis, vel tempori, quo res contigerunt, proximis, scientia, dignitate, pietate et religionis studio insignibus, quorum in narrando candorem et ingenuam simplicitatem non possumus satis admirari. Tacco hic tot illustres prophetias in illis libris contentas et jam diu eventu completas, quae cum familiare Dei cum viris illis consortium probent, summam etiam eorum scriptis conciliant auctoritatem.

Vide *Huetium* in demonst. evang. prop. IV. post cap. XIV. de libro Josue et reliquis.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

244. — Obj. I. contra lib. Josue. Libri hujus et auctor et aetas a viris doctis in dubium vocatur: plurima enim in eo leguntur, quae aetatem exigunt Josua recentiorem. Sic cap. XIX. refertur expeditio Danitarum, quae Judicum tempore contigit, quemadmodum ex cap. XVIII. libri Judicum scitur. Eodem XIX. cap. mentio fit terrae *Chabul*, quam constat multo post tempore ita nominatam fuisse ab Hiram rege Tyri [1]) etc. etc.

Resp. Multa sunt, quae Josuam libri auctorem esse persuadent; imprimis ea, quae in postremo libri capite leguntur [2]): *Scripsit quoque Josue omnia verba haec in volumine legis Domini*, quae prorsus significant Josuam ad exemplum Moysis res a se gestas litteris commendasse, et commentaria sua ad calcem libri legis a Moyse scripti adjecisse, quemadmodum ei adjunctus nunc est in interpretationibus Graecis et Latinis. Quod etiam Ecclesiastici auctor respexit, cum de Josue ait [1]), eum Moysis successorem fuisse in *prophetiis*, id est in librorum, qui divinitus inspirati sunt, scriptione. Dissolvuntur etiam argumenta contraria ab illis, qui librum in Josuam transcribunt. 1° Expeditionem Danitarum forsan additam fuisse a Samuele aut alio auctore hagiographo; nisi velis *Lesem* apud Josue urbem distinctam fuisse ab illa, quae Judicum XVIII. *Laïs* vocatur. 2° Negant terram *Chabul* libri Josue, quae vicus est in confiniis Ptolemaidis, eandem esse cum illa, cui nomen hoc a rege Hiram inditum est, et quae regiuncula erat viginti constans oppidis.

Fatendum tamen haec aliaque argumenta non exiguam interpretibus parere difficultatem, eosque in varias traxisse sententias. Multis nunc placet haec conciliationis via: Josuam ajunt eorum, quae ab ipso gesta sunt, scripta commentaria reliquisse, quae ab auctore posteriore, puta Samuele, in ordinem digesta sunt, retentis propriis commentariorum verbis [2]).

245. — Instant. In libro Josue facta quaedam narrantur incredibilia. Cap. X. dicitur, solem et lunam stetisse ad vocem Josue, et quidem spatio unius diei, quod sine magna totius universi perturbatione fieri non potuisset. Cap. VIII. Josue legitur aedificasse altare Domino ex lapidibus impolitis et scripsisse super lapides Deuteronomium legis; sed impossibile est, integrum Deuteronomium duodecim lapidibus

1) III *Regum* IX. 2) *Josue* XXIV.

1) *Eccl.* cap. XLVI.

2) Vide *Sandbüchler* Einleitung in die Bücher des alten Bundes, zweites Hauptstück: von dem Buche Josue.

insculpere, tot enim fuisse fert Rabbinorum traditio. Ergo etc.

Resp. ad I. De miraculo agitur, cujus solus Deus auctor esse potest; neque ex legibus naturae argumentari licet cum naturae auctore, qui cursum unius planetae inhibendo utique efficere potuit, ut reliquae mundi partes nihil inde paterentur. Haec breviter notasse sufficiat; qui autem hujus aliarumque difficultatum solutionem desiderat pleniorem et accuratiorem, adeat interpretes; praeter eos, qui jam satis noti sunt, consuli possunt D. *Janssens* Hermeneutica sacra T. I. p. 277. La Bible vengée T. III. p. 396.

Ad II. Hoc argumentum mera est philosophorum cavillatio; primum nihil cogit illam Rabbinorum traditionem admittere, quae altare vult ex duodecim lapidibus extructum fuisse; tum et hac admissa probatum est, integrum Deuteronomium facile inscribi posse duodecim lapidibus, quorum quilibet sex tantum pedes haberet altitudinis, quatuor latitudinis, et quidem etiamsi in uno tantum latere litterae inscriberentur.

246. — Obj. II. Libri Judicum authentia probari non potest; multa econtra ostendunt illum recentioris aevi esse. Ergo etc.

Resp. ad I. Concedimus, librum Judicum ab ipsis judicibus non esse conscriptum, cum unius texturae opus esse appareat. Attamen vetustissimum esse dubitare non potest, atque ante septimum Davidis annum exaratum fuisse vel ex eo evidens est, quod cap. I. Jebusaei dicantur habitare in Jerusalem *usque in praesentem diem:* constat autem ex II Regum V., eos a Davide ex urbe fuisse expulsos. Ex his conjiciunt eruditi, Samuelem libri auctorem esse: neque enim probabile est, Prophetam hunc, cum rempublicam Hebraeorum Dei nutu et consilio restituendam suscepisset, praeteritarum rerum, quarum Deum auctorem agnoscebat, et quae ad populi instructionem et commonitionem quam plurimum valebant, memoriam ita neglexisse, ut eas oblivione extingui pateretur; sed potius ex commentariis variis temporibus exaratis Judicum historiam collegisse et concinnasse credendum est.

Ad II. Nihil ad labefactandam libri dignitatem valent, quae ab adversariis objiciuntur ex cap. XVIII. v. 30. et 31. Illa quippe verba: *usque ad diem captivitatis suae*, de captivitate Babylonica intelligi non possunt; nam Michae idolum tum periit, cum de Silo ablata est arca, ut in proelium adversus Philistaeos produceretur. I Reg. cap. IV. Quae autem adduntur: *In diebus illis non erat rex Israël*, liquido indicant, captivitatem illam contigisse, antequam Israëlitae reges haberent. Neque id movere nos debet, quod *Salem* primo jam capite *Jerusalem* vocetur. Appellationem hanc recentioris aetatis esse absque fundamento asseritur; nam in libro Josue saepius occurrit; ex quo probabile fit, eam ab ipso Josue urbi fuisse inditam. Ita censet *Huetius*, loc. cit. de lib. Judicum nr. IV.

247. — Obj. III. Negari non potest, libros Regum incerti et recentioris auctoris esse, ideoque fidem non mereri. Et profecto nimis absonum est, duos priores Samueli inscribere, ut Hebraei faciunt, cum tamen historiam producant usque ad unctionem Salomonis in regem.

Resp. Quicunque auctor sit librorum Regum, quem alii Jeremiam esse volunt, alii Esdram; certum est, eum hoc opus consentiente et approbante synagoga suscepisse et prae manibus habuisse publica commentaria, ex quibus fortassis omnes quatuor libros digessit. Apud Hebraeos enim, sicut apud omnes alias gentes, acta annua et diurna in litteras diligentissime relata sunt. Imprimis Prophetae id sibi negotium sumserunt, ut res aetatis suae memorabiles litteris consignarent; varia habentur hujus rei argu-

menta in ipsis Regum libris, in quibus saepe laudantur: *liber verborum dierum Salomonis*, *liber verborum dierum regum Juda.* I Paralip. XXIX, 29. dicitur: *Gesta autem David regis priora et novissima scripta sunt in libro Samuelis videntis et in libro Nathan Prophetae, et in volumine Gad videntis.* II Paralip. XXVI, 22.: *Reliqua autem sermonum Oziae priorum et novissimorum scripsit Isaias filius Amos Prophetae.* Ibidem cap. XX, 34. *Reliqua gestorum Josaphat priorum et novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quae digessit in libros regum Israël.* Cum vero auctores librorum Regum et Paralipomenon crebrius ejusmodi commentaria tum adhuc existentia appellant, novum subministrant suae veracitatis argumentum. Quod autem duo priores libri Regum *Samuelis* esse dicantur, ratio est, quia priora capita a Samuele scripta sunt; quibus dein in eodem volumine a Nathan et Gad Prophetis addita sunt, quae post eum contigerunt. Unde totum volumen *Samuelis* appellatum est.

248. — Obj. IV. Multa in libris propheticis continentur, quae probant eorum auctores Judaeorum credulitati illusisse, aut homines fuisse fanaticos et mente parum sanos. Pauca ex tanto numero agumentorum afferamus. 1⁰ Plurima a Prophetis praedicta eventu completa non sunt. 2⁰ Quaedam narrantur tam singularia, ut omnem fidem repellant; ut tota Jonae Prophetae historia et quae de Nabuchodonosore dicuntur Danielis IV. 3⁰ Prophetae contendunt, se Dei jussu dixisse aut egisse, quae Deum quam maxime dedecent; ut cum Isaias capite XX. per tres annos nudus ambulavit; cum Ezechiel cap. IV. ait, mandatum sibi a Deo, ut super sinistrum latus dormiret per dies 390 et super dexterum per dies 40; et panem stercore humano operiret; cum Oseas cap. I. declarat, se praeceptum accepisse a Deo, ut sumeret sibi uxorem fornicationum et faceret filios fornicationum. 4⁰ Idem Ezechiel cap. XXVII. de *Pygmaeis* loquitur, vel hominibus unius cubiti cum dimidio, qui turres defendebant urbis fortissimae Tyri, quod aperte fabulosum est.

Resp. ad I. Si unam aut aliam prophetiam eventu completam fuisse ex historicis monumentis probari non potest, id fit tantum, quia haec monumenta desunt. Ubicumque autem nos historia non deserit, ibi manifeste patet vaticiniorum eventus.

Ad II. Nihil est in prophetia Jonae, quod aut Deum dedeceat, aut divinam superet potentiam: atque hoc nobis sufficit. Itaque necesse non est, historiam in parabolam vertere; hoc enim neque ipsa narratio patitur, neque, qui eam respiciunt, evangelici textus. Vide Matth. XII, 40. Luc. XI, 30.

Quae Daniel. IV. de Nabuchodonosore narrantur, extraordinaria quidem sunt, sed nullo modo incredibilia. Nam 1⁰ divinae majestati maxime conveniebat impiissimi regis superbiam edomare terribili hac calamitate et populos insigni prodigio edocere, unum esse coeli terraeque regem, qui imperio suo omnia contineret. 2⁰ Non dicitur regem fuisse in feram mutatum. Verosimilius est, plagam a Deo immissam morbum aliquem fuisse, qui Latinis melancholia canina aut lupina vocatur, Graecis λυκανθρωπία; quo qui laborant, ita quandoque insaniunt, ut in feras se mutatos esse imaginentur, et cum mentis usu etiam oris et linguae usum perdant, atque inconditas tantum et bestiales voces emittant, aliaque, quae feris propria sunt, faciant et patiantur. 3⁰ Nihil impedit, quominus per septem tempora septem menses intelligamus, aut forsan quatuordecim, si ad morem Orientalium attendimus, quo annum in sex partes aut tempora dividunt.

249. — Ad III. Prophetae, quae futura erant non verbis tantum praenun-

tiabant, sed et actionibus symbolicis, idque mandante Deo, ut scilicet fortius animis imprimerentur oculis subjecta fidelibus. Neque adhorrebant haec a moribus illorum temporum.

Isaias nudus incessisse dicitur, quia deposita exteriore veste, qua homines liberi utebantur, vili tunica indutus erat more servorum, ut designaret Judaeos servos futuros. Scilicet vox *nudus* nec in Hebraeo, nec in alio quocumque idiomate absolutam nuditatem exprimit. Vide lib. II. Reg. cap. XIV. et XX. Sic et Virgilius in Georgicis: *Nudus ara, sere nudus!*

Quae Ezechielem Prophetam spectant, possunt, si velis, de visione aliqua explicari. Ita ea intelligunt tum antiqui quidam interpretes, tum ex recentioribus non pauci; quamvis haec sententia nobis videatur magis eludere difficultates, quam solvere. Quidquid sit, id certe falsum est et insigne Voltarii mendacium, quod dicat Ezechielem jussum fuisse panem cum humano stercore manducare. Prophetae injunctum fuit, ut panem suum super fimo bovis coqueret; idque nullius admirationem habebit, si attendatur, in regionibus Orientis, quae ligni penuria laborant, homines pauperes fimo armentorum ad solem indurato uti ad coquendos panes. Non poterat summa miseria, quam populo praenuntiabat, significantius exprimi.

Caput I. Oseae varias patitur interpretationes, quas afferre nimis longum esset. Omnes in eo consentiunt, quod Propheta non adierit mulierem meretricem, sed eam legitimo matrimonio sibi copulaverit, in quo certe nihil contra bonos mores peccavit. Haec porro actio symbolica erat et ex contextu explicanda est.

Ad IV. Qui a Vulgata *Pygmaei* dicuntur, in Hebraeo vocantur גַּמָּדִים *(gammadim)*; quo nomine alii populum intelligunt Tyro vicinum, alii viros fortes et robustos a radice עָמַד *(amad)*, stetit, constitit. S. Hieronymus, qui auctor est versionis nostrae, ita se ipsum interpretatur in commentario: *Pygmaei, id est bellatores ἀπὸ τῆς πυγμῆς, quae Graeco sermone in certamen vertitur.*

250. — Obj. V. Samaritani, qui Pentateuchum cum Judaeis accipiunt, reliquos omnes veteris testamenti libros rejiciunt: ergo recens omnino librorum est aetas.

Resp. neg. conseq. 1° Quod Israëlitae decem tribuum, a quibus Samaritani legem acceperunt, libros Judaeorum post schisma conscriptos non admiserint, mirum esse non potest. An reliquos schismate antiquiores habuerint, incertum est; nam quamvis illi libri scripti jam fuerint et magno cum pietatis fructu vulgo legerentur, nondum tamen publica auctoritate consecrati erant, nondum enim canon extiterat scripturarum. Porro Davidis et Salomonis libris magna esse non potuit apud illas tribus auctoritas, quae Davidicae familiae infensissimae erant. 2° Longe diversa erat religio Samaritanorum, quos Salmanasar ex ditione sua in Samariam transtulit, et Israëlitarum, quos in Assyriam traduxit. Samaritani ad Israëlitarum gentem non pertinebant, et ille sacerdos decem tribuum, qui ad eos missus fuit a rege Assyriorum, id tantum muneris habuit, ut populum illum edoceret legitima Dei terrae; ad hoc autem sufficiebat Pentateuchus.

Nota. Multa alia, quae contra libros veteris testamenti objiciuntur, omittimus, ne in nimiam molem accrescat opus. Caeterum in catholicorum commentariis una cum solutione legi ea possunt; nam ex illis increduli argumenta sua exscripserunt, neglecta responsione. Plurima adhuc a nobis solventur tum in decursu hujus operis, tum in illa demonstrationis catholicae parte, quae de scripturarum divina origine, tum de canone, versionibus etc. agit.

CAPUT SECUNDUM.

Probatur veritas divinae revelationis ante Christum et per Christum factae.

251. — Nullibi occupatiores sunt Deistae, quam in congerendis iis, quae putant librorum sacrorum auctoritati nocere. Sic enim facilius convulsum iri religionem nostram existimant, si antiquissimis illis documentis, quibus divinam suam originem potissimum tuetur, fides et reverentia detrahatur. Magnam itaque laboris partem in eo collocandam censuimus, ut librorum veteris ac novi testamenti auctoritatem stabiliremus. Hoc negotio feliciter peracto, sarta tecta nobis manent praecipua causae nostrae instrumenta, quibus nunc tuto contra adversarios uti possumus.

His itaque muniti documentis ad id, quod in tota hac tractatione praecipuum est, convertimur; ad ipsam scilicet causae defensionem, seu ad probationem verae divinaeque revelationis. Potest autem ita proponi quaestio: *An ergo probari possit vere factam esse a Deo revelationem?* seu: *An existat aliqua religio, aut jam extiterit, quae sibi divinam originem jure vindicare possit?* Respondemus: certo veram et a Deo revelatam esse Christianam religionem, a Christo Jesu institutam et toto orbe diffusam, cujus nos cultores esse grato animo profitemur; huic, cum nonnisi post plura annorum millia e coelis ad homines delata sit, praeivisse, viamque praeparasse legem Mosaicam, aut revelationem a Deo populo Judaico factam; hancque iterum ideo fuisse institutam, ut revelationis primitivae sacras traditiones colligeret et conservaret; ne in communi hominum depravatione et inde secuta rerum divinarum ignorantia interirent.

252. — Sic omnia a Christo exeunt, omnia in Christum revertuntur: „*Ipse primus est et novissimus, principium et finis* [1])." Sic a rerum exordio egredientes nunquam destituimur divinae revelationis lumine; sed per varias mundi aetates recta via pervenimus ad Christum, cujus sanctissima religio omnis praecedentis revelationis finis est et complementum. Sicut lex Judaica divinam revelationem ab initio factam colere et conservare debuit, sic et ipsa nihil aliud fuit, quam *paedagogus noster in Christo* [1]).

En, quanta sit religionis Christianae majestas, cui omnia saecula famulantur! Vere *Christus Jesus heri et hodie ipse et in saecula* [2]). Haec excellentissima illa philosophia est, quae e coelo delapsa sola potuit malis mederi humanis. Haec a fine in finem attingit, omnia temporum spatia implet: primum aurorae adinstar humani generis incunabula illustrat, tum explicata sensim luce juniorem mundi aetatem fovet, adolescentiam alit; tum per Christum velut in meridie radios exserit, nec nisi cum humano genere occidit. Haec spem continet, quae ab exordio data est mortalibus aegris, quae in Patriarcharum familiis servata, apud specialem populum postmodum deposita, novis in diem vaticiniis aucta, in Christo tandem completa est, in quo benedictae sunt omnes gentes. Tantum tamque magnificum argumentum grandi et splendida oratione exposuit illustr. *Bossuetius* [3]). Nostrum est, tanti viri aliorumque religionis Christianae defensorum vestigia sequi, quantum id exiguae vires patiuntur.

Considerabimus igitur divinam providentiam primum admirabili ordinatione humanum genus ad Christianam religionem disponentem; tunc, cum venit plenitudo temporis, quae adumbrata tantum erant, aut imperfectius cognita, per Christum evolventem, et in omni ea, quam humani oculi ferre possunt, luce collocantem.

---

1) *Apocal.* I.

1) *Galatas* III.
2) Ad *Hebraeos* XIII.
3) Discours sur l'histoire universelle.

SECTIO I.

Praeparatio ad revelationem Christianam.

253. — Praeierunt revelationi Christianae: 1° Revelatio primaeva, in Patriarcharum familiis conservata; 2° lex Mosaica, ad Christum usque perdurans; 3° vaticinia plurima, tum ante legem, tum stante lege facta, quibus nova sanctiorque revelatio per Christum facienda annuntiabatur.

ARTICULUS I.

De revelatione ante Moysen.

254. — Deus hominem ad imaginem suam efformavit, iisque cumulavit ingenii et corporis dotibus, ut creatorem suum in orbe corporeo exprimeret, atque ipsius quasi vices teneret. In hoc statu felicissimo non potuit homo cogitari absque divina revelatione; cum ea destitutus nunquam ex densissimis tenebris emergere potuisset, nunquam originem suam cognoscere, nunquam sibi ipsi consulere. Verum maximopere aucta est haec opis supernae indigentia, cum homo factus est divinae obnoxius iracundiae et in peccati poenam pristinam naturae dignitatem amisit. In hac luctuosa sorte, res humanae semper in pejus ruissent, nisi homo denuo divinam expertus esset clementiam, novisque promissis confirmatus in spem veniae et salutis erectus fuisset. Certum itaque est et probatu facillimum, 1° homines nunquam sine revelatione fuisse, 2° per illam, quae primis parentibus facta est, revelationem, jam sparsa fuisse prima Christianae religionis semina.

PROPOSITIO I.

Humanum genus nunquam sine revelatione fuit.

255. — Arg. I. Stabilita est in priori capite librorum veteris et novi testamenti auctoritas; atqui utriusque testamenti libri testantur, Deum fuisse cum primis hominibus conversatum, iisque benignissima sua in eos eorumque genus consilia patefecisse. *Testamentum aeternum constituit cum illis*, ait Ecclesiasticus cap. XVII., *et justitiam et judicia sua ostendit illis.* Sed omne dubium tollunt, quae in Genesi passim leguntur, cujus libri omnes fere paginas transcribere necesse esset, si vellemus omnia hujus assertionis argumenta afferre.

256. — Arg. II. Id ipsum probat et hominis natura et summa divini numinis sapientia et bonitas. Nam si supponimus homines primum in hoc terrarum orbe collocatos sine educatione, sine duce et magistro Deo, qua demum via potuerunt ad eam religionis notitiam pervenire, quam paulo post inter eos reperimus? Certe hic aliquid intervenire debuit, cujus ope humanum genus hucusque penetraverit. Porro, quis non divinam providentiam et bonitatem accusaret, si hominem, quem prae omnibus animantibus tam praeclaris facultatibus exornaverat, ita in terram projecisset, ut, dum caetera animantia ea, quae eorum facultatibus consentiunt, proprio naturae instinctu assequuntur, solus homo omnium animalium esset miserrimum, omnibus ad eam, ad quam a natura comparatus videtur, rationis et bonitatis mensuram perveniendi mediis destitutus? Ergo divina sapientia, quae hominem cum hac mente creavit, quae veri cognoscendi, bonique appetendi capax esset, ne dicatur temere quid et sine consilio fecisse, necessario revelare ipsi debuit verae religionis elementa, ut sciret, se non fortuito satum, sed animum habere e mente divina decerptum; et quo eundum sibi, quibus modis colendum numen et quae recta sanctaque vitae institutio.

257. — Arg. III. 1° Apud gentes communis semper erat persuasio, Deum olim inter homines versatum; religionem e coelo in terras allatam. 2° Magna semper fuit apud omnes populos antiquitatis auctoritas, et insita naturae erga illam reverentia; quippe quod pensuasum omnibus erat, anti-

quitatem propius accedere ad deos, ut ait *Tullius*, et *quo propius aberant homines ab ortu et divina progenie, hoc melius ea, quae erant vera, perspexisse.* 3⁰ Plura apud remotissimas gentes, nullo inter se commercio conjunctas, dogmata, plures ritus sacri reperiuntur, quae, cum non potuerint a ratione magistra proficisci, necessario communem aliquam et primaevam traditionem supponunt [1]). 4⁰ Si homo sola ratione adjutus officiorum vitae et religionis summam conficere posset; qui factum est, ut dum humana inventa parva primum et rudia, crescente humani generis cultura crescant etiam et expoliantur, religio econtra eo purior apud omnes populos fuerit, quo propius ad communem fontem accederet, inversam ubique a philosophia et humanis scientiis viam secuta?

1) Non desunt inter catholicos religionis defensores viri doctissimi, qui hanc materiam copiose tractarunt. Quo diligentius autem in colligendis veterum testimoniis, in excutiendis antiquissimarum gentium religionibus et doctrinis versati sunt, eo evidentius apparuit narrationis Mosaicae veritas et eorum imprimis, quae primi homines ex revelatione didicerant, ad omnes populos transfusa traditio. — Ejusmodi sunt: Deum rerum omnium causam esse et principium, ab ipso facta esse omnia; mundum hunc aspectabilem summi Dei opus esse; primum confusa fuisse rerum semina; tum suo quaeque loco collocata; postremo hominem procreatum ad divinam effigiem; intra septem dies peractum opus; hominem statim ab ortu in statu felicissimo collocatum; statum hominum in deterius mutatum; Deum denuo salutis auctorem fore hominibus; hominem libertate donatum, sed sine Deo bonum esse non posse. Haec aliaque sacra dogmata in omnium gentium theologia reperiuntur, quamvis informia saepe, et multis fabulis permixta. Neque hoc gentes illas latuit, multa ejusmodi homines a Deo didicisse; frequentiorem olim Deo cum hominibus fuisse consuetudinem; quod eleganter ita exprimit Catullus:

Praesentes namque ante domos invisere castas
Saepius, et sese mortali ostendere coetu
Coelicolae nondum spreta pietate solebant.

Infiniti sunt illustrissimi *Huetii* in exquirendis hisce et perscrutandis antiquitatibus labores, praeclara merita, tum in Demonstratione evangelica, tum in quaestionibus Alnetanis (Lib. II.). Multa quoque in hanc rem contulerunt *Hugo Grotius* in egregio opere de veritate religionis Christianae (Lib. I. cap. XVI.). *Stolberg* I. Bd., vierte und fünfte Beilage. *Bergier* Tom. I. pag. 107.

PROPOSITIO II.

Revelatio primaeva non est diversa a revelatione Christiana, sed quoad substantiam eadem.

258. — Prob. Religionem primorum hominum ex libro Genesis discimus; ex illis, quae ibi historice narrantur, haec praecipua deduci possunt patriarchalis religionis puncta: Deum unum esse, creatorem coeli et terrae, rerumque omnium supremum dominum; Deum ex natura bonum esse, omnia providentia sua regere, justitiamque exercere in eos, qui male agunt et praecepta divina transgrediuntur. Hominem ad imaginem Dei conditum, ac proinde anima spirituali immortalique praeditum, boni malique capacem. Huic dominium concessum in animalia, ipsum vero in omnibus Deo subditum.

Hominem peccato a prima dignitate decidisse in summam miseriam; Deum tamen homini locum dedisse poenitentiae, futurum liberatorem promisisse, hujusque benedicti seminis mediatione novum pactum iniisse cum hominibus, quod pactum gratiae rectissime dicitur.

Hominem post peccatum libertate exutum non fuisse, sed illius esse dominari appetitui suo. Sanguinem occisorum clamare ad Deum.

259. — Ibidem legimus institutum matrimonium, quo omnis humanae societatis positum est fundamentum; sabbatum a Deo sanctificatum, institutaque sacrificia; haec etenim a divina revelatione orta fuisse dubitari non potest, cum ea a primis jam hominibus usurpata videamus statim post

lapsum; neque ulla postmodum gens reperta fuerit, quae sacrificiis caruerit; cujus rei causam aliam assignare nemo potest, praeter positivum Dei praeceptum.

Haec revelatio, a Deo hominibus data et usque ad Noëmum in familiis Patriarcharum summo studio conservata, a Noëmo, secundo generis humani parente, posteris relicta est. Cum autem corruptio et impietas in Noëmi posteris invalesceret, elegit sibi Deus virum piissimum, Abrahamum, ut ipse custos esset avitae religionis et promissionum antiquarum. Novum cum eo foedus iniit, cujus signum erat *circumcisio;* qui ritus a tempore Abrahami partem effecit religionis patriarchalis. Jam vero, si haec omnia cum religione Christiana conferuntur, obvium est, ea non tantum Christianae revelationi non esse adversa, sed illius prima principia et elementa continere. Et quamvis amplissima haec sit, et per totum orbem splendeat, tum doctrinae sublimitate, tum sanctitate praeceptorum; nihilominus in illa prima revelatione jam reperitur, quasi in nucleo inclusa [1]).

1) „Quelle consolation aux enfans de Dieu! ait illustrissimus *Bossuetius* (Discours sur l'histoire universelle partie II. chap. XXX.), mais quelle conviction de la vérité, quand ils voyent que d'Innocent XI. (aequo nos jure diceremus: *Pius* IX.), qui remplit si dignement le premier siège de l'église, on remonte sans interruption jusqu'à S. Pierre, établi par Jésus-Christ prince des Apôtres: d'où en reprenant les pontifes, qui ont servi sous la loi, on va jusqu'à Aaron et Moyse; de là jusqu'aux Patriarches et jusqu'à l'origine du monde! Quelle suite! quelle tradition! quel enchainement merveilleux!... Quelle plus grande autorité, que celle de l'église catholique, qui réunit en elle-même toute l'autorité des siècles passés, et les anciennes traditions du genre humain jusqu'à sa première origine." Argumentum hoc explicatius tractatum reperitur in doctissimi *Hooke* principiis religionis naturalis et revelatae. Tom. II. part. II. art. V. *De religionis Christianae quoad substantiam antiquitate.*

ARTICULUS II.

De revelatione Mosaica.

260. — Foedus gratiae cum primis parentibus initum, post diluvium cum Noëmo instauratum, Deus postmodum cum Abrahamo solemni ritu et jurejurando denuo sancire, atque demum Isaaco et Jacobo confirmare voluit. Sic ad duodecim tribus haereditario jure trasmissa est primaeva revelatio, neque alia gens fuit in orbe terrarum, quae tam genuinam haberet religionis notitiam, et quam Deus instituisset revelationis ac promissionum suarum conservatricem.

261. — Verumtamen cum in magnum Aegyptiorum regnum translata gens Israëlitica in immensam multitudinem augeretur, ne populi illius usibus et institutis sese accommodaret, et memoriam amitteret divinorum promissorum, statuit Deus eam segregare in populum peculiarem, cujus ipse gentilitius et tutelaris Deus esset; eam sepire et circumvallare specialibus institutis, magnoque legum et caeremoniarum apparatu; ut sic in ea saltem gente, ex qua nasci debebat generis humani salvator, intacta servaretur antiqua religio, et spes data mortalibus aegris. Hinc ait Apost. ad Galat. III.: *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat.* Duo igitur in religione Mosaica probe secernenda sunt: 1° Religio aut revelatio antiqua, quam servari oportebat in mundo idololatrico. 2° Ipsa reipublicae Judaicae constitutio, et cultus externi ordinatio, quae quasi propugnacula erant et praesidia illius, quod populo illi concreditum erat, depositi. Qua in re id quoque animadvertendum est, quod in ipsa legum constitutione diversisque populi eventibus omnia ita fuerint disposita, ut typi essent et figurae rerum futurarum, et historia Judaica tota prophetica esset et quaedam actio praevia historiae evangelicae.

In hac demonstratione eum serva-

bimus ordinem, quem superiore parte indicavimus. Ostendemus scilicet revelationis Mosaicae divinitatem 1° ex notis, quae naturales dici possunt, tum intrinsecis, tum extrinsecis, seu ex ipsa religionis natura, et illius, qui eam promulgavit, charactere. 2° Ex notis extrinsecis supernaturalibus seu extraordinariis, certisque divinae auctoritatis testificationibus, quales sunt miracula et prophetiae.

§. I.

Probatur divinitas religionis Mosaicae ex notis naturalibus internis et externis.

OBSERVANDA.

262. — I. Religio Mosaica praeter dogmata seu doctrinam de Deo ejusque attributis, caeteraque primae revelationis capita, magnam continet praeceptorum multitudinem, quae iterum in *moralia*, *ritualia* vel *caeremonialia*, et *politica* aut *civilia* distingui possunt. Triplex hoc praeceptorum genus cap. VI. Deuter. his verbis indicat Moyses: „*Haec sunt praecepta, caeremoniae atque judicia, quae mandavit Dominus Deus vester, ut docerem vos.*“ Haec omnia a nobis examinanda sunt, et probandum contra Deistas, in nulla religionis Mosaicae parte aliquid reperiri, quod Deum ejusque perfectiones dedeceat; omnia econtra plena esse consilii et pietatis, personis temporibusque accommodata et digna divinae, quam ipsis attribuimus, originis.

263. — II. Deistae vim maximam in illo argumento ponunt, quod ex legis Mosaicae sanctione desumitur; sic enim ratiocinantur: Indignum est Deo, homines bonis temporalibus excitare ad religionis officia; vana igitur est, neque a Deo profecta religio, quae praeter commoda terrena, aut poenas in hac vita luendas nulla hominibus proponit actionum suarum motiva: porro talem esse Mosaicam religionem cuique obvium est, qui libros Moysis et Prophetarum legere voluerit. Ad hoc argumentum in decursu respondebimus.

264. — III. Praecepta *caeremonialia* vocantur ea, quibus certi ritus ad Dei cultum ordinati praescribuntur et dividi possunt in *sacrificia*, *sacramenta*, *festivitates* et *observantias*.

Sacrificium triplex distinguitur, scilicet: holocaustum, hostia pacifica et sacrificium pro peccato. *Holocaustum* perfectissimum erat sacrificium, in quo tota victima comburebatur, in signum supremi Dei in res omnes dominii et perfectae dependentiae a Deo. *Hostia pacifica* duplici titulo offerri poterat, vel ad obtinenda a Deo beneficia, vel in gratiarum actionem pro obtentis. Dividebatur in tres partes, quarum una cremabatur in honorem Dei, alia in usum sacerdotum cedebat, tertia ab illis, qui obtulerant, edebatur. *Sacrificium pro peccato* offerebatur pro peccatis quibusdam externis, v. g. furto, perjurio, calumnia (*Lev.* VI, 7.); item pro peccatis per ignorantiam aut negligentiam commissis (*Lev.* IV. et V.). Hoc sacrificium pro ratione peccati aut personae erat diversum. Pars victimae cremabatur, pars cedebat in usum sacerdotum, qui ea in atrio templi vescebantur. Ab hac divisione parum differt ea, qua sacrificium dividitur in *latreuticum*, *eucharisticum*, *impetratorium* et *propitiatorium*. Primum ita vocatur ob cultum latriae, qui Deo supremo rerum omnium domino exhibetur, quod quidem in holocausto potissimum perficitur. Secundum et tertium ad hostiam pacificam pertinet. Quartum denique est sacrificium pro peccatis, aut peccatorum poenis avertendis et idem est, quod hostia pro peccato.

265. — Sacrificia ratione materiae dividebantur in *victimas* seu *hostias*, quae ex animantibus; *immolationes*, quae ex rebus inanimis et solidis; et *libamina* seu *libamenta*, quae ex liquoribus constabant. Immolabantur ex

pecoribus oves, caprae, hoedi, boves, vituli; ex avibus columbae, turtures, passeres. Ex rebus inanimis et solidis offerebantur panis, simila, sal, thus etc.; de liquoribus autem sanguis, vinum, oleum et aqua.

Sacramenta alia erant multitudini communia, ut circumcisio, esus agni paschalis, purificationes ab immunditiis legalibus et expiationes a peccatis: alia propria ministrorum, ut consecratio sacerdotum, esus panum propositionis. Vid. S. *Thomae* primae secundae q. 102. et analog. *Becani*, cap. XIII. et XV., opus valde commendandum.

266. — Festivitates apud Judaeos triplicis erant generis. Aliae ordinariae, ut *sabbatum* et *neomenia;* aliae singulis annis agebantur, ut *pascha*, *pentecostes*, *festum tabernaculorum*, quod etiam σκηνοπηγία vocatur [1]); *festum tubarum* [2]), et *festum expiationum* [3]). Aliae post certum annorum circulum recurrebant; ut *annus sabbaticus* et *jubilaeus* [4]). Praeter haec festa a Deo ipso instituta alia quaedam observabantur, quae humanae institutionis erant, ut *festum* פּוּרִים, vel *sortium* [5]), et *festum encoeniorum* [6]).

Observantiarum nomen retinuerunt alii ritus quam plurimi, qui totam Judaici populi vitam implebant, ut eum magis idoneum redderent ad Dei cultum, et promissi obsequii perpetuo commonefacerent; tales erant immunditiae legales, ciborum discrimina etc.

267. — IV. In lege Mosaica multa reperiuntur praecepta civilia, seu politica; quod mirum videri non debet, cum forma reipublicae Hebraeorum singularis omnino fuerit, in qua civilis constitutio et religiosa ita coaluerunt, ut una sine altera nequaquam potuerit consistere. Noster legislator, ait Josephus [7]), politiam nostram *theocratiam* declaravit. Sicque, ut idem auctor observat, sua legislatione effecit, ut omnis moralis et civilis virtus pars esset religionis, id est pietatis erga Deum; cum in aliis constitutionibus religio sit pars virtutis.

Praecepta haec, quae etiam *judicialia* vocantur, per quae publica et politica res administrabatur, alia erant principum ad subditos, alia subditorum ad se invicem, quaedam nationis ad extraneos, alia ad domesticos.

1) *Levit.* XXIII. 2) *Numer.* XXVIII.
3) *Levit.* XVI. 4) *Levit.* XXIII. et XXV.
5) *Esther* IX. 6) I *Machab.* IV, 59.
7) Contra Appionem.

PROPOSITIO I.

Religio Mosaica, sive partem ejus theoreticam consideremus, sive praecepta moralia, in omnibus Deo digna est, et divinam prodit originem.

268.— Prob. 1⁰ Religio Mosaica omnia doctrinae capita complectitur, quae ab initio patribus revelata fuerunt, eaque clariori in luce collocat. Ubique praedicatur Deus unus, qui universi creator est omniumque rerum dominus et supremus arbiter. *Audi Israël, Deus tuus dominus unus est.* Deut. VI. Naturam Dei ita exprimit, ut nihil possit cogitari sublimius. *Ego sum, qui sum.* Exod. III. Deum hunc passim nobis repraesentat ut aeternum, omnibus hominibus praesentem, summe bonum et res universas sapientissimis legibus moderantem. Cultum omnem idololatricum procul eliminat, superstitioni non minus, quam impietati bellum indicit, et tota in eo est, ut hominem excitet ad timorem Dei, ad fiduciam in ejus praesidio, ad amorem gratumque pro acceptis beneficiis animum; ad omnes denique pias sanctasque affectiones, quae et hominem maxime decent, et summae sanctissimaeque majestati debentur. Plenae his sunt omnes Pentateuchi paginae, inter alia cap. XV. Exodi, Deuter. cap. XXX. et XXXII. etc.

2⁰ Eximia quoque sunt, quae a Moyse traduntur, morum praecepta. Omnium officiorum, tum erga Deum, tum erga proximum, summam continet decalo-

gus Exod. XX.; quo non actiones tantum malae cohibentur, sed interiores etiam animarum motus pravaeque cupiditates. Omnium praeceptorum fundamentum ponit amorem Dei et proximi: *Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua.* Deut. VI, 5. Erga proximum autem non justitiae tantum, sed et charitatis officia multis modis commendat. *Unusquisque patrem suum et matrem suam timeat: non oderis fratrem tuum in corde tuo. Non facies quod iniquum est, nec injuste judicabis. Non quaeras ultionem, nec memor eris injuriae civium tuorum. Si habitabit advena in terra vestra, non exprobretis ei, sed sit inter vos quasi indigena, et diligatis eum quasi vosmetipsos. Nolite facere iniquum aliquid in judicio, in regula, in pondere et mensura.* Vide totum cap. XIX. Levitici. Multae ejusmodi eximiae vitae regulae ubique per libros Moysis sparsae reperiuntur, quibus gravissima adduntur momenta et exempla, poenarum comminatio, et promissio praemiorum. His nunc, quantum fieri potuit, breviter expositis, concludimus:

269. — Conclusio I. Ergo manifestum est, religionem Mosaicam, tum theoreticam tum practicam, quamvis imperfecta adhuc fuerit, imprimis cum nostra religione Christiana comparata, bonam tamen fuisse, piam et sanctam. *Lex sancta et mandatum sanctum et justum et bonum.* Rom. VII, 12.

Quinimo, cum non tantum nullum errorem positivum in ea deprehendamus, sed omnia cum Dei perfectionibus consonent, omnia hominum conditioni, temporumque illorum culturae sint accommodata, quis neget illam esse Deo dignam?

Conclusio II. Jam, si rem propius consideramus, et rationem habemus temporis, quo Moyses vixit; populi, cui legem promulgavit; aliarum gentium religionum et institutorum; si attendimus, quod eo ipso tempore, quo populi omnes vanissimis superstitionibus serviebant; quo pessumdata erat omnis vera religio, omnis morum disciplina; homo Judaeus, inter Aegyptios educatus, potuerit tam sublimia de Deo docere, sine omni erroris admixtione, multoque rectius de morum doctrina loqui, quam omnes antiquitatis philosophi; non possumus non vehementer mirari, et palam profiteri, digitum Dei hic esse; non esse hoc opus hominis, sed regentis omnia moderantisque Dei. Ergo religio Mosaica divinam etiam prodit originem.

ARGUMENTA CONTRARIA.

270. — Objiciunt I. Revelatio Mosaica omnis verae religionis, omnis virtutis et rectitudinis fundamento caret: ergo divina esse non potest.

Prob. ant. In libris Moysis nihil reperitur, quod fidem immortalitatis adstrueret et vitae futurae, quae tamen omnis verae religionis et disciplinae moralis fundamentum est: ergo caret hoc fundamento religio Mosaica.

Resp. I. D. A. Nihil reperitur, quod fidem illam expresse et ut dicitur, *ex professo* adstruat, conc.; nihil, quod illam implicite contineat, aut jam existentem necessario supponat, neg. Ex eo, quod Moyses doctrinam de animorum immortalitate expressis verbis non proponat credendam, minime sequitur, nulla hujus fidei vestigia in libris Moysis reperiri. Plura econtra libri illi continent, quae probant, fidem futurae vitae apud veteres Patriarchas totumque populum semper viguisse. Praecipua hujus rei argumenta paucis indicabimus. 1° Genes. II. dicitur, Deum corpori hominis, quod ex limo formaverat, inspirasse spiraculum vitae, hominemque condidisse ad imaginem et similitudinem suam. Quae verba, cum naturae humanae dignitatem tam magnifice exprimant, non corpus tantum respicere possunt mortale et caducum, sed animos ex natura divina quasi de-

cerptos, ab omni materia segregatos et sempiternos. 2° Genes. V. *Henoch* dicitur sublatus a Deo, quia cum Deo ambulavit. 3° In foedere cum Abrahamo inito Genes. XV. ait Deus: *Ego ero merces tua magna nimis.* Et Jacob Patriarcha, cum morti proximus filiis benediceret, subito filum orationis abrumpens exclamat[1]): *Salutare tuum expectabo, Domine.* 4° Patriarchae se in hac terra peregrinos et hospites esse confitebantur, diesque suos vocabant dies peregrinationis parvos et malos[2]). Ubi statim subeunt haec Apostoli verba[3]): „*Qui haec dicunt, significant se patriam inquirere. Et si quidem ipsius meminissent, de qua exierunt, habebant utique tempus revertendi: nunc autem meliorem appetunt, id est, coelestem.*" Addit Apostolus[4]): „*Ideo non confunditur Deus vocari Deus eorum.*" Quod Apostoli argumentum non differt ab illo, quo Christus ipse contra Sadducaeos usus est Matth. XXII. v. 31., ubi ex verbis Exodi III.: *Ego sum Deus Abraham et Deus Isaac et Deus Jacob,* resurrectionem mortuorum probat. 5° Patriarcha Jacob filium suum Josephum lugens ait[5]): *Descendam ad filium meum in infernum.* Per *infernum* non potest hic sepulchrum intelligi, quia Jacobo persuasum erat, feram pessimam devorasse Josephum; ergo locus ille intelligendus est, in quo animae post mortem detinebantur. In Hebraeo adhibetur vox שְׁאוֹל, quam LXX constanter vertunt per ἅδης, quod proprie significat locum invisibilem defunctis praeparatum. Vide *Lettres de quelques Juifs*[6]). 6° Idem fere argumentum deducitur ex illo loquendi modo scripturis usitato, quod mortui dicantur *colligi, pergere, ire ad populum suum:* haec enim de sepulchro intelligi non possunt, cum Aaron et Moyses, de quibus id dicitur[1]), appositi non fuerint in sepulchro patrum suorum. 7° Balaam cum venisset ad Balac regem Moabitarum, ad maledicendum populo Israël, castra Israëlitarum intuens et spiritu Dei abreptus exclamat[2]): *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia.* Ex quibus patet eos aliam vitam post mortem expectasse. 8° Ex legibus, quas Moyses sanxit[3]) contra eos, qui diis manibus fidem darent, Pythones et divinos consulerent, aut a mortuis veritatem quaererent, manifestum est: Hebraeos vulgo credidisse, animos corporibus fore superstites.

271. — Resp. II. neg. conseq. Etiamsi verum esset, quod tamen probavimus esse falsissimum, nihil in lege veteri reperiri, quo animae immortalitas et fides futurae vitae adstrueretur, nihilominus falsa esset, quam adversarii exinde deducunt, consequentia; nempe religionem Judaeorum hoc fundamento caruisse. Judaeis semper persuasum fuit, animos corpore solutos non extingui, sed vita frui immortali. Quod autem Moyses hanc veritatem in lege sua positiva non promulgaverit, ratio est, quia scivit eam omnium Judaeorum animis alte impressam fuisse tanquam partem illius revelationis antiquae, quae ex communi fonte in omnes gentes defluxit; et nullibi religiosius servata est, quam in Patriarcharum illorum familiis, a quibus Judaei descendebant.

Haec puto a nemine, qui sincerae mentis est, negari posse. Nam fatentibus ipsis philosophis constans omnium populorum traditio fuit, mortem non interitum esse omnia tollentem et delentem, sed quamdam quasi migrationem commutationemque vitae. An ergo soli Judaei, qui de Deo tam prae-

1) *Genes.* XLIX, 18. 2) *Genes.* XLVII, 9. 3) Ad *Heb.* XI. 4) Ibidem v. 16. 5) *Genes.* XXXVII, 35. 6) Tom. II. pag. 90.

1) *Numer.* XX. et XXVII. 2) *Numer.* XXIII, 10. 3) *Deuter.* XVIII.

clare sentiebant, tam sanctis utebantur legibus, ad quos purior et clarior pervenit vetus humani generis traditio, hoc dogmate caruissent, quod necessario ex genuina Dei notione fluit, quod splendidae illae promissiones Patriarchis factae et toti populo a Moyse confirmatae necessario supponunt? Chaldaei, Aegyptii, Phoenices, Chananaei, quibus Judaeorum gens undique cingebatur et quos scimus turpissimis superstitionibus serviisse, in hac tamen fuissent persuasione et animam immortalem credidissent: at soli Judaei non credidissent? Auctores fidem reliquarum gentium ex caeremoniis sepulchrorum colligunt, atque hinc factum esse ajunt, ut totum prope coelum humano genere impletum fuerit. Quis autem nescit, Judaeis semper maximam fuisse in mortuos reverentiam summamque sepulchrorum religionem?

272. — Instant I. Si fides immortalitatis Moysis tempore apud Judaeos viguisset, hic legem suam procul dubio sanxisset praemiis et poenis alterius vitae: atqui contrarium constat ex toto codice legum Judaicarum, qui nullas habet vitae melioris promissiones, sed terrena tantum commoda proponit et poenas comminatur temporales. Ergo etc.

Resp. dist. min. Lex proprie dicta et distincta ab illa revelatione, quam Judaei a patribus acceperant, nullas vitae futurae promissiones habuit, *conc.* Lex sumpta tanquam complexus omnium veritatum, quae ad religionem Judaeorum pertinebant, *neg.* Jam diximus, ab ipso mundi initio extitisse religionem a Deo revelatam, quae per Noëmum et Patriarchas haereditario jure ad Hebraeos transmissa est, semperque mansit in memoria populi Deo dilecti, una cum sanctione ipsi annexa. Huic religioni superaddita est lex proprie dicta et quidem propter transgressiones, ut populus Deo sacer, cui jam credita fuerant eloquia Dei, in rempublicam coactus servaretur a vicinarum gentium contagione. Ad hoc requirebatur sanctio externa et temporalis, qualis in omni republica bene ordinata. Deus hic agebat ut Monarcha et jus regium exercebat, vi pacti specialis cum populo initi. Ita scilicet cohibere necesse erat homines nimium adhuc sensibus addictos, quos futura et invisibilia non satis commovebant.

273. — Hoc sensu intelligenda sunt, quae S. *Thomas* docet; scilicet promissa veteris legis temporalia tantum fuisse, et in hoc legem Mosaicam potissimum differre ab evangelica, quod haec, ut Apostolus ait [1]), sancita sit in *melioribus repromissionibus.* Eodem modo interpretanda est *Augustini, Hieronymi* aliorumque Patrum sententia, cum dicunt, *regnum coelorum primum in evangelio praedicatum fuisse;* et illud S. *Bernardi* [2]): *Grave legis jugum et vile praemium, nam terra est in promissione.*

Et vero, quis sibi persuadeat, Moysen temporalia promittendo nullam rationem gessisse sanctionis spiritualis? Judaeos, quos nunquam deseruit spes futuri liberatoris, inter quos multi extiterunt homines justi et pii, quorum fides in scripturis laudatur, nullam bonorum spiritualium spem habuisse, quae tamen omnis verae justitiae fundamentum est? Sed omne dubium tollit Apostolus, qui in epistola ad Hebraeos [3]) longam affert justorum, qui ante legem et sub lege vixerunt, annumerationem, *qui omnes*, ait, *testimonio fidei probati non acceperunt repromissionem.* Nullam scilicet in hac vita virtutis mercedem tulerunt, neque plenam adhuc perfectamque in altera vita, usque ad Christi in coelum ascensum. *Deo pro nobis melius aliquid providente, ut non sine nobis consummarentur.* Vide etiam v. 35. Neque testimonia desunt ex V. T., quae hanc

1) *Hebr.* VIII, 6. 2) Serm. XXX. in *Cant.* 3) *Hebr.* XI, a v. 1 usque ad finem.

spem vitae et retributionis aeternae clare exprimunt. Ut Tobiae II.: *Filii sanctorum sumus et vitam illam expectamus, quam daturus est Deus illis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* II Machabaeor. VII. unus ex Machabaeis fratribus ait: *Rex mundi defunctos nos pro suis legibus in aeternae vitae resurrectione suscitabit.* Sapient. V. *Justi in perpetuum vivent.* Vid. Daniel. XII. etc. Igitur manifestum est, Judaeos sub lege constitutos promissiones habuisse vitae futurae; quamvis eas non *ex lege* habuerint, sed *ex patribus.*

274. — Noli tamen exinde concludere, hanc ergo sanctionem legem tantum naturalem respicere potuisse et religionem ex Patriarcharum traditione cognitam, non vero legem illam, quae *proprie* Mosaica dicitur. Verum quidem est, legem hoc sensu acceptam directe et per se nullam habuisse sanctionem, nisi temporalem: at cum lex illa Deum auctorem habuit, utique religionis etiam naturalis praecepta violasset, quisquis obedientiam detrectasset voluntati divinae: atque hoc sensu religiosa legis observatio ad legem ipsam naturalem et spiritualem, quae ipsam comitabatur, sanctionem pertinebat. Neque dubium est, veros Israëlitas leges suas etiam caeremoniales et civiles observando sublimiori motivo fuisse incitatos: quid enim aliud eos inducere potuisset, legi obedire etiam cum fortunarum suarum et vitae jactura? Vide quae supra ex lib. II. Machab. citavimus.

Demum et hoc in praesenti quaestione observandum est, promissiones illas temporales, quibus a Moyse sancita est lex antiqua, totam societatem et gentem Israëliticam spectare, quae non potuit puniri aut praemiis donari nisi in hac vita, in altera enim non existit. Quod autem homines quoslibet privatos attinet, in temporalibus utique haerebant illi, qui Judaei *carnales* vocantur; at inter eos, qui ad altiora animum intendebant et *spirituales* dicuntur, nullus fuit, qui non sciverit, alia sibi expectanda esse praemia, alias poenas metuendas. Quomodo enim alias explicare sibi potuissent, cur in communi gentis prosperitate etiam mali bonis temporalibus gauderent et in communi ruina etiam justi obruerentur?

275. — Inst. II. Judaei immortalitatis animae notitiam acceperunt ex Babyloniorum et Persarum familiaritate; ergo nec ex lege sua eam habebant, nec ex patrum suorum traditione.

Prob. ant. 1° Scimus Persis, Babyloniis, Chaldaeis, Aegytiis, Phoenicibus, Arabis etc., sacrum semper fuisse hoc dogma: permanere animos post mortem. 2° Ab eo praecise tempore, quo in captivitatem traditi fuerant Judaei, eos videmus ab omni idolorum cultu constanter abhorrentes, magisque, quam unquam antea, patriis legibus addictos. 3° Libri sacri Judaeorum post captivitatem scripti soli sunt, in quibus spes futurae vitae exprimitur. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Quis non miretur, Judaeos tunc demum, cum Babylonem transferrentur, tam dociles se praebuisse ad exterarum gentium doctrinas: cum a primo gentis suae ortu ubique populis circumdati fuerint, qui, ut fatetur Voltarius, eadem hac opinione imbuti fuerant, qui eos omnium nationum consensio unquam in hanc sententiam adducere potuerit? Sed facile est, argumentorum, quae a Voltario toties repetita fuerunt, vanitatem ostendere?

Ad I. Quam praeclare ratiocinantur, qui se κατ' ἐξοχήν philosophos dicunt! Chaldaei, Babylonii, Phoenices, Aegyptii, Arabes etc., animos corpori superstites crediderunt et sempiternos; ergo Judaei illud non crediderunt; ergo Judaei, quod omnes circum populi noverant, soli nescierunt, illudque tandem plus quam 900 post

datam legem annis didicerunt a Babyloniis et Persis.

Ad II. Fatemur, Judaeos post captivitatem minus proclives fuisse ad idololatriam et patriis legibus magis addictos; sed ratio hujus mutationis aperta est. In tanta templi, urbis et reipublicae ruina didicerunt tandem tristi experientia, se tutos et beatos esse non posse, nisi pietate et legis observantia divinum mererentur praesidium. An non absonum est asserere, Judaeos ab idololatris didicisse, ab idololatria abhorrere?

276. — Ad III. Negamus, solos libros post captivitatem scriptos doctrinam de immortalitate animae clare exprimere. Plurima argumenta jam attulimus, ex Pentateucho petita; sed alia multa in Psalmis et Prophetis aliisque libris leguntur, qui captivitate Babylonica anteriores sunt. Legimus in lib. I. Regum, Saulum ad mulierem Pythonissam perrexisse eamque rogasse, ut evocaret animam Samuelis. „Ex hac historia manifestum est, ait *Joannes Clericus* [1]), Hebraeos vulgo credidisse, post corporum mortem animos hominum superesse; neque enim potuit Saul optare sibi evocari animum Samuelis, nisi superstitem eum esse crederet. Idem colligere licet ex loco Moysis, ubi vetat consuli mortuos. Deut. c. XVIII." Legimus in lib. Proverb. [2]): *In malitia sua expelletur impius, sperat autem justus in morte sua.* Imo nullibi tam luculenta hujus doctrinae indicia reperimus, quam in lib. Ecclesiastes, quem increduli totum materialistarum placitis refertum esse contendunt. Cum enim Sapiens de finibus bonorum et malorum varia proferret et in varias partes excuteret argumentum suum, quid ipse de exitu animae ejusque immortalitate ac futura vita opinatus sit, diserte declarat cap. XI. v. 9.: *Scito, quod pro omnibus his adducet te Deus in judicium;* et cap. XIII, 7.: *antequam revertatur pulvis in terram suam, unde erat, et spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Denique his verbis, quibus totius disputationis finem facit: *Deum time et mandata ejus observa, hoc est enim omnis homo; et cuncta, quae fiunt, adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum sive malum illud sit* [1]). Adde, quod auctores sacri, qui post captivitatem de animae immortalitate tam clare locuti sunt, profecto non putaverint, se novam tradere doctrinam, sed illam, quam didicerunt a majoribus [2]).

1) In libro Ecclesiastes multa sunt obscura, quia in eas circumstantias ne fingendo quidem collocare nos possumus, in quibus auctor librum conscripsit. Illa sententia, quam S. *Hieronymus* ex Hebraeorum traditione refert, scilicet hunc librum esse Salomonis poenitentiam agentis, valde probatur *Bossuetio*, qui eam suam fecit in praefatione ad hunc librum. Notatu digna sunt, quae S. Gregorius Magnus de scopo hujus libri commentatus est (Dialog. lib. IV. cap. IV.): *Hic liber* Concionator *dicitur, quia Salomon in eo quasi tumultuantis turbae suscepit sensum, ut ea per inquisitionem dicat, quae fortasse per tentationem imperita mens sentiat. . . . Sed* Concionator *verax velut extensa manu omnium tumultus sedat, eosque ad unam sententiam revocat; cum in ejusdem libri termino ait: finem loquendi omnes pariter audiamus:* Deum time etc.

2) Qui plura in hanc rem legere desiderat, adeat auctores, qui in hoc argumento studiose versati sunt; ut: *Hooke* Tom. II. pag. 204. *Stolberg* II. Band, zweite Beilage. *Lettres de quelques Juifs* Tom. II. pag. 80 etc. *Bergier* Tom. VI. pag. 204 etc. Singularis est *Warburtonis* episcopi Anglicani sententia, qui lib. *dedivina Moysis legatione* contendit, evidentius ex eo elucescere divinam Moysis auctoritatem, quod leges suas nulla alterius vitae sanctione aliorum legislatorum more firmaverit; quia hoc ipsum probat signorum et prodigiorum veritatem, quibus indociles Judaeorum animos nullo alio adhibito motivo subegit. Sed falsa est haec suppositio; probavimus enim Moysen immortalitatis doctrinam tanquam notam assumere potuisse et debuisse. Et vero,

1) In libr. hist. pag. 269. 2) *Prov.* XIV, 32.

277. — Obj. II. Moyses Deum nobis exhibet 1⁰ plenum aemulatione et invidia, rerum temporalium, munerum et sacrificiorum avidum; 2⁰ injustum, qui furta approbat, mendacium remuneratur, peccatum punit in tertiam et quartam generationem; 3⁰ crudelem, qui gentem Chananaeorum cruenta nece extingui jussit. Ergo etc.

Resp. neg. ant. quoad omnes partes.

Ad I. Deus aemulator dicitur, quia solus vult super omnia amari, solus ut Deus coli et adorari. Quaeritur autem, an Deus possit haec non velle? Judaei omnes ab infantia edocti fuerunt, Deum muneribus et victimis non egere, cum omnia, quae ipsi possidebant, divinae largitatis munera essent. Dona et sacrificia ideo tantum ad Dei cultum pertinebant, quia Judaei his amorem, gratumque in Deum animum testabantur, aut supremum Dei in res omnes dominium, aut internum ob offensum numen animi dolorem.

Ad II. Josephus et plurimi alii contendunt, in illo versu 30. capitis XII. Exodi, ex quo desumpta est objectio, vocem *commodasse* idem significare ac *dono dedisse*. Verum etiamsi Israëlitae Aegyptiorum vasa mutuati tantum fuissent: illa tamen Deus ipsis donare potuit, tum in praemium laborum, quibus Aegyptii ejus oppresserant, tum in compensationem agrorum, domorum, quae in Aegypto relinquebant. Obstetrices Aegyptiacas Deus remuneratus est, non propter mendacium, sed quia, ut v. 21. dicitur, Deum timebant, nec voluerunt injustum regis mandatum exequi. Verba Exod. XX, 5., ubi Deus dicitur visitare iniquitates patrum in tertiam et quartam generationem, aliter intelligi non possunt, quam de mala sobole et perversa propagine. Hunc sensum exigunt ea, quae statim v. 6. subjiciuntur, et tot alia clarissima scripturae testimonia, ex quibus Judaeis certum erat, Deum nunquam punire insontes.

Ad III. Respondet auctor libri *Sapientiae* cap. XII. ita Deum alloquens: *Illos antiquos habitatores terrae sanctae tuae, quos exhorruisti, quoniam odibilia opera tibi faciebant, perdere voluisti per manus parentum nostrorum. Semen enim erat maledictum ab initio. Quis enim dicet tibi: Quid fecisti? Aut quis in conspectu tuo veniet vindex iniquorum hominum? Cum sis justus, juste omnia disponis; ipsum quoque, qui non debet puniri, condemnare, exterum aestimas a tua virtute.* Vide etiam Deut. IX.

278. — Obj. III. Moyses non tam Deum, qualem sana ratio exigeret, sed genium malevolum, generis humani inimicum, adorandum proponit; Deum qui tentat et seducit, obcoecat et indurat pro libitu; qui iniqua praedilectione rudem et obscuram Judaeorum gentem beneficiis cumulavit, cum alias nationes immiti animo rejecerit, omni Dei et veritatis cognitione spoliatas. Ergo etc.

Resp. 1⁰ In V. T. vox *tentare* nunquam in eo sensu sumitur, quem ipsi passim nunc attribuimus; sed idem significat ac *experire*, *probare*. Sic Tob. XII, 13. dicitur: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit, ut tentatio probaret te.*

2⁰ Deus indurare aut excoecare dicitur improprie tantum, quando scilicet inscrutabili, sed justissimo judicio permittit, ut peccatores ex propriae

---

quis ex eo, quod in jure canonico, in conciliorum etiam generalium decretis, quae morum disciplinam et ecclesiastica officia concernunt, nulla praemiorum et poenarum alterius vitae sanctio habeatur, sed poenarum temporalium comminatio; concludere potest ecclesiam, quae tota ad superna tendit et melioris vitae magistra est, fide immortalitatis destitui? An quis verus sincerusque ecclesiae filius nescit, obediendum sibi esse non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam? Leges quippe, quae ad forum externum pertinent et politiam hominumque actiones externas ordinant, in poenarum temporalium applicatione versari necesse est.

voluntatis pervicacia lumen veritatis a se repellant, vel cum gratias abundantiores, quibus indignos se reddiderunt, ab eis aufert. Hic modus loquendi Hebraismus est, quo nemo in errorem inducitur, nisi volens.

3⁰ Deus omnibus hominibus se manifestat per creaturas, per bona multifaria, quae divina ejus providentia in omnes effundit, per lumen rationis et vocem conscientiae. Revelavit se speciali modo primis parentibus voluitque, ut haec revelatio intacta apud omnes nationes permaneret. Caeterum negari non potest, Deum populum Israëliticum multis exquisitisque donis cumulasse, neque fecisse taliter omni nationi. Sed haec res facti est, quae negari non potest. Cur autem Deus id fecerit, nostrum non est perscrutari curiosius; Deum enim bonorum suorum dominus est eaque distribuit, prout vult. Si in hoc injustitiam reperiunt naturalistae; explicent nobis tam inaequalem bonorum et perfectionum naturalium divisionem; dicant, cur sub Deo optimo, conditore et patre omnium hominum, hic cum egregiis naturae dotibus inter homines scientiis et artibus excultos nascatur, cum alius inter barbaros nutritus vix humana specie a brutis differat?

279. — Obj. IV. *Jehova*, quem Moyses Judaeis adorandum proponit, non est supremus coeli et terrae Dominus, sed Deus gentis Judaicae peculiaris, seu nationalis, sicut *Beelphegor* Deus Moabitarum, *Moloch* Ammonitarum fuit, *Dagon* Deus Philistinorum, *Apis* Deus Aegyptiorum etc.

Resp. neg. ant. Quamvis Jehova, cum ad populum Israëliticum loquitur, se Deum Abraham, Isaac et Jacob vocet, credendum tamen non est, Judaeos eum tanquam localem aut gentilitium Deum habuisse. Aliter a patribus, aliter a Moyse ipso edocti fuerant. Sciebant ex lege sua, hunc Jehova, quem adorabant, esse ens perfectissimum, quod immensitate sua omnia impleret, omnia gubernaret providentia; ens aeternum et per se existens, quod vel ipsum Jehovae nomen indicabat, nec alium esse Deum praeter ipsum. Vide Exod. III. Deuter. IV, 35. X, 14. et seq. Deut. XXXII, 39. expresse dicitur: *Videte, quod ego sim solus et non sit alius praeter me.*

280. — Inst. 1⁰ Judic. I. dicitur Deum fecisse, ut Juda montana possideret; sed non potuisse delere habitatores vallis, quia falcatis curribus abundabant. 2⁰ Judic. XI. Jephte ad regem Ammonitarum ait: *Nonne ea, quae possidet Chamos deus tuus, tibi jure debentur? quae autem Deus victor obtinuit, in nostram cedent possessionem.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Primum argumentum nihil aliud probat, quam malam fidem incredulorum, qui illud, quod de tribu Juda dicitur, Deo attribuunt: ut patet textum attente perlegenti. Secundus textus continet argumentum ad hominem, quo Jephte utitur contra Ammonitas: quod autem deum Chamos cum Deo Israëlitarum nullo modo comparare voluerit, patet ex eo, quod v. 27. dicitur: *Judicet Dominus arbiter hujus diei, inter Israël et inter filios Ammon.*

281. — Obj. V. Religio, quae sacrificia humana praecipit, pessima est et Deo indigna; atqui id praecipiebat religio Mosaica. Ergo etc.

Prob. min. 1⁰ Levit. XXVII., ubi diversa genera votorum distinguuntur, agitur de voto, quod חֵרֶם *(cherem)* dicitur, seu *anathema*, quo etiam homines consecrari poterant Domino. De illo autem v. 29. additur: *Et omnis consecratio, quae offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur.* 2⁰ Num. XXXI., cum populus caesis Madianitis cum ingenti praeda rediret, praecipit Deus per Moysen, ut separarent partem Domino ab his, qui pugnaverunt et fuerunt in bello, *unam animam de 500, tam ex hominibus*

quam ex bobus, et dabis eam Eleazaro sacerdoti, quia primitiae domini sunt. 3⁰ Non exiguum his argumentis pondus addunt facta scripturis relata: ut sacrificium Abrahae [1]), votum Jephte [2]), mors dira regis Agag, quem Samuel in frusta concidit, coram domino in Galgala [3]).

Resp. Sacrificia humana in lege Mosaica nullibi praecipiuntur, aut permittuntur. Haec econtra morem illum gentilium, homines in sacrificium offerendi, abominabilem vocat et inter praecipua crimina numerat, quibus Chananaei iram Dei in se concitarunt [4]). Israëlitae sub gravissimarum poenarum comminatione monentur, ne faciant similiter domino Deo suo [5]). Et vero, si verum esset, quod a Deistis objicitur, cur nullus humana sacrificia offerendi ritus in lege praescribitur? cur nunquam legitur principes et reges etiam eos, qui summo studio legis observantiam urgebant, humana sacrificia obtulisse?

Haec utique contra obtrectatores sufficere possunt, sed ad argumenta.

282. — Ad I. In isto Levitici capite agitur de duplici voto. Primum vocatur נֶדֶר *(neder)*, quod idem est ac *donum* aut *oblatio*. Hujus oblationis variae assignantur species: hominum, animalium, domorum et agrorum. Quae autem ita offerebantur, redimi poterant eo modo, qui in lege praescriptus erat, a v. 1. usque ad 28. Versu autem 28. et 29. alia recitantur vota, quibus res et personae consecrabantur, sine ulla spe redemtionis. Res seu persona ad hunc modum devota *cherem* (anathema) vocabatur. Priori voto oblata sancta erant domino, haec vero *sancta sanctorum* dicebantur, seu sanctissima. Verum cum versu 29. dicitur: *Omnis consecratio, quae offertur ab homine, non redimetur, sed morte morietur:* hoc utique de illis rebus intelligendum est, quae mactari poterant, multa enim ejus naturae fuerunt, ut occidi non potuerint, puta agri, domus etc.; multa quae in victimam offerri non poterant, ut animalia immunda. Idem nunc de homine dicendum, qui Deo fuisset per *cherem* consecratus. Offerre homines in sacrificium sub gravissimis poenis vetitum erat; verum quia redimi non poterant, qui hoc voto fuerunt consecrati, domino cedebant in perpetuum, ac templi servitio per totam vitam erant mancipati. Vide I Reg. I. et II.

Ad II. Non agitur in illo versiculo de hominibus immolandis; dicitur tantum partem praedae non animalium tantum, sed et captivorum Levitis dandam esse, non ut jugularentur, sed ut essent in servitutem.

283. — Ad III. Abraham non proprio motu ad sacrificium filii se accinxit; non ut religionis officio perfungeretur, non animo placandi numen iratum, uti agere consueverant pagani, sed expresso Dei jussu excitatus, plenus fide in Dei promissa, non dubitavit se et filium suum Deo committere. Cumque post exploratam Abrahae obedientiam Deus aliam victimam suppeditavit, satis ostendit, nullo modo sibi gratas esse victimas humanas.

Ex Jephte exemplo nihil colligi potest. Illi qui putant filiam ab eo revera in holocaustum oblatam fuisse, unanimi voce affirmant, illud factum fuisse contra legis praeceptum, neque acceptam Deo fuisse ejusmodi victimam. At longe verisimilior videtur opinio, quae dicit, eam virginem mansisse et Deo fuisse in perpetuum consecratam. Argumenta utriusque sententiae videri possunt apud interpretes. Vide *Hooke* tom. II. pag. 286. Quod Agag attinet regem Amalech, fatemur eum propter immania scelera a Deo morti fuisse addictum. Quis autem hoc jus Deo denegare poterit? Caeterum longe aliud est, homines pessimos in scelerum vin-

1) *Genes.* XXII. 2) *Judic.* XI. 3) I *Reg.* XV. 4) *Levit.* XVIII. XIX. *Jerem.* XIX. 5) *Deuter.* XII.

dictam morti addicere, aliud, eos immolare in sacrificium. Neque ex verbis scripturae colligi potest, regem Agag ita fuisse Deo immolatum.

284. — Obj. VI. Lex Mosaica summe intolerans est. Legis transgressores gravissimis poenis subjicit, exteras nationes ut impias et execrabiles in summum odium adducit, earumque internecionem ut opus proponit insignis meriti. Ergo etc.

Resp. Non alia erat legis Mosaicae intolerantia, quam ea, quae omni verae religioni necessario inhaeret; nam veritas cum mendacio stare non potest. Quisquis sincerus erat religionis Mosaicae cultor, non potuit non vehementer execrari idololatriam cum omnium criminum comitatu, quorum foecundissima mater erat. Verum in gentes idololatriae deditas lex non solum odium non excitavit; sed Judaeis, ne eas laederent, aut armis aggrederentur, severe prohibuit: solis Chananaeis exceptis, quos exterminari jusserat Deus speciali mandato. Leges quidem severissimae contra transgressores latae sunt, imprimis contra idololatrias: sed illae ad exteras nationes non pertinebant; apud Judaeos autem idolorum cultus non tantum summa erat impietas, sed etiam spectato regimine theocratico, verum crimen rebellionis et laesae majestatis [1]). Non abs re erit hic observare, eosdem hos philosophos, qui intolerantiam objiciunt legi Mosaicae, cum magna confidentia asserere, Judaeos sub Moysis regimine plenam habuisse libertatem, et potuisse quemlibet pro libitu deos colere, quos vellet. Sed parum interest virorum istorum, in quam partem errando vagentur; dummodo a veritate, quam oderunt, longissime absint.

Hanc materiam fusius et pro more suo ingeniose tractat auctor *des lettres des quelques Juifs.* Tom. I. pag. 248. et seqq.

285. — Obj. VII. Lex Moysis 1° pietati adversa est, quia immundum declarat eum, qui mortui cadaver tangeret; quod homines ab officiis retrahit mortuis exhibendis. 2° Saevissimos animi motus, ut odium et vindictam fovet; idque Christus ipse testatur Matth. V, 38.: *Audistis quia dictum est: oculum pro oculo, dentem pro dente*, et v. 43.: *Audistis, quia dictum est: diliges proximum tuum et odio habebis inimicum tuum.* 3° Dominus jus concedit in vitam servorum Exod. XXI, 20.; quod tamen leges aequiores principum sapientissime vetant.

Resp. ad I. Non tantum vetitum non fuit Judaeis sepelire mortuos, sed ut officium humanitatis Deo gratissimum habitum fuit a piissimis viris. Vide Tob. cap. I. et XII. Impuritas illa quae, ut quidam volunt, ab iis tantum contracta fuit, qui mortui cadaver absque necessitate tangebant, mere legalis fuit, qualis etiam per opera justa et necessaria contrahi poterat. Fortassis haec lex ideo data est Judaeis, ne corpora mortuorum ritibus superstitiosis colerent.

Ad II. Lex talionis concupiscentiae non fomes erat, sed limes, ut observat S. August. Nihil in ea injusti deprehenditur, dummodo locum habeat inter aequales et nihil fiat privata auctoritate, prout jubebat lex Mosaica. Porro odisse inimicos etiam lege vetitum erat; ut ex Exod. XXIII. et Levit. XIX. videri potest. Si Christus dixit: *Audistis, quia dictum est antiquis;* id intelligi debet de falsis Pharisaeorum interpretationibus.

Ad III. Nullibi legitur heris jus concessum fuisse in vitam servorum; contrarium probat textus citatus. Dominus quidem a poena immunis declaratur, quando servus dire flagellatus uno tantum aut altero post die expiravit; quia tunc censebatur animum non habuisse illum occidendi, sed tantum

1) *Exod.* XXII. *Numer.* XXV. *Deuter.* XIII. *Josue* XXII.

corrigendi. Vide *Fleury* in libro de moribus Israëlitarum partem II. §. 20.

PROPOSITIO II.

Leges Judaeorum caeremoniales et politicae non tantum sapientissimae sunt et Deo dignae, sed divinam prorsus originem produnt.

286. — Prob. I. pars. Ex tota Judaeorum historia constat, eos in cultus idololatricos Aegyptiorum aliorumque populorum pene ad insaniam propensos fuisse. Jam vero si huic insaniae permissus fuisset populus iste, ad omnem malitiam et corruptionem proclivis; populus, in quo solo sicut olim in arca Noëmi, et praeteritorum memoria et spes futurorum continebatur, quanta, quaeso, mala, quanta tenebrae obruissent universam terram? Judaei mox vicinis nationibus permixti, omnium gentium superstitionibus et abominationibus serviissent. Periisset veri Dei cultus, periisset spes omnis liberatoris, et veteres traditiones aut omnino extinctae fuissent, aut ad aliarum gentium morem foede corruptae. Nihil igitur sapientius et Deo dignius esse potuit, quam medium aliquod opportunum et efficax instituere, quo populi Judaici integritas servaretur; totamque ejus constitutionem tum sacram, tum civilem ita disponere, ut quasi munimentum esset, quo tuta maneret veri Dei cognitio, et legis naturalis ac patriae religionis integritas incorrupta servaretur. Atqui tale medium certe est lex caeremonialis et politica. Ergo etc.

Prob. min. Qui leges rituales Judaeorum propius inspexerit, statim videbit, quo illae omnes colineent; vel enim insignia beneficia a Deo populo exhibita in memoriam revocabant, vel signa erant ad distinctionem Judaeorum instituta, quae eos dividebant a cunctis aliis populis; vel unius summi Dei fidem firmabant, et Israëlitas quasi fraeno cohibebant a gentilium mensa, connubio, altaribus et caeremoniis; vel rituum externo splendore veri Dei supremam majestatem ad vivum repraesentabant; vel populum rudem et sensibilibus assuetum de suis officiis admonebant, puritatis internae necessitatem, et obtinendae reconciliationis media edocebant.

287. — Jam vero si leges politicas examinamus, idem ubique finis conspicitur. Tam parum a religione alienus erat Judaicae reipublicae status, ut potius utriusque leges in unum corpus coaluerint. Omnes enim attemperatae erant regimini theocratico, et sicut a Deo exierunt, ita continuo populum ad Deum reducebant. Cumque omnium gentium leges perfectione antecellerent; cum summa aequitate et sapientia tam principum quam subditorum jura, omnes judiciorum regulas, omnia tum publicae tum domesticae vitae officia determinarent, atque pacem et prosperitatem reipublicae omni modo promoverent; necesse non habuerunt Judaei, ut aliarum nationum leges consulerent. Ita salva mansit et integra gens illa sua lege ab aliarum gentium contagio seclusa; idque eo certius, quod leges severissimae latae fuerint contra idololatras rituumque idololatricorum studiosos. Ergo etc. [1]).

---

1) Man lese in *Stolbergs* Geschichte der Religion Jesu die erste Beilage II. Band *über die Gesetzgebung Mosis.* Besonders aber die dritte Beilage III. B. *Israels Glück und Würde.* „Die Israeliten, heisst es Seite 568, sprachen destoweniger von Freiheit, je freier sie wirklich waren. Der Gesunde spricht nicht viel von Gesundheit.“ Auch unsere Voreltern sprachen wenig von Freiheit und Glückseligkeit, wenig von Selbstdenken und Aufklärung, wenig von Menschenliebe und Hochherzigkeit u. s. w. Geschah es vielleicht nicht auch, weil der Gesunde nicht viel von Gesundheit spricht? Israels Glück und Würde war so auf seine Religion gebaut, dass es mit dieser steigen und sinken musste. Was für Israel die Mosaische Offenbarung war, das ist für uns die Religion Jesu. Diese göttliche Offenbarung war die Erzieherin der deutschen Völker. Sie allein brachte ihnen Glück und

288. — Prob. II. pars. 1° Tota Mosaica religio ita est ab omnibus aliorum populorum religionibus diversa; ita opinionibus ac superstitionibus Aegyptiorum, quas Judaei alte imbiberant, opposita; ita a communibus humanae prudentiae regulis in multis abhorrens; ita omnibus fere vitae actionibus implicata, tam gravibus poenis sancita; ut manifesum sit, eam non hominem, sed Deum habuisse auctorem. Quis enim humanus legislator potuisset in haec cogitando incidere; aut, si invenisset, ea integro populo imponere nulla humana ope adjutus?

2° Leges, si humani ingenii foetus sunt, non possunt illico et derepente perfectae esse; mens enim humana gradatim progreditur. Nulla gens reperitur, quae non frequenter leges suas emendaverit; idque celeberrimi inter legislatores agnoverunt, quod leges nonnisi longa experientia perficiantur. Exinde sequitur, leges Mosaicas non esse opus humani ingenii, nam, cum omnium sint antiquissimae, etiam minus aliis omnibus perfectae esse debuissent; ideoque etiam frequentibus mutationibus obnoxiae. Sed contrarium hic apparet; nam leges illae, quantum antiquitate superant omnes alias cognitas leges caeterarum gentium, tantum eas sapientia et perfectione antecellunt; neque per tot saecula, quibus stetit Judaeorum natio, unquam necesse fuit, in illis quidquam immutare. Hinc optimo jure populum ita alloqui potuit Moyses Deuter. VI, 6. et 8.: *Haec est vestra sapientia et intellectus coram populis, ut audientes universa praecepta haec dicant: En populus sapiens et intelligens, gens magna . . . . Quae est enim alia gens sic inclyta, ut habeat caeremonias, et justa judicia, et universam legem, quam proponam hodie ante oculos vestros?*[1]).

3° Moyses plura in lege sua ordinavit, quae in extraordinaria tantum Dei providentia fundamentum habebant, eaque Judaeis proposuit cum tanta fidentia et securitate, ut non dubitaverit, eos variis privare commodis spe divinae istius procurationis: atqui ita sine incredibili insania agere non potuisset, nisi auctoritate divina fuisset suffultus. Neque stare potuissent leges illae, quarum fundamentum quotidiana experientia ruinosum et falsum ostendisset. Ergo etc.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

289. — Obj. I. Leges rituales Judaeorum ab Aegyptiis mutuatae sunt, aliisque populis sacrilegio idolorum cultui addictis. Ergo Deo dignae non sunt.

Würde. Mit ihr muss Glück und Würde verschwinden. Mit diesem einfachen Grundsatze wird jeder Unbefangene das Räthsel auflösen, warum in unsern Tagen mit dem Frieden nicht auch Glanz und Würde zurückgekehrt sind. Man schreibt doch und redet mehr als jemals von Menschenglück und Menschenwürde. Man macht neue Staatsverfassungen, neue Gesetze; allein damit ist uns nicht geholfen. Deutschlands Glück und Würde kann nur mit der Religion seiner Väter aufblühen. Jeder Versuch muss leer ausgehen, jede Hoffnung sich in Täuschung auflösen, so lange nicht die Religion Jesu wieder die Nährmutter und Erzieherin der Völker wird.

1) Inter alias divinae institutionis notas, quae lex Judaeorum exhibet, illud quoque attentione dignissimum est, quod Judaei, quamvis in astrorum scientia pene rudes fuerint, annorum tamen et temporum rationem habuerint tam exactam ad astronomiae leges, ut nulla reperiatur accuratior. Vide *Stolberg* II. Band. S. 93. et 671. Idem auctor Tom. V. p. 670, cum de paschato Judaeorum loquitur, haec addit: Man würde sehr irren, wenn man die Himmelskunde nach der bewundernswürdigen Bestimmtheit ihrer Jubelperiode, welche ihrer Zeitrechnung einen Grad von Richtigkeit gab, den selbst die Gregorianische nicht so vollkommen hat, beurtheilen wollte. Die Jubelperiode war ihnen von Gott gegeben worden. Sie war das Resultat von Theorien, welche sie nicht kannten.

Resp. I. neg. ant. 1° Si aliarum gentium leges aliquam cum lege Moysis similitudinem habent, jure colligitur, veterum legislatores imitatores fuisse Moysis, non autem Moysen leges suas ab iis fuisse mutuatum. Nec immerito asseritur, legem Mosaicam esse codicem juris tum politici tum sacri omnium, qui unquam extitere, longe antiquissimum. Quomodo enim, si id non esset, potuisset Moyses legum suarum praestantiam tam splendide extollere, ut Deut. IV. legitur? Videatur doctissimus *Houbigant* in hunc locum. 2° Plures sacri ritus, ex antiqua patrum traditione descendentes, a gentilibus ad idolorum cultum traducti, impie depravati, multisque absurdis ritibus permixti fuerunt. An Deo indignum erat, ejusmodi observationes ab origine sacras et veri Dei cultui destinatas suae integritati restituere, atque ut ita ab omni superstitione purgatae religiose serventur, nova lege sancire? 3° Illa tam impense jactata inter veterum Aegyptiorum consuetudines et Judaicos ritus convenientia ad summum ritus aliquos peculiares attinet. In rei summa autem, in ipsis constitutionis sacrae et politicae principiis, in ritibus primariis et fundamentalibus certum est, religionem Mosaicam a religione et institutis Aegyptiorum toto coelo abesse; ut evidens sit, Moysis sapientiam non in scholis Aegyptiorum natam esse.

Resp. II. neg. conseq. Etiamsi concedatur, quod in objectione asseritur, ab Aegyptiis nempe ad Hebraeos derivatos fuisse omnes illos ritus, qui utrique populo communes fuerunt; nihil ex hac concessione minueretur divina legis Mosaicae auctoritas. Nam post constitutam veram religionem divinae auctoritatis pondere, post sancitas innumeras leges superstitionibus Aegyptiacis prorsus oppositas, quae aeternum dividerent utrumque populum, non fuit profecto alienum a sapientia, eos ritus et consuetudines servare, quibus jam plebs assuefacta erat, et quae in bonum finem facile converti poterant. *Hooke* Tom. II. p. 260.

290. — Obj. II. Tanta erat rituum in lege Mosaica multitudo, ut illa non tam erudiri et Deo divinciri, quam obrui debuerit Judaeorum natio. Ergo etc.

Resp. I. neg. ant. Multitudo rituum, cum de divina eorum origine persuasi sumus, non odium religionis parit, nec obruit animum; sed potius amorem zelumque religionis nutrit et auget. Id fatetur D. *de Montesquieu, Esprit des lois*[1]*: Une religion chargée de beaucoup de pratiques attache plus à elle qu'une autre, qui l'est moins. On tient beaucoup aux choses, dont on est continuellement occupé. Témoin l'obstination tenace des Juifs.*

Resp. II. neg. conseq. 1° Fatemur grave fuisse jugum Judaeis impositum et exinde recte concludimus, eos evidentissimis signis convictos fuisse de divina legis suae origine; quomodo enim alias ad suscipiendum portandumque tantum onus induci potuissent? 2° Hac rituum multitudine et varietate coërcenda erat insana populi ad idololatriam propensio cavendumque, ne aliis populis commisceretur. Deus, ut *Eusebius* ait[2], populum a majorum pietate lapsum gravi illo jugo curare voluit, eumque impedire, ne officii sui limites transiliret et ad ritus gentilium rueret. Post egressum Israëlitarum ex Aegypto ipsis lex tantum moralis tradita fuerat, ut observat S. *Hieronymus*[3]; verum cum eodem tempore foedus cum Deo initum violassent et vitulum aureum adorassent; novum ipsis praeceptorum onus imposuit Deus, quo veluti contumaces servi coërcerentur. Vide Ezech. XX, 5. et seq. Jerem. VII, 22. Hic sensus est verborum Apostoli ad Galatas III, 9.:

---

1) Liv. XXV. chap. III. 2) Demonst. Evang. cap. 6. 3) Comment. in cap. XX. Ezech.

Lex propter transgressiones posita est, donec venerit semen, et v. 23.: *Priusquam veniret fides, sub lege custodiebamur conclusi in eam fidem, quae revelanda erat.* Vide *Stolbergs* Betrachtungen der h. Schrift. Seite 122.

291. — Obj. III. Leges Mosaicae res etiam minutas et indifferentes tam accurate determinant, ac si de rebus summi momenti ageretur; atqui indignum est Deo circa res minutissimas tam anxie occupari. Ergo etc.

Resp. neg. min. 1⁰ Deus nunquam anxie occupatur nec in magnis rebus, nec in minimis. 2⁰ Nihil in rebus creatis magnum esse potest relate ad Deum; sequeretur ergo, indignum Deo esse, curam gerere rerum humanarum. 3⁰ Multa sunt, quae tunc tantum exigua videntur, quando seorsim considerantur et ab aliis majoribus ritibus separata; multa etiam sunt ex se indifferentia, quae tamen non possunt hominum arbitrio relinqui.

292. — Obj. IV. Inter leges caeremoniales Judaeorum quaedam absonae sunt et ridiculae; qualis est ritus consecrandi summum pontificem etc. Aliae inutiles et sine objecto; ut cum interdicitur esus animalium, quae nunquam extiterunt, qualis est *gryphus* etc. Aliae demum sanae rationi contrariae; ut cum prohibentur res, quae non tantum nocivae non sunt, sed valde utiles, ut v. g. leporum aut porcorum carnibus vesci. Ergo etc.

Resp. 1⁰ Deo indignum non erat ritum aliquem praescribere, quo sacerdotes consecrarentur. Id et religionis et sacerdotalis ordinis dignitas exigebat. Quis autem in specie ritus determinari potuisset, quem non absonum judicasset aliquis philosophorum? 2⁰ Plura sunt animalia, quae nos tanquam nociva et immunda aversamur, quibus aliae gentes et imprimis Orientales libenter vescuntur. Quis credat Moysen, cum de grypho loquitur, monstrum aliquod indicasse fabulosum et non potius animal Judaeis cognitum? 3⁰ Carnem suinam merito Israëlitis interdixit Moyses. Omnes fere Orientales populi illam respuunt tanquam corporis salubritati nocivam. Leporem in Oriente nec gustui nec sanitati esse accommodatum, non sine orationis lepore probat auctor *des lettres de quelques Juifs.* Tom. I. p. 235. Quod autem ad animalia pertineat, quae ruminant, ut *Levit.* V. 6. habetur, probat D. *Bullet*, Tom. III. p. 98.

293. — Nota. Nimis longum esset, omnes leges caeremoniales singillatim ab incredulorum calumniis et ineptis cavillationibus vindicare. Sufficiat rationes quasdam generales afferre, ex quibus earum sapientissimi fines omnibus veri amantibus elucescent. 1⁰ Plurima animalium nomina, quae *Levit.* XI. leguntur, nobis hodie incognita sunt, ita ut incerti simus, an nomen Latinum aut Germanicum eam animalis speciem exprimat, quam Moyses Hebraeo nomine significare voluit. 2⁰ Ex illis legibus quaedam videntur pro fine habuisse munditiem et sanitatem corporis; aliae morum mansuetudinem et lenitatem, quam populum Deo consecratum prae aliis prae se ferre oportebat. 3⁰ Deus Israëlitas ritibus superstitiosis et turpissima corruptione aliarum gentium prohibere voluit: cum autem nulla tum gens fuerit, quae non animalia quaedam ut sacra venerare-tur, aut tamquam divinitati inimica aversaretur, aut aliis quibusdam ritibus numina sua placari somniaret; sapientissime hi ritus apud gentiles sacri lege Mosaica prohibiti sunt, aliique instituti, ab his longe diversi. 4⁰ Praecepta illa, quae in animalium et ciborum discrimine posita erant, ad sanctitatem illam legalem imprimis pertinebant, qua populus constanter admonebatur, se Deo consecratum esse, sicque eo magis Judaeos a gentium consortio arcebant, quod his tanquam incircumcisis, a Deo sacrisque ritibus alienis immunditiem adscribebant. 5⁰ Sufficiens jam legum

ejusmodi motivum esset, si Deus illas ad probandum Israëlitarum fidem et obedientiam tulisset. 6° Demum certum est, eo tempore, quo leges illae latae sunt, plures extitisse rationes speciales ex populi indole, aliarum gentium moribus, aliisque circumstantiis desumptas, quae nunc ignorantur. Fuse haec quaestio tractatur et cum magna eruditione apud *Natalem Alexandrum* hist. eccl. veteris testament.[1]), *Hooke*[2]), *Lettres des quelques Juifs*[3]). Inter alia notandum est, tempore illo, quo Moyses ad Hebraeos missus est, *Zabiorum* religionem late fuisse diffusam. Porro plurimae Mosaicarum legum, quarum ratio nobis primo intuitu clara non est, videntur Zabiorum superstitionibus fuisse oppositae. Ejusmodi sunt: coctio hoedi in lacte matris, mellis oblatio, transitus per ignem, capitis tonsio in rotundum, carnis incisurae vel stigmata, luci in vicinia altarium, altaria in montibus erecta, vestes ex lana et lino, mixtio diversorum seminum in vinea, bovis cum asino ad arandum conjunctio.

294. — Objiciunt contra leges politicas: 1° Leges Moysis servituti favent, qua tamen nihil est legi naturali magis contrarium. 2° Polygamiam et divortium permittunt. 3° Contradictoria praecipiunt, cum Levit. XVIII. prohibeatur, ne quis uxorem defuncti fratris ducat; quod iterum Deut. XXV. expressa lege praecipitur. 4° Sub nomine theocratiae sacerdotum despotismum introduxerunt. Ergo etc.

Resp. ad I. Moyses servituti, quidquid inhumanum aut nimis durum apud alias gentes habuit, sapientissimis legibus adimit, quae omnes heris sensus humaniores inspirant, et eorum in servos potestatem coërcent; ita quidem ut multo tolerabilior fuerit status servorum apud Judaeos, quam apud omnes alias nationes ante Christianae religionis propagationem.

Ad II. Polygamiam lex Judaeorum non fovet, sed potius restringit, quantum illud eo tempore et in illo populo fieri potuit. Vide textus Deut. VII, 17. et XXIV, 5. comparatos cum Levit. XV, 16. Idem de divortio dicendum.

295. — Ad III. Lex Deut. XXV. non solvit legem antea latam, sed aliquam tantum ejus restrictionem continet. Vult enim, ut quando frater absque liberis mortuus fuerit, uxorem relictam frater ejus accipiat et semen suscitet fratri suo.

Ad IV. Nulla unquam apud veteres regiminis forma extitit, quae magis despotismum excluderet, quam illa Judaeorum. Nihil a sacerdotum aut principum arbitrio dependebat, sed omnia per leges stabiles regebantur. Inde est, quod Diodorus Siculus Moysen rempublicam instituisse dicat, quae res eo tempore prorsus singularis fuit; cum nulla adhuc regiminis forma praeter monarchiam absolutam cognita fuerit.

Caeterum non contendimus, legem Mosaicam summum perfectionis apicem attigisse. Apostolus enim diserte ait ad Hebr. VII, 19.: *Nihil ad perfectum adduxit lex: introductio vero melioris spei...* Verum et id notandum est, leges in se perfectissimas non semper etiam sapientissimas esse. Legum enim sapientia ex earum perfectione relativa desumenda est. Stultum esset, velle homines rudes, aut pueros iisdem legibus regere, quibus homines excultos, aetate et ingenio maturos. Sed lex, ut dictum est, paedagogus fuit; pueros et rudes homines instituit et legi meliori ac perfectiori viam praeparavit. Plura in hanc materiam reperies apud *Nat. Alexandrum*[1]) et auctorem non minus eruditione, quam

1) Dissert. III. in quartam mundi aetatem. T. III. edit. in 4. 2) Tom. II. p. 305. 3) Tom. I. p. 231 et seqq. et Tom. III. p. 68 et seqq.

1) Diss. IV. in quartam mundi aetatem.

sale et facetiis conditum, *des Lettres de quelques Juifs* [1]).

PROPOSITIO III.

Legislator Judaeorum eam in omnibus praefert ingenii indolem et formam virtutis, ut dubium esse non possit, eum, cum legem populo suo dedit, revera Dei nomine egisse, seu verum fuisse Dei internuntium.

296. — Prob. Moyses non semel tantum, sed saepissime et quotiescunque se offerebat occasio, publice et solemniter coram universo populo professus est, se non sua, sed Domini praecepta promulgare: atqui huic Moysis declarationi tam apertae, tam constanti fidem detrectare non possumus. Ergo etc.

Major tam evidens est, ut consentientes in hoc habeamus omnes incredulos.

Prob. min. Moysi credendum est, quia nemo sibi persuadebit, eum deceptum fuisse; quis enim, nisi mente captus credere potest, se ea omnia, quae narrat, audivisse, vidisse, fecisse, cum tamen nihil eorum vere contigisset? An ergo somniando concepisset praeclarissimum illum legum codicem, qualem sapientissimi legislatores vigilando perficere nunquam potuerunt? Manet ergo, ut dicamus, Moysen Judaeos decepisse, atque ut majorem sibi apud populum superstitiosum auctoritatem conciliaret, finxisse, se Dei legatum esse, et divina virtute instructum. Verum haec inepte et temere dicta esse, vel ipsa nota et aperta Moysis indoles probat, quae omnem vanitatis et fraudis suscipionem procul removet, ut supra probatum est, cum de Pentateuchi veritate egimus.

§. II.

Probatur divinitas religionis Mosaicae ex notis externis et supernaturalibus.

297. — Quae superiori paragrapho diximus, ad commendandam religionem Mosaicam plurimum valent. Removimus enim praecipuas difficultates, quas adversarii congerunt. Ostendimus, nihil in ea lege esse, quod sanctitate et sapientia divina indignum esset, quinimo in omnibus mira elucere summae sapientiae argumenta, ubique divinam se prodere originem. Ita inclinatis ad fidem animis et jam divinum aliquid in ea vehementer suspicantibus, illae nunc explicandae sunt notae, quas externas vocamus et supernaturales, in quibus maxima probationis nostrae vis consistit. Hae scilicet talis naturae sunt, ut mentem non omnino obstinatam plene convincant.

PROPOSITIO I.

Moyses vera patravit miracula, et haec certo probant religionis, quam annuntiavit, divinitatem.

298. — Prob. I. pars. Vera sunt, quae Moyses in Pentateucho scripsit. Ex prop. §. III. art. II. cap. I. Atqui in Pentateucho plurima narrantur miracula a Moyse patrata; ergo etc.

Prob. min. Notum est, quanta Moyses in Aegypto prodigia ediderit, cum Deus posuit in eo verba signorum suorum [1]). Notum est, quae egrediente ex Aegypto populo contigerint mirabilia; cum mare Moysis virga percussum exsiccatum est, et ingens hominum multitudo deducta in abyssis, sicut in deserto. Exin nova signa secuta sunt, ab eodem Moyse in solitudine patrata, quibus et terrere rebelles, et castigare discolos, et confirmare timidos, et providere populi necessitatibus oportebat. Hic cum aquae penuria urgebat, amaram aquam dulcem reddidit; hic iterum populo siti confecto virga petram percutiens largae aquae copiam fecit. Hic ingens hominum multitudo mannae cibo satiata est per quadraginta annos; hic Core, Dathan et Abiron vivos terra hiatu suo absorbuit.

1) Tom. III. p. 8. et seqq.

1) *Ps.* CIV, 27.

Haec et alia multa, quae in Pentateucho legi possunt, omnes veri et proprie dicti miraculi characteres habent: non insolita tantum sunt, sed etiam extra vires naturae posita, ac certis et constantibus naturae legibus contraria. Ad quod accedit, quod illa prodigia ut plurimum fuerint ad diem et horam a Moyse praedicta, ad certum tempus restricta, ad nutum Moysis inchoata et finita, ad certum locum et personas determinata, aliisque characteribus insignita, quae evidenter probant illius potestate ea facta esse, cui tota natura paret. Quis v. g. credat, arte aliqua humana effici potuisse, ut manna per quadraginta annos quotidie in coelo concresceret, in terram caderet ante solis ortum; ut putresceret in posteram diem reposita, cum die sexta in sabbatum reservata integra permaneret? Ergo etc.

299. — Prob. II. pars. Miracula a Moyse patrata divinam religionis, quam Judaeis tradidit, originem probant, si Moyses ea in religionis hujus confirmationem edidit; atqui ita est. Ergo etc.

Major evidens est; cum enim Moysis miracula vera sint et proprie dicta miracula, solum Deum auctorem habere potuerunt. Deus autem non potest miracula operari per impostorem, qui potestate hac impiissime abuteretur ad stabiliendam fraudem.

Minorem probant plurima Pentateuchi loca, in quibus Moyses aperte profitetur, se missum fuisse ad populum tanquam Dei nuntium; ut Exod. III, 16. et IV, 4—5. 30 etc. Id deinde non semel Pharaoni inculcat, id populo universo perquam frequenter et verbis et signis ac prodigiis declaravit. Sic Num. XVI, 29., cum Core, Dathan et Abiron seditionem contra eum movissent, ait ad totam multitudinem: *In hoc scietis, quod Dominus miserit me, ut facerem universa quae cernitis, et non ex proprio ea corde protulerim.*

PROPOSITIO II.

Ex vaticiniis in Pentateucho contentis probatur, revelationem Mosaicam divinae esse originis.

300. — Prob. I. *ex vaticiniis, quae eventus annuntiant, quorum Moyses minister fuit.* Gen. XV. ita Deus ad Abraham loquitur v. 5.: *Suspice coelum et numera stellas, si potes: sic erit semen tuum.* Vers 7.: *Ego dominus, qui eduxi te de Ur Chaldaeorum, ut darem tibi terram istam, et possideres eam.* Vers. 13.: *Scito praenoscens, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua, et subjicient eos servituti, et affligent quadringentis annis.* Vers. 14.: *Verumtamen gentem, cui servituri sunt, ego judicabo; et post haec egredientur cum magna substantia.* Vers 16.: *Generatione quarta revertentur huc.* Haec omnia plenissimam sortita esse completionem, et Moysen eorum eventuum, qui hic annuntiantur, fuisse ministrum, historia Pentateuchi testatur. Ergo divina fuit Moysis legatio.

301. — Prob. II. *ex vaticiniis a Moyse editis et eventu impletis.* Praeter illas praedictiones, quibus plures Aegypti plagas [1]), transitum per mare rubrum [2]), mannae copiam toti populo quotidie adfuturam [3]), horrendum Core, Dathan et Abiron interitum [4]), et alia plura praenuntiavit, alia quaedam insigniora vaticinia seligamus. Insignis est illa prophetia, quae Judaeis, si legem observarent, divinam opem adfuturam spopondit; si autem contemnerent, diras calamitates et servitutes praedixit Levit. XXVI. Deut. XXVIII. Nemo in historia Judaeorum ita peregrinus est, ut non videat, Moysi gentis suae fata remotissima perspecta fuisse. Alia prophetia legitur Num. XIV.; cum enim decem exploratorum relatione territi Judaei divinis mandatis parere

---

1) *Exod.* VIII, 10. III, 19. 29. etc. X, 4. XII. etc. 2) Ibid. c. XIV, 22. 3) Ibid. c. XVI, 6. et seqq. 4) *Num.* XVI.

noluerunt; praedixit Moyses, nullum eorum, qui viginti annos jam expleverat, terram Chanaan visurum esse, exceptis Caleb et Josue. Prophetiae hujus adimpletionem legimus Num. XXVI. v. 64. et 65., ibidem capite XXXII, 9. Deuteron. II, 14. Omnium autem celeberrimum est illud vaticinium, quod Deut. XVIII. legitur.: *Prophetam de gente tua et fratribus tuis suscitabit tibi dominus*, de quo vaticinio alio loco dicetur.

302. — Prob. III. *ex prophetiis, quae ad ipsam legis Mosaicae substantiam pertinent.* Levit. XXV. praecepit Moyses, ut quovis anno septimo terra quiesceret, fructus autem, qui sponte provenerint, pauperibus et egenis relinquerentur. Exod. XXXIV. inter alias leges et haec continetur v. 23.: *Tribus temporibus anni apparebit omne masculinum in conspectu omnipotentis Dei.* Utraque lex annexum habebat vaticinium; primum erat, Deum sexti anni segetem ita multiplicaturum, ut fructum ferret trium annorum Levit XXV. v. 20. et 21. Secundum, neminem insidiaturum terrae ascendente Israële in conspectu domini, Exodi XXXIV, v. 24.; atqui haec vaticinia accurate fuisse impleta satis comprobavit longa et constans experientia.

Argument. Haec vaticinia vel Moysen ipsum concernunt et opus liberationis ab ipso susceptum, vel ad urgendam legum, quas ipse tanquam divinas populo proposuit, observationem data sunt; vel cum legum ipsarum tenore intime cohaerent. Ergo probant, Moysen hominem fuisse a Deo speciali modo electum, ut annuntiaret populo verba Dei; ergo probant, legem, quam ipse tanquam a Deo traditam populum edocuit, vere a Deo originem habuisse, alias enim Deus fraudi patrocinatus fuisset, atque iis signis, quibus divina auctoritas evidentissime comprobatur, fidem ipse conciliasset impudentissimo impostori, qui cum summa supremi numinis injuria nomen Dei in vanum assumpsisset, se Dei legatum mentiendo, et legem a se fabricatam tanquam a Deo ipso latam proponendo.

PROPOSITIO III.

Religionem Mosaicam a Deo revelatam fuisse, probat specialis Dei erga Judaeos providentia.

303. — Prob. Etiam post Moysis mortem miracula, prophetiae et extraordinarii praeter omnem spem et expectationem eventus non desierunt. Tota hujus gentis historia specialem Dei providentiam manifestat, quae ex eo imprimis elucet, quod, cum legem suam abjicerent, ipsi quoque a Deo abjecti maximis calamitatibus afflictarentur: quando vero in mandatis Dei ambularent, innumeris cumularentur beneficiis. Quae omnia ex libris tum historicis, tum propheticis certa sunt.

Sed haec omnia explicari non possunt, nisi tanquam fundamentum supernaturalis hujus procurationis admittatur divina legis, a qua tota Judaeorum felicitas pendebat, origo et foedus initum inter Deum et populum Israël, cujus saepe in veteri testamento mentio occurrit. Foederis hujus conditiones expressas habemus Exod. XIX. et Deuter. XXVI. Hoc ultimo loco Moyses populum ita alloquitur v. 16. et 18.: *Dominum elegisti hodie, ut sit tibi Deus et ambules in viis ejus, et custodias caeremonias illius et mandata atque judicia, et obedias ejus imperio. Et dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, . . . et faciat te excelsiorem cunctis gentibus, quas creavit in laudem et nomen et gloriam suam.*

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

304. — Argum. I. Omnia illa phaenomena, quae ante exitum Hebraeorum in Aegypto contigerunt, et quae vulgo *plagae Aegyptiacae* vocantur, nullam arguunt divinam virtutem. Ergo etc.

Prob. ant. Plagae illae causis naturalibus adscribi possunt; nam si primum prodigium excipiamus, quod magi quoque imitati sunt, caetera phaenomena videntur fuisse varii ejusdem pestilentiae effectus. Haec primum pisces cum crocodilis, caeterisque majoribus animalibus fluxu sanguinis corripuit; inde colorata est aqua fluminum. Aquarum infectio ranas, genus amphibiorum, in terras expulit. Ciniphum et muscarum multitudo inusitato aëris calori et ovorum in pulvere delitescentium copiae debebatur. Pulveris pluvia, non inusitata in istis regionibus arenti soli subjacentibus, ulcera et pustulas in hominibus et jumentis produxit. Locustas levavit ventus urens et ventus contrarius sustulit. Demum lues vehementius in homines irruens multos, imprimis juniores sustulit, quos Moyses primogenitos vocavit. Nihil facilius erat Moysi, quam exitiales has calamitates tanquam miracula venditare apud suos, qui in terra Gessen nihil tale fuerant experti. Ita *Spinoza*.

Resp. 1° Eventus illi, etiamsi seorsim spectentur et ab omnibus circumstantiis sejuncti, causis tamen naturalibus adscribi non possunt. In rebus physicis certissimum argumentum praebet constans experientia. Cum ergo hae tantae calamitates tamque universales nunquam, nisi eo tempore contigerint, sequitur eas extraordinaria et supernaturali virtute inflictas esse.

Resp. 2° Etsi daremus, aliquos illorum eventuum, si in se et seorsim a suis circumstantiis considerentur, non necessario virtutem exigere naturae creatae superiorem; vim tamen divinam arguerent in Moyse, propter modum et limites ex arbitrio positos. Qua enim naturali causa fieri potuit, ut plagae tam generales, tamque diversae, omnes intra sex hebdomadarum, vel unius mensis spatium contigerint? Ut terra Gessen in medio Aegypti posita immunis fuerit ab istis calamitatibus? Ut omnia praecise jubente Moyse evenerint et eodem jubente cessaverint, ideoque etiam a Moyse, antequam evenerint, fuerint praedicta?

305. — Inst. I. Tria priora Moysis prodigia, scilicet conversio virgae in serpentem, ranarum procreatio, aquarum mutatio in sanguinem etiam a magis facta fuere, confitente Moyse, qui ait: *eos fecisse similiter*. Ergo Moyses, qui in arte incantatoria peritior fuit, reliqua omnia prodigia sola arte sua efficere potuit.

Resp. Magi arte sua aliquo modo et valde imperfecte quaedam Moysis miracula imitari potuerunt; erat in actione externa similitudo aliqua, nulla in opere. Illud significare voluit Moyses, cum dixit, magos *fecisse similiter*; quod ex iis clarius elucet, quae cap. VIII, v. 18. leguntur: nam Moyses ibi iisdem verbis utitur; quamvis magos eventus fefellerit. Igitur dicendum est, magos illos faciliora quaedam, quae a Moyse patrata viderant, imitatos fuisse, id est, aliquid produxisse, quod quamdam haberet cum Moysis miraculis similitudinem. Id autem [1]) per incantationes Aegyptiacas et arcana perfecerunt et quidem in palatio principis, ubi omnia habere poterant artis suae adjumenta. Si admittitur, magos diabolica virtute eos effectus produxisse; dicendum est, Moysis prodigia multo fuisse splendidiora, numero plura, unius Dei nomine facta et ita evidentibus divini operis characteribus insignita, ut etiam magi exclamare cogerentur: *Digitus Dei hic est.*

306. — Inst. II. Veteres, qui de Judaeis scripserunt, ut *Justinus* lib. XXXVI., *Tacitus* lib. V., narrant Israëlitas propter scabiem seu lepram ex Aegypto fuisse expulsos. Ergo necessaria non fuerunt illa Moysis prodigia.

Resp. Moyses prae ceteris qui nobis opponuntur scriptoribus audiendus est,

1) *Exod.* cap. VII. v. 11.

quia auctor est coaevus; alii vero nonnisi mille annis et amplius post res gestas scripserunt. Praeterea tota illorum narratio tot scatet fabulis, quot continet verba.

307. — Argum. II. Inter miracula, quae Moysi tribuuntur, nullum est insignius, quam transitus Israëlitarum per mare rubrum; atqui nihil in hoc facto est, quod miraculum probet; potuit enim Moyses, qui ad oram hujus maris diu vixerat, aestum ejus reciprocum diligenter observare et populum per sinum subducti maris perducere. Ergo etc.

Resp. neg. min. et ejus prob. 1° Moysi, uti a nobis probatum est, fides adhibenda est, cum sit auctor veracissimus. 2° Quomodo Moyses virtuti divinae attribuere potuisset eventum, quem mere naturalem esse et Israëlitae et Aegyptii scivissent, quibus phaenomenon illud quotidianum aeque ac Moysi notum erat? Quomodo Pharao cum toto exercitu se mari commisisset, sciens tempus jam adesse refluentis aquae? Quomodo Moyses potuisset Israëlitis salutem hanc maximam, et communem ruinam exercitus Pharaonis praedicere? 3° Mare rubrum aestus tempore a terra recedit versus septentrionem, seu isthmum *Suez;* et nonnisi ducentos passus per sex horas siccos relinquit; jam vero per tam angustum tramitem Moyses nullo modo potuisset vigesies centena hominum millia cum jumentis et omni apparatu una nocte transmittere.

308. — Inst. I. *Artabanus* scriptor ethnicus ab Eusebio citatus[1]) ait, Judaeorum transitum *a Memphitis ita narrari*: *Moysen totius regionis scientissimum reciprocantis aestus tempore sicco mari universam multitudinem transmisisse.* Ergo etc.

Resp. Traditionem traditioni opponimus. Idem quippe Artabanus post verba in objectione laudata ait, aliter rem narrari ab Heliopolitanis; scilicet *Moysen divinitus admonitum aquam virga tetigisse, ac discedentibus illico fluctibus copias sicco tramite deduxisse; eandem porro viam tentantibus ac fugientium terga prementibus Aegyptiis, tum adversum repente ignem coruscasse, tum ipsum quoque mare patentem semitam refluentibus undis obruisse.* Porro Heliopolitani Aegyptii potius audiendi sunt, quam Memphitae; illi enim contra se, hi pro se testantur. Diodorus Siculus refert[1]), Ichthyophagos, qui littus maris rubri occidentale incolunt, maris olim vehementi vento divisi memoriam conservasse.

309. — Inst. II. Josephus etsi fuerit patriae religioni addictissimus, incertum relinquit, an illa divisio maris naturae sponte contigerit, an Dei supra naturae leges operantis potestate; illumque eventum comparat cum transitu Alexandri Magni per mare Pamphiliae favente aestu maritimo[2]).

Resp. neg. conseq. Josephus ita de hoc eventu loquitur, ut satis manifestet, se eum ut verum miraculum habere, quamvis illud tam clare affirmare non audeat propter gentiles, quibus haec scribebat. Ideo etiam transitum Alexandri Magni per mare Pamphiliae affert, ut ostendat, simile aliquid etiam in profanis historiis reperiri. Imo et illud, quod Alexandro contigit, divinae virtuti attribuit; cum Deus ejus opera, ut ait, ad destruendum Persarum imperium uti decrevisset. Magnum tamen inter utrumque transitum discrimen est; Israëlitae enim divisum mare ab uno littore ad aliud oppositam suspensis hinc inde aquis trajecerunt; Alexander vero maris Pamphiliae tantum oras legit; nec sine gravi incommodo et periculo; quia ipse et milites usque ad dimidiam corporis partem aquis immersi iter peragebant. Vide *Natal. Alex.* in IV. mundi aetatem dissert. I. art. II.

1) Praepr. evang. lib. IX.

1) Hist. l. III. 2) *Josephus* Antiquitat. lib. II. cap. VII.

310. — Argum. III. Moyses aquas in deserto detegere potuit ope virgae cujusdam, quae, quam sit detegendis occultis fontibus opportuna, nemo nescit; vel credendum Tacito, qui narrat, Moysen sequendo gregem asinorum agrestium largas aquarum venas invenisse. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Fabulam ex Tacito descriptam confutare operae pretium non est, cum nihil levius proferri queat. Ex Pentateuchi historia, quam veram jam probavimus, apertum est, quod Moyses impotentis populi contumacia in summum discrimen adductus ad Deum confugerit, eoque mandante petram percusserit. Si fieri potest, ut scientia aliqua naturali latentes aquarum venae detegantur, nulla certe ars humana unquam efficiet, ut ex petra virga percussa aquae uberrimae exsiliant.

ARTICULUS III.

Legi Mosaicae succedere debuit melior perfectiorque revelatio.

311. — Cum legis divinam originem omni argumentorum genere demonstravimus, ea certe intentio non fuit, ut Judaeorum causam ageremus, quos nimius legum suarum zelus in crassissimum illum errorem conjecit, ut earum perpetuitatem inter fidei suae articulos numerent. Profecto, si velamentum ante oculos non haberent, et non ipsi librorum suorum intelligentiam repellerent inveterata pertinacia: petitis a Pentateucho initiis per universa prisci foederis volumina praenuntiatum uno consensu reperirent Christum, de nova lege condenda et salute hominibus comparanda a Deo legatum.

Nobis sacra et divina sunt, quae in libris V. T. continentur; quia scimus nos aedificatos esse super fundamentum Apostolorum et Prophetarum; quoniam *finis legis Christus, ad salutem omni credenti* [1]). Nihil est hac veritate clarius in Judaeorum sacris litteris expressum; et quicunque ad eas perscrutandas mentem simplicem et ingenuum pectus adhibuerit, ubique novam, quae per Christum facta est dispensationem tam luculentis argumentis expressam reperiet, ut vetus testamentum formam esse et apparatum novi dubitare non possit.

312. — Habet quidem Christiana religio tantum a se ipsa splendorem, tantam a suo auctore illustrationem, ut eam necesse non esset a stirpis suae antiquitate et nobilitate commendare. Verum nihil nobis praetermittendum est, quod possit ad convincendos animos valere, atque Dei in homines benevolentiam et sapientissimam illam divinae providentiae oeconomiam, quae finem suum per omnes mundi aetates certo et constanti cursu prosequitur, clariori in luce collocare. Antequam igitur ad ipsam Christianam religionem accedamus, videbimus ex veteri testamento et gentis Judaicae conditione, abrogandam aliquando fuisse legem Mosaicam, et tempus, quo interire debuit, jam dudum effluxisse.

Cum autem legem Moisacam dicimus, nolumus ita intelligi, ac si de dogmatibus naturalis religionis ageremus aut de praeceptis, quae ad legem naturalem pertinent; vel de primitivis illis revelationis veritatibus, quas tanquam sanctissimam haereditatem collegit religio Christiana, et clarius perfectiusque evolvit: sed de legibus judicialibus et caeremonialibus loquimur, quae proprio sensu legem Mosaicam constituebant.

§. I.

PROPOSITIO.

Lex Mosaica aliquando abrogari debuit per novum legislatorem, seu Messiam.

Argumentum I.

Ex novi legislatoris novique foederis promissione.

313. — Prob. Deuteron. XVIII. v. 15. Moyses ad populum ait: *Prophetam de*

1) *Rom.* X, 4.

gente tua, et de fratribus tuis sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus, ipsum audies; et v. 18. et 19.: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui; et ponam verba mea in ore ejus, loqueturque ad eos omnia, quae praecepero illi. Qui autem verba ejus, quae loquetur in nomine meo, audire noluerit, ego ultor existam.* Ex hoc textu ita inferimus: Agitur hic de Propheta aliquo peculiari, ab omnibus aliis Prophetis veteris legis distincto; ex his enim nullus, fatentibus Judaeis, Moysi similis haberi potest, quia nullus ex illis dux populi fuit, aut legislator, aut novi foederis sequester. Manifestum ergo est, per illa verba annuntiari Messiam vel Prophetam illum excellentissimum, quem omnes postmodum Prophetae praedixerunt, et qui ideo Moysi similis dicitur, quia quemadmodum dux ille populi Israëlitici, legislator esse debuit et novi testamenti mediator. Quo illa pertinent Malach. III.: *Veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis, et Angelus testamenti, quem vos vultis.* Ergo nova post Moysen lex praedicta erat, novum, quod veteri substituendum erat, foedus.

Hoc ipsum per Prophetas postmodum diserte annuntiatum est. Clarissima sunt inter alia multa haec verba Jerem. XXXI.: *Ecce dies venient, dicit Dominus, et feriam domui Israël et domui Juda foedus novum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum.* Nemo non videt, his verbis foedus novum promitti ab antiquo diversum. *Dicendo novum,* ait Apost. ad Hebr. VIII, 13. *veteravit prius; quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est.* Huic loco affinis est alius apud eundem Prophetam cap. III, 15. 16.: *Dabo vobis pastores juxta cor meum.... In diebus illis, ait Dominus, non dicent ultra: Arca testamenti Domini, neque ascendet super cor neque recordabuntur illius, nec visitabitur nec fiet ultra.*

Argumentum II.

Ex novi sacrificii et novi sacerdotii per Messiam institutione.

314. — Prob. A Prophetis novum sacerdotium promittitur ab Aaronico diversum. Isai. LXVI. legimus assumendos ex gentibus sacerdotes: *Assumam ex eis in sacerdotes et levitas.* Malach. I.: *Non est mihi voluntas in vobis, et munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda.* Dan. IX.: *In medio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium; et erit in templo abominatio desolationis, et usque in finem perseverabit desolatio.* Amos V.: *Odi et projeci solemnitates vestras.* Ex his aliisque scripturae locis patet, stante adhuc lege Mosaica Prophetas praedixisse solemnitatum et sacrificiorum veteris legis cessationem, melioris victimae in eorum locum substitutionem, novumque sacerdotium ab Aaronico diversum. Ergo et lex ipsa abrogari debuit; nam ut ait Apost. ad Hebraeos VII.: *Translato sacerdotio necesse est, ut legis translatio fiat.* Unde eidem illi Messiae, qui novi testamenti mediator dicitur, etiam sacerdotii immutatio adscribitur. Hic enim, quamvis ex tribu Juda oriturus esset, sacerdotio tamen fungi debebat, et quidem sacerdotio alterius omnino generis, ac illud Aaronis fuerat, juxta haec verba Psal. CIX.: *Tu es sacerdos in aeternum, secundum ordinem Melchisedech.*

Argumentum III.

Ex Judaeorum rejectione, et gentium vocatione per Messiam.

315. — Non sacrificiorum tantum et solemnitatum cessatio a Prophetis praenuntiata fuit, sed et reipublicae, urbis et templi, cui universus sacrificiorum apparatus alligatus fuit, excidium; neque alia hujus excidii causa affertur, quam Messiae seu promissi

legislatoris et mediatoris rejectio. Ita enim habetur Daniel. IX.: *Occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas, et post finem belli statuta desolatio.*

Gentes autem ad veri Dei cognitionem vocandas, atque a novo illo legislatore in unam ecclesiam colligendas in innumeris veteris scripturae locis praedicitur. Osee II.: *Dicam non populo meo, populus meus es tu.* Sophon. III.: *Tunc reddam populis labium electum, ut invocent omnes in nomine Domini.* Malach. I.: *A solis ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus.* Haec autem in Messia complenda esse, tam aperte scriptura loquitur, ut vix necesse sit testimonia afferre. Genes. XII. XXII. XXVI. XXVIII. clare expressam reperimus hanc pacti Abrahamitici conditionem, Isaaco deinde et Jacobo repetitam, in semine eorum benedicendas esse omnes nationes. Jacob in celebri vaticinio Gen. XLIX. Messiam vocat *expectationem gentium.* Ipsi Hebraei haec Psalm. II. verba: *Postula a me, et dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae,* de Messia intelligunt. Isaiae XI, 10.: *In illa die radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur.* Ergo religio Judaica, quae tantum Jacobi posteros spectabat, et ex ipsa constitutione sua nationalis erat, adveniente Messia consistere non potuit.

Haec etiam communis fuit veterum Hebraeorum sententia. In Talmude legitur traditionem esse in domo Eliae, quod sex annorum millibus definita esset mundi duratio; quorum duo priora millia fuerunt sine lege; duobus subsequentibus millibus vigere lex debuit, et postea servari per duo posteriora millia Messiae doctrinam oportebat. Dicitur quoque apud R. *Simeonem in Jalkut: Deum per Messiam novam legem esse daturum.*

Argumentum IV.

Ex ipsa legis Mosaicae natura.

316. — Prob. Lex Mosaica aperte in arctissimis locorum et personarum limitibus continebatur, soli terrae Chanaan accommodata erat, et ad solos Jacobi posteros restricta. Ergo in perpetuum durare non debuit.

Antecedens cuilibet perspicuum erit, qui paulo attentius populi Judaici constitutionem perlegerit; tam parum enim ex natura sua habuit lex illa, ut universalis fieri potuisset, seu commune vinculum ad colligandos omnes populos sub Messiae imperio; ut potius tota eo collineet, ut Abrahae posteros ab omni alia gente divideret, et aditum praecluderet grassanti ubique terrarum idololatriae. Ex legis instituto Jerosolymis tantum sacrificia offerre fas erat. Neomeniae et caetera festa, ex lunae motu pendentia, ex phasium lunarium observatione Jerosolymis facta determinabantur. Festa omnium celeberrima, Paschatis, Pentecostes et Tabernaculorum in sola Judaeorum historia fundabantur, ad eorum celebrationem omnes Judaei Jerosolymam convenire debebant. Annus denique sabbaticus, qui X. die mensis Tisri incipiebat, in illis terrae plagis observari non posset, in quibus uvae aliique terrae fructus serius colliguntur. Mensis enim Tisri nostro Septembri maxima ex parte respondet.

Quod autem vera religio non semper coërcenda fuerit angustis terrae Chanaan limitibus, nec idololatria semper orbem infectura, id efficiunt argumenta, quae modo protulimus. Et in hoc confitentes habemus ipsos Judaeos, qui uno ore docent, gentes in veri Dei cognitionem adductas per Messiam, idola et superstitiosos ritus relicturas.

ARGUMENTA CONTRARIA.

317. — Argum I. Locus ille ex Deut. XVIII. non de aliquo singulari Prophe-

ta intelligendus est; sed de tota serie Prophetarum, qui diversis temporibus a Deo excitati sunt, ut verba Domini ad populum perferrent. Ergo etc.

Resp. neg. ant. 1° Non dicitur: Prophetas suscitabit tibi Dominus, sed *Prophetam*. 2° Agitur de Propheta, Moysi simili, quae nota fatentibus ipsis Judaeis reliquis Prophetis non convenit, qui post Moysen surrexerunt in Israël. Vide Num. XIV, 7. Deut. XXXIV, 10. *Non surrexit ultra Propheta in Israël sicut Moyses, quem nosset Dominus facie ad faciem, in omnibus signis atque portentis.* 3° Soli Christo conveniunt, quae ibi dicuntur. Quamvis enim multo Moysis eminentior esse debuerit, hoc tamen cum eo commune habet, quod secundus sit populi redemptor, dux et legislator etc. Vide *Huetium* prop. III. num. 10. *Hooke* Tom. II. pag. 324.

318. — Argum. II. Legem Mosaicam nunquam interituram esse, tum Moyses ipse, tum et alii postmodum auctores sacri praedixerunt. Frequenter enim in V. T. lex dicitur aeterna, in aeternum duratura etc. Sic Ps. CXVIII, 152. *Initio cognovi de testimoniis tuis, quia in aeternum fundasti ea.*

Resp. Verba ista *in aeternum* etc. a Moyse et Prophetis usurpata saepissime aeternitatem aut indefectibilitatem relativam significant, non absolutam. Quod ita certum est, ut etiam Judaei interpretes illas ipsas voces, quarum vim urgere solent contra Christianos, ubi de aeternitate legis quaestio est, saepissime aliter vertere cogantur. Vox עוֹלָם *(olam)*, etiamsi conjungatur cum particula עַד *(ad)*, saepe tempus tantum significat indefinitum, imo non raro etiam certum et determinatum, ut cum I. Reg. XXII. Samuel dicitur mansurus coram Domino *in aeternum*. Haec fusius monstravit Rabbi *Joseph Albo*, 400 fere adhinc annis non sine magna suorum invidia. Celebris est apud doctores synagogae destinctio inter *olam eze* et *olam eba;* sive praesens saeculum et saeculum venturum. Primum autem saeculum juxta eos tempus complectitur usque ad Messiam; secundum saeculum tempora illa, quibus Messias regnaturus est. *Hooke* Tom. II. p. 335.

319. — Argum. III. Mutatio legis divinae, qualis est Mosaica, repugnat sapientiae divinae. *Ego dominus et non mutor.* Malach. III, 6. Ergo etc.

Resp. dist. ant. Si lex illa pro omnibus temporibus data sit, *conc.* Si ex Dei intentione ad certum tempus fuit determinata, donec venerit, quod perfectum est, *neg.* Ex hac sola ratione, quod lex aliqua a Deo lata sit, non licet concludere, eam esse absolute perfectam et immutabilem. Neque Deus mutatur, cum ejusmodi legem abrogat, quia eam abrogandam esse ab aeterno decrevit.

§. II.

Lex Mosaica jam diu abrogata est.

PROPOSITIO I.

Praesens Judaeorum conditio probat, penitus sublatam esse religionem Mosaicam.

320. — Prob. Ex praesenti Judaeorum conditione apparet: 1° Deum non amplius servare conditiones foederis Mosaici. 2° Legis observationem Judaeis factam esse impossibilem. 3° Hunc populum tanquam perduellem a Deo esse rejectum. Ergo etc.

Prob. ant. I. pars. In illo foedere, quod Deus per Moysen iniit cum Israëlitis, praecipua conditio haec erat, quod Deus elegerit Israël, ut sit ei populus peculiaris in nomen et laudem et gloriam suam. Hoc foedere Deus se obstrinxit ad tuendam gentem illam, eamque regendam speciali providentia; quo etiam munere eum diligentissime olim perfunctum esse, ex veteri testamento discimus. Verum a multis jam saeculis omne cum hoc populo

commercium abrupit Deus; nulla apud eos edidit miracula, nullos misit Prophetas; a propriis sedibus ejectos, sine templo, sine duce relinquit omni spe restitutionis destitutos.

321. — Prob. II. pars. Talis est praesens Judaeorum calamitas, ut jam legis observatio impossibilis sit. Juxta clarissima Moysis aliorumque Prophetarum verba oportebat Judaeos, quamdiu foedus Mosaicum subsisteret, terram Chanaan incolere. Psal. CXXXI. *Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi*, et Paralip. VII. *Elegi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum.* Neque aliter cultus Deo exhiberi poterat juxta legis institutum, nisi in solo patrio, seu in templo Jerosolymis exstructo, in quo sacrificare, soli familiae Aaron concessum erat. Jam vero manifestum est, Deum locum illum, quem elegerat, deseruisse, et Judaeos per annos amplius mille septingentos esse sine altari, sine certo generum censu, unde constare possit, qui sint, quibus sacra facere fas sit. Imo et leges judiciariae, ex quo civitas dissoluta est, omnem vim obligandi amiserunt. Ergo manifestum est, Deum legem veterem abrogasse.

322. — Prob. III. pars. Qui pristinam Dei in Judaeos providentiam praesentemque eorum statum et calamitatem tam diuturnam, tam universalem attentius perpenderit, evidenter cognoscet, eos jam amplius populum Dei non esse. Nunquam, quamdiu staret pactum Moysis, tanta fuit Dei in illis puniendis severitas; etiam post gravissima crimina semper ad meliora consilia redeuntibus praesens aderat Dei auxilium, et certa spes futurae restitutionis: sed nunc omnis spes deperdita est; quamvis impensius quam unquam colant, ferventibusque votis appellent Deum patrum suorum. Patet ergo praesentem hanc calamitatem non poenam tantum esse et correctionem, sed rejectionem.

PROPOSITIO II.

Legem Mosaicam abrogatam esse ex eo probatur, quod tempus huic interitui a Prophetis praefixum jam a multis saeculis effluxerit.

Argumentum I.

Ex prophetia Jacobi Genes. XLIX, 8. et seqq.

323. — Patriarcha Jacob cum filiis benediceret, et quasi testamentum suum jam moriturus faceret, his verbis Judam alloquitur: *Juda te laudabunt fratres tui, adorabunt te filii patris tui . . . . Non auferetur sceptrum de Juda, et dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est: et ipse erit expectatio gentium.* Haec prophetia 1⁰ de Messia agit, seu de illo duce et legislatore, per quem abrogandam fuisse religionem Judaicam superiori paragrapho vidimus. 2⁰ Tempus adventus hujus Messiae ita determinat, ut certum sit illud tempus jam a multis saeculis effluxisse. Ergo etc.

324. — Prob. I. pars. Ille, quem prophetia venturum praedixit, et qui in textu Hebraico vocatur שִׁילֹה *(Schilo)*, alius non est, quam ipse Messias. Quod evincitur 1⁰ ex vocis ipsius significatione: quaecunque enim hujus vocis interpretatio admittatur, semper is sensus efficitur, qui in Messiam solum conveniat. Si cum vulgato interprete per haec verba redditur: *qui mittendus est, qui venturus est;* neminem profecto respicere potest, quam eum, qui ab exordio generis humani tanquam communis hominum liberator promissus fuerat; quem ardentibus votis Patriarchae expectarunt; de quo Exod. III. dicitur: *Mitte, quem missurus es.* Hinc illa verba discipulorum Joannis ad Christum Matth. XI.: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Si cum Samaritano vertitur, *pacificus, pacis auctor;* iterum characterem exprimit, qui Messiae proprius est. *Vocabitur nomen ejus princeps pacis.* Isai. IX. *Et erit iste pax.* Michaeae V. — Si

autem juxta alios Schilo interpreteris: *filium, partum ex muliere sine viri consortio editum;* vel etiam, *eum cui repositum est regnum:* nemo non videt, haec nisi de Messia intelligantur, sensum non habere: quis enim alius foetus ille mulieris dici potest, sine viri consortio editus, nisi illud *semen mulieris* ab initio promissum? Quis filius Judae per antonomasiam, seu filius singularis et eximius, nisi Messias ex tribu Juda oriundus? Quis ille, cui repositum est regnum, nisi ille de quo scriptum est Psal. II. *Dabo tibi gentes haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae: reges eos in virga ferrea.* Et Isaiae IX.: *Parvulus natus est nobis, . . . factus est principatus super humerum ejus, . . . multiplicabitur ejus imperium, . . . super solium David, et super regnum ejus sedebit; amodo, et usque in sempiternum.*

2⁰ Ex iis, quae post vocem *Schilo* sequuntur: *Et ipse erit expectatio gentium.* Haec enim propria Messiae nota est in scripturis passim expressa. *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae,* Genes. XXII, 18. *Omnes gentes servient ei,* Psal. LXXI. *Ipsum gentes deprecabuntar,* Isai. IX, 10. *Veniet desideratus cunctis gentibus,* Aggaei II.

3⁰ Ex antiquissimis paraphrastis Judaeorum, qui vocem *Schilo* expresse Messiam interpretantur. Sic Targum Onkelos vel paraphrasis Chaldaica: *Donec veniat Messias cujus est regnum.* Targum Jerosolym.: *Usque ad tempus, quo veniat rex Messias.* Idem habet paraphrasis Jonathae; eadem quoque omnium veterum Judaeorum opinio erat; eam inter alios tradunt auctores talmudici pluribus in locis. Plura invenies in hanc materiam apud *Huetium* prop. IX. c. IV.

325. — Probat. pars II. Jacobus praedicit sceptrum auferendum non esse a tribu Juda, nec ducem de femore ejus, donec veniret *Schilo* seu Messias; atqui quidquid per vocem שֵׁבֶט *(Schebet)* intelligatur, sive sceptrum, sive virga, sive regia potestas, sive regiminis forma quaecunque; certum est, eam jam dudum a gente Judaica esse ablatam. Ergo etc.

Argumentum II.

Ex vaticinio Danielis cap. IX, 24. seqq.

OBSERVANDA.

326. — Cum *Daniel* intellexisset, completum jam esse numerum annorum, de quo factus est sermo Domini ad Jeremiam Prophetam [1]), ut solveretur populi captivitas; Deumque enixe deprecaretur, ne diutius promissam salutem differret: Gabriel Archangelus ad eum accessit, eumque, quo tempore Messias venturus esset, docuit his verbis: *Septuaginta hebdomades abbreviatae sunt super populum tuum et super urbem sanctam tuam, ut consummetur praevaricatio, et finem accipiat peccatum, et deleatur iniquitas, et adducatur justitia sempiterna, et impleatur visio et prophetia, et ungatur sanctus sanctorum. Scito ergo et animadverte: ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem, usque ad Christum ducem hebdomades septem et hebdomades sexaginta duae erunt; et rursum aedificabitur platea et muri in angustia temporum, et post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus, et non erit ejus populus, qui eum negaturus est; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo; et finis ejus vastitas et post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una; et in dimidio hebdomadis deficiet hostia et sacrificium, et erit in templo abominatio desolationis, et usque ad consummationem et finem perseverabit desolatio.*

327. — Notandum 1⁰: Septuaginta hebdomades, quae ab initio prophetiae abbreviatae dicuntur, vel definitae super populum Israël, postmodum

1) Cap. XXIX. v. 10.

dividuntur in tres epochas: Prima complectitur VII. hebdomades priores; secunda hebdomades LXII; tertia ultimam, in qua complenda sunt omnia.

Notandum 2⁰: Duplicis generis hebdomades in scripturis numerantur, dierum scilicet et annorum. De hebdomadibus primi generis vide Levit. XXIII, 15. 16. De annorum hebdomadibus ibidem XXV, 8.: *Numerabis tibi quoque septem hebdomadas annorum, id est, septies septem, quae simul faciunt annos 49.*

ARGUMENTUM.

Ex vaticinio Danielis IX. invicte probatur, tempus adventus Messiae jam diu effluxisse.

328. — Prob. 1⁰ In illo vaticinio agitur de Messia; 2⁰ tempus, quod ibi adventui Messiae praefigitur, jam diu elapsum est. Ergo etc.

Prob. ant. pars I. Illi, quem prophetia praenuntiat, characteres attribuuntur, qui uni Messiae convenire possunt, et qui simul positi vivam ejus imaginem exprimunt. Nam 1⁰ solus Messias potest dici *Christus* per excellentiam, *Christus dux, sanctus sanctorum.* 2⁰ Ad Messiam tantum spectare potest, quod ait Propheta: *ut finem accipiat peccatum, ut adducatur justitia sempiterna, ut impleatur visio et prophetia*, quod *occidendus sit, et non propter se*, ut in Hebraeo legitur etc. 3⁰ De Messia ejusque cruenta internecione agi probant ea, quae Christi occisionem secutura praedicuntur: civitatis et sanctuarii dissipatio, et statuta desolatio, et hostiae et sacrificii abolitio, et usque ad consummationem perseverans desolatio. Tam clara haec sunt, ut Rabbinorum doctissimi rei evidentia coacti prophetiam de Messia intellexerint; hancque communem fuisse veterum Judaeorum persuasionem ex *Flavio Josepho* discimus, auctore in hac re minime suspecto.

329. — Prob. II. pars ant. Messias venturus dicitur 1⁰ inter hebdomadas LXX ordiendas ab exitu sermonis, ut iterum aedificetur Jerusalem v. 25. 2⁰ Ante civitatis iterum extruendae eversionem, templique secundi ruinam. *Occidetur Christus; et civitatem et sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*, v. 36. 3⁰ Ante sacrificiorum Mosaicorum abrogationem. *Deficiet hostia et sacrificium*, v. 27. Atqui haec omnia jam a multis abhinc saeculis impleta sunt; effluxerunt LXX hebdomades, sive dierum fuisse dicantur, sive annorum; et quodcunque admittatur earum initium. Praeterea evidens est, jam dudum cessasse hostias et sacrificia, dirutam esse civitatem, templumque dissipatum. Ergo etc.

Argumentum III.

Ex vaticiniis Aggaei et Malachiae.

330. — Judaei a servitute Babylonica soluti templum aedificare coeperunt. Quod cum viderent templo Salomonis structurae magnitudine et magnificentia multo inferius, animo ceciderunt et tristati sunt. Ut eos erigeret Deus et solaretur, pollicitus est, multo majorem fore templi hujus gloriam, quam primi, eo quod in eo appariturus esset Messias.

Aggaeus cap. II. sic habet: *Haec dicit Dominus Deus exercituum: adhuc unum modicum est, et ego commovebo coelum et terram, et mare et aridam, et movebo omnes gentes; et veniet desideratus cunctis gentibus; et implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum: magna erit gloria domus istius novissimae plus quam primae, dicit Dominus exercituum; et in loco isto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Malach. III. ait Dominus: *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam, et statim veniet ad templum suum dominator, quem vos quaeritis et angelus testamenti, quem vos vultis: ecce venit, dicit Dominus exercituum.*

331. — Argumentum. 1⁰ Haec vaticinia de Messia agunt; 2⁰ probant,

jam diu effluxisse tempus adventus Messiae. Ergo etc.

Prob. ant. I. Characteres in utroque vaticinio expressi aperte Messiam designant. Huic soli convenire potest magnificum illud exordium, quo Aggaeus utitur. Hic solus a Prophetis ad Judaeos loquentibus vocari potuit desideratus cunctis gentibus et pacis auctor; dominator, quem ipsi volebant, et novi foederis angelus.

II. Messias his vaticiniis designatus in secundo templo praesentari debuit, et tantam sua praesentia domui illi gloriam conciliare, ut templum Salomonicum splendore suo longe superaret; atqui jam diu destructum est templum illud. Ergo etc.

Non aliter haec vaticinia intellexerunt plerique ex veteribus Judaeorum magistris, ut videri potest apud *Huet.* prop. IX. cap. VIII. n. 2.

OBJECTIONES.

Contra primam propositionem.

332. — Judaei etiam captivitatis Babylonicae tempore civitate, templo et sacrificio carebant; nihilominus firmum tunc mansit foedus Mosaicum. Ergo et hodie manet.

Resp. neg. conseq. Ex utriusque eventus comparatione multum augetur vis nostri argumenti. In illa prima calamitate Judaei, quamvis gravissimis sceleribus se contaminassent, non amplius annis septuaginta exilium passi sunt; atque interea non omisit Deus per Prophetas eos alloqui et solari spe reditus, indicato etiam ejus tempore: in Babylone suos habuerunt judices et a regibus bene habiti sunt. Tandem completis annis captivitatis, cum ad obedientiam rediissent, recordatus est Dominus foederis per Moysen initi, et reduxit eos in terram patrum eorum[1]). Quam dispar nunc rerum facies sit, quam diuturna, quam acerba, quam desparata haec praesens calamitas, nemo non videt.

1) *Deuter.* XXX.

333. — Inst. Haec ipsa gentis Judaicae inter omnes nationes conservatio insigne est divinae in Judaeos clementiae argumentum; ergo foedus Mosaicum non est rescissum.

Resp. Conservationem Judaicae gentis magnum esse providentiae divinae prodigium et nos confitemur; sed nequaquam exinde concludi potest, stare adhuc foedus Mosaicum. Manifestum enim est, gentem illam conservari 1° in perenne divinae ultionis testimonium; 2° ad fidei evangelicae confirmationem, cum Judaei testes sint omni exceptione majores authentiae et integritatis sacrorum codicum, in quibus vaticinia de Christo continentur; 3° demum ut et illae prophetiae impleantur, quibus praedicitur, reliquias Judaeorum aliquando convertendas.

Contra secundam propositionem.

334. — Objic. contra I. argument. Vox *Schebet,* quam Vulgata reddit per *sceptrum*, potest simpliciter *baculum* vel *calamum scriptoris* significare, aut certe *virgam afflictionis;* si ultima verbi interpretatio admittitur, clarus erit prophetiae sensus et praesenti Judaeorum statui apprime accommodatus. Sic enim intelligenda erit: *Non recedet virga afflictionis a Juda, donec veniat Messias.*

Resp. neg. ant. Vocem *Schebet*, quamvis in diversum sensum a scriptoribus sacris accipiatur, in praedicto vaticinio accipiendam esse de sceptro seu potestate civili, probant LXX interpretes, qui ante Christum scripserunt: item Theodotion, Aquila, Onkelos, versiones Arabica, Persica, Syriaca etc.; eam ita intellexerunt Rabbini perplures. Exallatis interpretationibus priores sensum ridiculum voci affingunt et tam solemnis vaticinii majestati repugnant. Virgam autem afflictionis vox *Schebet* nunquam significat, nisi aliquid addatur, quod hunc sensum determinet; ut Ps. II. *Reges eos in virga ferrea.* Praeterea prophetia illa peculiari

modo ad tribum Juda pertinet, non ad totam gentem; nullibi autem videtur hanc tribum prae caeteris fuisse afflictatam; contrarium probat tota Judaeorum historia. Demum ex contextu apparet, prospera ibi et laeta annuntiari tribui Juda, atque imprimis imperii et auctoritatis praerogativam; nam post verba haec: *non auferetur sceptrum de Juda*, statim additur: *Et dux de femore ejus.*

335. — Urgent I. Particula *donec* non semper significat cessationem rei, de qua agitur. Sic Genes. VIII, 7. de corvo dicitur: *Et non revertebatur, donec siccarentur aquae.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Vox *donec* Gen. XLIX. respondet particulae Hebraicae עַדכִּי *(adki)*, quae semper significat cessationem rei. In loco ex Gen. VIII. non legitur *adki* sed *ad.* Porro contraria etiam observatio adversarios non juvat.

336. — Urgent II. Vox *Schilo* potest significare 1⁰ urbem *Silo* et sic de Saule aut Jeroboamo intelligi, qui ambo in Silo uncti sunt. 2⁰ Ad Moysen referri potest, quem Dominus ad liberandum populum misit. 3⁰ Ad Davidem insignem Jacobi ex Juda filium, aut ad Salomonem, qui pacificus vocari jure merito potest. 4⁰ Ad Nabuchodonosorem, aut Cyrum, quem Deus Christum suum appellat, Isaiae XLV. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Si 1⁰ per *Schilo* urbs hujus nominis intelligeretur, sensus esset: non recedet sceptrum de Juda, donec veniat urbs Silo, quod certe absonum esset. Deinde nec Saul, nec Jeroboam consecrati sunt in Silo; sed primus in Ramatha I Reg. X., secundus vero in Sichem III Reg. XII. Neque eo tempore ablatum est sceptrum de Juda.

2⁰ Moyses non fuit exspectatio gentium, nec ejus tempore sceptrum de Juda ablatum est.

3⁰ Ex iisdem rationibus nec ad Davidem, nec ad Salomonem pertinere potest prophetia.

4⁰ Quomodo Nabuchodonosori applicari possunt, quae Jacob filio suo Judae vaticinatur? Quomodo potest ille expectatio gentium appellari, qui omnium terror fuit? quomodo attribui illi possunt variae acceptiones vocis Schilo? Idem dicendum de Cyro, quo regnante sceptrum Judae ablatum non est, sed potius restitutum.

337. — Urgent III. Judaei etiam post urbis excidium supremam potestatem non amiserunt; magnas siquidem ab hoc tempore regiones occuparunt cum suprema potestate. Regnarunt v. g. Babylone, ut testantur auctores talmudici quinti saeculi; recentioribus autem temporibus magnum obtinuerunt imperium prope Gangen in deserto Chabor; item in America etc.

Resp. Fictitia sunt omnia haec Rabbinorum regna ad sublevandos suorum animos inventa, ut ipsi doctiores Rabbini fatentur. Mirum, haec vastissima regna ita hucusque delituisse, ut nec naviculatori nunquam aut peregrinanti visa sint.

338. — Urgent. IV. Prophetia Jacobi cum hac conditione intelligenda est: nisi Judaeorum delicta adventum Messiae retardent. Plures veteris testamenti prophetias sic intelligendas esse, fatentur omnes interpretes.

Resp. Fatemur quasdam prophetias conditionate accipiendas esse; sed tunc ex adjunctis perspicuum est, conditionem subesse. In vaticinio Jacobi nihil est, quod ejusmodi conditionem indicet; nihil, quod non econtra eam excludat. Ipsa quippe propositio composita est et conditionem jam complectitur; non datur autem conditio conditionis. Jacobus fausta annuntians filio suo Judae, praedicit, tribum hanc semper cum auctoritate aliqua civili duraturam usque ad Messiae adventum. Id est: non recedet auctoritas nisi cum advenerit Messias.

339. — Urgent V. Etiam inter Christianos interpretes variae sunt hujus vaticinii expositiones; ergo etc.

Resp. Illae interpretationes non afficiunt thesis nostrae substantiam. Omnes Christiani interpretes per *Schilo* intelligunt Messiam; omnes ex hac prophetia invicte probant, jam a septemdecim saeculis praeteriisse tempus, quo Messias venire debuit. Omnis differentia in eo consistit, quod vocem *Schebet*, quae a Vulgata per sceptrum exprimitur, diversimode interpretantur. Alii scilicet potestatem regiam, alii ducalem, alii tribus Judae in omnes alias supremam auctoritatem, alii formam tribus constitutivam intelligunt. Nobis sufficiat ostendere potestatem illam, de qua Propheta loquitur, quaecunque illa sit, non amplius existere; ideoque Messiam venisse.

340. — Objiciunt contra II. argum. Scopus prophetiae Danielis alius non est, quam praenuntiare, quid populo Judaico durum ac triste accidere debeat a prima templi destructione sub Nabuchodonosore, usque ad secundam sub Tito; quod spatium temporis est 490 annorum. Post secundam calamitatem durissimo et diuturno servitutis jugo affligendi sunt Judaei, donec tandem iis in melius commutatis finem accipiat peccatum, et impleantur de venturo Messia prophetiae. Nihil igitur impedit, quominus in priori parte vaticinii intelligatur Messias. In parte autem posteriore per Christum intelligendi sunt 1° *Cyrus* rex Persarum: *Usque ad Christum ducem hebdomades VII.* Tunc revertetur populus e captivitate et post hebdomades LXII occidetur Christus, id est 2° rex *Agrippa*, qui in ultimo urbis Jerosolymae excidio periit; ergo etc.

Resp. Haec Rabbi Salomonis Jarchi interpretatio subtilius, quam verius excogitata, cum verbis et sensu prophetiae nullatenus cohaeret, totque scatet erroribus adversus historiae veritatem, ut per se tota funditus ruat. Absurdum est dicere, in illa prophetia praenuntiari, quaecunque dura accidere deberent populo; potius angelus Danielem virum desideriorum consolari et recreare voluit. Non minus absurde tres Christos distinguit illa interpretatio; cum manifestum sit, de uno eodemque vaticinari Danielem. Et istud quoque absurdissimum est, peccati abolitionem, adductionem justitiae, uno verbo adventum Messiae in illam futuram Judaeorum calamitatem tanquam in causam suam refundendam; cum e contrario Propheta asserat, absolute praecisum et definitum esse tempus ad istarum rerum eventum. Porro in ista interpretatione gravissimi sunt errores contra veritatem chronologicam et historicam; omnia mire turbantur, a contextu et obvio ac genuino verborum sensu recedunt. Quis per Christum ducem in tam celebri prophetia Cyrum intelligat, aut juniorem illum Agrippam vix ullius inter Judaeos nominis? Caeterum Christus ille venire debuit post hebdomades LXIX et instrauratam Jerusalem; at Cyrus mortuus erat, antequam inchoatae fuissent illae hebdomades. Agrippa autem nec rex fuit Judaeorum, nec a Romanis in excidio Jerosolymitano occisus fuit.

341. — Inst. I. Potest igitur admitti alia quorundam Rabbinorum interpretatio, qua dicitur, priorem Christum esse *Josue* seu *Jesum* filium Josedeck, sacerdotem magnum, qui una cum Zorobabele in Judaeam rediit permittente Cyro; posteriorem autem *sacerdotium* designare in ultima Jerosolymorum clade extinctum. Huic interpretationi favent LXX interpretes, qui sic vertunt: *delebitur unctio.* Si haec non placent, adsunt adhuc aliorum sententiae, qui per Christum ducem intelligunt vel *Nehemiam* vel *Zorobabelem.* Ergo etc.

Resp. Nullus est ex iis omnibus, de quibus objectio loquitur, cui attribui

possint characteres in prophetia expressi. *Jesum* filium Josedeck fatemur in quibusdam Messiae typum et figuram fuisse; at Messias aut dux ille, de quo Daniel, certe non fuit. Neque enim sanctus sanctorum, justitia sempiterna, neque Christus dux antonomastice unquam dictus fuit, aut dici potuit; neque ea temporis periodo natus est, quam praedixit Propheta. Ob easdem rationes prophetia neque de *Nehemia* neque de *Zorobabele* intelligi potest. Horum porro aetate non defecit hostia; sed potius templo instaurato usus sacrificiorum refloruit. Qui autem per Christum unctionem seu sacerdotium intelligunt, non attendunt, evidenter in prophetia personam aliquam designari. LXX interpretes, cum vertunt *unctionem*, concrete nomen illud sumunt pro Christo, qui est unctus per excellentiam. Et vero fatentur vel ipsimet Rabbini, imprimis Samuel, in secundo templo quinque res defuisse, quae fuerant in primo; scilicet: ignem, arcam, Urim et Thummim, oleum unctionis et spiritum sanctum.

342. — Inst. II. Sunt etiam inter Christianos interpretes viri celeberrimi, qui Danielis prophetiam de Messia non intellexerunt. Tales sunt *Marshamus* Anglus in historia veteri versatissimus; *Harduinus* et *Calmetus*, doctissimi scripturae interpretatores. Omnes hi, quamvis in quibusdam differant, in hoc tamen conveniunt, quod prophetiae duplicem assignent exitum; primum septem hebdomadum in *Cyro*, qui est Christus dux a Daniele praedictus; secundum sexaginta duarum hebdomadum in *Machabaeo duce*, quo tempore Onias summus sacerdos typus Messiae occisus, et magna ab Antiocho contra Judaeos persecutio concitata est. Ergo etc.

Resp. Si qui sunt inter Christianos interpretes, qui ad alia quam Messiae tempora praedictum vaticinium detorquent, nullum praejudicium inferre possunt communi et acceptae expositioni. Nam manifestum est, eos non tantum contradicere omnium SS. Patrum et interpretum Christianorum unanimi sententiae, sed etiam contrarium sibi habere veterum Judaeorum consensum. Praeterea istas expositiones in omnibus suis partibus gratis confictas, legitimae chronologiae dissentientes et textui sacro repugnantes esse, facile ostendi posset, si tempus permitteret. Legi potest doctissimus *Hooke*. Tom. II. p. 583.

343. — Objiciunt contra III. argum. Major illa templi secundi gloria, quam *Aggaeus* et *Malachias* praedixerunt, ex triplici capite repeti potest; ergo non est necesse ad Messiam recurrere.

Prob. ant. 1° Templum illud longius stetit, quam primum. 2° Magna fuit exterorum etiam principum in hoc templum reverentia; illud enim multis ornamentis et muneribus ditarunt. 3° Templum secundum ab Herode magnificentius exornatum fuit, quam primum a Salomone. Ergo etc.

Resp. Leviora ista sunt, quam ut exinde major gloria conciliari potuisset templo secundo. Quid enim sibi vult longior illa centum circiter annorum duratio? Quaecunque fuerint munera et dona, quae Darius, Artaxerxes, Herodes aliique principes ad templi structuram et ornatum contulerunt, nunquam aequare, multo minus superare potuerunt templi Salomonici gloriam et splendorem; hujus enim pars interior tota erat auro obducta et omnis supellex aurea, III *Reg.* VI. Haec cum singula considerasset Rabbi Abarbanel in Aggaeum, candide fatetur, secundum templum primo aequiparari non posse. Praeterea Deus diserte profitetur, se templi gloriam ex infimis his rebus non aestimare, Agg. II, 9.: *Meum est argentum et meum est aurum, dicit Dominus exercituum.* Sed quaecunque etiam ista fuerint principum dona, numquid comparari unquam potuerunt cum arca foederis,

igne perpetuo, virga Aaronis, oleo sancto, spiritu prophetiae, praesentia in propitiatorio, quae omnia insignem primo templo gloriam contulerunt; in secundo autem fatentibus ipsis Judaeis defuerunt?

SECTIO II.

Revelatio Christiana.

344. — *Multifariam multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis; novissime locutus est nobis in filio, quem constituit haeredem universorum*[1]. Hic est, quem scripsit Moyses in lege et Prophetae, *Jesus* a Nazareth[2]; hic semen Abrahae, in quo benedicendae erant gentes universae terrae; hic novi testamenti mediator, sacerdos secundum ordinem Melchisedech; dux gentis sanctae, populi acquisitionis, legislator novus, uno verbo, Messias, seu Christus. *Moyses quidem fidelis erat in domo Dei famulus, in testimonium eorum, quae dicenda erant: Christus vero tanquam filius in domo sua*[3]. *Propterea abundantius oportet observare nos ea, quae audivimus... Quomodo enim effugiemus, si tantam neglexerimus salutem*[4], *de qua salute exquisierunt atque scrutati sunt Prophetae, qui de futura in nobis gratia prophetaverunt*[5]?

Quoniam igitur exeuntes a primordio, et per omnes aetates vestigia persequentes primae revelationis, longo itinere, sed certe non inutili, pervenimus tandem ad *dies istos, quos Moyses et omnes Prophetae a Samuel et deinceps, qui locuti sunt, annuntiaverunt*[6]: caveamus, ne animus nos deserat. Hic portus est, ad quem hucusque tendimus, quem jam diu e longinquo aspeximus. Hic immorandum nobis, hic colligendi laborum fructus; hic audire licebit, et videre quasi oculis nostris, et contrectare verbum vitae, ut societas nostra sit cum patre et cum filio ejus Jesu Christo[1].

345. — Eandem fere viam in hac tractatione sequemur, quam modo tenuimus, cum de religionis Mosaicae divinitate actum est. Verum uberior se hic offert rerum dicendarum copia; omnia multo sunt excellentiora, et propius ad nos pertinentia. Ut ergo omnis evitetur confusio, quatuor articulis agemus: 1° De Christianae religionis praestantia. 2° De Christi, qui religionis auctor est, et Apostolorum, qui eam per orbem propagarunt, insigni charactere. 3° De prophetiis veteris et novi testamenti, quibus religionis Christianae divinitas probatur. 4° De miraculis Christi et Apostolorum. Prophetias miraculis praemittimus, ne ab iis, quae jam dicta sunt, nimium abstrahantur, et legis Mosaicae ad Christianam transitus melius pateat.

ARTICULUS I.

Religionis Christianae praecellentia.

346. — Utinam liceret nobis in hac parte esse diffusiores, et diligentius excutere religionem illam, ad quam a pueritia imbuti sumus, et qua nihil perfectius comprehendimus cogitatione. Omnia hic plena sunt profundissimae sapientiae et benignissimae pietatis; omnia ad erudiendos aeque ac commovendos animos aptissime comparata. Nihil illa sublimius simul et propius homini, nihil cujuslibet ingenio ac naturae ita accommodatum, ut cum summorum ingeniorum admirationem habeat, tamen a minimis se non subtrahat. Ita autem pura est et sancta in omnibus suis partibus, ut perfectissimum exhibeat complexum dogmatum et praeceptorum ad religionis et morum institutionem pertinentium, sine omni erroris admixtione; in quo haec nostra Christiana philosophia multo est excellentior, quam omnis humana sa-

1) *Hebr.* I. 2) *Joan.* I, 45. 3) *Hebr.* III, 5. 6. 4) Ibid. II. v. 1. 3. 5) I *Petr.* I, 10. 6) *Actor* III, 22. 24.

1) *Joan.* I, 1. 3.

pientia, quae ad rerum divinarum scientiam nunquam pervenit, et ea, quae leviter et opinando attigit, multis et gravissimis erroribus inquinavit.

Praecipuos hujus sanctissimae religionis characteres indicare potius quam evolvere hoc loco possumus: infinitus enim in ea latet coelestis sapientiae thesaurus, quo qui utuntur, participes efficiuntur amicitiae Dei.

PROPOSITIO.

Religio Christiana in omnibus suis partibus praestantissima est, et dignissima Deo.

347. — Prob. Religio Christiana 1⁰ partem theoreticam habet, quae nos docet de Deo recte sentire, et de natura, statu, fine hominis, ac supernaturalis providentiae dispensatione, quae credenda sunt, proponit. 2⁰ Pars altera practica dicitur, quae morum praecepta et agendorum regulas praescribit: atqui utraque haec religionis Christianae pars praestantissima est. Ergo etc.

Probatur I. pars.

348. — I. Nulla religio Deum verius exprimit, aut unquam expressit, quam Christiana. Omnes religionis naturalis veritates, quas nulla unquam philosophia bene cognovit, quas Judaei ex veteri revelatione acceperunt, non confirmat modo, sed uberius evolvit fortiusque inculcat. Deum colendum proponit unicum, omnibus perfectionibus cumulatum, rerum omnium conditorem, malorum vindicem, remuneratorem bonorum. Et, quod imprimis religionem Christianam prae caeteris omnibus commendat, ac coelestem spirat sapientiam, Deum non tam ut supremum dominum exhibet, quam ut patrem amantissimum, qui omnium et singulorum curam gerit, omnium necessitatibus providet, omnium saluti invigilat [1]). Hanc ideam patris saepius repetit et versat omni modo, ut sic hominum animos ad Deum trahat, et servilem Judaeorum timorem excutiat. Imprimis Dei in pios justosque homines amorem, atque intimam cum puris mentibus unionem, et illam admirabilem bonitatem, quae peccatores sustinet, ad petendam veniam invitat, et tam placabilem se ostendit indulgentiam exorantibus, vivis coloribus depingit. Certe religio, quae tam excellentem nobis exhibet divinae naturae formam, non hominum inventum est, sed e coelo allata ad homines.

349. — II. Sola haec religio hominem plene instruit in iis, quae scire illius quam maxime interest, et quae humana sapientia invenire nunquam potuit; scilicet, unde orti simus, et quem habituri finem, quae malorum origo, et quod remedium; quomodo Deum nobis benevolum habere, quomodo placare offensum possimus. Hominem a Deo ortum docet, et ad ejus imaginem creatum; quod antiquissimum effatum a Christo magnam lucem accepit, cum ostenditur, nostrae naturae nobilitatem in eo consistere, ut tanquam Dei filii, patris similitudinem in nobis exprimamus [1]). Haec sola religio dogma immortalitatis, et quae futura sit sors piorum et impiorum post hanc vitam luculentissime exponit; haec fontem nobis detegit omnium miseriarum, cum hominem ex felicissima conditione per peccatum excidisse docet, et quae obscure et sub involucro in V. T. annuntiata sunt, in clarissima luce ostendit, scilicet humani generis reparationem, ac media, quibus emergere ex tanta ruina possimus, et proprias etiam sordes abstergere atque vitam renovare deperditam.

350. — III. Si religio veritates complectitur ab omni humano intellectu longissime remotas, quae tamen cum religione naturali et sanctissimis morum praeceptis in unum doctrinae cor-

1) *Matth.* VI. *Luc.* XII.

1) *Matth.* V.

pus perfecte coalescunt, in quo omnia intima connexione se mutuo sustentant, hoc ipso positivum divinitatis characterem ostendit. Ex parte I. cap. II. sect. II. art. I. Atqui talis est religio Christiana: ergo etc.

Prob. min. Quod religio Christiana dogmata contineat, quae cogitatione complecti mens humana non potest, non diffitentur Deistae; nam hoc ipsum est, quod eos ab hac religione maxime deterret: sed in hoc ipso ostendunt, quam leves illi haustus ex philosophia traxerint; nam si vellent aut possent rem maturius expendere, viderent ex hac ipsa altitudine incomprehensibili mysteriorum quam maxime elucere religionis nostrae praecellentiam. Viderent illa mysteria ita esse extra aciem humanae mentis posita, ut nec ratiocinando ea invenire philosophus, nec fanaticus in illa incidere unquam potuisset; neque intelligi posse, quomodo fidem apud homines invenissent, nisi divina confirmata auctoritate. Viderent in hac mysteriorum revelatione omnes notas divini muneris atque summae reconditae sapientiae; cum ex illis magis eluceat Christianae religionis sublimitas, et utilitates quam plurimae in hominum genus profluant. Nihil quippe (ut alia multa praeteream) animum potentius excitat, quam veritates illae supernaturales, quae ubique infinitam et incomprehensibilem Dei naturam, immensum amorem, immensas bonitatis divitias, ineffabile Dei cum homine commercium exhibent. Ergo etc.

Probatur II. pars.

351. — Lex moralis novae legis perfectissima est vitae regula, quacunque alia institutione longe praestantior; nulla enim humana institutio tam perfectam exhibet officiorum hominis complexionem, nulla ad ea observanda incitat tum efficacibus mediis.

I. Officia omnia vel Deum, vel alios homines, vel nosmetipsos spectant. 1⁰ Officia erga Deum religione continentur, quae tota constat rectis de Deo sententiis, piis in Deum affectibus, et actionibus his consentientibus. Quam bene de Deo sentiat Christiana religio, prima parte probavimus: hanc autem genuinam Dei notionem ubique comitantur pii animi affectiones. Adoratio interior, *Joan.* IV.; divinae justitiae timor, *Matth.* X, 28.; in divina ope fiducia, *Joan.* XIV, 13. *Matth.* VII, 7.; divinae voluntati omnimoda devotio, *Matth.* VI.; grati pro beneficiis sensus et amor, *Matth.* XVII. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Finis praecepti charitas*, I *Tim.* I, 5. Hic amor se prodere debet publica fidei confessione, *Rom.* X.; mandatorum observatione, I *Joan.* V. *Joan.* XIV, 33.; divinae gloriae prosecutione, I *Cor.* X. *Ephes.* III.; divinae perfectionis imitatione, *Ephes.* V.; laudibus et gratiarum actionibus, *Hebr.* VIII, 15. *Ephes.* V, 18.; exultatione in Deo, *Philipp.* IV, 4. etc.

2⁰ Fortius excitat religio Christiana, non solum ad omnem *justitiam*, quae juris alieni violationem vetat; sed etiam ad charitatem, quam non tantum in genere commendat, sed cujus omnes characteres evolvit, cujus officia latissime extendit, cujus vim et excellentiam mire extollit. Vid. *Rom.* XIII, 18. I *Cor.* XIII. *Ephes.* V. *Matth.* V. et VII. etc.

3⁰ Officia erga seipsum non tantum praescribit, sed intendit religio Christiana, cum hominem doceat, quam excellentis sit naturae, quo emptus sit pretio. Omnia quae tum corporis, tum animae culturam attinent, ita attemperat, ita pro cujuscunque dignitate ordinat, ut qui ea sequitur, mundus sit ab omni inquinamento carnis et spiritus, portans et glorificans Deum in corpore suo. Vid. I *Cor.* VI. II *Cor.* VI. *Philip.* IV. Jubet nos coelestia cogitare, propriam gloriam non quaerere, animi puritatem cum corporis castimonia diligentissime servare, adversam fortunam aequanimiter tole-

rare. Curam salutis et vigilantiam commendat et perfectionis studium. His pleni sunt omnes novi testamenti libri.

352. — II. Jam vero haec praecepta saluberrima et vere divina quantis urgentur momentis! cum quanta legislatoris auctoritate proponuntur! quibus confirmantur exemplis! quibus fulciuntur auxiliis! Ex quibus recte concluditur, evangelio nihil deesse ad homines non modo docendos, sed etiam ad excitandos fingendosque ad omnem pietatem et virtutem animos. Jam vero quantum ab hac religione distant, quae omnibus retro saeculis a praestantissimis philosophis tradita sunt! Cum omnes aliae religiones aut voluptates, aut vitae commoda, et caduca mundi hujus bona consectantur; cum clarissima ingenia de primis veritatibus gravissimisque morum praeceptis vix quaedam incerta et obscura balbutiunt; Christiana religio omnia, quae hominem vere bonum ac beatum reddere, atque ad illam, ad quam conditus fuit, dignitatem attollere possunt, in tanto lumine collocat, ut multo plura nunc rudibus et mulierculis Christianis, sine omni erroris periculo, nota sint, quam doctissimis antiquitatis philosophis. Unde consequitur, Christianam religionem ab omnibus, quae vana et inconstans hominum ratio efficere unquam potuit, tantum distare, quantum coelum distat a terra [1]).

1) Finem dicendi non haberemus, si vellemus in religionis Christianae laudes excurrere. Auctores tantum aliquos assignabimus, qui de hac coelesti sapientia digne, et prout argumenti magnitudo exigit, locuti sunt. Vid. *Hooke* Tom. II. pag. 730—811. *De doctrinae Christianae praecellentia; Sailer* Grundlehren der Religion. Dreizehnte Vorlesung und folgende. *Bergier* Tom. IX. art. III. *Grotius* de veritate religionis Christianae lib. II. cap. VIII. et seqq. *Bonnet* Recherches philosophiques sur les preuves du Christianisme chap. XXXII. et XXXIII. „La véritable religion doit avoir pour marque d'obliger à aimer Dieu, cela est bien juste: et cependant aucune autre, que la nôtre, l'a ordonné. Elle doit encore avoir connu la concupiscence de l'homme, et l'impuissance, où il est par lui-même d'acquérir la vertu. Elle doit y avoir apporté le remède, dont la prière est le principal: notre religion a fait tout cela; et nulle autre n'a jamais demandé à Dieu de l'aimer et de le suivre. Il faut pour faire qu'une religion soit vraie, qu'elle ait connu notre nature... Elle doit avoir connu la grandeur et la bassesse de l'homme, et la raison de l'une et de l'autre. Quelle autre religion, que la Chrétienne a connu toutes ces choses?" Pensées de *Pascal* chap. II.

ARGUMENTA CONTRARIA.

353. — Objiciunt I. Indignum est Deo, religionem hominibus revelare plenam mysteriis, quae admittere refugit humana ratio: atqui talis est Christiana religio. Ergo etc.

Resp. Multa contra religionem argumenta congerunt increduli, cum vel mysteriorum fidem in genere impugnant, vel singillatim religionis nostrae mysteria impio ore lacerant. Verum ad haec respondere hic necesse non est; nam quae mysteria in genere attinent, ea prima hujus demonstrationis parte diluta sunt; reliqua solventur in theologia speciali, cum de Christianae religionis mysteriis speciatim agemus. Id unum observabimus, Apostolos, cum haec mysteria populis annuntiarent, tam parum credidisse, quod haec altitudo doctrinae vim argumenti haberet adversus religionem, ut potius ex ea argumentum ipsi desumpserint.

Sic Apostolus cum ad Corinthios scribens [1]) dixisset, se non saeculi hujus sapientiam loqui, *sed Dei sapientiam in mysterio*, ita pergit v. 10.: *Nobis revelavit Deus per spiritum suum; spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei: quis enim hominum scit, quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Quo argumento ostendit, rerum divi-

1) I *Cor.* II.

narum cognitionem non posse ab humano ingenio derivari, et doctrinam, quam cogitatione complecti non potest mens humana, etiam mentis humanae foetum esse non posse.

354. — Obj. II. Lex Christiana nec purior est lege Mosaica, nec clarior. Jugum caeremoniarum ut nimis molestum abjecit; homines promissae libertatis illecebris illexit, et cum poenas severissimas legis Mosaicae sustulit, omnibus criminibus fraena laxavit. Ergo etc.

Resp. Haec et alia plura congerit Judaeus *Orobio* in amica collatione. Absit a nobis, ut velimus ex legis Mosaicae excellentia aliquid detrahere, ne quae una manu exstruximus, altera dejiciamus. Sed iniqua est haec Orobii legis veteris cum nova comparatio. Quidquid antiqua habuit ad internam vitae sanctitatem et cordis rectitudinem pertinens, hoc evangelium tanquam sibi proprium non retinuit tantum, sed clarius proposuit et ad majorem perfectionem adduxit. Caeremonias legis sustulit, non ideo praecise, quia grave jugum imponebant; sed quia exire debuit ex arctioribus, quibus natio Judaeorum constringebatur, nexibus et omnia loca et tempora implere. Libertatem quidem promisit, sed libertatem filiorum Dei, qua liberati a lege peccati et mortis, spiritu vivimus, quae sunt spiritus sentimus; nam quicunque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Vide cap. VIII. *Rom.* II *Cor.* III. *Gal.* V. I *Petr.* II, 16. etc.

Cum lex Christiana tota moralis sit et ab omni civili et politica constitutione sejuncta, talisque necessario esse debuerit; non potuit aliam quam supernaturalem sanctionem admittere. Sic autem fraena non laxavit cupiditatibus; sed potius securim ad radicem posuit, motus quoscunque pravos cohibens et componendis ad omnem justitiae normam animis tota occupata.

355. — Obj. III. Multa injusta praecipiuntur in lege Christiana, aut homine indigna, aut societati humanae nociva. Ergo etc.

Prob. 1° Jubet illa religio relinquere patrem et matrem, uxorem et filios, imo eos odio habere[1]); quae certe absque gravissima injustitia fieri non possunt. 2° Praecipit amorem inimicorum et omnem cohibet vindictam; jubet percutienti in una maxilla alteram porrigere, tollenti tunicam etiam pallium dimittere; humilitatem et animi demissionem valde commendat; sed haec hominem stupidum reddunt et imbecillem, omnem gloriae stimulum auferunt et sensus majores extinguunt. 3° Sectatoribus suis voluntariam paupertatem et continentiam praedicat, eosque coelibes facit et bonorum contemptores; atqui haec in totius societatis ruinam vergunt. Ergo etc.

356. — Resp. ad I. Christus non tam quae agenda sunt praecipit, quam quae eventura sunt praedicit. Evangelium separavit patrem a filio, cum unus fidem suscepit, reluctante alio. Odisse autem propinquos, seu ut Matth. dicit, relinquere, jubentur illi, qui ad id speciali modo vocantur, ut Apostoli.

Ad II. Recte incredulis nostris dici potest, quod Christus olim Pharisaeis objecit[2]): *Cui similes dicam homines generationis hujus? Venit Joannes non manducans panem neque bibens vinum et dicitis: daemonium habet* etc. Et vero statutum est his hominibus, leges divinas, quaecunque illae sint, criminationibus suis consputare. Quid si vindictam permitteret lex Christiana, si homines fingeret male sui amantes, aliorum despicientes, superbia inflatos, bonorum cupiditate incensos, quantos quaeso clamores tollerent increduli? Sed infelices hos tot malorum et vitiorum fontes obstruit religio et ab iisdem viris ignaviae accusatur, deprimendis magis quam elevandis ingeniis apta. Si veri philosophi essent et for-

1) *Matth.* X, 34. *Luc.* XIV. 2) *Luc.* VII, 31.

mam noscerent ingenui et excelsi animi, scirent nulla re magis deprimi hominem, quam illa seipsum continendi et moderandi impotentia; nulla magis elevari, quam nativa morum simplicitate et moderatione animi, modeste de se sentientis. In hoc ipso religionis Christianae eximia laus est, quod amorem praecipiat universalem, qui nullum tempus, nullum obsequii genus, nullum hominem excludat; quod humilitatem commendando, hominem non abjectum reddat, non ignavum, sed fortem et constantem; eique ad omnia pericula subeunda, omnia gravia toleranda, ubi illud officium exigit, incitamenta suppeditet, omnibus humanis motivis fortiora et nobiliora.

Ad III. Christus paupertatem voluntariam et continentiam proposuit, non praecepit; consilia sunt, quae neminem obligant, nisi sponte hanc obligationem susceperit. Optime noverat legis Christianae auctor, paucos futuros esse, qui haec consilia sequerentur. Qui autem id faciunt, non tantum societati nihil nocent, sed potius multum prosunt, ut luculenter a variis auctoribus probatum est.

357. — Obj. IV. Experientia probat, Christianos aeque corruptos esse moribus et depravatos, quam aliarum religionum sectatores. Ergo non est, cur tantopere extollatur Christianae doctrinae excellentia.

Resp. neg. ant. Quaecunque fingatur inter Christianos morum corruptio nunquam illum perversitatis gradum attigit, ut non magnum sit inter populos Christiano nomini addictos et gentiles discrimen; neque tam generaliter in omnes et absque fraeno dominatur malitia; quod imprimis de catholicis dici potest, si tamen non ortu tantum, sed re quoque catholici sunt. Multa ab incredulis in religionis invidiam sparguntur: si nobis prava multorum, qui se Christianos dicunt, exempla objiciunt, nos illis nobilissima, quae nullo tempore defuerunt, virtutum exempla opponimus, quibus virtus et efficacia verae religionis eo magis elucescit. Religioni tribui non possunt mala, quae illa exhorrescit ac fortissimis mediis impugnat, sed religionis oblivioni, et quae omnium malorum radix est, rerum temporalium cupiditati. En novum illius integritatis rectique animi, quo philosophi nostri gloriantur, argumentum! Nihil illi intentatum relinquunt, ut religionis amorem extinguant, fidem radicitus eruant, omne fraenum auferant vitiis, omnem cupiditatibus fomitem subministrent; et cum tandem eo usque profecerunt, ut foeda corruptio toti incumbat humano generi, vellent hoc ipsum suae impietatis opus in religionis odium convertere [1]).

---

1) „D'où vient, qu'avec une si belle morale la religion catholique n'a pu empêcher la corruption de l'état? Hélas! Depuis qu'elle y a été si étrangement avilie par le scandale de plusieurs de ses ministres, si horriblement défigurée par les écrits des impies, si mal soutenue par le gouvernement; depuis que la discipline a été énervée; depuis que le relâchement est devenu général dans le monde, et l'incrédulité presque universelle dans ceux qui dominent l'opinion, faut-il nous le demander, pourquoi son influence est devenue presque nulle sur les moeurs publiques? Rendez à ses ministres la vénération, et la confiance des peuples, ou plutôt souffrez qu'ils la méritent eux-mêmes, et ne leur réfusez pas la liberté de leur ancienne discipline. Donnez enfin à cette religion un peuple de croyans: et alors vous saurez tout ce que peuvent pour les bonnes moeurs les principes de l'évangile." L'Auteur *de la religion aux Français.* (Monseigneur *Jauffret,* Evêque de Metz.) — „*Bayle,* dit *Montesquieu* (Esprit des loix liv. XXIV. chap. 3 et 6.), après avoir insulté toutes les religions, flétrit la religion Chrétienne; il ose avancer, que des véritables Chrétiens ne formeraient pas un état, qui pût subsister. Pourquoi non? Ce seraient des citoyens infiniment éclairés sur leurs devoirs, et qui auraient un très-grand zèle à les remplir. Les principes du Christianisme bien gravés dans le coeur seraient infiniment plus forts, que ce faux honneur des monarchies,

ARTICULUS II.

Christianam religionem divinam esse, ex proprio Christi Domini et Apostolorum charactere convincitur.

PROPOSITIO.

Religionem Christianam divinam originem habere, certum faciunt eximiae, quibus Christus Dominus enituit, virtutes.

358. — Prob. Christus dominus non semel, sed saepius et constanter asseruit, divinam esse, quam annuntiabat, doctrinam. Joan. VI, 16.: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Si quis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit.* Joan. VIII, 26.: *Qui misit me, verax est; et ego quae audivi ab eo, haec loquor in mundo.* Joan. XII, 49.: *Ego ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam et quid loquar. Quae ergo ego loquor, sicut dixit mihi pater, sic loquor.* Ergo cum doctrinam suam proponeret Christus, se Dei ad homines legatum esse ac voluntatis divinae interpretem publice professus est. Ergo vel divina est, quam annuntiat, religio; vel dicendum esset, Christum fanaticum fuisse, et falso se a Deo inspiratum credidisse; aut insignem impostorem, qui divinam missionem mentitus esset, ut homines deciperet; atqui nihil ejusmodi de Christo vel suspicari tantum permittit tota ejus inter homines conversatio, plusquam humana sapientia et sanctitas, quae ex omni ejus vitae ratione elucent. Ergo etc.

359. — Prob. min. Totam Christi Domini vitam enarrare necesse esset, si vellemus omnia egregia virtutum specimina proferre, quae divinum characterem non produnt tantum, sed aperte ostendunt. Enituit in eo, quae omnis verae sanctitatis radix est, summa in Deum patrem suum pietas; omnia siquidem ad Dei gloriam referebat, semper aut orationi vacans, aut operi, quod ipsi pater dederat perficiendum; neque alium cibum habuit, quam ut voluntatem patris faceret. *Ego, quae placita sunt ei, facio semper.* Joan. VII. Omnem propriam voluntatem ita abjecit, ut oblatum sibi a patre passionis calicem forti animo acceperit, factus obediens usque ad mortem. Jam quae in hominum utilitatem fecerit, incredibile dictu est. Optime id exprimit S. Lucas, quamvis brevissimo sermone, cum ait, eum *pertransiisse benefaciendo.* Quot non tulit labores ad erudiendos rudes, sanandos aegrotos, revocandos a sceleribus improbos! Quanta in ejus convictu suavitas! quam facilis accessus! quam blanda comitas! Nullum a se repulit unquam, nullum sine solatio, sine auxilio dimisit. Id ipsi statutum, nemini nocere, prodesse omnibus; imo et ingratos pessimosque homines, et in eum impiissime saevientes ab immensa, qua homines omnes complectebatur, charitate non excludere; orare, mori pro persecutoribus. Erant haec conjuncta cum admirabili vitae integritate, quae non tantum ab omni mali specie longe semper abfuit, sed omnium virtutum splendore perfusa, animum prodidit divinum, sub humanae vitae lineamentis latentem. Tam in aperto erat ejus puritas, ut omnem superaverit invidiam. In nulla re propriis commodis serviisse deprehenditur; nec opes, nec dignitates, nec famam apud homines quaesivit; tam longe ab omni rerum temporalium cupiditate aberat, ut ne haberet quidem, quo caput reclinaret. Tam parum ambitione tenebatur, ut se omnium servum faceret, incomparabilis humilitatis et mansuetudinis exemplar. Denique incredibilis in eo erat et plane inaudita patientia et constantia animi: ad occisionem quasi ovis ductus est, quin ullum in eo exulcerati animi apparuerit indicium, et si quas inter patiendum edidit voces, spirabant pietatem, charitatem, man-

ces vertus humaines des républiques, et cette crainte servile des états despotiques."

suetudinem. Uno verbo, si quis vellet Dei humano corpore induti et ad homines virtutum praeceptis et exemplis erudiendos in terra conversantis genuinam imaginem exprimere, non possit excellentius aliquid invenire, nihil sibi perfectius mente effingere.

360. — Jam vero quis sibi persuadeat, virum humili loco natum, sine litteris, sine omnibus humanis auxiliis ad tantam potuisse vitae perfectionem assurgere, ita supra omnia, quae frangere animum, aut emollire, aut aliquo modo turbare possent, sese elevare, tam eminenter omnes, qui unquam extiterunt, sua sapientia caeterisque virtutibus superare, nisi animo insedisset numen divinum? Quis sibi persuadeat, virum tam longe ab omni mali suspicione remotum, homines decipiendi consilium cepisse, et cum ubique tam purum Dei amorem spiraret, omnem tamen Dei timorem ita abjicere voluisse, ut in propriam legem peccare, Dei legatum et promissum a Prophetis Messiam se dicere non vereretur, nisi tanta ipsi dignitas competeret?

361. — At forsan seipsum decepit Christus, et fanatico errore sese ad instaurandum inter homines religionis et virtutis studium a Deo vocatum credidit? Sed quae sincera mens impia ejusmodi commenta non cum fastidio repellit? Nihil certe est a vita Christi magis alienum, ex qua tanta elucet animi moderatio. Nihil hic reperitur temere aut incohaerenter dictum, nihil praecipiti temeritate actum; nihil quod unquam reprehenderet recta et incorrupta ratio. Summa in omnibus prudentia, et inter tot gravissimas tempestates, inconcussa mentis constantia omnisque perturbationis expers tranquillitas. Durissima patitur tanquam vir fortissimus; non vanam Stoicorum more indolentiam affectans, sed patientia vincens doloris acerbitatem; apud iniquos judices innocens accusatus non comminabatur, et cum malediceretur, non maledicebat. Principum et potentiorum hominum gratiam nunquam captavit, sed nec populi favorem majorum contemptu; aeque ab omni adulatione et assentatione alienus, quam a procaci philosophorum insolentia.

Praeterea an homo fanaticus in illa potuisset religionis dogmata incidere, quae religio Christiana docet? quae vis imaginandi potuisset admirabilem illum complexum invenire, atque omnia, quae Deum et religionem, quae virtutes et officia hominum attinent, tam clare sine omni errore et confusione evolvere? Ergo neque decipiendi consilium habere potuit Christus, neque fanatico errore ipse deceptus fuit. Ergo etc.[1]).

---

1) Non possumus hic praeterire insignem Rousseavii locum, quem nullus fere, qui pro religione Christiana scripsit, praetermittendum putavit. „Se peut-il, qu'un livre à la fois si sublime et si simple (l'evangile) soit l'ouvrage des hommes? Se peut-il, que celui, dont il fait l'histoire, ne soit qu'un homme lui-même? Est-ce là le ton d'un enthousiaste ou d'un ambitieux sectaire? Quelle douceur, quelle pureté dans ses moeurs, quelle grâce touchante dans ses instructions, quelle élévation dans ses maximes, quelle profonde sagesse dans ses discours, quelle présence d'esprit, quelle finesse et quelle justesse dans ses réponses, quel empire sur les passions! Où est l'homme, où est le sage, qui sait agir, souffrir, et mourir sans foiblesse et sans ostentation? Quand Platon peint son juste imaginaire, couvert de tout l'opprobre du crime, et digne de tous les prix de la vertu, il peint trait pour trait Jésus Christ: la ressemblance et si frappante, que presque tous les Pères l'ont sentie, et il n'est pas possible de s'y tromper. Quels préjugés, quel aveuglement ne faut-il point avoir, pour oser comparer le fils de Sophronisque au fils de Marie! Quelle distance de l'un à l'autre! Socrate mourant sans douleur, sans ignominie, soutint aisément jusqu'au bout son personnage; et si cette facile mort n'eut honoré sa vie, on douterait si Socrate avec tout son esprit fût tout autre chose, qu'un Sophiste. Il inventa, dit-on, la morale; d'autres avant lui l'avaient mise en pratique; Aristide avait été juste, avant que Socrate avait dit ce

PROPOSITIO II.

Apostolorum Christi seu primorum religionis Christianae propagatorum virtutes novum sunt argumentum divinitatis religionis Christianae.

362. — Hoc argumentum, cujus partem aliquam jam supra exposuimus, cum de veritate librorum N. T. actum est, leviter tantum attingemus. Certum est, Apostolos ubique et constanter se gessisse tanquam Christi legatos, a Deo ipso missos, et a Spiritu Sancto instructos, ut evangelium pacis praedicarent omnibus gentibus. Certum est, eos doctrinam, quam per orbem disseminarunt, hominibus tradidisse tanquam divinam, et a Jesu Dei filio in terras allatam. Nihil est in actibus et scriptis Apostolorum clarius expressum. Jam vero spectata Apostolorum indole totaque vitae ratione, certum est, 1° quod id asserere non potuissent, nisi ipsi fuissent de ea re plane persuasi; 2° quod ita persuasi esse non potuissent, nisi ita res fuisset. Ergo etc.

363. — Prob. I. pars. Quamvis discipuli Christi multum abfuerint a summa magistri sui perfectione; tantus tamen ex eorum vita virtutum omnium splendor effulget, ut necessario omnes in admirationem rapiat, qui oculos habent integros et sinceros, imprimis si hominum illorum ortus et prior vitae conditio spectetur. Quis enim non miretur illam commodorum omnium temporalium despicientiam, illum contemptum omnis terreni lucri, illam singularem modestiam et humilitatem, cum omnium oculos in se converterent? Quanto studio omnem a se gloriam removebant, Dei et Domini sui honori unice intenti! Quanta in sermone et in vita elucet pietas! Quantus erga Christum amor! Quanta in cruce Christi fiducia! Quanta in fideles charitas! Quanti labores; quanta ecclesiarum sollicitudo; quanta in tolerandis adversis fortitudo! Quantum gaudium, cum digni effecti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati! Non hic magno labore conquirendae sunt rarae quaedam et ad ostentationem compositae actiones; totus vitae tenor eosdem semper homines ostendit ab omnibus terrenis implicationibus liberos, et sola coelestia cogitantes; qui assidue in coelum defixi propriae felicitatis desiderio, alienae tantum utilitatis studio in terra retinebantur; labore,

---

que c'était que justice. Léonidas était mort pour son pays, avant que Socrate eut fait un devoir d'aimer la patrie. Sparte était sobre, avant que Socrate eut loué la sobriété. Mais où Jésus avait-il pris chez les siens cette morale élevée et pure, dont lui seul a donné les leçons et l'exemple? La mort de Socrate philosophant tranquillement avec ses amis, est la plus douce, qu'on puisse désirer. Celle de Jésus expirant dans les tourments, injurié, raillé, maudit de tout un peuple, est la plus horrible, qu'on puisse craindre. Socrate prenant la coupe empoisonnée bénit celui, qui la lui présente, et qui pleure. Jésus au milieu d'un supplice affreux, prie pour ses bourreaux acharnés. Oui, si la vie et la mort de Socrate sont d'un sage; la vie et la mort de Jésus Christ sont d'un Dieu." Celeberrimum illud Platonis dictum, de quo auctor loquitur, hoc est (Lib. II. de republ.): „Si vis hominis justi perfectam habere imaginem, finge tibi virum, qui quamvis justus sit, virtutis tamen laude careat; nè videatur sibi ex justitia nomen aut commodum quaerere. Sit rebus omnibus, quae hominum desideria accendere possunt, spoliatus, sola virtute retenta. Pateat malorum invidiae, ita ut omnium flagitiosissimus habeatur; sit illi virtus sola summa felicitas, ita ut in ea ad mortem usque constans perseveret, quamvis continuis persecutionibus exagitatus, flagellis caesus, vinculis onustus, extremo supplicio afficiatur, atque aut rotae impositus, aut cruci affixus in gravissimis tormentis spiritum effundat." Ad haec observat illustrissimus *Bossuetius* (Disc. sur l'histoire univ. II. partie chap. XIX. intitulé: *Jésus-Christ et sa doctrine)*: „Ne semble-t-il pas, que Dieu n'ait mis cette merveilleuse idée dans l'esprit d'un philosophe, que pour la rendre effective en la personne de son fils etc.?" Legi merentur *Sailers* Grundlehren der Religion XIX. Vorlesung. *Schwarz* Handbuch IV. Hauptst. Offenbarung durch Jesus.

cura, charitate homines, vitae sanctitate angeli. En, quos evangelium praecones habuit! En, quos vel improbos impostores dicere oportet, vel in iis, quae praedicarunt, veraces!

364. — Prob. II. pars. Nunquam Apostoli, quamvis ex rudi plebe homines fuerint, eousque dementiae pervenire potuissent, ut crederent, se a Christo ad praedicandum evangelium missos, nisi hanc legationem accepissent. Nunquam ita desipere potuissent, ut sibi persuaderent, gratiam Spiritus Sancti in eos delapsam, miram animis indidisse fortitudinem et rerum divinarum intelligentiam. Christus eos ad annuntiandum evangelium misit, cum certa expectatione omnium malorum temporalium, praedicens illis non una vice persecutiones et odia, et verbera, et ignominiam, et mortem. Ita magistrum suum e vivis decessisse viderant; haec eorum quoque sors, haec laborum merces fuit in hac vita. Verum haec omnia ita comparata sunt, ut animum gravi metu conturbent potius et terreant, quam ad credenda et suscipienda excitent, quae cum tantis periculis connexa sunt. Deinde ipsa Apostolorum plus quam humana constantia, praeclara, quae tum ex eorum publicis sermonibus, tum ex epistolis ab eis conscriptis elucet, sapientia et doctrina, ostendunt homines nullatenus fanaticos, aut in judicando praecipites, in credendo faciles, et vanas rerum species sectantes. Ergo etc. [1]).

1) Man sehe *Schwarz* Handbuch S. 137. und folgende. — Man halte das Verhalten der Schwärmer, heisst es §. 27., gegen jenes der Jünger Jesu, die ohnehin unter sich von ganz verschiedenen Charakteren und Temperamenten waren. Wild stürzt sich der Schwärmer der Verfolgung entgegen, seine Reden sind nicht von ruhiger Vernunft, sondern von erhitzter Einbildung eingegeben; und endlich sind es nicht sowohl Thatsachen, als Meinungen oder Erscheinungen, die er allein hatte, wofür er kämpfet. Wie ruhig hingegen sprachen die Apostel vor den Richterstühlen und der Versammlung des jüdischen Rathes? . . . Wie edel ist das Betragen des Paulus vor Agrippa?

Spricht einer so gewiss, mit so viel Kraft und Licht,
So zuversichtlich schön, als der Apostel spricht?

SOLVUNTUR OBJECTA.

365. — Obj. I. Si vita Christi et Apostolorum tot tantisque virtutum ornamentis instructa fuit, explicari non potest, cur nihilominus omnium in se odia concitaverint. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Quicumque in historia generis humani peregrinus non est, et quid in hominibus valeant inveterata praejudicia et pravae affectiones, perpenderit; is in hoc ipso odii illius rationem plusquam sufficientem inveniet, quod Christus et Apostoli, ut opus perficerent, quod ipsis injunctum fuerat, ubique veritatis et sanctae atque incorruptae religionis praecones fuerint, nulli errori, nulli superstitioni, nulli vitio parcentes. Lucem illam purissimam virtutis, quae ex omnibus Christi actionibus elucebat, ferre non poterat corruptissima aetas; facilius visum est improbis hominibus, justum e medio tollere, quia contrarius erat operibus eorum, quam ad ejus praecepta vitam componere. Quod apud Judaeos sacerdotum et Pharisaeorum invidia fecit, hoc apud paganos egit coecus antiquae religionis zelus, leges contra novas religiones statutae, foeda morum corruptio, falsae criminationes; pontificum, augurum, aliorumque ethnici cultus ministrorum invidia.

366. — Obj. II. 1° Paulus ad Rom. XV. declarat, se evangelium non praedicasse, ubi jam nominatus fuerat Christus, ne super alienum fundamentum aedificaret; ergo ipse aliud fundamentum posuit, quam caeteri Apostoli. 2° Actor. XXII. ait, se civem Romanum esse, cum tamen alibi ipse dicat, se ex Tharsi oriundum, quae urbs

est Ciliciae. 3° Actor. XXIII. in medio concilio exclamavit; *De spe et resurrectione mortuorum ego judicor.* Sed falsum est, eum hoc de crimine fuisse a Judaeis accusatum. 4° I ad Corinth. VII., ubi plura ordinat, quae ad usum et vinculum matrimonii pertinent, v. 12. ait: *Caeteris ego dico non dominus: siquis frater uxorem habet infidelem etc.* Ergo fatetur, se Dei nomine non agere. 5° Actor. XVI. Timotheum ipse circumcidit, nihilominus paulo post ad Galat. scribit cap. V.: *Si circumcidamini, Christus nihil vobis proderit.* Ergo ipse sibi contradicit.

Resp. ad I. neg. conseq. Nihil aliud ibi significat Apostolus, quam se noluisse evangelium annuntiare, ubi Christus jam nominatus erat: seu, ut v. seq. dicitur, ubi non est annuntiatum de eo; ut scilicet veritas citius diffunderetur et cuncti populi verae religionis luce collustrarentur.

Ad II. Utrumque dicit Apostolus se Tarsensem esse et civem Romanum. Quomodo autem id tam confidenter et palam potuisset profiteri, si utrumque simul esse non potuisset? Certum est, urbem Tharsin civitatis Romanae privilegium obtinuisse; multi autem inter eruditos id ante S. Pauli tempora contigisse existimant.

367. — Ad III. Resp. 1° Apostolus, cum adhuc Judaeus esset, ad sectam Pharisaeorum pertinuit, neque cum Christi Apostolus factus est, cessavit ubique praedicare resurrectionem mortuorum, quod vehementer displicere debuit Sadducaeis, qui, ut videtur, inter ejus accusatores omnium erant ardentiores. 2° Ex Apostoli doctrina apparet, eum dogma de resurrectione mortuorum a Christi resurrectione nunquam separasse. Haec autem apud Judaeos praecipua causa erat odii, quod Christum, quem ipsi cruci affixerant, resuscitatum diceret. Porro Paulus hac defensione Sadducaeos et Pharisaeos, qui in ejus perniciem conjuraverant, inter se commisit. Quod prudenter factum est neque reprehendendum, cum salva veritate fieri potuerit.

Ad IV. neg. conseq. Vel Paulus consilium tantum dare voluit; et tunc sensus est: caeteris ego suadeo, cum Dominus id non praeceperit. Vel ita verba intelligi debent: ego id dico tanquam a Deo inspiratus, quamvis Deus per se ipsum nec in veteri, nec in nova lege de hac re aliquid statuerit.

Ad V. neg. conseq. Timotheus ex matre Judaeus erat: ideo Paulus *propter Judaeos, qui erant in illis locis,* eum circumcidi voluit, quia caeremoniae legis adhuc licitae erant; sed circumcisionem ad salutem necessariam nec credidit, nec docuit. Ideo Galatas reprehendit, quod in circumcisione spem salutis collocarent, quasi ex lege esset justitia. Ita explicanda verba illa capitis V.: *Si circumcidamini etc.*

368. — Obj. III. 1° Quae Act. V. de Anania punitione leguntur, S. Petri charitatem et mansuetudinem parum commendant. 2° Idem Apostolus a Paulo Antiochiae publice correptus est, quia reprehensibilis fuit, ut ad Gal. II. legitur.

Resp. ad I. neg. ant. Jam olim Porphyrius S. Petrum saevitiae et caedis arguit, quod Ananiam occidisset. Sed male omnino commentita est accusatio haec. Si mors Ananiae naturalis fuit, non fuit ergo a Petro occisus: si divinitus inflicta in poenam peccati, in Deum ipsum cadit accusatio. Stultum esset homini imputare, quod hominis opus esse non potest; vindicta autem a Deo ipso illata, sicut opus quodcunque, quod Deum auctorem habet, excusatione non indiget: sed habet in se ipso recti justique rationem. Vide *Stolberg* VI. Band S. 42.

Ad II. neg. conseq. Petrus in eo, quod Antiochiae contigerat, reprehensibilis esse potuit, quin exinde maculam sanctitas ejus contraheret; error levis omnino fuit et in se excusabilis. Ideo tantum reprehensione dignum judicavit S. Paulus, quia non sine ratione

timuit, ne illa Petri simulatio gentibus scandalum pareret, easque a religione Christiana averteret. Caeterum non parum in hac Pauli reprehensione elucet S. Petri humilitas et alienus ab omni naturali commotione animus.

ARTICULUS III.

Probatur religionis Christianae divinitas ex prophetiis.

369. — Christianae religionis excellentiam nullus aequus rerum aestimator inficiari potest. Deistae ipsi non semel rei evidentia coacti tum religionem ipsam, tum illum, cui tantum donum acceptum referimus, magnis laudibus extulerunt atque ingenue confessi sunt, quod sicut variarum gentium religiones comparari non possunt Christianae, sic et omnes antiquarum gentium sapientes multum distent ab illa coelestis sapientiae forma, quam Christus in tota sua vita expressit. Ex his deberent nobiscum concludere, quod, si in aliarum religionum systematibus ratio humana, quid possit, experta sit; Christiana religio humanae intelligentiae foetus esse non possit, sed signa ferat splendidissima coelestis originis: *A summo coelo egressio ejus*[1]).

Verum ad hanc usque cognitionem non assurgunt superbae philosophiae sectatores, quos hic impugnamus. Quamvis etiam ad eos non pertineant, qui religionem sanctissimam et in humani generis bonum satam, auctoremque ejus Christum diro odio insequuntur et conspuunt fanatico furore; eam tamen, quam ipsis deberent, reverentiam non profitentur, satis ducentes, si Christum inter viros sapientes numerent, et religionem ab ipso revelatam praeclaram dicant et utilem. Quoniam igitur homines isti, qui se philosophos dicunt, divino, qui ex Christi persona elucet, splendore non commoventur, neque tam exquisitos habent rerum divinarum sensus, ut religionem Christianam ex propriis oris lineamentis, et impressa fronti majestate ut divinam sobolem agnoscant; addenda sunt alia majoris adhuc ponderis argumenta ex notis externis et supernaturalibus petita, quae tam aperta sunt, tam accommodata ad convincenda etiam obtusa ingenia, ut nullum relinquant religionis hostibus effugium. Et primum quidem de vaticiniis, ut dictum est, agemus, sequenti articulo de miraculis tractaturi. Vaticinia, quae ad defensionem causae Christianorum afferri possunt, duplicis generis sunt; alia ex V. T. petita, quae in Christo Jesu impleta sunt; alia, quae in N. T. a Christo ipso edita leguntur.

1) *Psalm.* XVIII, 7.

§. I.

De vaticiniis V. T., quae in Christo Jesu impleta sunt.

370. — Prophetiae ex V. T. desumptae primum quidem ad convincendos Judaeos vim maximam habent, deinde etiam contra Deistas argumentum non leve suppeditant; quia probant Christum Dei legatum fuisse ac divino charactere insignitum, quem spernere non possumus, nisi spernamus et patrem, qui misit eum. Quoniam supra jam probatum est, abrogationem legis Mosaicae per Messiam fieri debuisse, sequitur, omnes prophetias, quae probant Christum Jesum Messiam esse Judaeis promissum, etiam divinam legis ejus originem probare. Hae autem prophetiae vel tempus respiciunt, quo venire debuit Messias, vel Messiae characteres, vel individuas notas tum personae, tum vitae.

PROPOSITIO I.

Prophetiae, quae tempus Messiae respiciunt, in Jesu Nazareno impletae sunt.

Argumentum I.

Ex vaticinio Jacobi Genes. XLIX.

371. — Tempus adventus Messiae jam diu effluxisse Sect. I. Art. III. ex

Jacobi vaticinio probavimus: atqui Messias ille alius esse non potest, quam Jesus Nazarenus. Ergo etc.

Prob. Ex Jacobi morientis oraculo apertum est, Messiam eo tempore venire debuisse, quo sceptrum erat a Juda auferendum, seu antequam penitus dissolveretur Judaeorum natio; atqui tunc praecise apparuit Jesus Nazarenus. Jam sceptro seu suprema regni potestate privati erant Judaei, jam Herodes alienigena regnum Judaeae a senatu et populo Romano acceperat, cum Jesus in Bethlehem natus est. Paulo post Herodis mortem Judaeae regio Ascalonitis erepta et in provinciam Romanam redacta est. Mortuo autem Christo tota Judaeorum natio multo magis ad exitium properavit, ita ut triginta octo post annis tota eorum constitutio incenso templo et diruta urbe eversa fuerit. Ergo tempus adventui Messiae a prophetia praefinitum cum tempore Jesu Nazareni accurate concurrit. Ergo in nullo alio quam in Jesu Nazareno impleta est. Hic scilicet, dum in terris viveret, se Messiam esse publice professus est, hic a magna parte nationis ut talis agnitus fuit; hic innumeris prodigiis se Dei legatum esse probavit; in hoc inpletum est, quod in vaticinio additur: *Ipse erit expectatio gentium*, vel ut habet textus Hebraicus: *Et ei erit obedientia populorum*, et Samaritanus: *Ad ipsum congregabuntur populi.*

Argumentum II.

Ex vaticinio Danielis IX.

372. — In Danielis vaticinio tempus adventus Messiae clare exprimitur. Occidendus erat Christus, antequam civitatem et sanctuarium dissiparet populus cum duce venturo, et quidem ita dissiparet, ut statuta esset et perpetua desolatio. Atqui nullus alius nominari potest, qui eo tempore advenit, et cui omnes characteres in prophetia expressi possint applicari, quam Jesus Nazarenus. Ergo etc.

Prob. min. De Christo duce in Danielis vaticinio dicitur, quod occidendus sit, et non sibi; negandus a populo non suo; quod eo adveniente adducenda sit justitia, delendum peccatum, implenda visio et prophetia. Dicitur civitas post ejus mortem dissipanda cum templo, et desolatio usque in finem duratura. Verum quam accurate haec in Jesu impleta sint, nemo non videt. Illi enim *Christi* nomen per excellentiam tribuitur. Actor. IV, 26. et 27.: *Adstiterunt reges terrae, et principes convenerunt adversus Dominum et adversus Christum ejus. Adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti.* Ille occisus est et non sibi; nam propter scelus populi percussus est. Ille delevit peccatum et justitiam adduxit, cum *dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate*[1]; cum paganismi abominandos cultus sustulit et sanctam instituit religionem, quae jam per octodecim fere saecula immota consistit. Hanc negarunt Judaei, nec voluerunt populus ejus esse, aut dici; et cum Pilatus Jesu oras adducto dixisset: *Ecce rex vester;* clamabant illi: *Tolle, tolle, crucifige eum.* Hujus demum mortem cruentam secuta est civitatis et templi ruina, et ultra mille septingentos jam annos perdurans desolatio. Ergo etc.

Argumentum III.

Ex vaticiniis Aggaei et Malachiae.

373. — Quae Aggaei II. et Malachiae III. de Messia et tempore adventus ipsius dicuntur, nulli, nisi Christo Jesu, convenire possunt. Hic enim in mundum venit, stante adhuc secundo templo, cui sua praesentia decus attulit maximum. In eo praesentatus est, in eo docuit et miracula edidit, in eo summam muneris sui prophetici auctoritatem exercuit. Ipsius adventu mare et aridum, coelum et terra commota sunt, tum per innumera prodigia ab

1) *Tit.* II, 14.

ipso aut discipulis ejus effecta, tum quam maxime per evangelii propagationem, populorum conversionem, et subitam animorum commotionem per totum orbem exortam. Ergo etc

OBJECTA SOLVUNTUR.

374. — Obj. contra I. argum. Tempus in vaticinio Jacobi indicatum non concordat tempori, quo Jesus Nazarenus in terris visus est. Ergo etc.

Prob. ant. Sceptrum in Juda defecit tempore captivitatis Babylonicae, id est plus quam 500 ante Jesum annis. Ergo etc.

Resp. neg. ant. 1° Septuaginta tantum fuerunt captivitatis Babylonicae anni, et si a regis Sedeciae translatione inchoantur, tantum 49 numerantur usque ad restitutam libertatem. Jam vero, etiamsi admitteretur, sceptrum eo tempore in Juda non fuisse; brevissimum ejusmodi intervallum interruptio tantum regni fuisset, non extinctio; praesertim cum Judaei de regni restitutione certiores facti fuerant per Prophetas. 2° Per sceptrum non regia tantum dignitas intelligitur, sed dominatus quilibet, sive administratio, qua aliquis sui juris est, suisque legibus vivit, non alienis. In hoc ergo Jacobi vaticinio per vocem *Schebet* optime intelligi potest sceptrum *tribunale*, vel auctoritas tribus constitutiva. Jam vero hanc auctoritatem, hoc sceptrum retinuit tribus Juda etiam apud Assyrios captiva. Id liquet ex historia Susannae, Daniel. XIII. et libro Esther XVII, ubi Judaei dicuntur justis utentes legibus. Eadem civilis potestas, eadem facultas suis legibus suisque magistratibus utendi soluta captivitate in tribu Juda permansit. Haec sola ferme in patrias sedes remeavit, atque proprie corpus constituit Judaicae nationis. Hinc nomen *Judaeae* toti regioni inditum fuit, et tribus Benjamin aliarumque tribuum reliquiae nomen suum amiserunt, solo Judaeorum nomine retento.

375.— Inst. I. Tempore Machabaeorum *Assamonaei* duces ex tribu Levi oriundi rerum potiti sunt ducentis fere ante Christum annis. Ergo auctoritas a Juda ablata est.

Resp. Judaei ex captivitate reduces instituerunt eam *reipublicae formam, quae optimatum est, paucorum potestate mixta*, ut Josephus ait[1]). Vel, ut Hieronymus scribit[2]), antiquum receperunt statum; eum scilicet, quem habuerunt, antequam sub regum potestate essent. Haec regiminis forma etiam sub Assamonaeis ducibus mansit: nam populus libere eos sibi duces elegit, et rerum publicarum administratio semper ad senatum et populum potissimum pertinebat. Id ex Josepho constat[3]) et ex Machabaeorum libris. Sic II Mach. II. Antiochus ad Judaeos scribit: *Rex Antiochus senatui Judaeorum et caeteris salutem.*

376. — Inst. II. Saltem sub Herode, qui fuit alienigena, neque a populo electus, sceptrum a Juda ablatum est; sed eo tempore unctus nondum erat Christus. Ergo etc.

Resp. I. Quorundam sententia est, jam tum prophetiam impletam fuisse, et sceptrum a Judaeis ablatum; idque certum populo indicium fuisse, non procul abesse Messiae adventum. Dicunt interpretes illi, nihil aliud ex Jacobi vaticinio concludi posse, quam quod Messiae adventus non longe possit a regni aut civitatis destructione abesse, ita ut certum sit, vel ablato sceptro statim venturum esse Messiam; vel post Messiae adventum brevi intervallo secuturam gentis et civitatis ruinam. Prima interpretatio textui quidem non repugnat, sed aliis multis et gravibus difficultatibus implicita est. Secunda multo videtur probabilior, eamque nostram facimus.

Resp. II. neg. maj. Verum quidem

1) Lib. VII. Antiq. cap. IV. 2) Lib. in Isaiam cap. I. 3) Lib. I. de bello Jud. cap. I.

est, jam tum potestatem regiam a Judaeis ablatam fuisse, eorumque rempublicam vehementer fuisse labefactatam. Verumtamen extincta non erat omnino principum et senatus auctoritas; quae etiam sub Romanis procuratoribus perduravit, quamvis in multis restricta et impedita. Ergo ea auctoritas, quam Patriarcha Jacob per *Schebet, virga* aut *sceptrum* expressit, extincta non est, nisi post excidium Jerosolymae; usque ad ea tempora natio, seu tribus Juda, in tribus corpore permansit et civitatem seu statum peculiarem constituit. Quod autem per vocem *Schebet* sceptrum *tribunale*, vel forma tribus constitutiva intelligi debeat, jam supra dictum est, et ex pluribus V. T. locis clarum efficitur. Sic III Reg. XI, 13., ubi in Vulgata legitur: *Nec totum regnum auferam, sed tribum unam dabo filio tuo*, in Hebraeo pro tribu vox *Schebet* legitur, in Graeco autem dicitur: *sceptrum unum*. Vide etiam I Reg. X. v. 19. et 20. Hac ratione omnia cum Jesu Nazareni adventu mire concordant. Ultima Judaeorum ruina incepit sub Pompejo, 60 circiter ante Christum annis; sub Herode nova incrementa accepit: hoc autem regnante natus est Jesus. Ab hoc tempore magis semper magisque attritae sunt res Judaeorum, et praecipiti cursu in interitum ruerunt. A tempore, quo Christus e vivis sublatus est, usque ad ultimum excidium, reipublicae Judaicae status nihil aliud fuit, quam longa cum morte luctatio; cum interea lex nova cresceret, et ecclesia in locum synagogae substituta majores in dies vires acquireret.

377. — Obj. contra II. argum. Ut probaretur prophetiam Danielis in Jesu filio Mariae completionem habuisse, ostendendum esset ex calculis chronologicis, LXX hebdomades, quae annos efficiunt 490, ad illud praecise tempus pertingere, quo Jesus occisus est. Atqui hoc probari hucusque non potuit. Ergo etc.

Resp. neg. maj. Quamvis leves aliquae in chronologicis calculis difficultates adessent, vim argumenti nostri non infringerent; non enim ab incertis chronologiae quaestionibus dependet probatio nostra. Manifestum est ex verbis prophetiae, vastitatem brevi tempore occisionem Messiae secuturam esse; constat quoque, Jesum Nazarenum 29 annis ante devastatam Jerosolymam et dispersum populum a Judaeis occisum fuisse: constat in ejus persona omnes alios a Daniele expressos Messiae characteres reperiri. Certum praeterea est ex Josepho, Judaeos eo tempore, quo Jesus mortuus est, Messiam expectasse, quia persuasum illis erat, Danielis vaticinium esse completum. Nihil igitur morari nos debent dubia quaedam chronologica, quae eruditorum ingenia exercent, et occasionem dederunt variis in explicanda prophetia opinionibus; siquidem omnes, si unum aut alium commentatorem excipias, in hoc conveniunt, quod praefatum vaticinium dicant in Jesu Nazareno impletum. *Dieu a tranché la difficulté*, dicit Bossuet.[1]), *par une décision, qui ne souffre aucune réplique. Un événement manifeste nous met au-dessus de tous les raffinements des chronologistes; et la ruine totale des Juifs, qui a suivi de si près la mort de notre Seigneur, fait entendre aux moins clairvoyans l'accomplissement de la prophétie.*

378. — Resp. II. neg. min. Id probarunt viri in historia et chronologia versatissimi: *Petavius, Tourneminius, Huetius, Usserius, Bossuetius*, etc. En summam systematis, quod ab illust. *Bossuetio* expositum est parte I. hist. univ.[2]). Anno Artaxerxis Longimani vigesimo perrexit Nehemias Jerosolymam cum litteris a rege acceptis, coepitque aedificare muros civitatis. Ab hoc anno Artaxerxis initium sumitur

1) Discours sur l'histoire univ. partie II. chap. IX. 2) Hist. univ. I. Art. X. époque.

LXX hebdomadum. Jam vero annus Artaxerxis vigesimus in finem incidit LXXXI. Olympiadis, vel in annum ab Urbe condita CCC. Omnis fere difficultas in hujus epochae determinatione consistit. *Bossuetius* illam ex probatissimis auctoribus eruit; hac autem semel stabilita facillimum est, calculum instituere. Ab anno XX. Artaxerxis, seu ab anno Urbis conditae CCC. usque ad Christum natum effluxerunt anni 453; quibus si adjiciantur 30 anni usque ad ministerium publicum Christi anno XV. Tiberii Caesaris inceptum, efficiuntur 483, seu hebdomades septem et sexaginta duae. Manet ergo ultima hebdomada, in qua confirmari debuit pactum; in cujus medio deficere debuit hostia et sacrificium; haec si annis 483 additur, conficiet numerum 490 annorum. Sed in medio hujus hebdomadis post tres annos cum dimidio ministerii publici occisus est Jesus, qui vocabatur Christus [1]).

1) In ea sententia, quam ex *Bossuetio* attulimus, necesse est, annum Artaxerxis XX. in annum mundi 3550 ponere, quod ubi semel assumitur, facile est hebdomadum computatio. *Bossuetius* et qui cum eo sentiunt, testimoniis nituntur vetustissimorum auctorum, nempe Thucydidis, Charonis Lampsaceni, annalium Persicorum, Cornelii Nepotis et Eusebii, ex quibus apparet, Themistoclem per Ostracismum ab Atheniensibus expulsum litteras dedisse ad Artaxerxen recens regnantem. Jam vero Eusebius in Chronico Themistoclis exilium ponit in ultimum annum 76. Olympiadis, seu annum ab Urbe condita 280. In hoc Eusebius iterum innititur auctoritati Thucydidis scriptoris exactissimi et Themistocli coaevi, Charonis et annalium Persicorum. Posito nunc quod Artaxerxes regnare coeperit anno U. C. 280, sequitur vigesimum regni Artaxerxis annum incidere in quartum 81. Olympiadis, ab Urbe condita 300, seu annum mundi 3550. Porro si aliorum scriptorum auctoritate convicti admittimus Themistoclem non ad Artaxerxen sed ad Xerxen scripsisse; facile tollitur difficultas, si Artaxerxes dicatur duplex habuisse regni initium. Primum quando a patre suo in consortium regni pluribus ante mortem annis assumptus fuit; secundum, quando patre mortuo solus regnavit. Hoc enim apud Persas in more positum fuisse dicitur, ut reges, antequam ad bellum proficiscerentur, regni successorem designarent. In hac hypothesi annus vigesimus Artaxerxis, quo edictum de restauranda urbe dedit, a prima ejus coronatione numerandus esset.

1) Lib. XV. Antiq.

379. — Obj. contra III. argum. Jesus a Nazareth in templo secundo seu Zorobabelico praesentatus non est; ergo in eo impleta non est Aggaei prophetia.

Prob. ant. Teste Josepho [1]) vetus templum *sublatis veteribus fundamentis* dirutum fuit ab Herode et aliud *novis repositis* aedificatum. Ergo etc.

Resp. Templum vetus ab Herode intra octo annorum spatium successive et per partes instauratum, imo amplificatum et magnifice exornatum fuisse, non negamus. Verum novum templum non extruxit; et Judaei nunquam templi Herodiani meminerunt. Duo tantum agnoscunt, Salomonicum et Zorobabelicum; in Talmude aliisque scriptis constanter asseverant, secundum templum a Romanis fuisse eversum.

PROPOSITIO II.

Prophetiae, quae futuram legis Mosaicae abrogationem praedicunt, in Christo Jesu impletae sunt.

380. — Prob. Legem antiquam temporariam fuisse, et per novam melioremque abrogandam, ex illis V. T. vaticiniis probavimus, quae 1° foedus novum in locum veteris substituendum, 2° sacrificiorum abolitionem, et futuram sacerdotii translationem, 3° populorum in unius verae religionis cognitione consociationem praedicunt. Ibidem probavimus in prophetarum oraculis contineri, haec omnia per magnum istum ducem aut Messiam efficienda esse, quem tota Judaeorum natio nullo non tempore exspectavit. Itaque probandum superest, Jesum a Nazareth Messiam illum fuisse, et in eo omnia illa vaticinia fuisse completa.

381. — 1° Jesus magnus ille Propheta fuit a Moyse praedictus, legislator et melioris testamenti mediator. Prophetam se probavit, cum ipse plures prophetias edidit eventu completas; talem eum a populo habitum fuisse ex evangelio constat. Joan. VI, 14.: *Illi homines, cum vidissent quod fecerat Jesus signum, dicebant, quia hic est vere Propheta, qui venturus est in mundum.* Actor. III. S. Petrus verba ex Deut. XVIII. a nobis superius allata de Jesu Naz. interpretatur. Quod Jesus novam legem annuntiaverit, neminem latere potest; quod illa lex tum in parte theoretica, tum in vitae et morum praeceptis longe sit Mosaica excellentior, ex utriusque comparatione elucet. Novi ille testamenti angelum, novi foederis mediatorem se dixit vivens, et moriens probavit. Sic in ultima coena sanguinem suum discipulis porrigens dixit: *Hic est sanguis meus novi testamenti.* Matth. XXVI. De novo hoc foedere, cujus sequester Jesus fuerat, saepe loquuntur Apostoli. *Qui nos idoneos fecit ministros novi testamenti.* II Cor. III. *Melioris testamenti sponsor factus est Jesus;* ad Hebr. VII, 22. atque imprimis Hebr. VIII, 6. usque ad finem. Idem argumentum versat Apostolus cap. IX. ejusdem epistolae, ubi ostendit, Christum novum hoc testamentum morte sua confirmasse. *Ubi enim testamentum est, mors necesse est intercedat testatoris; alioquin nondum valet, dum vivit, qui testatus est,* v. 16. et 17.

382. — 2° Sacrificia V. L. abolita fuisse, translatumque sacerdotium per Jesum Nazarenum, fides Christiana docet. Sacrificia abolevit, cum seipsum obtulit pro peccatis nostris. Ad Hebr. X.: *Holocautomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: Ecce venio. Aufert primum, ut sequens statuat.* Sacerdotium novum instituit, quum extincto ritu Aaronico ipse *appellatus est a Deo Pontifex juxta ordinem Melchisedech.* Hebr. V. Quod autem mors ejus et rejectio perpetuam civitatis et templi ruinam adducturae essent, ipse flens praedixit Luc. XIX.: *Si agnovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad pacem tibi etc.*

383. — 3° Nihil est in V. T. clarius et frequentius a Prophetis praenuntiatum, quam gentium vocatio ad verae religionis cognitionem. At nihil quoque est in lege nova clarius crebriusque expressum, quam haec gentium vocatio per Jesum Nazarenum; et si sacrae litterae silerent, facta ipsa et orbis universus loquerentur. Itaque illud, quod futuri Messiae characterem praecipuum efficere debuit, in Jesu Christo apertissimum est, et tot habet testes, quot fere ab eo tempore extiterunt Christiani. Id Jesus vivens praedixerat: *Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus.* Matth. XXIV. Id Apostolis suis, antequam ad patrem ascenderet, injunxit: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.* Marc. XVI. Quam accurate Apostoli haec magistri praecepta perfecerint; quanto imprimis animi ardore S. Paulus creditum sibi inter gentes Apostoli munus impleverit, ex Actibus Apostolorum aliisque libris N. T. et ecclesiarum historiis abunde cognoscimus. Vide *Huet.* prop. IV. cap. 158.

384. — Huc referri possunt, quae Prophetae de futuro Messiae regno vaticinati sunt. Non enim gentium more dominaturum dicebant in populos vi et armis subactos: sed regnum annuntiarunt multo excellentius, quod animos subderet religionis et virtutis imperio. Tale autem regnum spirituale et aeternum Jesus Nazarenus fundavit. Ipse enim omnes gentes imperio suo subjecit, diffuso per totum orbem evangelio. Ipse ecclesiam constituit ex omnibus undique populis congregatam, cujus ipse caput esset invisibile, cui se adfuturum usque ad finem saeculorum promisit. De hoc regno locutus est An-

gelus Luc. I. ad Mariam dicens: *Hic erit magnus et filius Altissimi vocabitur, et dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Jesus ipse interrogatus a Pilato: *Ergo rex es tu?* respondit: *Tu dicis, quia rex sum ego.* Joan. XVIII. 37. Caeterum non tantum Christus de hoc regno locutus est, sed et Apostoli frequenter et magnifice Jesu Domini nostri gloriam et potestatem praedicant, quam ipsi dedit pater non solum in hoc saeculo, sed etiam in futuro, omnia subjiciens sub pedibus ejus, et ipsum constituens caput supra omnem ecclesiam. Ad Ephes. I, 20. 21. et 22.

OPPONUNT ADVERSARII.

385. — Imago illa regni spiritualis et aeterni, quam Christiani sibi effinxerunt, omnino aliena erat a mente Prophetarum; hi enim de regno tantum terrestri loquuntur a Messia in omnes gentes proferendo, et inde secutura summa Judaicae gentis temporali felicitate. Ergo prophetiae, quae Messiam ut regem annuntiant, in Jesu Nazareno non sunt impletae.

Resp. neg. ant. et ejus prob. Equidem inter Prophetarum vaticinia quaedam leguntur, quae, si in verborum cortice haeremus, regnum aliquod temporale praenuntiare videntur. Verum omnes illi textus etiam in sensu perquam naturali de regno spirituali intelligi possunt; atque, ut ita intelligantur, cogunt alii textus, qui aperte regnum spirituale promittunt; cogunt alii Messiae characteres, qui cum illo temporali regno componi non possunt; cogit ipsa sana ratio et idea, quam de supernaturali Dei oeconomia habere debemus. Quis enim sibi persuadeat, tantum vaticiniorum apparatum, tot solemnes et toties repetitas promissiones, tot praeclaras futuri Messiae imagines, nihil aliud significare, quam copiam et affluentiam bonorum temporalium, et non potius veritatis et justitiae propagationem et beatam immortalitatem? Regnum Messiae in omnes terrae partes extendi debuit. Messias semper ut rex unicus designatur sine successoribus; et nihilominus regnum ejus sempiternum praedicitur. Tam parum haec cum temporali regno concordant, ut etiam sapientiores inter Judaeos et in lege exercitatiores, imprimis veteris synagogae, aliam sententiam tenuerint ab illa vulgari opinione regni temporalis diversam. Vide *Hooke* Tom. II. pag. 475. et seq.

PROPOSITIO III.

Omnes prophetiae, quae Messiae ortum, nativitatem, vitae et mortis circumstantias, ejusque post mortem exaltationem praedicunt, in Jesu Nazareno impletae sunt.

Prophetiae de ortu et nativitate Christi.

386. — I. Messias Deus esse debuit et homo. Deus ab aeterno a patre genitus, homo in tempore natus. Divinam ejus naturam probant tum nomina, quae illi attribuuntur, tum ejus origo ab aeterno e sinu patris. Psalm II, 7. *Dominus dixit ad me: filius meus es tu, ego hodie genui te.* Mich. V, 2. *Egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis.* Verum autem hominem fore, omnes antiquae prophetiae loquuntur. Genes. III. dicitur semen mulieris. Praedicitur oriundus ex Abrahamo, Isaaco et Jacobo, ex Juda et Davide. Multa quoque Prophetae de ejus nativitate, passione, morte et resurrectione praenuntiarunt, quae tantum in hominem cadere possunt.

Jam vero certum est, Jesum Nazarenum verum Deum et hominem se probasse; atque ut talem a suis habitum fuisse. Quoniam alio loco hac de re diffusius disserendi occasio erit, sufficiant hic, quae dilectus a Jesu discipulus in evangelii sui exordio habet: *In principio erat verbum, et verbum erat apud Deum, et Deus erat verbum.... Et verbum caro factum est.*

387.—II. Praenuntiatum est, Messiam oriturum ex semine Abrahae, Isaaci,

Jacobi, Judae et Davidis. Infinita sunt eo pertinentia vaticinia. Isai II. *Orietur virga de radice Jesse.* Jerem. XXIII. *Ecce dies venient; et suscitabo David germen justum: et hoc est nomen quod vocabunt illum: Dominus justus noster etc.*

At Christus Jesus juxta consentientem omnium discipulorum vocem, et genealogias ab ipsis contextas e stirpe regia Davidis ortus est.

III. Messiam ex virgine nasciturum cecinit Isaias in celebri illa prophetia cap. VII, 14.: *Ecce Virgo concipiet, et pariet filium, et vocabitur nomen ejus Emmanuel.* Jesum Nazarenum ex Maria virgine natum esse, evangelium docet: *Matth.* I, 20. et seq. *Luc.* I, 35.

IV. Constabat apud Judaeos tum ex veteri traditione, tum ex prophetia *Mich.* cap. V., Messiam in Bethlehem nasciturum. *Et tu Bethlehem Ephrata parvulus es in millibus Juda; ex te mihi egredietur, qui sit dominator in Israël; et egressus ejus ab initio a diebus aeternitatis.* Jesu Christi nativitas in Bethlehem contigit, ut *Matth.* II. et *Luc.* II. narratur.

Prophetiae de vita Christi.

388. — I. Messias praecursorem habebit ex solitudine egressum. Isaiae XL. *Vox clamantis in deserto, parate viam Domini.* Malach. III. *Ecce ego mitto angelum meum, et praeparabit viam ante faciem meam.* Haec in Jesu impleta fuisse omnibus manifestum est.

II. Evangelium praedicabit Isai. XI. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit dominus me, ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, et praedicarem captivis indulgentiam ... et praedicarem annum placabilem Domino.* Haec verba de se ipso interpretatus est Jesus *Luc.* IV, 18 et seqq. Quam vere id fecerit, historia evangelica probat.

389. — III. Oportebat Messiam miraculis confirmare doctrinam suam, imo Moysis miracula suorum splendore multum superare juxta Judaeorum olim, et nunc maxime communem opinionem, consentienter etiam multis prophetiis. Sic Isai. XXXV. *Deus ipse veniet, et salvabit vos: tunc aperientur oculi coecorum et aures surdorum patebunt; tunc saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum.* His verbis non tantum potestas patrandi miracula exprimitur, sed et genus ipsum miraculorum, quod futuro redemptori et servatori hominum imprimis conveniebat. Talia autem erant Jesu Nazareni miracula plena miserationis et gratiae. Vid. *Matth.* XI, 4 et 5.

IV. Ingressum Messiae triumphalem in Jerusalem super asinam praedictum legimus Zachariae IX. *Exulta satis filia Sion, jubila filia Jerusalem; ecce rex tuus veniet tibi justus et salvator. Ipse pauper et ascendens super asinam et super pullum filium asinae.* Praedictionis hujus impletio legi potest apud omnes Evangelistas.

390. — V. Humilem et pauperem Messiae vitam ejusque mansuetudinem Prophetae plures annuntiant. Zach. IX. *Ipse pauper et ascendens super asinam.* Isai. LIII. *Ascendet sicut virgultum coram eo, et sicut radix de terra sitienti, non est species ei neque decor, ... quasi absconditus vultus ejus et despectus, unde nec reputavimus eum.* Isai. XLII. *Ecce servus meus ... non clamabit, nec audietur vox ejus foras: calamum quassatum non conteret, et linum fumigans non extinguet; non erit tristis, neque turbulentus.* At Jesum Nazarenum pauperem et humilem vitam egisse omnes concedunt: incredibilem vero ejus mansuetudinem tota ipsius vita testatur. Vid. *Luc.* IX, 38. *Matth.* XI, 39.

Prophetiae de passione et morte Christi.

391. — Nihil ab imagine, quam sibi posteriorum temporum Judaei de Messia effinxerunt, magis abhorret, quam

mors Jesu Nazareni, et quae eam comitata sunt opprobria et cruciatus. Quod autem Judaeis a prima Christianae religionis origine scandalum fuit, id gentibus stultitia visum est. Scilicet homines rerum inanium blandimentis impliciti, et corpori ac sensibus servientes, aliam sibi felicitatis et summae excellentiae ideam fingere non poterant, quam potestatis temporalis et rerum omnium in hac mortali vita affluentiam. Ut autem animalem hanc sapientiam confunderet Deus, et animos nostros firmaret in fide Christi, omnes passionis et mortis ejus circumstantias diu ante eventum tam clare praenuntiavit, ut ex Prophetis confici posset tota Jesu patientis et morientis historia, illi, quam Evangelistae scripserunt, in omnibus similis. Cum haec Evangelistarum narratio satis superque nota sit omnibus; satis erit praecipua Prophetarum oracula afferre.

1° Messiam a discipulo prodendum praedicitur Ps. XL.: *Etenim homo pacis meae, in quo speravi, qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.*

2° Ejusdem venditio in istis Zachariae verbis continetur cap. XI.: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos; et dixit dominus ad me: projice illud ad statuarium. Decorum pretium, quo appretiatus sum ab eis!*

3° A suis deserendum idem Propheta vidit cap. XIII.: *Percute pastorem, et dispergentur oves.*

4° Accusatus obmutescet, Isai. LIII.: *Oblatus est, quia ipse voluit, et non aperuit os suum; sicut ovis ad occisionem ducetur, et quasi agnus coram tondente se obmutescet.*

5° Sputa et contumelias perferet, Isai. L.: *Corpus meum dedi percutientibus et genas meas vellentibus; faciem meam non averti ab increpantibus et conspuentibus in me.* Thren. III.: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.*

392. — 6° A Judaeis et gentibus simul damnabitur. Psl. II.: *Adstiterunt reges terrae et principes convenerunt in unum, adversus Dominum, et adversus Christum ejus.*

7° Cruci affigetur, Psl. XXI.: *Concilium malignantium obsedit me, foderunt manus meas et pedes meos; dinumeraverunt omnia ossa mea.* Zach. XVI.: *Quid sunt plagae istae in medio manuum tuarum?*

8° Mortem obibit inter iniquos Isai. LIII.: *Tradidit in mortem animam suam et cum sceleratis reputatus est.*

9° Deridebitur a praetereuntibus Psl. XXI.: *Ego autem sum vermis et non homo, opprobrium hominum et abjectio plebis. Omnes videntes me deriserunt me, locuti sunt labiis et moverunt caput; speravit in Domino, eripiat eum, salvum faciat eum, quoniam vult eum.*

10° Felle et aceto potabitur Psl. LXVIII, 22.: *Dederunt in escam meam fel, et in siti mea potaverunt me aceto.*

11° Latus ejus aperietur Zach. XII.: *Aspicient ad me, quem confixerunt.*

12° In vestes ejus sortes mittentur Ps. XXI.: *Diviserunt sibi vestimenta mea, et in vestem meam miserunt sortem.*

13° Morietur et sepelietur Isai. LIII.: *Dabit impios pro sepultura* (i. e. custodes sepulchro appositos), *et divitem pro morte sua* (Josephum ab Arimathia, *Matth.* XXVII.). Idem textus ex Hebraeo sic verti potest: *Et posuit cum impiis sepulchrum ejus, et cum divite monumentum ejus.* Quod significaret, Christum quidem in eo loco sepeliendum, in quo impii plectebantur, sed tamen in monumento hominis divitis.

14° Demum quod non sint confringenda ejus crura significatum est hac lege de agno paschali: *Os ejus non confringent.* Numer. IX, 12.

Prophetiae de resurrectione et exaltatione Messiae.

393. — Praedictum est a Prophetis,

1° quod Messias post mortem ad inferos descensurus sit, et ex limbo liberaturus Patriarchas, Osee XIII. *De manu mortis liberabo eos, de morte redimam eos, ero mors tua, o mors, morsus tuus ero, inferne!* Zach. IX. *Tu quoque in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non est aqua.* Quae loca ipsi Judaei de Messia intelligunt. 2° Quod surrecturus esset. Psl. XV.: *Non derelinques animam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Et istud Isai. II.: *In die illa radix Jesse, qui stat in signum populorum, ipsum gentes deprecabuntur; et erit sepulchrum ejus gloriosum.* 3° Ascensum Messiae in coelum omnia ea vaticinia praenuntiant, quae de ejus futura gloria, de regno ejus aeterno, et sessione ad dexteram Dei etc. loquuntur. 4° Ecclesiam ab eo fundandam, atque ex omnibus gentibus congregandam, jam ostendimus.

Nota. Pauca haec sunt, quae attulimus; neque difficile esset, multa alia adjicere et collatis veteris et novi testamenti libris palam ostendere, praedictiones omnes ad Christum pertinentes, quae in V. T. extant, cum iis, quae in N. T. de Christo Jesu dicuntur, mirifice conspirare; atque ita clarum fieri, quod S. Augustinus ait[1]): *testamentum vetus esse occultationem novi: novum autem esse revelationem veteris,* quia et nomina ipsa, quae a veteribus Judaeis Messiae applicabantur, religionis Christianae auctori convenire et in N. T. ipsi attribui legenti manifestum est. Dicitur enim, *Jesus, Emmanuel, Christus, Nazaraeus, filius Dei, Deus, filius hominis, Pastor, Doctor, stella, oriens, flos, radix, virga, lapis, fundamentum, mons, scandalum, ostium, via, veritas, vita etc. etc.* De quibus omnibus fusius tractat *Huetius* prop. IX.

1) De civit. Dei lib. XXI. cap. XXVI.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

394. — Objiciunt in genere contra argumentum ex *prophetiis deductum.* Vanum est argumentum ex vaticiniis V. T., si illa vaticinia Messiam non spectant; atqui etc. ergo etc.

Prob. min. Credendum est in hac parte Judaeis, qui propter perfectiorem linguae Hebraicae notitiam et servatam sine intermissione veterem traditionem scripturas multo melius intelligere censendi sunt; atqui Judaei plurimi negant, illa vaticinia ad Messiam pertinere. Ergo etc.

Resp. dist. maj. Credendum est veteribus Judaeis, qui Christi tempore vixerunt, *esto*, Judaeis recentioribus, *neg.* Damus, magnam esse in hac parte veterum Judaeorum auctoritatem; eos linguae Hebraicae magis peritos fuisse et loca illa, quae ad Messiam spectabant, melius intelligere potuisse adhibita traditione veterum doctorum; quamvis fieri potuerit, ut multa ipsos laterent, quae nonnisi ex eventu rerum explicanda erant; multa etiam praejudicatis eorum opinionibus minus faventia ab ipsis in alienum sensum fuerint detorta. Quod Judaeos recentiores attinet, nulla potest esse eorum auctoritas; tum quia non adeo bene callent linguam Hebraicam; tum quia frustrata tamdiu spes eos veterum vestigia deserere coëgit. Hinc legem suam oralem jam a multis annis, contempto et neglecto V. T., summo studio prosecuti sunt; ita ut jam a Trajani temporibus ab uno eorum scriptum sit: lectionem V. T. Judaeos plerumque efficere haereticos, id est Christianos. Jam vero Judaei veteres omnino nostri sunt; recentiores autem non omnes dissentiunt. Eorum testimonia reperiuntur apud *Huetium* prop. VII. et IX. et *Petrum Galatinum*, saeculi XVI. scriptorem, qui ex Judaeo S. Francisci discipulus, theologiae doctor et poenitentiarius apostolicus effectus est, et contra Judaeos librum scripsit de arcanis catholicae veritatis.

395. — Inst. I. Si veteres Judaei Prophetarum oracula, quae Christo ab ejus sectatoribus applicantur, de Messia intellexissent, aut in Jesu impleta vidissent, non potuissent eum ut Messiam non agnoscere. Atqui tamen etc. Ergo etc.

Resp. Constat, multos ex Judaeis evidenti completione veterum oraculorum ad Christum fuisse adductos; horum certe auctoritas maxima est, quia nonnisi expensa et perspecta veritate judicarunt. Illorum vero auctoritas, qui praejudiciis obcoecati, non tantum prophetiis non crediderunt, sed etiam tot insignibus miraculis, quae propriis oculis viderant, convicti non sunt, nullius momenti esse potest, imprimis cum et haec eorum obstinatio clarissime fuerit praenuntiata. Verum hi quoque omnes, quamvis impio furore in Jesum perciti, in plena luce coecutierint, nunquam tamen negarunt, illa vaticinia ad Messiam pertinere. Hinc Christus et Evangelistae cum summa securitate ad prophetias appellabant, ad hoc unice intenti, ut demonstrarent, illas prophetias in Jesu Nazareno esse impletas, omnino relicta hac altera quaestione: an prophetiae illae ad Messiam pertinerent, tanquam manifesta et concessa ab omnibus. Adde, quod praecipua V. T. vaticinia nonnisi in ipsa Christi passione et morte, tum in resurrectione, ascensione et in iis, quae postmodum secuta sunt, impleta fuerint.

396. — Inst. II. Interpretatio prophetiarum, qualis illa a Christianis admittitur, metaphorica est, vel typice et a sensu litterali aliena; vel duplicem fingit sensum litteralem; vel tollit orationis contextum et unam aliamve sententiam ad Messiam applicat, quae cum caeteris orationis partibus connexa aliud quid respicere deprehenditur. Ergo etc.

Resp. I. negatur antecedens generaliter sumptum. Pleraque vaticinia, quae a nobis adducta sunt, in sensu litterali sumuntur, neque ad alium sensum ullo modo transferri possunt.

Resp. II. neg. conseq. Christianorum interpretatio metaphorica est, aut typica, aut duplicem admittit sensum, quando hunc modum interpretandi ipsa rei natura exigit. 1° Multa sunt in prophetiis tam aperte metaphorica, ut etiam illi, qui eas de Messia non intelligunt, sensum tamen metaphoricum admittere cogantur. Vide Isai. LV, 12. et LXV, 17. etc. Idem de parabolis dicendum; nam ex propria Prophetarum confessione scimus, eos in parabolis locutos esse. In hoc consentientes habemus ipsos Judaeos; sic Maimonides vir inter eos doctissimus in praefatione operis inscripti, *more nebochim*, multa de scripturae sacrae parabolis disserit. 2° Eaedem rationes pro expositione typica pugnant; nihil magis familiare fuit Prophetis, quam typicae ejusmodi rerum repraesentationes. Neque id mirum videri debet, cum tota lex Mosaica typica fuerit et figura melioris dispensationis, propterea hanc aliquo modo continere debebat. 3° Inde sponte sequitur, duplicem sensum in quibusdam prophetiis esse admittendum, utrumque ex intentione Dei; sicque facile intelligitur, cur Prophetae, cum v. g. de Davide, Salomone aliisque, qui typi fuerunt futuri Messiae, loquebantur aut sermonem ad eos dirigebant, ea usi sint magniloquentia, quae soli antitypo perfecte conveniat. 4° Fatemur, nostram interpretandi rationem contextum hinc inde abrumpere, imo et confusionem aliquam generare, sed tum tantum, quando apparens haec confusio in ipsa prophetia continetur. Legi meretur *Huetius* prop. XI. cap. CLXXI: *De natura, vi et usu prophetiarum*, ubi inter alia haec habet: *Narrationis ordinem et connexionem vix patitur afflatus ille divinus, quo agitati Prophetae futura praecinebant. Per varias species rerum sibi adversantes praecipitatur instinctus animus, nec ullis sese*

legibus coërceri patitur. Nihil magis apud Pindarum et alios lyricos placet, quam inordinati illi motus et exlex calor; cur ista displiceant in Hebraeis vatibus? Sed locus erit alibi de his copiosius disserendi.

397. — Inst. III. Plurimi et gravissimi auctores, qui concedunt, in prophetiis non raro praeter sensum litteralem alium admittendum esse secundarium et mysticum, qui Messiam respiciat, contendunt tamen, eas propter hunc duplicem sensum non esse sat firmum religionis Christianae argumentum; magisque valere ad nutriendam fovendamque fidem jam susceptam, quam ad eam persuadendam infidelibus. Probatur haec sententia ex eo, quod Christus ipse et Apostoli nullam in hoc argumento vim posuerint ad convincendos Judaeos.

Resp. I. nego probationem antecedentis. Gratis omnino et contra fidem sacrorum codicum a *Grotio* aliisque, qui eum secuti sunt interpretibus, asseritur, Christum et Apostolos prophetias non adhibuisse in vim argumenti. *Joan.* V. Christus, postquam legationem suam a Patre ex miraculis probaverat, addit v. 39.: *Scrutamini scripturas .... illae sunt, quae testimonium perhibent de me.* Et *Lucae* XXIV. cum se discipulis in Emmaus pergentibus socium junxisset; exprobravit illis incredulitatem eorum, eosque stultos vocavit et tardos corde ad credendum in omnibus, quae locuti sunt Prophetae. Tunc *incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant.* Jam si ad Apostolorum agendi rationem attendimus, liquet eos Prophetarum testimonia non tantum ad fovendam Christianorum fidem attulisse, sed imprimis ad convincendos subigendosque animos. Legantur primae, quae S. Petrus ad populum habuit, conciones, *Act.* II. et III. Idem ad fideles scribens [1]) Prophetarum oracula vocat: *Firmiorem propheticum sermonem,* quem ait nobis in hac mortali vita non minus prodesse, quam lucernam in caliginoso loco ambulantibus. Quam feliciter Apostolus iisdem his armis, non ad confirmandam tantum, sed ad persuadendam Christi religionem usus fuerit, ex Actibus Apostolorum discimus. *Act.* XIII, 27. et seq. XXVI, 22. 23. Ibid. XVIII, 28: *Vehementer Judaeos revincebat publice, ostendens per scripturas esse Christum Jesum,* et XXVIII. cum Romae esset et multi ad eum Judaei convenissent, *exponebat* (eis) *testificans regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Moysis et Prophetis a mane usque ad vesperam.*

398. — Resp. II. neg. consequentiam. Nihil nos movere debet aliquorum, cujuscunque demum nominis sint, auctoritas: nam a multis aliis egregie confutati sunt. Quod *Grotium* speciatim attinet, fatemur eum virum fuisse omni genere litterarum instructum, atque imprimis de religione Christiana optime meritum: verum in exponendis scripturis ducem sequi non possumus; nam proprio ingenio nimium indulget, et, ut ait *Huetius, Socini fermento turget.* Itaque respondemus, firmum ad probandam Christianam religionem argumentum ex vaticiniis desumi, quidquid contra dicant *Grotius* et alii quidam interpretes. Quamvis enim concedamus plura esse, quae in sensu proprio et primario ad historiam ejus temporis, quo proferebantur, referenda sint; alia tamen quam plurima primario ad Christum pertinent, nec ulla, quantumvis coacta ac violenta expositione, ad aliud quodcunque objectum detorqueri possunt. Vid. *Hooke* Tom. II. pag. 462. *Huetius* propos. VII. n. IV. *Bossuetius, Dissertation préliminaire sur la doctrine et la critique de Grotius,* imprimis n. VII. et seq. [1]).

1) II *Petr.* I, 19.

1) Dolendum certe quam maxime, virum in multis de religione optime meritum in

399. — Obj. contra ea, quae ad probandam Messiae divinitatem afferuntur. Si Prophetae credidissent, Messiam Deum fore et hominem, illud quoque credidisset synagoga. Falsum conseq. Ergo etc.

Resp. neg. min. Judaeos illo tempore, quo Jesus inter homines versatus est, hanc fidem habuisse, ex historia evangelii patet. Evangelistae et Apostoli toti in eo fuerunt, ut auctori fidei nostrae Messiae characterem vindicarent; Messiam autem filium Dei esse ubique tanquam certum assumunt. Hinc omnes ii, qui Jesum tanquam Messiam agnoverant, nunquam dubitarunt illum Deum vocare, aut filium Dei. *Matth.* XVI. Petrus ad Christum ait: *Tu es Christus, filius Dei vivi.* Idem profitetur Martha *Joan.* XI.: *Ego credidi, quia tu es Christus, filius Dei vivi.* Et *Joan.* I, 49. Nathanaël: *Rabbi, tu es filius Dei, tu es rex Israël.* *Matth.* XXVI, 63. summus pontifex interrogans Jesum, an esset Christus, adjicit ex communi usu loquendi haec verba: *filius Dei.* Tam communis haec erat persuasio, ut nunquam videamus inter Judaeos et Christi discipulos hac de re fuisse controversiam; hoc solummodo negarunt Judaei, Jesum Naz. esse Christum seu Messiam. *Joan.* IX, 22.: *Jam enim conspiraverant Judaei, ut si quis confiteretur eum esse Christum, extra synagogam fieret . . .* et Dominus noster blasphemiae reus habitus est a sacerdotibus, quia dicendo se esse Christum, filium Dei se fecit.

Porro, si Messias ex Judaeorum et synagogae sententia Deus, aut filius Dei esse non debuisset: non intelligitur, quomodo Jesus potuisset titulos illos assumere. Vel enim verus Messias fuit, vel non: si primum, tantae impietatis reus esse non potest; si secundum, id est, si Messiae nomen usurpare voluit, debuisset certe abstinere ab illis titulis et characteribus, qui, cum invidiam ipsi conflarent, nequaquam ad Messiam pertinere putabantur.

400. — Inst. I. Prophetae nuspiam Messiam annuntiarunt ut Deum aut filium Dei. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Cujus falsitas ex probatione patet. Vana est haec Judaeorum cavillatio, cujus jam meminit Origenes [1]). Aliter visum est Philoni Judaeorum doctissimo, qui non semel Messiam verbum Dei, primogenitum Dei filium appellat. Testimonia veteris testamenti, in quibus Messias: verbum Dei, filius Dei, primogenitus, aut Deus simpliciter, et quidem a Patre distinctus appellatur, collegit *Huetius* prop. IX. cap. 21. 22. 24. 25.

401. — Inst. II. Textus ex *Is.* IX. nihil probat. Nam 1° vox Hebraea אֵל *(El)* significat *fortis.* 2° Vox וִיקְרָא *(vajikare,) vocabitur*, potest, etiam legi *vajikra, vocabit.* Ita ut sensus sit: *Deus fortis vocabit nomen ejus admirabilem*, Vel: *Admirabilis, consilia-*

---

aliis ita hallucinari, ut multis suspicio orta sit, eum ad Socinianorum partes transiisse. Ita viros etiam doctissimos exagitat nova dicendi prurigo, aut ita praeclarissima ingenia, nullo auctoritatis pondere fixa, perpetua vertigine circumferuntur opinionum. Non meum est hoc judicium, sed magni *Bossuetii,* qui *Grotium* in pluribus, sed in his praecipue, quae circa prophetias V. T. scripsit, graviter castigat dissertatione de doctrina et critica *Grotii* (Oeuvres de Bossuet, édition de Lebel, Versailles. Tom. IV.). Et quoniam *Bossuetii* nomen contra *Grotium* protulimus, liceat nobis aliud ejusdem illustrissimi praesulis testimonium hic addere ad recentioris aevi interpretes accommodatissimum. Postquam in praefatione in Ecclesiasten probavit Salomonis esse librum, addit (Tom. II. de la nouvelle édition.): „De auctore libri litigantem habemus *Grotium.* Audax criticorum genus, spreta Hebraeorum Christianorumque omnium traditione cum antiquissimis inscriptionibus, quae verae criticae norma est, omnia ex palato suo aestimat, neque quidquam pensi habet, dummodo acutius caeteris sapere atque intelligere videatur."

1) Lib. I. contra Celsum.

rius, Deus fortis, pater futuri saeculi vocabit eum principem pacis. 3⁰ Legi non debet: *consiliarius, Deus fortis*, sed *consultator Dei fortis.* 4⁰ Haec verba *Deus fortis* apud LXX non leguntur. Etiam Aquila, Symmachus et Theodotion vocem *Deus* omiserunt. Ergo etc.

Resp. ad I. *El* est contractum ex *Eloah*, sicut *Jah* ex *Jehova*. Convenit inter philologos sacros, *El* substantive et in singulari positum semper significare Deum. Porro in textu proposito *El* substantivum est; tum quia per accentum *munach* cum sequenti voce *gibbor* conjungitur, quod jam fortem significat; tum quia in aliis locis scripturae eadem verba *El gibbor* Deum fortem significant, ut *Deut.* X. *Esdr.* IX, 32. *Is.* X, 21 etc.

Ad II. Vox quidem Hebraea, quam Vulgata reddit per *vocabitur*, pro varietate punctorum potest activam vel passivam habere significationem; verum in hoc textu passivam habere significationem 1⁰ exigit contextus, quia ea quae sequuntur in Hebraeo sunt in nominativo, et aliae expositiones ordinem verborum, qualis est in Hebraeo, invertunt. 2⁰ Passivum retinuerunt LXX, Symmachus et ipse Aquila, teste Eusebio *Demonst. evangel.* lib. VII. Vide *Bauer, Theol. univers.* Tom. II. pag. 856.

Ad III. Haec *Grotii* versio temeraria est, et omnibus aliis interpretibus contraria, ut versioni LXX interpretum, Aquilae, Theodotionis et Symmachi. Praeterea vocem Hebraicam יֹעֵץ *(Joez)*, scriptores sacri usurpare consueverunt in eum, qui consilium dat, non qui petit.

Ad IV. Haec quidem non habet versio LXX, qualis hodiedum extat, sed in Aldina et Complutensi editione legitur: Θεὸς ἰσχυρός, ἐξουσιαστής, *Deus fortis, potens.* Ita vetustissimi patres *Ignatius* et *Irenaeus*, ita *Eusebius* testimonium hoc referunt. Propius quoque vocabulum *theos* extare apud LXX diserte testatur. Quid autem a proselytis Judaeis Aquila et Theodotione, quid ab Ebionita Symmacho fidei expectemus? *Theodoretus* in hunc Isaiae locum Aquilam falsi accusat, quod Hebraeum verterit per ἰσχυρός, δυνατός, fortis, potens; cum reddere debuisset per Θεὸς ἰσχυρός. Vid. *Huetius* prop. IX. cap. 25.

402. — Obj. contra vaticinium ex Isaiae cap. VII. 1⁰ Totus capitis contextus probat, illud Isaiae oraculum non pertinere ad Messiam. 2⁰ Adventus Messiae post plura demum saecula futurus non potuit dari in signum liberationis Judaeorum proxime futurae. 3⁰ Haec verba: *Butyrum et mel comedet, ut sciat reprobare malum et eligere bonum*, Messiae convenire non possunt. Ergo etc.

Resp. ad I. Jam observatum est, Prophetas in suis de Messia vaticiniis saepe ex orationis contextu excurrere, et ab eventu aliquo proxime futuro ad tempora ea transferri, quae in omnium Judaeorum votis erant; nec mirum! cum nullus apud hunc populum alicujus momenti eventus extiterit, qui non aut spem futuri liberatoris, aut ejus desiderium de novo accenderit. Contextus illius prophetiae hic dari potest: Isaias regi Judaeorum annunciat, nihil sibi timendum esse a duobus regibus Syriae et Israëlis, qui Jerosolymam obsidebant, id animo volventes, ut regnum Judaicum cum Davidica stirpe funditus everterent. Ut autem trepidantibus animos adderet Propheta, a Deo miraculum spondet: *Pete tibi signum* etc. Respondit Achaz: *Non petam et non tentabo dominum...* id est, operam non perdam exspectando signum a Deo; spem enim omnem collocavi in rege Assyriorum. Tunc Isaias ad principes, qui regem comitabantur, conversus ait: *Audite ergo domus David . . . dabit dominus ipse vobis signum;* dabit miraculum grande, quale nunquam adhuc factum

est. Nascetur ex virgine filius Davidi promissus, qui sessurus est super thronum ejus. Ipse liberabit populum; erit enim Deus et homo, *Emmanuel*, seu *Deus nobiscum;* nascetur, nutrietur, adolescet ut puer, et propria experientia sciet reprobare malum et eligere bonum. Quod autem ad praesentem, quae vos premit, calamitatem attinet, scitote, quod antequam hic puer meus, quem mecum habeo, sciat etc.

Ad II. Inusitatum non est scripturae, rem futuram in signum dare rei praesentis vel proxime futurae. Vide *Exod.* III, 12. *Deut.* XVIII, 21 etc. Deinde signum idem ibi est ac miraculum, quod praenuntiatur a Isaia, quem Prophetam esse omnes noverant. Ejusmodi autem miraculum, cum Messiam respiceret ex Davidica stirpe nasciturum, non parum erigere debuisset regis et Judaeorum animos.

Ad III. Haec verba versus 15. a quibusdam ad sequentia trahuntur. Si Messiae applicantur, nihil aliud indicant, quam humanam illius naturam et educationem puerilem.

403. — Inst. I. Per haec verba: *Ecce virgo concipiet* ... nihil aliud significatur, quam quod puella adolescentula vel extra matrimonium, vel matrimonio mox jungenda paritura esset filium. Unde per illum filium intelligi potest vel Ezechias, filius Achaz, vel prior filius Isaiae *Seor Jasub*, aut potius secundus, qui vocatus est *Maher Schalal, Chasch-baz*, id est, *accelera spolia detrahere, festina praedari.* Ergo etc.

Resp. neg. ant. 1° In Hebraeo legitur הָעַלְמָה *(Haalmah).* Haec vox cum littera *he* emphatica nunquam non designat virginem absconsam, sive viro incognitam; quod multis exemplis tum ex scripturis, tum ex profanis auctoribus probant Christiani interpretes; vid. *Huetius* prop. IX. n. 2. Ita eam vocem interpretantur versio Chaldaica, sive paraphrastae Chaldaei *Onkelos* et *Jonathan*, summae apud Judaeos auctoritatis; LXX interpretes nulla circuitione usi veterunt παρθένος. Et S. Hieronymus testatur [1]) virginem Punica lingua, quae Hebraicae propago est, *alma* appellari. 2° Propheta conceptum virginis regi et principibus tanquam signum proponit, id est velut rem novam et prodigialem; ideo, quod ab Isaia *signum* dicitur, a Jeremia vocatum est *novum* [2]): *Creavit Dominus novum super terram: foemina circumdabit virum.* Quid autem dignum tanta promissione protulisset sacer vates, si puella post delibatam virginitatem more communi foeminarum concepisset? An hoc miraculum fuisset, quod daturus fuerat Deus ipse, splendidius, quam signum quodcunque sive *in profundum inferni, sive in excelsum supra?* 3° Ex eadem ratione non potest ibi puer aliquis vulgaris intelligi. Nec Ezechias filius Achaz, qui tunc decimum saltem aetatis annum inchoaverat: nec primus Isaiae filius, quem pater secum adduxerat; agitur enim de filio adhuc nascituro; nec etiam secundus filius Prophetae, qui nec re, nec nomine Emmanuel fuit. Notandum praeterea a cap. VII. uno contextu decurrere sermonem usque ad XII.; ad eundem, qui cap. VII. Emmanuel dicitur, pertinere haec capitis VIII. verba: *Erit extensio alarum ejus, implens latitudinem terrae tuae, o Emmanuel!* quod probat 1° per Emmanuelem personam intelligi. 2° Eum non esse filium Isaiae, ad quem terra Juda non pertinebat; atque iterum quae cap. IX. leguntur: *Parvulus natus est nobis...* Haec omnia perpendenti manifestum erit, citatum Isaiae locum a S. Matthaeo Christo Jesu applicari potuisse et revera applicatum fuisse, non in sensu accommodatitio, sed in sensu

1) Comment. in *Isaiam.* 2) *Jerem.* XXXI, 22.

proprio et a Spiritu S. intento: *Hoc autem totum factum est, ut adimpleretur, quod dictum est a Domino per Prophetam dicentem: Ecce virgo etc.* Vid. *Huetius* prop. IX. cap. IX. *Bible d'Avignon* Tom. VIII. Dissert. sur Isaie chap. VII. *Bible vengée* Tom. V. *Stolberg* III. Band S. 243.

SCHOLION.

404. — Nimis longum esset omnes Judaeorum cavillationes refellere, quibus textus Prophetarum in omnes sensus torquent, ineptas quasque interpretationes avide arripientes. Cum enim vaticinia a se mutuo abstrahunt et eorum sensum tricis fere infinitis implicant, hoc tandem assequuntur, ut clarissimis textibus obscuritatem et tenebras offundant. Non ita agunt sincerae mentis homines. Primum quidem perspectum habent, quod libri V.T., praesertim prophetici, fere semper ad personam Messiae respiciant et de insignioribus tum notis ejus, tum factis loquantur; quod verteres Judaei, ex antiqua et in synagoga semper conservata traditione instructi, in iisdem locis sacrorum volumnium personam futuri Messiae viderint. Deinde optime norunt multa esse, quae singillatim perpensa, aut suo mota loco parum valent, at in totius compositione vim non exiguam exserunt. Ex prophetiis simul positis Christi similitudo efflorescit, sicut corporis pulchritudo et vigor ex omnium membrorum compage. Nihil fere luminis efficiunt radii in diversa sparsi, at collecti fortiter percellunt oculos.

§. II.

De prophetiis a Christo editis.

PROPOSITIO I.

Christus veras edidit prophetias.

405. — Prob. Quatuor in evangeliis invenimus vaticiniorum genera, quae omnes verae prophetiae notas habent. Ergo etc.

Prob. per partes. I. *Christas plura praedixit, quae ad seipsum spectabant.* Scilicet, quod tradi deberet Judaeis et gentibus, multa pati, illudi, flagellari, conspui et tandem crucifigi, ac tertia post mortem die resurgere. Haec non semel, sed pluries; non involute vel in parabolis tantum, sed clare et apertis verbis discipulis annuntiavit. Quatuor praesertim vicibus id factum legimus *Matth.* XVI. XVII. XX. et XXVI. Verba *Matth.* XX. haec sunt: *Ascendens Jesus Jerosolymam assumpsit duodecim discipulos secreto, et ait: Ecce ascendimus Jerosolymam et filius hominis tradetur principibus sacerdotum et scribis, et condemnabunt eum morte, et tradent eum gentibus ad illudendum et flagellandum, et crucifigendum, et tertia die resurget.* Idem ab aliis Evangelistis narratur. Vide *Marc.* X. *Luc.* XVII. Quod autem haec vaticinia Judaeis ignota non fuerint, atque imprimis illud de futura post triduum resurrectione, ex illis manifestum est, quae principes sacerdotum et Pharisaei altera a Christi morte die ad Pilatum dixerunt, *Matth.* XXVI.: *Domine recordati sumus, quod seductor ille dixit adhuc vivens, post tres dies resurgam.* Ergo Christus veras edidit prophetias; nulla enim humana intelligentia praevidere potest res, quae praeter naturae ordinem contingunt; neque mere contingentia praedicere cum tot minutis circumstantiis a liberis hominum actionibus pendentibus.

406. — II. *Multa praedixit Christus, quae ejus discipulos attinebant.* Praedixit proditionem Judae, *Matth.* XXVI, 22. *Joan.* XIV, 21 et 26.; trinum Petri lapsum ibidem v. 38.; fugam discipulorum *Matth.* XXVI, 31.; Spiritus S. in discipulos effusionem et admirabiles ejus effectus *Act.* I, 4 et 8.; mortem, quam Petrus passurus esset *Joan.* XXI, 18. 19. et alia plura. Haec omnia, etsi contra omnem verisimilitudinem et expectationem humanam

dicta, eventu tamen vera comprobata sunt.

407. — III. *Praedixit Judaeorum obstinationem et calamitates.* Primum quidem gentis suae obstinatam voluntatem, et quae exinde secutura erant tristissima fata, pluries in parabolis praedixit ad populum loquens, imprimis *Matth.* XXI, 33 et seq. Sed clarius rem totam expressit *Matth.* XXIII. a v. 39. usque ad finem; ibid. cap. XXIV, 2. *Luc.* XIX. a v. 41. usque ad 45. Atque postmodum cum in monte Oliveti discipuli eum interrogarent: *Quando haec erunt, et quod signum adventus tui?* multas hujus calamitatis circumstantias tam expresse tamque accurate exposuit, ac si rem ipsam praesentem vidisset. Qui temporum illorum historiam et Judaeorum fata a propriis ipsorum auctoribus conscripta cum evangelicis verbis conferre voluerit, mirabitur prophetiam in minutioribus quibusque circumstantiis tam exacte impletam. Vide *Hooke* tom. II. pag. 613 et seq.

408. — IV. *Praedixit evangelii per totum orbem promulgationem et quidem ante excidium Jerosolymitanum*, Matth. XXIV, 14.: *Praedicabitur hoc evangelium regni in universo orbe, in testimonium omnibus gentibus, et tunc veniet consummatio.* Quae verba adimpleta fuisse ex Actibus Apostolorum eorumque epistolis, aliisque historicis monumentis notum est. Ad Rom. I.: *Fides vestra annuntiatur in universo orbe.* Ibid. XV. Item ad Coloss. I.: *Pervenit* (verbum evangelii) *ad vos, sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit, sicuti in vobis, ex ea die qua audistis et cognovistis gratiam Dei in veritate.* Huc etiam pertinent promissiones, quas Christus ecclesiae suae dedit, se nunquam illi usque ad finem saeculi defuturum, inanes fore omnes ad eam subruendam inferorum conatus, *Matth.* XVI. et XXVIII.; quae quam exacte impleta fuerint, plus quam septemdecim saeculorum experientia comprobavit.

PROPOSITIO II.

Prophetiae a Christo editae invicte probant divinam religionis Christianae originem.

409. — Prob. I. Christus veras edidit prophetias, vel Christus multa praedixit, quae nulla creata intelligentia praescire potuit. Ergo vel Deus fuit, vel certe divino spiritu repletus. Ergo in eum nulla fraudis et fallaciae suspicio cadere potest. Ergo necessario illi credendum est, cum se dixit a Patre ad homines missum.

Prob. II. Prophetiae a Christo editae nullo modo sunt ab ejus religione independentes; sed illi intime innexae. Ergo cum prophetiae divinae originis sint, hanc cum ipsis communem habeat necesse est Christi religio.

Prob. ant. Illae prophetiae vel Christi mortem et resurrectionem spectant, quae fidei Christianae fundamentum sunt; illam, inquam, resurrectionem, ad quam Jesus adhuc vivens appellavit, tanquam ad certum divinae religionis suae testimonium. *Signum non dabitur generationi huic, nisi signum Jonae Prophetae,* Matth. XII. Vel spectant discipulorum futuram sortem; cum dicitur, eos induendos virtute ex alto, testesque ejus fore usque ad extremum terrae, eisque inter gravissimas persecutiones specialis Spiritus S. assistentia promittitur. Vel ostendunt evangelii per totum orbem promulgationem, ecclesiae Christianae inconcussam firmitatem etc.

Quam arcte haec omnia sint cum religione Christiana conjuncta, per se manifestum est. Jam vero, quae de Judaeorum dispersione, urbis et templi eversione praedicuntur, in argumentum dantur divinae Christi legationis, et veritatis illius, quam annuntiavit, doctrinae. *Si cognovisses et tu, et quidem in hac die tua, quae ad*

pacem tibi. Luc. XIX. Idem ex *Matth.* XXIV. clare conspicitur.

OBJECTA.

410. — Dicunt I. Vaticinia, quae in probatione referuntur, post rerum eventum conscripta sunt: ergo non sunt verae prophetiae.

Resp. neg. ant. Superiori capite a nobis confectum est, libros evangelicos veraces esse, neque vitiatos. Et certe qui rem attentius perpenderit, perspiciet rem tanti momenti, quae non in uno tantum capite, sed in pluribus Christi sermonibus et parabolis pene multis continetur, non potuisse furtive evangeliis jam evulgatis inseri; ita ut hujus corruptionis nullum remaneret vestigium, neque ulla in exemplaribus reperiretur diversitas. Caeterum constat, haec vaticinia jam inde ab ecclesiae primordio in animis Christianorum impressa fuisse. Inter accusationes contra S. Stephanum prolatas, haec videtur fuisse praecipua, quod dixerit, Jesum Naz. locum sanctum, id est, Jerosolymam et templum destructurum. Ex epist. II. ad *Thess.* liquet, Christianos non paucos vaticiniis abusos, arbitratos esse finem mundi instare. Tandem ex historia ecclesiastica discimus, Christianos Christi vaticiniis admonitos adventantibus Romanis ex urbe Jerosolymitana Pellam se recepisse, neque aliquem eorum in illo excidio interiisse.

411. — Dicunt II. Vaticinia, quae extremam Judaeorum cladem praenuntiant, multa continent, quae in urbis Jerosolymitanae excidio impleta non sunt. Ergo nihil probant.

Resp. Sermo tantum hic esse potest de celebri vaticinio, quod *Matth.* XXIV. *Marc.* XIII. et *Luc.* XXI. legitur, in quo, ut communis fert interpretum sententia, Christus simul de mundi consummatione locutus est, cujus praeludium et imaginem nobis exhibent extremae gentis Judaicae calamitates. Id enim omnibus Prophetis solemne est, ut res temporibus disjunctas, sed in Dei mente adunatas conjungant, idque quam maxime, cum una alterius typus est et figura. Difficile tamen non est ea, quae ad Judaeorum cladem pertinent, ab iis distinguere, quae in saeculi consummatione suum habitura sunt complementum, imprimis in ea narrationis serie, quae a S. Marco refertur. 1º De urbis Jerosolymae destructione agitur a. v. 1. usque ad 24. 2º De totius orbis subversione a v. 24. usque ad 27. Utroque eventu praenuntiato Christus respondet ad hanc discipulorum interrogationem: *Dic nobis quando ista fient.* Et quidem v. 28. ad primum eventum rediens eum tanquam propinquum annuntiat v. 30.: *Non transibit generatio haec, donec omnia fiant.* Quod autem tempus attinet extremae mundi consummationis, ait v. 32. illud ad occulta Dei judicia pertinere: *De die autem illo vel hora nemo scit.*

ARTICULUS IV.

Probatur religionis Christianae divinitas ex miraculis.

412. — Magna sunt, quae attulimus ad probandam religionis Christianae divinitatem, argumenta, tantumque splendoris revelationi Christianae affundunt, ut nemo jam possit ab ea alienus esse, nisi velit plena in luce coecutire. Verum graviora sunt, quae tractanda manent. Quantam ad probandum vim habeant miracula, priori capite hujus demonstrationis ostensum est. Superest igitur, ut hoc argumentorum genus ad revelationem Christianam applicemus. Neque difficile est, quod aggredimur, opus. Tam multa enim sunt tamque splendida, quibus haec religio coruscat, prodigia, ut merito asserere possimus, iis imprimis devictum fuisse orbem et sub imperium crucis redactum. Neque enim vi et armis, aut eloquentia, aut humana demum sapientia religio Christi diffusa est, sed ex prodigiis et signis ut ori-

ginem, sic incrementa cepit. Vide quanta sit divinae in nobis benignitatis effusio! Quanta illa miseris coecisque mortalibus afferat inveniendae salutis media! Nostrum est, apertis ejusmodi et evidentibus veritatis testimoniis docilem praebere animum, gratesque rependere Deo, *qui nos vocavit in admirabile lumen suum* [1]; praeterea divinam legem toto corde amplecti, ut reportemus finem fidei nostrae salutem animarum.

Ut omnia, quae ad vindicandam religionis Christianae divinitatem dicenda supersunt, hoc articulo concludamus, duplicis generis miracula distinguimus; alia in ordine naturali, alia in ordine morali. De utrisque separatim agemus.

§. I.

De miraculis in ordine naturali.

PROPOSITIO I.

Christianae religionis divinitas probatur ex miraculis a Christo patratis.

413. — Prob. Illa religio divinam originem habeat, necesse est, quae veris miraculis fuit confirmata; atqui Christus ipse religionem suam veris miraculis confirmavit. Ergo etc.

Major ex parte I. certa est.

Prob. min. Ita res se habet, si certum sit, 1° Christum vera et proprie dicta miracula patrasse; 2° Christum ea patrasse in doctrinae suae confirmationem. Atqui etc. Ergo etc.

Prob. pars I. Omnia ea, quae a Christo facta commemorant Evangelistae, tam certa sunt, ut ea nemo sanae mentis in dubium revocare possit. (Vide quae cap. I. art. I. dicta sunt.) Atqui multa in evangeliis narrantur prodigia a Christo patrata, quae vel per se, vel in modo quo facta sunt, omnes naturae creatae vires superant, ideoque ut vera miracula haberi debent. Ergo etc.

Prob. min. 1° In evangelio legimus Christum aquam in vinum vertisse [1], oculos aperuisse coeci nati [2], non semel panes multiplicasse in alimenta multorum millium [3], mortuos in vitam revocasse [4]. Scimus eum super aquas ambulasse, mari imperasse et ventis [5]; ipso moriente solem fuisse obscuratum etc. Atqui haec omnia per se naturae vires superant. Ergo etc.

2° Legitur ibidem omnis generis morbos et languores a Christo sanatos nulla adhibita medicina, solo nutu ac verbo. *Omnis turba quaerebat eum tangere, quia virtus de illo exibat et sanabat omnes,* Luc. XIX. *Circuibat totam Galilaeam sanans omnem languorem et infirmitatem in populo.* Matth. IV, 23. Leprosum sanavit extendens manum et dicens: *Volo, mundare.* Matth. VIII. Paralyticum solo hoc verbo: *Surge, tolle lectum tuum et ambula.* Matth. IX Coecum, cum dixit illi: *Respice, fides tua te salvum fecit.* Luc. XVIII. Surdis auditum, mutis loquelam restituit, Matth. IX. Luc. VII. Sed haec breviter indicasse sufficiat; plura legi possunt in ipsis evangeliorum libris.

414. — Prob. II. pars. Contra ipsam evidentiam pugnant Deistae, cum contendunt, Christum ipsum miracula non adhibuisse in suae missionis et doctrinae confirmationem; contrarium ex multis scripturae locis patet. Joan. V, 36. ait Christus: *Ego habeo testimonium majus Joanne; ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia pater misit me.* Ibidem cap. X. v. 38.: *Si mihi non vultis credere, operibus credite.* Luc. VII. et Matth. XI. cum Joannes ad Jesum discipulos misit, ut interrogarent eum: *Tune es, qui venturus es, an alium exspecta-*

1) I *Petr.* II, 9.

1) *Joan.* II. 2) *Joan.* IX. 3) *Matth.* XIV. et XV. 4) *Luc.* VII. *Matth.* IX. *Joan.* XI. 5) *Matth.* XIV. *Luc.* VII.

mus? in ipsa illa hora multos curavit, et dixit illis: *Euntes renuntiate Joanni, quae audistis et vidistis; coeci vident* etc. Vide Joan. XI, 41. 42. Ad haec miracula confidenter appellarunt Apostoli, sublato jam ab his terris Magistro suo: Act. II, 22. X, 37. et seq.

SCHOLION.

415. — Facillimum esset in hoc argumento diutius versari, et ea, quae in genere dicta sunt, ad insigniora quaedam Christi miracula applicare, qualia sunt curatio paralytici ad piscinam decumbentis Joan. V., curatio coeci nati Joan. IX., resuscitatio Lazari Joan. XI., verum haec praelectionibus nostris reservamus. Interea candidatis theologiae vehementer commendamus egregium opus illust. Comitis a *Stolberg*, Geschichte der Religion Jesu. Plura ad hanc materiam pertinentia legi possunt V. Band. Item in *Schwarz* Handb. I. Band. III. Hauptst. n. 32. von dem Blindgebornen. n. 33. von Lazarus. *Bergier*, Traité de la religion tom. VIII.

PROPOSITIO II.

Multa in N. T. libris continentur miracula proprie dicta, quibus divina Apostolorum, quam a Christo acceperunt, missio comprobatur.

416. — Prob. I. pars. Act. II, 43. de Apostolis legitur: *Multa prodigia et signa per Apostolos in Jerusalem fiebant.* Act. V, 12. et seq.: *Per manus Apostolorum fiebant signa et prodigia multa in plebe, . . . ita ut in plateas ejicerent infirmos, et ponerent in lectulis et grabatis, ut veniente Petro saltem umbra illius obumbraret quemquam illorum, et liberarentur ab infirmitatibus suis.* Petrus Act. IX. paralyticum sanavit solo verbo, et Tabitham suscitavit. Paulus mortuum suscitavit ad vitam. Act. XX. Tot per eum prodigia fiebant, ut etiam ejus sudaria morbos depellerent. Act. XIX. Ergo etc.

417. — Prob. II. pars. Christus, dum adhuc in terris versaretur, Apostolis potestatem patrandi miracula promiserat. Marc. XVI. Apostoli publice et constanter confessi sunt, se Christi nomine et virtute miracula patrare, eaque in argumentum Apostolatus sui adhibuerunt. Sic Act. III. Petrus, cum claudum a matris utero sanasset, et omnes repleti essent stupore et extasi, respondit ad populum: *Viri Israëlitae, quid miramini in hoc, quasi nostra virtute et potestate fecerimus hunc ambulare. Deus patrum nostrorum glorificavit filium suum Jesum . . . et in fide nominis ejus hunc confirmavit . . .* et cap. IV. coram senatu populi de eodem facto interrogatus dixit: *Notum sit omnibus vobis et omni plebi Israël; quia in nomine D. N. J. C. Nazareni, quem Deus suscitavit a mortuis, in hoc iste adstat coram vobis sanus.*

Idem declarat Apost. II ad Cor. XII, 12.: *Signa Apostolatus mei facta sunt super vos in omni patientia, in signis et prodigiis et virtutibus.* Vide etiam ad Rom. XV, 18. et 19. Ergo etc.

SCHOLION.

418. — Omnium miraculorum, quae in Actibus Apostolorum referuntur, duo sunt caeteris omnibus splendidiora; scilicet prodigium a S. Petro Act. III. patratum et ipsa S. Pauli conversio. Quam insignes sint utriusque facti characteres, quantam ad probandum vim habeant, discipulis coram ostendemus [1]).

---

1) *Georgius Littleton* Anglus integrum opus edidit, cui titulum fecit: *Religio Christiana probata ex conversione et Apostolatu S. Pauli.* Auctor, qui Deismum professus fuerat, hoc imprimis argumento permotus ad Christianam fidem rediit. Multa in opere reperiuntur cum magna perspicacitate dicta et ad convincendum aptissima; sed quaedam immiscuit auctor ex sectae suae praejudiciis. Praeferenda est traductio Gallica a celeberrimo abbate *Guénée* adornata (l'auteur des lettres de quelques Juifs). Vide etiam *Bergier* Tom. IV. pag. 348. etc.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

419. — Arg. I. Facta, quae ab Evangelistis tanquam miracula narrantur, eventus mere naturales fuerunt. Christus scilicet, cum in Aegypto versaretur, occasionem nactus est, discendi arcana et artes magicas Aegyptiorum. Hac scientia instructus in Palaestinam rediit, ibique morbos aliis insanabiles depulit, quae sanationes magnam apud vulgus admirationem excitarunt, et ab Apostolis postmodum tanquam vera miracula per orbem venditata sunt. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Ejusmodi argumenta tam absona sunt, ut nemini nisi philosopho in mentem venire possint: idque non parum ad veritatis commendationem valet, quod increduli, cum Christi miracula impugnant, ad ejusmodi ineptias confugere cogantur. Christus in Aegypto fuit usque ad obitum Herodis, qui non diu post caedem infantium extinctus est; anno aetatis suae duodecimo cum parentibus Jerosolymam adscendit ex civitate Nazareth [1]). Dicant igitur Deistae, quonam aetatis suae tempore Aegyptiorum arcana didicerit. Quae de Christo ejusque discipulis jam dicta sunt, omnem fraudis suspicionem procul amovent; sed et ipsa miracula, si propius examinentur, tales prae se ferunt characteres, ut impossibile sit, arcanas quasdam artes et decipiendi concilia supponere. Huc pertinet *Kaecheri* de miraculis Christi observatio, quam refert D. *Wiest* [2]): 1° Non unum fecit Christus miraculum, quod forsan impostura quadam niti potuisset, sed innumera. 2° Non unius tantum aut alterius generis effectus produxit stupendos, sed varii generis et in diversis circumstantiis, ita ut omnes naturae vires, omnes artes, omnia arcana debuisset perspecta habere; cur vero, si haec vires humanas non superant, non aliis quoque hominibus inde a mundi exordio in hunc usque diem in haec naturae arcana penetrare licuit? 3° Non Christus solum miracula edidit, sed etiam discipulis facultatem ea patrandi concessit; quis autem persuadere sibi poterit, discipulos ita artem illam imbibisse, ut nullus eorum unquam detegendae fraudis occasionem dederit? 4° Judas Iscariotes, qui cum reliquis in schola Christi institutus erat, et ipse opera miraculosa edidit (Matth. X.), certe fraudem revelasset Judaeis. 5° Miracula Christi non in occulta facta sunt, sed publice in conspectu hostium infensissimorum, quorum multum intererat imposturam, si qua adfuisset, detegere. Verum nullus unquam talem Christo calumniam inferre ausus est: econtra ipsi Pharisaei eum vere thaumaturgum fuisse confessi sunt. Joan. XI, 47.: *Quid facimus, quia hic homo multa signa facit? si dimittimus eum sic, omnes credent in eum* [1]).

1) *Luc.* II, 39. 2) Tom. I. §. 127. Schol. 1. et Oper. maj. Tom. II. §. 200. Schol. 2.

1) Scimus quae hodierni protestantium scriptores plurimi de Christi et Apostolorum miraculis sentiunt. Siehe *Theoduls* Gastmahl, fünfte Ausgabe, S. 51 und 101. Homines perfrictae frontis, qui se tunc viros cordatos esse putant et rationis asseclas, quando nulla eos impietas terret, nullus pudor attingit. Non ita catholici auctores, qui omnes argumentum hoc tractant, non ridendo, cavillando, negando; quod scurris et iis, quos aetas nostra philosophos vocat, proprium est; sed rem mature investigando; quae vera sunt, certis rationibus probando, cum eo judicii acumine, cum eo veritatis studio, quod viros graves decet, qui sapientiae amorem non nomine praeferunt, sed re ipsa tenent. Possemus hic omnes theologos catholicos recensere. *Sailer* Grundlehren 26. Vorlesung. *Schwarz* Handbuch I. Band, viertes Hauptstück, §. 28. *Dobmayer* Tom. III. pag. 483. etc. *Die Naturalisirung der Wunder,* heisst es S. 493, *ist eine Lieblingsidee unseres Zeit-Alters. Die meisten Versuche, welche bisher gemacht worden, tragen das Gepräge der Willkühr, der Violenz, der Paradoxie, so dass die Vernunft lieber die Wunder selbst, als die natürliche Erklärung annimmt.* Ad ea, quae D. *Wiest* ex *Kaeche-*

420. — Arg. II. Matthaeus narrat [1]), 1° Christum in regione Gerasenorum duos a daemonibus possessos liberasse; sed Marcus et Lucas de uno tantum loquuntur [2]). 2° Ibidem dicitur, Christum daemonibus permisisse, ut in porcos introirent, quo facto, impetu abiit *grex per praeceps in mare*. Sed talem agendi rationem vero thaumaturgo indignam esse, nemo non videt. 3° Matthaeus ait, duos coecos a Christo sanatos fuisse, cum alii Evangelistae de uno tantum loquantur; porro Lucas miraculum illud contigisse dicit, cum Jesus appropinquaret Jericho; Marcus autem et Matthaeus, cum Jesus e Jericho egrederetur [3]). Ergo etc.

Resp. ad I. Lucas et Marcus, cum de uno tantum daemoniaco loquuntur, S. Matthaeo non contradicunt, qui duos fuisse ait. Illi Evangelistae de uno tantum loquuntur, quia hic videtur notior fuisse alio et famosior. Quippe e civitate erat, et quum tanto beneficio vehementius commotus Jesum sequi vellet, jussus fuit domum redire et nuntiare, quanta fecisset illi Deus. Quod etiam ab eo factum esse a S. Marco narratur.

421. — Ad II. Christus daemonibus permisit, ut in gregem porcorum intrarent, ut ita probaret, se potestatem habere in spiritus malos; ut Sadducaeorum errores, qui daemones esse negabant, hoc miraculo confutaret; ut ostenderet daemones absque Dei permissione nocere non posse; ut avaritiam Gerasenorum puniret, aut eos probaret, utrum evangelii gratiam temporali commodo praeferrent.

Ad III. S. Marcus iterum ad unum tantum ex illis coecis attendit, quos S. Matthaeus commemorat, eumque nomine suo appellat. Fortassis quia ille *Bartimaeus* ex illustriori familia fuit, et infelici fato in paupertatem dejectus; forsan quia inter Christi discipulos postmodum assumptus fuit, aut aliqua alia ratione inter Christianos celebrior factus est. An S. Lucas de eodem facto agat, quod ab aliis Evangelistis narratur, dubitari potest. Cur enim non admittamus, primo a Jesu Christo, antequam Jericho ingrederetur, sanatum esse coecum illum, de quo S. Lucas agit; deinde fama hujus miraculi adductos esse alios duos, qui a Christo ex Jericho egrediente visum receperunt. Forsan textus Graecus S. Lucae ἐν τῷ ἐγγίζειν αὐτὸν εἰς Ἰερίχω — ita latine verti posset: *Cum esset prope Jericho* .... quod de Christo ingrediente aut egrediente posset intelligi. Vox Graeca ἐγγίζειν derivatur ab ἐγγύς, prope.

422. — Arg. III. Christus fidem exegit ab illis, in quorum gratiam miracula patraturus erat; ergo non voluit per miracula fidem adstruere. 2° Saepe prohibuit, ne miracula evulgarentur. 3° Miracula postulantibus aliquando denegavit, Ergo etc.

Resp. ad I. Christus jure merito fidem exigere potuit ab iis, qui multa jam miracula viderant, quibus divinam suam missionem probaverat.

Ad II. Christus multa miracula patravit, quae hominum famam effugere non potuerunt. Ipse miracula in missionis suae confirmationem protulit; prout in probatione vidimus. Ergo si hinc inde illis, quos sanaverat, silentium imperavit, id procul dubio factum est, ut exemplo suo doceret, evulganda non esse beneficia aliis collata, ne

---

ro citavit, pauca haec addimus ex D. *Bonnet,* Recherches philosophiques chap. XVII. Postquam multa de miraculis disseruit, breviter hos affert characteres, ex quibus Christi et Apostolorum miracula dijudicari, et ab omnibus impostorum praestigiis secerni debeant: *Ces caractères sont:* 1° *l'espèce,* 2° *le nombre,* 3° *la diversité,* 4° *l'enchaînement,* 5° *la durée,* 6° *la publicité,* 7° *l'utilité directe ou particulière,* 8° *l'importance du but général,* 9° *la grandeur des suites,* 10° *la force des témoignages.*

1) *Matth.* VIII. 2) *Marc.* V. *Luc.* VIII. 3) *Matth.* XX, 29. *Marc.* X, 46. *Luc.* XVIII, 35.

superbiae labe vitientur et contaminentur.

Ad III. Nullibi legitur Christum homines miseros et morbis afflictos repulisse; sed miracula denegavit iis, quos sciebat malo affectu signa et portenta petere, vel ad pascendam vanam curiositatem, vel ut eum criminandi occasionem arriperent. Sic Marc. VIII. legitur: *Exierunt Pharisaei et coeperunt conquirere cum eo, quaerentes ab ipso signum de coelo, tentantes eum.*

423. — Arg. IV. Plures etiam doctissimi viri miraculis diaconi *Paris* fidem adhibuerunt: imo prodigia haec praegrandi volumine consignata sunt: et tamen hodiedum fidem amplius non habent; ergo veterum scripta et testimonia Christi miracula vera esse non probant. Ita Fréret et alii Deistae.

Resp. neg. conseq. Innumeri homines, et quidem sapientiores et quicunque partium studio non fuerunt excoecati, nullam unquam fidem in illis miraculis posuerunt. Obstinatiores tantum ex Jansenistarum secta ea jactarunt in suae causae patrocinium. Tam parum autem vim habuerunt ad convincendum, ut econtra plurimi videntes virorum et mulierum incredibilem amentiam, incompositos motus, ridiculas aut indecentes membrorum contorsiones, a sectariorum partibus discesserint. Statim autem atque occlusum fuerat S. Medardi coemeterium, finem habuerunt miracula, ac tandem ridiculo habiti sunt eorum praecones. Caeterum nemo ausus est, haec miracula coram magistratibus testari, nemo ea testando carceri se aut tormentis objicere voluisset; imo plures ex testibus, qui ea primum affirmaverant, retractarunt. Ex his satis apertum est, quantum intercedat discrimen inter miracula Christi aut Apostolorum et fictitias illas sanationes, quas ad erroris commendationem evulgavit secta in texendis dolis exercitatissima.

PROPOSITIO III.

Christum a Deo fuisse legatum, divinamque esse quam tradidit doctrinam, speciatim probatur ex miraculo resurrectionis.

424. — Prob. Si Christus a mortuis surrexit, divina est Christi legatio, divina, quam attulit, doctrina: atqui Christus vere surrexit. Ergo etc.

Prob. maj. Si Christus surrexit, vel sua virtute ad vitam rediit, vel a Deo fuit suscitatus: si primum, hoc ipso se Deum probavit; si secundum, de divina ipsius missione dubitari non potest. Impossibile enim est, ut Deus, quem summe bonum, veracem et providum nobiscum admittunt Deistae, virum, qui in re tanti momenti falsum committeret, eo ornaret et approbaret testimonio, quo majus dari non potest; nullum enim est Dei testimonium certius miraculo, nec inter miracula aliquod splendidius et ad probandum efficacius, quam mortui in vitam revocatio. Huic argumento major adhuc vis accedit ex eo, quod Christus ipse, dum adhuc viveret, et mortem suam, et mortis genus, et reditum in vitam praedixerit suis, et quidem addito, haec ideo eventura, ut omnibus constaret, se a Deo venisse legatum. Matth. XII, 40. etc.

425. — Prob. min. Christus vere surrexit; nam factum illud certissimum est, cujus testes nec decipi potuerunt, nec decipere voluerunt, nec si voluissent, decipere potuissent; atqui tales sunt testes resurrectionis Christi. Ergo etc.

Prob. min. pars I. Christus se redivivum ostendit non uni aut alteri ex discipulis, sed pluribus; apparuit enim plusquam 500 fratribus simul. I Cor. IV. Non semel aut iterum visus est, sed pluries, in aperta luce, diversis in locis, non longinquo, sed prope; ita ut cum eis loqueretur, manducaret, se ipsis palpandum daret, nihilque omitteret, quo omnem ab Apostolis anxietatem, omne dubium excuteret. *Quibus praebuit seipsum vivum in multis*

argumentis per dies quadraginta apparens eis, et loquens de regno Dei. Act. I, 3. Neque dici potest, nimium ad credendum proclives fuisse Apostolos; contrarium enim ex historia evangelii patet. Luc. XXIV, 11. 35. et seq. Joan. XX, 24. et seq.

426. — Prob. min. pars II. Decipere noluerunt Evangelistae, si 1° nihil potuit eos ad fallendum inducere, si 2° omnia debuerunt eos a fallendo absterrere. Atqui etc. Ergo etc.

Prob. min. I. Nihil ex hoc mendacio sperandum erat Christi discipulis; 1° non a Deo; sciebant enim, Deum mendacium abhorrere, atque imprimis scelus esse detestabile et insigne nefas, falsum testem agere adversus Deum. 2° Non ab hominibus; a quibus praeter contemptum et supplicia exspectare nihil poterant; 3° non a Christo ipso; nam ipsi fatentur, vanam esse et inanem fidem nostram, si Christus a mortuis non surrexit. Ergo cum se deceptos cognovissent vana resurrectionis pollicitatione, necessario omnem antea conceptam fidem abjecissent.

II. Eos a fallendo absterrere debuit 1° propria, quam ubique ostendunt, vitae probitas; 2° rei ipsius difficultas, et conjuncta cum hac fraude pericula; cum Judaeis Christi resurrectionem annuntiare non potuerint, quin totam nationem, atque imprimis potentissimos ex gente immanissimi sceleris reos arguerent. 3° Summa denique tam nefariae fraudis impietas; nisi enim omnem religionis sensum exuissent, nunquam potuissent tam insigni mendacio avitae religionis ruinam meditari. Adde quod Apostolos, nisi sensu communi destitutos dicas, latere non potuisset, insanum esse, ejusmodi fraudem moliri, neque decipere se posse, etiamsi vellent.

427. — Prob. min. pars III. Decipere non potuissent; ad id enim duo praestanda fuissent; scilicet corpus Christi clam auferendum fuisset, et persuadendum hominibus, eum ad vitam rediisse. Atqui neutrum efficere potuissent discipuli. Ergo etc.

Prob. min. per partes. 1° Apostoli Christi corpus sustulissent, vel per vim, vel per seductionem, vel per callidam fraudem. An vim adhibuerunt? Verum unde subito tanta hominum illorum audacia, ut cum armatis custodibus congredi auderent? Cur nulla in eos poena est animadversum a Judaeis, quorum quam maxime interfuisset, Apostolos hujus facti convincere, quibusque convictionis media in hac hypothesi deesse non potuissent? — Sed seducti sunt custodes a Christi discipulis? Quis sanae mentis credat, homines inopes, nulla apud alios gratia valentes efficere potuisse, ut custodes officio suo deessent in re tam gravi, ubi a principibus et sacerdotibus omnia pertimescere debebant? Cur inter tot homines, quibus secretum committendum fuisset, nullus aliquid prodidisset, cum tamen omnia ad secretum prodendum impellebant? Cur nulla a synedrio facta disquisitio? — Aut fraudulenter corpus Christi surripuerunt discipuli insciis custodibus? Sed praeterquam quod id cuilibet loci, temporis et personarum adjuncta consideranti impossibile videri debeat; cur a synedrio in fraudis auctores non injectae manus? Cur custodes dormientes testes adhibiti? Cur paulo post Apostolis Christi resurrectionem palam annuntiantibus, ac necis Christi auctores redarguentibus, scribae, Pharisaei, totumque synedrium obmutescunt? Cur Apostoli apud Judaeos in ipsa urbe Jerosolyma fidem inveniunt?

2° Etiamsi Apostoli Christi corpus auferre quocunque modo potuissent, quomodo potuissent hominibus persuadere Christum ad vitam rediisse? Ad id necesse fuisset, ut fraus nullo modo potuisset detegi; necesse fuisset, ut nullus inter tot conjuratos reperiretur, qui aut conscientiae stimulis, aut spe praemiorum, aut supplicio-

rum metu mortisque comminatione ad detegendam fraudem commoveretur. Et si omnes velut conspiratione facta tantum mendacium pertinaciter asseverassent, quomodo potuissent universo orbi illudere? Quomodo miraculis confirmare quod de resurrectione Christi reddebant testimonium, et quidem miraculis tam evidentibus, ut Judaei et Graeci, Romani et philosophi hominibus imperitis crederent, et rei fidem adhiberent, quae omnem fidem superat [1])?

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

428. — Arg. I. Illa testimonia merito exploduntur, quae inter se pugnant; atqui testimonia Evangelistarum de resurrectione Christi inter se pugnant. Ergo etc.

Prob. min. Narratio sibi non constat, quoad tempus, quo mulieres ad sepulchrum venerunt. *Valde mane, orto jam sole*, ait Marcus XVI, 2. *Cum adhuc tenebrae essent*, inquit Joannes XX, 1. *Vespere sabbati*, ait Matthaeus XXVIII, 1. Item unius tantum angeli meminerunt Matthaeus et Marcus; duorum Lucas et Joannes. Stetisse angelos ait Lucas, sedisse vero Joannes. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Vespere apud Matthaeum pro tota nocte sumitur; non enim dicitur ἑσπέρᾳ δὲ σαββάτων, sed ὀψὲ δὲ σαββάτων, Ὀψὲ autem idem dicit ac *sero*, transacto jam sabbato longo intervallo; cum nox jam esset in diem sequentem inclinata; quod clarius fit per ea, quae sequuntur: *quae lucescit in prima sabbati*, id est, cum jam prima dies hebdomadae illucescere coepisset. Notum enim est, apud Hebraeos sabbatum et totam hebdomadam et septimum hebdomadae diem appellari. Huic interpretationi favet textus Marci: *Cum transisset sabbatum*, et: *Valde mane una sabbatorum*, id est prima die hebdomadis veniunt ad monumentum. Si quis autem per vesperam sabbati revera tempus vespertinum intelligere velit, tunc intervallum admittendum est inter ea, quae a S. Matthaeo v. 1. narrantur, et ea quae sequuntur, hoc fere modo: Vespere sabbati, seu sabbato finito, venerunt mulieres videre sepulchrum. Post domum reversae emerunt aromata. Et ecce terrae motus factus est, et mulieres valde mane, cum adhuc tenebrae essent, domo egressae venerunt ad monumentum orto jam sole. Reliqua facile conciliantur, si plures admittantur itus et reditus; plures Christi et angelorum apparitiones. Descendit angelus de coelo, ut Matthaeus ait, et revolvit lapidem et sedit super eum. Marcus pariter de uno angelo loquitur sedente in dextris. Si alii Evangelistae duorum mentionem faciunt, prioribus non contradicunt. Quando Maria accessit, angeli sedebant; stabant vero, cum ingressae sunt caeterae mulieres; vel etiam stare et sedere significat praecise, ibi praesentem esse; ut ex multis scripturae locis compertum est v. g. Luc. IX.: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt mortem etc.*

429. — Obj. II. Ex eo, quod lapis sepulchri signatus et custodes adhibiti fuerint, nihil probari potest; quia prout Matth. XXVII, 62. refert, altera tantum die hoc factum est: *Altera die, quae est post parasceven.* Ergo tempus supererat discipulis ad furandum corpus Jesu.

Resp. Eaedem rationes, quae principes et Pharisaeos impulerunt, ut custodes sepulchri a Pilato peterent et

1) *Humfridus Ditton* Anglus initio saeculi XVIII. in opere cui titulum fecit: *Demonstratio religionis Christianae*, argumentum ex resurrectione Christi petitum solidissime pertractavit. Translatio Gallica sic habet: *La religion Chrétienne prouvé par la résurrection de N. S. Jésus-Christ.* Siehe *Friederich Plessing*, die Auferstehungs-Geschichte unseres Herrn Jesu Christi. *Schwarz*, Handbuch I. Band S. 156.

lapidem signarent; eos impellere etiam debuerunt, ut sigillum non apponerent, quin inspecto prius sepulchro certi essent, Christi corpus adesse.

430. — Obj. III. Si Christus vere surrexisset; ergo Apostoli idem Christi corpus, quod cruci affixum fuerat, redivivum vidissent; atqui idipsum corpus non viderunt, sed merum phantasma, ut ex ipsa Evangelistarum narratione constat. Lucae XXIV, 16. dicitur, Christum cognitum non fuisse a discipulis; atque iterum v. 31., eum ex oculis eorum evanuisse. Joan. XX, 19.: *Intravit ad discipulos, cum fores essent clausae.* Ibid. v. 15. sub specie hortulani apparuit Mariae; et versu 17. ejusdem capitis prohibuit, ne Maria eum tangeret; verebatur scilicet, ne mulier errorem detegeret, experimento cognoscens, nihil esse in ejus corpore solidi.

Resp. neg. min. Idem erat post resurrectionem Christi corpus, quod cruci affixum et in sepulchro conditum fuerat; idem sonus vocis, eadem oris majestas, eadem membra reddito spiritu iterum animata; neque contrarium evincitur ex iis, quae in objectione afferuntur. 1⁰ Discipuli in Emmaus euntes Christum quidem non agnoverunt, sed ratio additur: *Oculi eorum tenebantur, ne eum agnoscerent.* Evanuit autem ex eorum oculis, non quia phantasmatum more per aëra dilapsus est, sed quia desiit ab ipsis videri. In Graeco dicitur: καὶ αὐτὸς ἄφαντος ἐγένετο ἀπ' αὐτῶν, *et ipse fuit*, vel *factus est non visus ab ipsis.* 2⁰ Christus proprium suum et naturale corpus retinens ad discipulos venire potuit januis clausis; nihil enim in hoc facto reperitur, quod divinam superet potestatem. 3⁰ Formam hortulani assumere potuit, quin corpus suum exueret; nec mirum, quod Maria eum sub hac forma non statim agnoverit. 4⁰ Si Christus veritus fuisset, ne Maria, dum pedes ejus tangere vellet, cognosceret eum verum corpus non habere; cur in eodem loco dicitur, sanctas mulieres pedes ejus tenuisse? Cur Apostolis, qui exterriti, cum Jesus in eorum medio appareret, putabant, se spiritum videre, ait: *Palpate et videte?* Luc. XXIV, 39. Verba igitur, quae Jesus Joan. XXI, 17. ad Mariam locutus est, hunc sensum habent: Noli in amplectendis pedibus meis diutius immorari, nondum enim discedo a vobis, adeoque me videndi adhuc tibi erit occasio; nunc statim surge et perge ad fratres, et dic eis etc.

431. — Arg. IV. Pauci tantum fuerunt testes resurrectionis Christi, multo autem plures, scilicet omnes, qui ad custodiam sepulchri aderant, contrarium testati sunt. Atqui majus est testimonium multorum, quam paucorum. Ergo etc.

Resp. I. dist. min. Majus est testimonium multorum quam paucorum caeteris paribus, *conc.*, in quocunque casu, *neg.* Quando eadem est testium sinceritas et dexteritas et alia omnia, quae testibus fidem conciliare possunt, paria sunt; tum praevalere debet numerus, alias adhibendum est vulgare axioma: Ponderandi sunt testes, non numerandi. Pauci testes oculati, aliisque characteribus in probatione allatis insigniti plus probant, quam testimonium plurimorum, quibus requisiti characteres desunt. Quomodo autem in probationem vocari possunt testes, qui rei fidem facere non possunt, nisi dicendo, se illud non vidisse? *Dormientes testes adhibes*, ait S. Augustinus [1]), *vere tu obdormisti, qui scrutando talia defecisti.*

Resp. II. neg. maj. Testes resurrectionis non fuerunt Apostoli solum, sed et reliqui discipuli; imo plusquam quingenti fratres [2]). Tot certe non fuerunt custodes sepulchri. Videant adversarii, ne magis suae causae noceant, dum eam defendere volunt. Si multi

1) *Aug.* in Psalm. LXIII. v. 7.
2) I *Cor.* VIII, 30.

adfuerunt custodes, quis sibi persuadebit, Apostolos viros simplices et meticulosos corpus Jesu surripere potuisse? Si pauci adfuerunt; ergo testibus resurrectionis etiam numero sunt inferiores.

432. — Arg. V. Christus pluries praedixit, se post tres dies e sepulchro surrecturum: atqui sepulchrum vacuum repertum est ante praedictum tempus: quod probat, Apostolos corpus Christi sustulisse, et cum tempus opportunum nacti fuerunt, facti executionem accelerasse.

Resp. Nullum cogitari potest temporis intervallum, quo Apostoli insignem ejusmodi et impiam fraudem tentare voluissent, aut potuissent, ut probatum est. Falsum autem est, quod sepulchrum vacuum fuerit ante evolutum tempus a Christo praedictum. Christus enim dixerat se surrecturum *tertia die*, quod et contigit; nam in sepulchro erat die Veneris sero, die sabbati integra et die dominica mane. Si alicubi dixit *post tres dies* [1]), illud idem significat, ac intra tres dies, aut, ut latine dicimus, tertio post die; ita scilicet fert usus loquendi Judaeis familiaris. Conferantur, quae duo illi discipuli ipsa die, qua Christus surrexit, jam de rei eventu anxii dixerunt [2]): *Super haec omnia tertia dies est hodie, quod haec facta sunt.* Sic lex circumcisionis ferebat [3]): *Infans octo dierum circumciditur.* Nihilominus ad numerum octo dierum pertinebant tum dies nativitatis, tum dies circumcisionis nulla habita ratione horarum.

§. II.

De miraculis in ordine morali.

OBSERVANDA.

433. — I. Miracula in ordine morali vocamus eventus illos extraordinarios, qui licet nihil habeant, quod cum legibus naturae physicae pugnet, tamen specialem Dei operationem, ac divinae providentiae ordinationem probant prorsus singularem; quia praeter exspectationem et communem rerum cursum contingunt, et spectatis hominum moribus et naturali rerum humanarum cursu contingere non potuissent. Itaque sicut miracula primi ordinis physice impossibilia sunt, ita haec eventus complectuntur moraliter impossibiles. Habemus hujus ordinis prodigia in V. T., quae supernaturalem Dei in Judaeos providentiam probant, et divinam legi Judaicae auctoritatem conciliant; verum plura istius divinae procurationis argumenta continet ecclesiae catholicae historia; tanto illustriora, quod non statum reipublicae terrenum, sed Christi ecclesiam et spiritale regnum concernant et eventus exhibeant, qui non in terrae angulo, sed in conspectu totius orbis contigerunt.

434. — II. Argumenta hujus generis a Christianae religionis defensoribus haec fere afferuntur: 1° Mirabilis evangelii propagatio. 2° Incredibilis efficacia doctrinae Christianae ad immutandos hominum mores. 3° Fortitudo et constantia martyrum. 4° Oraculorum cessatio. 5° Donorum Spiritus sancti in primos Christianos effusio, eorumque in ecclesia continuatio. 6° Ultio Dei in Judaeos, hujusque gentis conservatio. 7° Mors persecutorum. 8° Perpetua religionis Christianae stabilitas. Quibus alterius generis argumentum adjici potest, quod *argumentum a tuto* vocatur.

III. Quamvis haec argumenta non eandem omnia ad probandum vim habeant, et quaedam ex illis aliis destituta credendi motivis plenam demonstrationem efficere non valeant, nihilominus negligenda non sunt; novum enim veritati pondus addunt, valentque plurimum ad confirmandos in fide animos. Ut brevitati studeamus, quaedam, quae reliquis infirmiora videntur, aut quae hic loci commode praeter-

1) *Marc.* VIII, 31. 2) *Luc.* XXIV, 21. 3) *Gen.* XVII, 12.

mitti possunt, paucis tantum indicabimus; alia, quae majora et illustriora sunt, totidem propositionibus stabiliemus.

436. — IV. Certum est, oracula paganorum post Christum paulatim obmutuisse, prout incrementa capiebat religio nostra; et tandem confirmata ecclesia penitus conticuisse; quod factum in dubium vocari non potest, utpote non auctorum tantum Christianorum consensu, sed et paganorum confessione firmatum. Jam vero plerique religionis Christianae defensores contendunt, multa paganorum oracula daemones auctores habuisse, eorumque defectionem nulli causae adscribi posse, nisi divinae virtuti Christi; divinam ergo esse oportet religionem illam, cujus virtute profligata est omnis daemonum potestas. Vide doctissimum *Hooke* Tom. II. pag. 685. Hujus argumenti vim infringunt omnes illi, qui cum D. de *Fontenelle* et *Van Dale* defendunt, omnia paganorum oracula fraudis tantum et veteratoriae artis opus fuisse.

V. Argumentum, quod ex ultione divina in imperium Romanum et Caesares ecclesiae persecutores desumitur, multis valde arridet, ab aliis penitus despicitur. Primi antesignanum habent *Lactantium* in libro *de mortibus persecutorum.* Id certum, tales fuisse Caesarum, qui Christum persecuti sunt exitus, tam luctuosa post Christum imperii Romani fata, ut facillimum sit, ultricem Dei manum agnoscere. His accedunt vaticinia Danielis et S. Joannis in Apocalypsi, ex quibus consequi videtur, omnes illas calamitates Romanos eorumque principes attigisse propter idololatriam et summam in Christianos saevitiam. Verum cum haec non omnino aperta sint et inconcussa, sat firmum argumentum contra incredulos non efficiunt.

436. — VI. Argumentum, quod *a tuto* dicitur, ex hac humanae prudentiae regula desumitur, quod in dubio pars tutior eligenda sit, imprimis cum de re summi momenti agitur et aeterna hominis felicitas in discrimen vocatur. Facta hujus regulae ad praesentem materiam applicatione ostenditur, tutius esse Christianam religionem amplecti, quam rejicere. Hoc argumento jam usus fuerat *Arnobius*[1]), idque recentiore aetate clariori in luce posuit celeberrimus *Pascal*[2]). Verum ea doctissimorum virorum mens non fuit, quod ad convictionem valere possit ejusmodi argumentum; cum econtra animum supponat adhuc in dubio haerentem; sed cum illis compertum fuerit, homines plerumque veritatem repellere, quae displicet, et gravissimis etiam motivis persuaderi non posse animum male affectum; id tantum efficere voluerunt argumento suo, ut in iis, qui convincendi sunt, primum cordis durities emolliretur, et animus inclinaretur ad religionem, certi, eos, qui ita semel affecti sunt, et ad examen veritatis attulerint animum a praejudiciis liberum, tot evidentibus, quibus religio demonstratur, argumentis procul dubio convincendos fore[3]).

1) Lib. II. advers. gentes.

2) Pensées de M. Pascal. chap. VI.

3) En argumentum *Arnobii: Cum haec sit conditio futurorum, ut teneri et comprehendi nullius possint anticipationis attactu: nonne purior ratio est ex duobus incertis, et in ambigua exspectatione pendentibus id potius credere, quod aliquas spes ferat, quam omnino quod nullas! In illo enim periculi nihil est, quod dicitur imminere, cassum si fiat et vacuum: in hoc damnum est maximum (id est salutis amissio), si cum tempus advenerit, aperiatur hoc fuisse mendacium.* Cf. *Wiest* Opera M. Tom. II. pag. 239. In Observatione, quae capiti VII. D. *Pascal* praefixa est, expresse dicitur, auctorem in hoc argumento id unum sibi proposuisse, ut ii, qui dubii adhuc haerent inter fidem et incredulitatem, hoc saltem intelligerent, meliorem esse conditionem credentis; atque ita ad inquirendam ulterius veritatem et removenda, quae obstant, impedimenta vehementius accenderentur.

437. — VII. Dona externa Spiritus sancti eorumque in homines effusio, certum sunt virtutis divinae argumentum. Prophetae eam aliquando futuram praedixerunt, illam autem in nova lege revera factam esse, atque in ecclesia Christi semper continuatam, primum ex libris N. T., tum ex certis historiae monumentis scimus. Verum, cum haec ex magna saltem parte ad miracula pertineant, ab iis tractandis hic abstinemus. Aliud quoque argumentum ex luctuosa populi Judaici fortuna praetermittimus, ad ea remittentes, quae de legis Mosaicae abrogatione dicta sunt.

Quod novum illud a protestantibus excogitatum revelationis criterium attinet ab interno Spiritus sancti testimonio petitum, nemo est, qui non videat, quam vanum illud sit et plenum fallaciae commentum. Principium, cui falsa haec protestantium sententia innititur, in Demonstratione catholica examinabimus.

438. — VIII. Ea etiam, quae nunc tractanda manent, argumenta, multis modis a Deistis nostris impugnantur; in quo isti magnam quidem produnt mentis perversitatem et odium religionis incredibile, sed eruditionem valde exiguam. Nihil enim ex suo afferunt, sed refutatas jam diu objectiones recoquunt. Primum quidem *Henrici Dodwelli* Angli dissertationem Cyprianicam exscripserunt; postmodum armis pugnarunt *Eduardi Gibbon* pariter Angli, qui in historia *labentis et ad interitum ruentis imperii Romani*, religionis Christianae propagationem causis naturalibus adscribendam censet. Ut argumentum ex martyrum constantia petitum evertat, eorum in toleranda morte constantiam humanis tantum incitamentis attribuit; persecutorum autem patronum agit eosque purgat, quantum potest, ab omni inhumanitatis et crudelitatis crimine.

Et quidem haec ab incredulis summo applausu accepta ac centies repetita fuisse mirum non est; id magis mirandum, catholicos quosdam impiorum vociferationibus territos, vix non e manibus abjicere arma, quibus tam felici successu hucusque usi sunt religionis propugnatores. Inter alios D. *Wiest* argumentum ex constantia martyrum desumptum, quamvis vim ejusdem ipse sentiat, praetermittendum putat; tum quia, ut ait, variis naturalistarum cavillationibus et exceptionibus locum praebet; tum quia vera fuit religio Christiana et divina ab ortu suo, antequam martyres in lucem ederentur; quae ratio si quid efficeret, jam ipsum argumentum, quod ex religionis propagatione deducitur, non parum labefactaretur. Verum quaenam haec est concludendi ratio? Quid quaeso in religione sanctum tutumque esset, aut quod genus probandi retineri posset, si ab iis esset abstinendum, quae cavillationibus impiorum locum praebent? Ex eo quod religio vera fuerit et fidem ubique invenerit, antequam martyres habuerit, nihil evincitur. Multa enim sunt et varia, quae religionis nostrae divinitatem probant. An ideo argumento vis probandi adimitur, quia etiam sine illo staret veritas? Non possum ego in hoc satis extollere sapientissimam providentiae dispositionem, quae in tanta hominum, ingeniorum studiorumque diversitate, etiam diversa hominibus credendi motiva subministrat. Quod enim ab uno relinquitur, hoc ad alium convincendum quam plurimum valet; quemadmodum cibi ad nutrimentum hominum conditi sua varietate efficiunt, ut nullus sit, qui non aliquid, quod sibi sapit, inveniat.

PROPOSITIO I.

Mirabilis Christianae religionis propagatio manifestam facit divinam ejusdem religionis originem.

439. — Prob. Christianae religionis propagatio phaenomenon est tam stupendum, ut nonnisi divinae virtu-

tis ac potentiae opus esse possit. Ergo etc.

Prob. ant. Ut hujus propositionis veritas evidentissime pateat, videbimus 1° quam celeriter haec religio per totum orbem sit diffusa; 2° quanta fuerit hujus operis difficultas; 3° quae ad illud efficiendum adhibita sint media. Quae si paulo attentius considerantur, necesse erit admittere, aut miracula adfuisse, aut arcanam Dei actionem huic operi adspirantem, aut utrumque.

440. — I. Notum est, Christianam religionem ante Tiberii imperatoris tempora incognitam fuisse, Christum ejus auctorem, eodem Tiberio imperitante cruci affixum, paucissimos reliquisse discipulos eosque trepidos et inermes. Verum statim atque crucifixus est, omnia, ut ipse praedixerat, traxit ad semetipsum; tam subito ejus doctrina orbem pervasit, ut intra annos triginta aut circiter non tantum in omnes imperii partes; sed ad Parthos quoque et Indos pervenerit, atque paulo post in Africam, Hispaniam et ad Galliarum gentes perlata, Germanorum quoque populis illuxerit et toto divisis orbe Britannis. Apostolus jam in sua ad Rom. epistola circa annum 57 data [1]) religionis Christianae praeconibus illud Psalmi XVIII. attribuit: *In omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum.* Dein ad Coloss. I, 6. ait: *Evangelium pervenit ad vos sicut et in universo mundo est, et fructificat et crescit, sicut et in vobis.* Ad eosdem Romanos scribit cap. I, 8. fidem eorum annuntiari in universo mundo: et cap. IV, 19. seipsum replevisse a Jerusalem per circuitum usque Illyricum evangelium Christi. Jam vero sub Apostolorum discipulis mirum est, quanta in dies incrementa ceperint res Christianorum, ut vix regio superfuerit, quam non divina haec et orbi hucusque ignota sapientia pervaserit, et ita pervaserit, ut non paucos eosque obscuros nacta sit cultores, sed innumeros omnis sexus, conditionis et ordinis. *Justinus* martyr, qui medio saeculo II. floruit, testatur, *nullum esse genus hominum sive barbarorum, sive Graecorum, sive etiam aliorum omnium, quocunque appellentur nomine, sive in plaustris degentium vel domo carentium, inter quos non fiant preces et gratiarum actiones patri et creatori omnium per nomen Jesu Christi crucifixi.* Id plures alii testantur antiquissimi scriptores, non Christiani tantum, ut *Irenaeus* [1]), *Tertullianus* [2]), etc.; sed ex gentilibus etiam viri gravissimi, ut *Seneca, Suetonius, Tacitus, Plinius junior etc.* Nota est Plinii ad Trajanum imperatorem epistola sub finem saeculi primi scripta, in qua ait: *Visa est mihi res consultatione dignissima, maxime propter periclitantium numerum; multi enim omnis aetatis, omnis ordinis utriusque sexus etiam vocantur in periculum: neque enim civitates tantum, sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est.*

441. — II. Quantae molis fuerit, Christianam religionem in orbem inducere, facile dijudicabit, qui hujus religionis naturam, et innumera, quae se ejus propagationi objecerunt, impedimenta vel obiter tantum expenderit. Erat enim haec inaudita hominibus religio repugnans, omnibus, quae per orbem vigebant, opinionibus ac sacris ritibus; Jesum praedicabat crucifixum, Judaeis scandalum, gentibus autem stultitiam; idque efficiendum sibi proposuit in toto orbe terrarum, ut Judaei relicta lege Mosaica, quam a Deo ipso profectam sciebant; pagani relicto deorum cultu, quem tot saeculorum auctoritas commendabat, hunc Jesum, quem sui crucis supplicio interemerunt, ut Salvatorem hominum ve-

1) *Rom.* X, 18.

1) *Iren.* lib. I. cap. III.
2) *Tertull.* in Apolog. cap. 37.

rumque Deum adorarent. Accedit, quod eadem haec religio omnibus cupiditatibus bellum indicat, jubeat voluptates fugere, injurias condonare, omnesque pravos animi motus comprimere, mundum odisse, honores et alia commoda parvi ducere, et alia multa, quae omnia ita sunt comparata, ut naturam humanam exterreant, et odium pariant ejus, quae ea praecipit, religionis. Inde factum est, ut evangelium, mox ubi annuntiatum fuit, innumeros ubique et infensissimos hostes expertum fuerit; conspirarunt contra illud ubique vigens paganismus, philosophorum subtilitas, rhetorum eloquentia, politicorum prudentia, populorum superstitio, sacerdotum invidia, Judaeorum perfidia, tyrannorum immanitas, omnia suppliciorum genera. Ergo etc.

442. — III. Superest nunc, ut videamus, quomodo inter tot gravissima obstacula, religio omnibus hominum praejudiciis et cupiditatibus adversa tam late celeriterque fuerit per totum orbem propagata. Quaenam fuerunt tanti operis instrumenta? Quae media? An dotes praeconum naturales? An principum virorumque potentium auctoritas? An spes emolumenti temporalis? Verum contraria hisce omnia. Evangelium annuntiant duodecim piscatores, homines nullis litteris exculti, nullis armis, nullis divitiis instructi, pauperes, simplices, obscuri. Una iis scientia, scire Christum et hunc crucifixum; una eloquentia, verbum crucis aperte ac simpliciter exponere; una prudentia, quidquid injuriae inferebatur patienter sustinere ac pro iis bona reddere. Sectatoribus suis non tantum bona temporalia nulla proponunt, sed ignominiam, aerumnas, supplicia. Ergo omni humano praesidio caruit evangelium.

443. — Conclusio. Igitur, cum illa religionis Christiana tam late diffusa propagatio ad nullam humanam efficaciam referri possit, evidens est, eam divinae potentiae esse adscribendam. Et vero; vel orbis universus religionem Christianam amplexus est propter miracula, vel sine miraculis: si primum, eam divinam esse nemo negabit; si secundum, hoc ipsum majus omni miraculo habendum est, quod religio, cui tot et tanta ex omni parte impedimenta obstabant, a paucis infimae plebis hominibus tam brevi tempore sine ullis humanis subsidiis per totum orbem fuerit propagata. Eodem hoc argumento incredulos sic urget S. August.[1]): *Si miracula facta esse non credunt, hoc nobis unum grande miraculum sufficit, quod terrarum orbis sine aliis miraculis credidit.*

PROPOSITIO II.

Religionem Christianam divinam esse, probant stupendi quos in orbe produxit effectus.

444. — Prob. Patet argumenti veritas, si certum sit, 1^0 effectus ejusmodi per evangelium revera fuisse productos; 2^0 illos aliunde quam a Deo proficisci non potuisse. Atqui etc. Ergo etc.

Prob. I. pars min. Per evangelii praedicationem ubique terrarum diffusa est pura et ab omni errore libera religio; depulsa est idololatria; eversae impiae superstitiones, sublata cruenta hominum sacrificia, aliaque multa infamia et nefaria flagitia, deorum exemplo sacrisque ritibus probata. Obtinuit ubique veri Dei cognitio cultusque sanctissimo numini debitus. Quae Dei attributa, quae hominum conditionem divinaeque providentiae ordinem concernant, ignota antea et crassis occultata tenebris, in tam clara subito luce apparuerunt, ut infimae plebis homines de rebus divinis, de humani generis ortu et fine, de mediis quibus beati esse possumus, majora et saniora et sublimiora nunc sapiant, quam olim praestantissimi philosophi. Nec minus stupenda erat mutatio, quae

1) De civit. Dei lib. XXII. cap. V.

in hominum moribus contigit. Facta est evangelii promulgatio ea mundi aetate, quae erat omnium flagitiosissima. Nihilominus homines antea in omne flagitium et scelus projecti ita subito mutati sunt in alios, ut non tantum a vitiis temperarent, sed etiam exempla exhiberent maximarum virtutum. Haec autem exempla non raro fuerunt et aliquorum tantum, sed in omnibus Christianis ita conspicua, ut magnam etiam paganis injecerint Christiani nominis reverentiam. Stupebant omnes novam philosophiam omni alia philosophia longe sanctiorem et sublimiorem; non lingua ventosam, non crepantem buccis, non sententiis affluentem, sed castam moribus et omnium bonorum operum fructibus abundantem; philosophiam, quae animos ab omni ambitione et cupiditate sanaret, omnia, quae alendis libidinibus serviunt, resecaret, atque homines omnis conditionis, puerulos, feminas, barbaros et idiotas doceret, quod summum est sapientiae, se ipsos regere, dominari sibi ipsis; quae ex universo hominum genere unam efficeret familiam, et ubique fontes liberalitatis uberrimos aperiret; quae quidquid humanam naturam decet, quidquid etiam civilis et politicae felicitatis esse poterat, suis praeceptis roboraret et perficeret.

445. — Hujus tam subitae et extraordinariae conversionis testes habemus 1⁰ auctores Christianos, qui de ea loquuntur cum ea fidentia et securitate atque in illis circumstantiis, ut in eorum verbis falsum suspicari non liceat. Apostolus in omnibus fere epistolis, in quibus sane nulla est adulatio, virtutes Christianorum extollit. Vide I *Cor.* VI. Qui postmodum secuti sunt Christiani scriptores, in hoc argumento saepius versati sunt, ut *Clemens Rom.* in sua epist. ad Corinth., *Justinus*, *Athenagoras*, *Tertullianus* in apologiis, quas scripserunt pro Christianis, *Minutius Felix*, *Lactantius* Inst. lib. III. cap. 26. Hi omnes viri eruditionis et sanctitatis fama illustres, non verentur stupendam illam mutationem ex evangelii praedicatione ortam mire praedicare in publicis scriptis ad imperatores, ad senatum, ad populum Romanum missis, fidemque appellare infensissimorum hostium Christiani nominis.

Habemus 2⁰ ipsorum paganorum testimonia, et quidem, ut cetera omittam, celebrem *Plinii* ad Trajanum epistolam, in qua ait, nihil se aliud de Christianis comperisse, quam *quod essent soliti stato die ante lucem convenire, carmenque Christo quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent.*

446. — Prob. II. pars min. Divinae virtuti abscribendus est effectus ille, cui producendo impares erant omnes causae naturales; imprimis illae, quae adhibitae sunt, aut adhiberi potuerunt. Nemo nescit, quantae molis sit vel unius hominis mentem immutare, et ex flagitioso homine vere probatum et sanctum efficere. Non est hoc humanae virtutis opus, sed miraculum gratiae in ordine morali, sicut resuscitatio mortui in ordine naturali. Quis jam cum viderit tam mirabiles effectus non in uno aliove, sed in multitudine prope infinita, ubique terrarum contigisse, ita ut fere, juxta prophetica verba, facta sit nova creatio, novi coeli et nova terra, quis inquam haec videns non exclamare cogitur: *A Domino factum est istud, et est mirabile in oculis nostris?* Ps. CXVII, 23. Quod nulla humana sapientia, nulla principum etiam potentissimorum auctoritas efficere unquam potuisset aut voluisset; id crux Christi effecit, quam Apostoli ubique confidentissime praedicarunt. Manet ergo totius orbis testimonio confirmatum, quod ait Apostolus: *Verbum crucis iis, qui salvi fiunt, Dei vir-*

tus est; . . quod stultum est Dei, sapientius est hominibus, et quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. I Cor. I, 18. 25.

PROPOSITIO III.

Constantia martyrum divinam religionis Christianae originem probat.

447. — Prob. Martyrum Christianorum constantia et fortitudo naturae opus non est, sed gratiae et virtutis divinae; ergo religionis Christianae divinitatem probat.

Prob. ant. Tria in martyribus consideranda sunt: 1⁰ infinitus fere eorum, qui pro Christo passi sunt, numerus; 2⁰ atrocissima, quibus afficiebantur, suppliciorum genera; 3⁰ modus, quo ea perpessi sunt.

448. — I. Haec fortitudo non in paucis, quos natura fortes et constantes effecerat, emicuit, sed in infinita pene hominum multitudine, cujuscunque aetatis et conditionis. Non enim per breve aliquod tempus, aut in una aliaque civitate contra Christianos saevitum est, sed ubique, sed per plura saecula. Decem ad minimum in imperio Romano persecutiones exarserunt usque ad Constantini Magni tempora, non longis interpositis intervallis, et his ipsis non ubique. Data per Constantinum pace, immaniter saevire coepit Sapor rex Persarum; tantaque tunc ad martyrii palmam pervenit martyrum multitudo, ut teste Sozomeno [1]) ii, quorum nomina servabantur ab ecclesia, ad sexdecim millia pervenerint, et innumerabiles fuerint illi, quorum nomina exciderant.

449. — II. Nihil est, quod ad frangendam Christianorum constantiam non adhibuerint religionis osores. Non tantum honoribus eos arcebant, non tantum bonorum publicatione, carorum amissione, exilio eos mulctabant; levia haec: damnabantur ad metalla, ad supplicia, ad mortem. Et quoniam sciebant, Christi sectatores mortem non detrimentum habere, sed lucrum; victoriam non tam ex morte, quam ex genere mortis, ex suppliciorum diuturnitate et acerbitate sperabant. Igitur non vulgaria adhibebant mortium genera, sed vivi-comburia, crucem, clavorum suffixiones, membrorum abscissiones ac perustiones, effossiones oculorum, totius corporis mutilationes aliasque id genus poenas, quae sine maximo horrore legi aut cogitari non possunt. Ne autem cita mors finem faceret doloribus, pertinaci stultitia, ut ait *Lactantius* [1]), curam tortis diligenter adhibebant, ut ad alios cruciatus membra renovarentur; et repararetur novus sanguis ad poenam.

450. — III. Ita autem mortem et omnis generis cruciatus tolerarunt Christiani martyres, ut nihil sit magis ab omni pertinacia, aut fanatico furore, aut vanae gloriae cupiditate alienum, et pagani non semel tam novo spectaculo commoti, divinum aliquid subesse cognoverint. Stabant coram tyrannis mente libera et in Deum erecta magis, absolvi timentes, quam mori; nulla, cum torquerentur, debilitati animi signa dabant, sed neque gloriam affectabant ex dolorum contemptu; ubique elucet ardentissima in Deum pietas, charitas in ipsos tyrannos et tortores plusquam humana, mira animi tranquillitas, mixta gravitati et modestiae hilaritas, uno verbo, magnitudo mentis incredibilis.

451. — Conclusio. Jam vero quis tantam considerans fortitudinem, et in natura infirma et imbecilli animi virtutem tam diuturnam, tam universalem, tam incredibilem, non fatebitur nobiscum naturam hominum istius constantiae capacem non esse; sed Christum adfuisse martyribus suis, et humanis mentibus vim indidisse divinam, omnibus humanis affectionibus potentiorem? Nam nec emolumenti temporalis

1) Lib. II. hist. cap. XIV.

1) Lib. V. Instit. cap. 11.

spes aderat, ubi relictis omnibus, quae in hac terra possidebant, tormentis se tradebant et morti; neque eos gloriae cupido incitare poterat, qui crucis ignominiam amplectebantur et malefactorum supplicia alacri animo sustinebant; neque fanatico errore agitari potuit tanta multitudo omnis generis sexusque hominum, tot locis ac saeculis distinctorum, quorum plerique in fide Christiana a puerita innutriti non fuerant, sed accesserunt libenter ad hanc disciplinam, quamquam sciebant, se eam amplectendo acerba quaeque et nefanda passuros. Fateantur igitur increduli, quod ipsi gentiles, cum martyrum fortitudinem spectarent, fateri toties coacti sunt: a Deo profectam esse religionem illam, quae in omni aetate, in omni sexu, in omni conditione athletas formaverat tantae virtutis et tam excelsae mentis, ut quamvis homines hominibus tamen majores viderentur.

PROPOSITIO IV.

Perpetua religionis Christianae stabilitas probat peculiarem Dei in ea tuenda providentiam.

452. — Prob. Christus ecclesiae perpetuam stabilitatem promisit eo tempore, quo futuram ejusdem amplitudinem et firmitatem nulla mens creata praesagire poterat. Ad duodecim viros idiotas et ignobiles haec verba direxit admirationis plena: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam* [1]) . . . *Euntes docete omnes gentes. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi* [2]). Certe virum tunc temporis haec verba proferentem vel insanum esse oportebat vel divinum, divinum vero fuisse manifestum est ex eorum, quae praedixit, completione. Siquis secum perpenderit, quam incertae et mobiles sint res omnes humanae, nihil sub sole permanere, sed innumeris casibus in omnem partem cuncta agitari; si imprimis omnium humanarum institutionum, potentissimorum etiam regnorum vicissitudines et continuas commutationes attenderit, atque his opposuerit invictam religionis Christianae firmitatem, quae inter res torrentis adinstar cum impetu decurrentes sola permansit immota; num dubitare poterit divinam illam esse, et ejus potentia sustineri, qui res omnes nutu suo moderatur et gubernat? Aut an nihil contra eam molita est temporum inconstantia et hominum perversitas? Quantis a prima sua origine jactata fuerit tempestatibus, quam violenter a potentissimis hostibus impugnata, quanta ex novatorum molitionibus, ex haereticorum fraudibus, ex barbarorum incursionibus, ex ipsa Christianorum ignorantia et corruptione pericula subierit, nemo ignorat.

Augetur in dies hujus argumenti pondus. Sicut enim nulla est aetas, quae non nova mala tulerit novasque inferorum machinationes; sic etiam nulla est, quae non nova exhibeat divinae providentiae miracula. Et nos hujus rei experimenta vidimus; nunquam enim tam foeda in ecclesiam tempestas saeviit, nunquam tantis procellis agitata est Petri navicula. Triumphos agebant impii de certa, uti putabant, Christianae religionis ruina; verum cum magis ingravesceret periculum, et jam mergi inciperet navis, opem tulit, qui semper ecclesiae praesens est Christus disjectisque nubibus motos composuit fluctus. Nemo igitur sincerae mentis esse potest, qui non in hac perpetua ecclesiae stabilitate divinam opem et constans miraculum agnoscat. Ergo etc. [1]).

1) *Matth.* XVI, 18. 2) Ibid. XXVIII, 19. 20.

1) M. de *Bonald* dans un discours tenu dans la chambre des députés le 4. Mars 1817, après avoir parlé de cette haine constante, et toujours si active d'un certain parti contre la religion de nos pères,

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Contra I. propositionem.

453. — Obj. I. Plures assignari possunt causae naturales, hominum ingeniis et affectionibus mirum in modum accommodatae, quae religionis Christianae propagationem vehementer promoverunt; ita quidem, ut mirari potius debeamus, quod nec rapidior, nec universalior ejus progressus fuerit. Ergo etc.

Afferuntur autem sequentes rationes:

1° Intolerans Christianorum zelus, qui omnem spem salutis adimit aliter sentientibus.

2° Firma alterius vitae exspectatio.

3° Allegata a Christianis miracula.

4° Severior morum disciplina.

5° Ipsa Christianae reipublicae constitutio, et singularis animorum conjunctio, atque ad omnia caritatis officia paratus animus.

454. — Resp. Haec *Gibbonis* argumenta singula examinare et refutare propter angustiores hujus tractationis limites non possumus, neque ad religionis defensionem id necessarium credimus. Quaedam in genere adnotasse sufficiat.

1° D. *Gibbon* quinque has causas *secundarias* appellat; duas autem *primarias* indicat, nempe ipsam evidentiam Christianae doctrinae et divinam ejus auctoris providentiam. Optandum utique esset, ut mentem suam clarius exposuisset; verum quas primarias dixit causas postmodum omnino praeterit, totusque in eo est, ut illas, quas secundarias vocat, multis ambagibus atque inutili eruditionis apparatu et ad rem non pertinente sustentet. Haec jam virum ostendunt a religione alienum, aut levis et inconstantis animi, qui si impius non fuit, tamen ex paradoxis ejusmodi assertionibus, et ad impiorum placita compositis, favorem quaesivit operi suo et commendationem.

455. — 2° Rationes, quas D. *Gibbon* affert, vel religionem jam supponunt per orbem diffusam (nisi enim supponatur jam existens, nec zelo suo, nec virtutum rigore, nec severiore disciplina, nec constitutionis suae forma alios allicere potuisset), vel contrarium probant ab eo, quod auctor intendit. Quis enim sibi persuadeat, quod disciplinae severitas, quod ardens ille et in aliter sentientes intolerans zelus, quod spes alterius vitae cum rerum praesentium contemptu conjuncta, hominibus in vitiis enutritis, mollibus et luxuriosis ac praesentibus tantum bonis inhiantibus tantum potuerit Christiani nominis amorem injicere? Judaei semper omnes alias religiones damnarunt, an ideo quemquam ad partes suas traxerunt? Quod miracula attinet a Christianis allegata, vel illa revera patrata sunt, vel non; si primum: fatendum est, quod volumus, nempe celerem illam religionis Christianae propagationem naturalibus mediis adscribi non posse; si facta non sunt, intelligi non potest, quomodo orbis hominibus obscuris et idiotis fidem adhibuerit, sibique novam ac corruptae naturae gravissimam religionem imponi passus sit. Sed tantus est in philosophis nostris veritatis amor, tanta in judicando aequitas, ut omnia, quae contra religionem congeruntur, utut vana et ridicula, magno studio arripiant et summis laudibus celebrent; quae autem ad religionis probationem afferuntur, quamvis clara et evidentia, cum fastidio respuant. O miseram et infestam philosophandi artem, qua non ad veritatem erudimur, sed aberrare discimus a vero, et ratione abuti in hominum perniciem!

456. — Inst. I. Eo tempore, quo promulgari coepit Christiana religio,

---

ajoute cette énergique et profonde pensée: *Je rends grâce à mon siècle, de m'avoir donné cette nouvelle preuve de la vérité du Christianisme. Il est certain philosophiquement, qu'il ne serait pas possible à l'homme de haïr si fortement, ce qui ne serait qu'une erreur.*

totus orbis erat in pace compositus, et Romanum imperium omnes fere tum cognitas nationes communi vinculo colligabat. Plerique homines philosophiae studio exculti in paganismo praeter insanas et ridiculas fabulas nihil videbant. Praeterea notum est, quantum homines alliciat novitatis amor; mirum ergo non est, si multi relicto deorum cultu, qui propter vetustatem obsoleverat, Christi doctrinam tanquam novam susceperint. Ergo naturalibus causis adscribi debet religio Christianae promulgatio.

Resp. Fatemur, statum politicum imperii Romani et illam omnium populorum in unum corpus conjunctionem faciliorem reddidisse evangelii dissemination em; imo nec illud inficiabimur, philosophiae studium aliquo modo animos ad evangelium praeparasse. Haec etiam a primis Patribus ultro conceduntur; verum in hoc ipso sapientissimam providentiam agnoscebant gubernantis omnia et moderantis Dei, qui imperiorum fata ita ordinavit, ut tempore, quo statuerat, manifestare se hominibus per filium suum, libera pateret via evangelizantibus. Porro haec nihil contra propositionem nostram efficiunt, manent enim omnia illa impedimenta, quae supra attulimus, manent alia omnia, quae supernaturalem Dei ordinationem probant.

Si qui fuerunt, quos philosophiae studium vehementius ad veritatis investigationem accendit, et qui veritatem sincere quaerendo ad religionem Christianam pervenerunt, hi pauci admodum fuerunt. Philosophia enim tam vetus, quam nova, raro homines ad rectitudinem finxit, aut ad sincerum veritatis desiderium inflammavit; sed ut plurimum vanos efficit, superbos, pertinaces, opinionum suarum amatores, gloriae tantum servientes; non discendi cupidos, sed doctrinam buccis crepantibus venditantes. Tales autem homines necessario infensos habet evangelium.

Novitatis amor homines non impellit ad amplectendam religionem cupiditatibus adversam, quae animum abstrahit a vitae praesentis commodis et fortunae temporalis illecebris. Longe potentius hominem impellit amor vitae et bonorum. Porro hominum multitudo, imprimis cum de religione agitur, tam parum hoc stimulo excitatur, ut potius nihil magis et pertinacius retineat, quam deorum cultus a patribus acceptos et longo usu consecratos.

457. — Inst. II. Ante Constantinum pauci admodum fuerunt Christiani iique plebeji et ignari; postquam Constantinus Christo nomen dederat, progressus religionis imperatorum potentiae et edictis debebantur. Ergo etc.

Resp. neg. Ant. I. In probatione ostensum est, numerum Christianorum in infinitum prope auctum fuisse; eo praecise tempore, quo immanissimae persecutiones saeviebant. Secundo jam saeculo Tertullianus in Apologetico ad imperatores ita loquitur: *Hesterni sumus et vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum; sola vobis relinquimus templa.* Inter pugnas et persecutiones crevit religio, et quo magis in eam saeviebant persecutores, eo magis augebatur Christianorum numerus: *Nihil proficit*, ait idem Tertullianus [1]), *exquisitior crudelitas vestra. . . Plures efficimur, quoties metimur a vobis: semen est sanguis Christianorum.* Igitur contra omnem historiae fidem, contra auctorum coaevorum tum Christianorum tum paganorum auctoritatem loquuntur philosophi, cum asserunt, exiguum fuisse Christianorum numerum ante Constantinum. Verum in hoc, sicut et in aliis multis, secum ipsi non consentiunt; quod negarunt,

1) Apolog. capp. XXXVII et IV.

alio loco affirmant; quod affirmarunt, postea negant, prout prodesse rei suae existimant; idque *philosophiam historiae* vocant. Quando enim de Constantini conversione agitur, ut probent eam non opis supernaturalis et convictionis internae opus fuisse, exaggerant numerum Christianorum et contendunt, callide id egisse Constantinum et ex humanae politicae legibus, ut omnes ubique Christianos in partes suas traheret, et in capessendo imperio haberet adjutores.

458. — II. Quod dictitare solent increduli, nempe plebeios tantum et ignobiles homines ante Constantinum se legi evangelicae subdidisse, id omnino falsum esse, superius jam probatum est, cum de librorum N. T. veritate egimus. Pauca hic addimus. Arnobius sic audet ethnicos compellare: *Haec saltem vobis fidem faciant argumenta credendi, quod jam per omnes terras, in tam brevi tempore immensi nominis ejus sacramenta diffusa sunt... Quod tam magnis ingeniis praediti oratores, grammatici, rhetores, consulti juris ac medici, philosophiae etiam secreta rimantes magisteria haec expetunt, spretis, quibus paulo ante fidebant.* Arnobium secutus est S. Hieronymus[1]), cujus haec verba sunt: *Discant igitur Celsus, Porphyrius, Julianus, rabidi adversus Christum canes, discant eorum sectatores, qui putant ecclesiam nullos philosophos et eloquentes, nullos habuisse doctores, quanti et quales viri eam fundaverint, exstruxerint, ornaverint; et desinant fidem nostram rusticae tantum simplicitatis arguere, suamque potius imperitiam agnoscant*[2]).

459. — III. Quod religio Christiana progressus suos imperatorum potentiae et edictis non debeat, ex eo satis apparet, quod tribus prioribus saeculis totum fere orbem pervagata sit, cum imperatores in eam igne, ferro et omni tormentorum genere saevirent, et edicta crudelissima ederentur in Christianorum perniciem. Praeterea ostendant adversarii, quibusnam imperatorum edictis adscribenda sit principum ipsorum conversio, qui evangelii jugo superba colla subdiderunt, jussi incendere, quod prius adoraverant, et adorare, quod prius incenderant.

460. — Obj. II. Mahumetismus intra tempus sat breve longe lateque diffusus fuit; ergo propagatio divinam religionis originem non probat.

Resp. dist. conseq. Si eos characteres non habeat, quos in probatione attulimus, *conc.* Si talis sit, qualem ibi expressimus, *neg.* Non omnis propagatio etiam celerrima religionem aliquam divinam esse probat, siquidem mali contagio promptius diffunditur, quam ipsa veritas. Mahumetismus ferro propagatus est, non persuasione, et cum fuerit mediis in tenebris natus, etiam naturale praesidium semper in ignorantia posuit; omnem enim asseclis suis de religione disputationem interdicit. Caeterum cupiditatibus favet, Epicuream felicitatem promittit; politicis et militaribus legibus ita abundat, ut nuspiam consistere possit, nisi ubi Mahumetani dominantur. Haec omnia e diametro opponuntur iis, quae de religione Christiana a nobis dicta sunt.

---

1) In Praef. ad Catalog. scriptorum ecclesiast.

2) Plura alia antiquorum Patrum testimonia videri possunt apud *Grotium* de veritate religionis Christianae Tom. II. cap. XVIII. not. 32. 33. 34. 35. et imprimis 36. De his quoque, sicut de aliis multis, quae ad hanc demonstrationem Christianam pertinent, plura habet clarissimus. D. *Zimmer* (Veritas relig. Christ. pag. 361.), quae cum fructu et gustu legi possunt a theologiae candidatis. Adde *Schwarz* Handbuch I. Bd. S. 129. et D. *Delahogue,* Parisiensis Doctoris tractatum de religione, anno 1815 editum, ubi ea, quae contra religionis Christianae propagationem et martyrum constantiam a *Gibbone* proferuntur argumenta, ex professo refutat.

461. — Inst. I. Pleraque ex iis, quae Mahumetis religioni objiciuntur, non cadunt in paganismum, qui per universum orbem diffusus est, et inconcussus stetit per tot saecula. Ergo etc.

Resp. Unum nomen est gentilismi, sed non una religio. Quaelibet gens deos suos habuit, suosque ritus; aliter de Deo sentiebant philosophi, aliter populus. Si ad originem idololatriae redimus, aliam non inveniemus, quam veri Dei oblivionem, causarum naturalium ignorantiam, metum, adulationem, foedamque morum depravationem.

462. — Inst. II. Celerrime propagatus est saeculo IV. Arianismus, et ut ea tantum quae propiora sunt afferamus, saeculo XVI. Lutheranismus et Calvinismus.

Resp. Praeterquam quod sectae illae semper exigua fuerint hominum manus, si cum magno catholicorum numero comparentur; illarum diffusio qualiscunque causas naturales habuit valde manifestas. Arianismus principum potentia subnixus, tam diu sectatores habuit, quam diu potuit terrere metu, aut spe bonorum temporalium allicere. Omnes autem quae saeculo XVI. eruperunt protestantium sectae exinde incrementa ceperunt, quod principum cupiditati bona ecclesiae diripienda tradiderint; quod vanis semidoctorum ingeniis permiserint dogmatum et scripturae sacrae examen; quod deterrimos quosque ex ordine sacerdotum et religionis coetibus pellexerint saeculi et nuptiarum illecebris; quod universos demum absolverint confessionis, poenitentiae, jejunii, bonorum operum jugo ac necessitate. Quid mirum, si multi tum levis fidei homines quasi turbine aliquo ablati fuerunt, aut tanquam palea facta commotione ex area ecclesiae avolarunt.

Contra II. propositionem.

463. — Obj. I. Nihil extraordinarium habet singulare illud boni rectique studium, quod Christiani ab initio suae institutionis monstrarunt; id enim commune est omnibus sectis. Siquidem initia fervent, successu vero temporis languescit ardor et paulatim extinguitur. Apud veteres paganos laudantur mores Pythagoraeorum, apud Judaeos Esseniorum, et recentioribus temporibus virtutibus claruerunt initio reformationis Lutherani, Calvinistae, Quaekeri etc.

Resp. Quis aequus rerum judex ecclesiam Christi per totum ferme orbem disseminatam, omnem aetatem, sexum et conditionem complectentem, conferre poterit cum paucis Pythagorae asseclis, aut cum Esseniorum sodalitiis? Quis vanas quasdam virtutum species comparare audebit cum eximio illo maximarum virtutum splendore, qui ex Christianorum vita eluxit et paganos etiam in admirationem traxit? Virtutem non in pallio philosophico quaesierunt Christiani, neque in eo, quod formam vitae singularem affectarent, aut ritibus externis, et vanis traditionibus scrupulosius inhaererent; quod et Pharisaei fecerunt: sed in contemptu voluptatum, divitiarum et honorum; in vitae innocentia tanta, ut etiam speciem mali reformidarent; in beneficentia erga universos, etiam erga hostes suos; in dolorum, injuriarum, persecutionum tolerantia prorsus stupenda; in amore Dei et rerum coelestium desiderio tam admirabili, ut vix adhuc homines esse viderentur.

Quod primorum reformatorum virtutes attinet, melius agerent adversarii, si de illis tacerent. Eas non adeo admirabatur Erasmus, Melanchton et ipse Lutherus. Vid. Histoire des Variations par *Bossuet* liv. V. Hirtenbrief von Clemens Wenzeslaus, Erzbischof von Trier, S. 140.

464. — Obj. II. Id saltem negari non potest, Christianos cito defecisse a primo fervore et in omni aetate multa fuisse apud eos flagitia et immania crimina; ergo non est, cur tantopere

extollatur hujus religionis ad immutandos mores efficacia.

Resp. I. In hoc argumento jucundissime versantur Deistae, et in exaggerandis Christianorum vitiis nesciunt tenere modum. Quaecunque sint Christianorum hodiernorum crimina, ea non possunt sanctissimae religioni exprobrari, quae tam puram proponit morum disciplinam, tam efficacia virtutis motiva. Illi tantum vitiosi sunt, qui spreta patrum religione ad philosophorum castra transeunt, aut saltem metu numinis abjecto, mores ad evangelii leges informare detrectant. Si qui reperiantur, qui sanitatem non recuperant, quia remediis ad sanitatem restituendam aptissimis uti renuunt, an ii argumentum efficere possunt contra vim et efficaciam remediorum [1]?

1) „C'est mal raisonner contre la religion, que de rassembler dans un grand ouvrage une longue énumération des maux, qu'elle a produits, dit *Montesquieu* (Esprit des loix liv. XXIV. chap. XI.), si l'on ne fait de même celle des biens, qu'elle a faits. Si je voulais raconter tous les maux, qu'ont produit dans le monde les loix civiles, le gouvernement républicain, je dirais des choses effroyables. . . . Nos gouvernemens, dit *Rousseau* (*Emile* liv. III.), doivent incontestablement au Christianisme leur plus solide autorité, et leurs révolutions moins fréquentes; il les a rendu eux-mêmes moins sanguinaires. Cela se prouve par le fait, en les comparant aux gouvernemens anciens. La religion mieux connue écartant le fanatisme a donné plus de douceur aux moeurs Chrétiennes. Ce changement n'est pas l'ouvrage des lettres; car partout, où elles sont brillées, l'humanité n'a pas été plus respectée. Les cruautés des Athéniens, des Egyptiens, des empereurs de Rome, des Chinois etc. en font foi.“ Voyez aussi *Bergier* Traité dogmatique etc. Tom. IX. pag. 495. Non possumus ea omnia proferre, quae de religionis Christianae asseclis eorumque praeclaris virtutibus dixerunt tum veteres tum recentiores apologistae. Pauca tantum ex S. *Chrysostomo* adjicimus, quae sicut nos magna voluptate affecerunt, sic nostris quoque candidatis speramus non fore injucunda: *Quod per syllogismos,* ait (Homil. VII.), *non potuerunt philosophi, hoc fecit quae videbatur esse stultitia. Quis ergo est sapientior; isne qui paucis, an qui nullis, qui de maximis persuadet, an qui de iis, quae non oportet? Quantum laboravit Plato et ejus asseclae de linea, et angulo, et puncto, quae nobis sunt araneae telae! Crux autem persuasit per homines imperitos et persuasit toti orbi terrarum; nec de rebus quibuslibet, sed de Deo disserens et vera pietate et religione, et de evangelicae vitae institutione et futuro judicio; et rusticos et indoctos, omnes fecit philosophos.* Et iterum: *Cum famulos, et nutrices, et eunuchos ad tantam deduxerint philosophiam et facerent pares angelis, divinae inspirationis maximam exhibuerunt demonstrationem. Quo magis stultos ostenderis eos qui sunt persuasi, eo magis ostendes sapientes et divina repletos gratia eos, qui persuaserunt. At hoc inquies: Persuasi sunt ob stultitiam. Cujusmodi, quaeso, sunt hae stultitiae, quod anima sit immortalis, sincerum incorruptumque nos post hanc vitam excipiat judicium? Hoc ipsum ergo, dic quaeso, despicere praesentia, virtutem magnifacere, non hic praemia quaerere, sed ulterius spe procedere animoque esse adeo stabili et constanti in fide, ut nihil eorum, quae adsunt gravia et aspera, a spe impediat proposita, quantae est philosophiae?*

465. — II. Quid Christianorum religio possit ad immutandos hominum mores, tam evidente experimento per plura saecula probatum est, ut quidquid agant increduli, non possint hujus argumenti vim elidere. Sed neque posterioribus saeculis ita unquam invaluit corruptio, et rerum divinarum ignorantia, ut non multifariam apparuerit singularis religionis efficacia. Non tantum cupiditatum conatibus semper se objecit, sed et omnia aetate praeclara et heroica tulit virtutum exempla, multosque omnis sexus et conditionis homines impulit ad sanctiorem vitae rationem; ita ut aequo rerum aestimatori certum sit, illa etiam ecclesiae saecula, quae prae ceteris ingrata et infelicia fuerunt, multum tamen illis omnibus antecellere, quae

ante Christum effluxerunt. Ceterum plures sunt religionis Christianae saluberrimi effectus adhuc existentes; quales sunt extinctio idololatriae cum impuris ejus ritibus et omnium vitiorum comitatu; introductio sanctissimi cultus, major morum mansuetudo, servitutis abolitio, supremae potestatis in civitatibus temperatio, jus gentium humanum magis, quod etiam inter arma viget; aperta ubique pauperibus miserisque hominibus perfugia, erectae sodalitates et virorum ac foeminarum instituta ad evangelii propagationem, juventutis institutionem, captivorum liberationem, pauperum, aegrotorum curationem. Haec summa sunt religionis Christianae in totum hominum genus merita nunquam interitura.

Contra III. propositionem.

466. — Obj. I. Numerus martyrum tantus non fuit, quantus a Christianis vulgo traditur; multa siquidem falsa martyrum acta conficta sunt, praesertim medio aevo, quo tempore etiam diversa illa et exquisita tormentorum genera inventa sunt, quibus vitas martyrum exornatas conspicimus. Ergo etc.

Resp. Innumeros martyres pro Christi nomine occubuisse, non probamus ex actis medio aevo conscriptis, in quibus fatemur plura esse sine judicio congesta. Testes nobis sunt scriptores accuratissimi, coaevi, ab omni fallendi suspicione longe remoti: ut *Irenaeus*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Origenes*, *Lactantius*, *Eusebius*, quin et ipsi profani auctores, ut *Tacitus* [1]), *Suetonius* [2]), *Plinius* [3]), *Celsus* apud Originem et alii. Vide praef. ad acta sincera martyr. D. Ruinart.

Eadem testimonia fidem nobis faciunt de diversis saevissimisque suppliciorum generibus, quibus ad frangendam Christianorum constantiam utebantur pagani. *Pereuntibus addita ludibria*, ait Tacitus, *ut ferorum tergis contecti laniatu canum interirent; aut crucibus affixi, aut flammandi, atque ubi defecisset dies in usum nocturni luminis urerentur.* Sed verba audiamus ipsius D. *Gibbon*, qui in eadem pagina, ubi ait varias imagines tormentorum, quibus martyres excruciatos fuisse dicitur, meros foetus esse imaginationis monachorum, ita de martyrum suppliciis loquitur: „Quando minae et preces inutiles evadebant, magistratus ad vim saepius confugiebat. In subsidium rationum, quibus non cesserant Christiani, arcessebantur flagella et alia tormenta. Quidquid excogitari poterat in suppliciis exquisitius ad frangendam tam obstinatam, et ut paganis videbatur tam criminosam pertinaciam, adhibebatur.“ Haec pugnare inter se, nemo non videt; sed demus philosophis nostris, ut liceat ipsis absurda et contradicentia dicere.

467. — Inst. Origenes, saeculi III. scriptor lib. III. contra Celsum ait: *Deo propugnante et opportunis temporibus cohibente persecutores Christiani nominis, pauci per intervalla temporum et facile numerabiles pro religione Christiana mortui sunt.* Ergo etc.

Resp. dist. conseq. Ergo pauci erant martyres comparate ad eos, qui persecutioni fuerant superstites, *conc.*, pauci absolute *nego.* Scopus Origenis erat, ostendere singularem Dei in conservanda ecclesia providentiam, quae passa non est, ut gens Christiana interiret. Ita enim pergit: *Deo vetante, ne in totum exscinderetur hoc genus hominum, subsistere illud voluit et omnes terras repleri salutari doctrina ista.* In hoc ipso opere multitudinem martyrum agnoscit lib. II.: *Nostro tempore multi scientes moriendum sibi, si confiteantur Christianismum, abnegato vero absolvendos se, contempserunt vitam et ultro mortem ob pietatem elegerunt.* Porro persecutiones, quae post Origenem aut opere contra Celsum

1) Lib. XV. Annal. cap. XLIV. 2) De Neron. cap. XVI. 3) Epistola ad Traj.

jam scripto exarserunt, omnium erant crudelissimae.

468. — Obj. II. Omnes fere, qui a Christianis martyrum titulo condecorantur, non religionis causa passi sunt, sed propter rebellionis crimen, aut alia nefanda scelera, quae ipsis a paganis objiciebantur. Ergo etc,

Resp. neg. ant. Christiani ab ipso divino institutore suo didicerunt, quanta ipsis sustinenda essent propter nomen ejus: *Odio eritis omnibus gentibus propter nomen meum*[1]). Hac cogitatione armati cum gaudio tradebant se judicantibus se injuste, memores verborum divi Petri[2]): *Nemo vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor; si autem ut Christianus, non erubescat, glorificet autem Deum in isto nomine.* In eadem epistola pluries inculcatur Christianis, ut conversationem habeant bonam inter gentes, ut omni humanae potestati subjecti sint propter Deum, ut benefacientes obmutescere faciant imprudentium hominum ignorantiam: *Melius est enim,* ut ait idem Apostolus[3]), *benefacientes pati quam malefacientes.* Haec animo imbiberant primorum temporum Christiani, inde tanta animi fortitudo cum tanta modestia et humilitate; inde illa ad patiendum alacritas et in mediis tormentis animi exultatio.

Nihil in historia certius est, quam Christianos ob solam Christiani nominis confessionem fuisse damnatos. Hujus rei testes habemus non tantum auctores Christianos, qui eo tempore scripserunt; sed etiam paganorum scriptores, quorum auctoritatem recusare non possunt increduli. Nota sunt Plinii, Taciti, Suetonii testimonia; sed et ipsa imperatorum edicta adversus Christianos ad oculum demonstrant, non scelus aliquod in Christianis damnatum fuisse, sed nomen. Vide *Bullet,* Histoire de l'établissement du Christianisme tirée de seuls auteurs Juifs et payens.

469. — Quod crimina attinet Christianis objecta, ea in specie omnia diluit *Tertullianus* in celebri suo pro Christianis Apologetico. Quam alieni fuerint a rebellionis crimine, vel ex eo patet, quod, licet iniquissime semper vexati fuerint, quamvis ita numerosi, ut imperium evertere potuissent, si arma capessere voluissent adversus imperatores; nihilominus injusta quaeque et crudelissima pati maluerint, quam principum potestati vim opponere. In tot, quae eo tempore contigerunt, imperii perturbationibus, imperatorum necibus, militum defectionibus, civium discordiis, nunquam inventi sunt Christiani. *Circa majestatem imperatoris infamamur,* ait *Tertullianus* ad Scapulam, *tamen nunquam Albiniani, vel Nigriani et Cassiani inventi sunt Christiani ... Cui bello non idonei, non prompti fuissemus,* ait idem, *etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur: si non apud istam disciplinam* (Christianam) *magis occidi liceret, quam occidere?*

Impudicitiae et incestus suspicionem removet *Tertullianus*[1]), ostendendo severam morum doctrinam Christianorum, quae eos adeo a circo, a theatro omnibusque illis locis prohibeat, in quibus rerum ac verborum obscoenitate pascitur inverecunda libido. Capite autem L. Apolog. ita judices interpellat: *Probatio est innocentiae nostrae iniquitas vestra. Nam ad lenonem* (prostibulum) *damnando Christianam potius quam ad leonem confessi estis, labem pudicitiae apud nos atrociorem omni poena et omni morte reputari.*

470. — Verum omnes illas paganorum criminationes ulterius persequi, necesse non est; hoc unum adjicimus

1) *Matth.* XXIV, 9. 2) *Petr.* IV. 3) Ibid. III. 17.

1) Apolog. cap. XXXVIII.

generale et peremptorium *Tertulliani* argumentum. Si Christiani propter crimina accusati et condemnati sunt, unde illa magistratuum tam diversa ratio agendi contra Christianos et caeteros reos? Cur hi torquentur, ut crimina sua confiteantur, isti ut negent id solum, quod confessi sunt (se esse Christianos)? Quod si negent, statim absolvuntur isti homines omnium scelerum rei. *Ergo*, ait, *non scelus aliquod in causa est, sed nomen. Ideo torquemur confitentes, et punimur perseverantes, et absolvimur negantes, quia nominis proelium est. Quid de tabella judicii recitatis Christianum; cur non et homicidam? si homicida Christianus, cur non et incestus? vel quodcunque aliud esse non creditis? In nobis solis pudet, aut piget ipsis nominibus scelerum pronuntiare*[1]).

471. — Obj. III. Historia multa nobis stupendae fortitudinis exempla exhibet; omni quippe aetate homines vidimus opinionibus, quibus semel imbuti fuerunt, tam firmiter addictos, ut nullis suppliciis, nec ipsa morte divelli ab illis potuerint. Ergo non est cur tantopere extollamus martyrum Christianorum constantiam.

Resp. I. Pauci omni tempore fuerunt, si Christianos excipias, qui dogmatum vel opinionum causa mortem tolerarunt. Pagani, qui solent sua semper in majus attollere, gymnosophistas aliquos numerant et Socratem; sed his viris notissimis potuit inesse vehemens famae ad posteritatem transmittendae cupiditas. At inter Christianos mortem perpessi sunt homines de plebe plurimi, vix vicinis suis cogniti, mulieres, virgines, adolescentes, quibus nec cupido inerat, nec spes probabilis duraturi nominis. Pauci sunt, quorum nomina in martyrologiis extant, prae numero eorum, qui supplicium tolerarunt et tantum in cumulum recensentur. Deinde hoc ipsum, quod pagani quidam et haeretici pro *opinionibus* passi sint, eorum testimonium infirmat; in his enim facile deluditur et decipit imaginatio. Christiani vero martyres pro confirmandis factis sensibilibus et publicis mortui sunt, in quibus decipi non potuerunt; nempe affirmabant vera esse miracula, quae a religionis Christiani praeconibus edita fuerunt, et quorum vis ineluctabilis eos ad fidem Christianam adduxerat; constat enim (idque argumentum nostrum non parum confirmat), quod Christiani plerique religionem, pro qua mortem obierunt, non a parentibus quasi haereditate acceperint, sed eam amplexi fuerint contradicentibus primis educationis suae principiis. *De vestris fuimus:* ait Tertullianus (Apolog. cap. XVIII.), *fiunt, non nascuntur Christiani.*

472. — II. Non omnis in tolerandis suppliciis et morte subeunda constantia speciale Dei adjumentum probat. Scimus enim dolorum et mortis metum motivis mere naturalibus vinci, cupiditate gloriae, patriae amore, malorum graviorum metu, non raro etiam pravis atrocibusque cupiditatibus, avaritia, libidine, vindictae desiderio. Ut igitur aequum feratur judicium, omnia adjuncta consideranda sunt; quae si propius examinentur, facillimum erit ad Deistarum objecta respondere. Sicut enim Christianorum martyrum fortitudinem supra humanam fuisse illico apparebit; sic ea, quae ab adversariis objiciuntur, non tantum humana fuisse certum est, sed non raro abjecta, atrocia et multum infra humanum sensum posita.

Praeterea in hoc, sicut in aliis hujus generis argumentis notandum est, facile esse, unam aut aliam partem argumenti infirmare, si separatim sumatur: verum non est aequa haec agendi ratio; omnis enim moralis certitudo ex toto est, non ex partibus singillatim sumptis.

1) Apolog. cap. II.

CAPUT TERTIUM.

Praeter religionem Christianam nulla in orbe existit divina revelatio.

473. — Fatentur Deistae, nullam unquam gentem fuisse, quae diis acceptam non tulerit religionem suam. Scilicet natura duce cognoverunt, vanam esse omnem religionem, quae e coelo originem non haberet; deorum esse, nos docere, quo animo erga ipsos et homines esse oporteat, et quem sibi velint cultum ab hominibus exhiberi. Verum si haec unanimis hominum fides et persuasio in genere probat revelationis alicujus necessitatem et existentiam; non tamen sequitur, veras esse et a Deo revelatas omnes illas religiones diversarum gentium, quae divinam sibi originem attribuunt; pugnant enim inter se et mutuo sese excludunt.

Hoc solo argumento omnium religionum, quae a Christiana dissident, falsitas apparet. Si enim certum est, ut omnis generis argumentis evidenter probavimus, religionem Christianam divinam habere originem; simul confectum est, reliquas omnes hoc charactere penitus destitui. Deus enim sibi contradicere non potest, nec veritas cum veritate pugnare.

Verum licet demonstratio veri in se contineat confutationem erroris, neque absolute necessarium esset, contra religiones a Christiana discrepantes disserere post tam longam et luculentam fidei Christianae confirmationem; nihilominus quaedam adhuc peculiaria dicenda manent de variis illis religionibus ad hujus tractatus complementum. Religiones omnes, quae hac aetate per orbem dividuntur et sese revelatas dicunt, ad quatuor revocantur, scilicet *Christianam*, *Judaicam*, *Mahumetanam* et *Paganam*. Pro Christiana pugnavimus hucusque; de aliis nunc pauca adjicienda sunt.

ARTICULUS I.

De Judaismo.

OBSERVANDA.

474. — I. Religio Judaica hoc inter alias peculiare habet, quod origine divina sit, neque alia fuerit usque ad Christum, quae soli et invisibili Deo, rerum omnium conditori, legitimum et sanctum cultum exhibuerit. Haec Christianorum fides est, quam capite secundo hujus partis propugnavimus. Verum ibidem post-demonstratam legis hujus coelestem originem et sapientissimam institutionem, statim prolatum est, eam non tantum sponsionem nullam habuisse perpetuae durationis, sed interire debuisse, ejusque interitum in ipso reipublicae initio per Moysen et postea per Prophetas saepius fuisse praedictum. Ulterius progressi sumus et probavimus, tempus huic legis interitui praefixum jam a multis saeculis effluxisse; novum in orbe apparuisse legislatorem a Prophetis praedictum, Jesum Nazarenum; hunc novi foederis mediatorem fuisse et conditorem novae ecclesiae, quae ubique diffusa omnes gentes unius religionis vinculis colligaret. Tunc impleta sunt, quae Deus per Prophetas praedixerat[1]): *Ecce dies venient, et consummabo super domum Israël et super domum Juda testamentum novum . . . Dicendo novum, veteravit prius; quod autem antiquatur et senescit, prope interitum est*[2]). Ab eo ergo tempore Mosaica dispensatio divinitatis charactere, quem antea gerebat, exuta fuit; quamvis Apostoli ab exordio ecclesiae passi sint, ut ii, qui ex Judaica gente ad Christi ecclesiam accesserunt, antiquum vivendi modum retinerent. Hanc scilicet reverentiam veteri legi exhiberi voluerunt propter originis ejus dignitatem, ut non sine honore sepeliretur, quae pars erat et primordium veri.

475. — A tempore propagatae reli-

1) *Jerem.* XIII, 31.
2) *Heb.* VIII, 8—13.

gionis Christianae nova incipit religionis Judaicae epocha. Ab eo scilicet tempore cessarunt Judaei esse populus Dei, et nunc poenas perfidiae suae atque incredibilis pervicaciae luunt jam per octodecim fere saecula. Eorum in obsidione urbis Jerosolymae contumacia superat omnem fidem, nec quidquam divinam in illum populum vindictam clarius ostendit; nam Titi clementissimi imperatoris monita et minas tam pertinaciter contempserunt, ut nullam sibi reliquerint ad salutem viam. Numerus eorum, qui in illa obsidione perierunt, ad undecies centena millia refertur: capta vero centum millia et venumdata. Templum invito Tito flammis consumptum est. Tam evidens Dei vindicta in hoc infortunio apparuit, ut imperator negaverit, suis armis interisse Jerosolymam, neque laureas sibi ob victoriam a variis populis oblatas accipere, neque congratulatorias orationes audire voluerit. Ultimum hoc templi excidium fuit, haec postrema Judaeorum captivitas, qua extorres patria facti et per orbem terrarum dispersi, testimonio sunt universis gentibus, non ob aliud eos, quam ob illatas Christo impias manus, fuisse punitos.

476. — Sub Hadriano Judaei iterum rebellarunt, et *Bar-Kochba* duce Syriam et Palaestinam diripere conati sunt; at imperator misso exercitu rebelles subegit, interfectisque sexcentis millibus, reliquos sub hasta vendidit, et militum custodias constituit, qui Judaeos urbis aditu et conspectu arcerent; quod quidem Christianae fidei proficiebat; tum enim legis servitus a libertate fidei et ecclesiae penitus fuit exclusa, et Marcus primus ex gentibus apud Hierosolymam episcopus factus est.

At Judaei vitam agunt calamitosam apud extraneos, Deo ipso injurias suas persequente. Nulla adhuc spes liberationis ex hac diuturna captivitate affulget; nulla a mille octingentis fere annis signa apparent specialis illius providentiae, quae semper antea praesens fuerat rebus Judaeorum et in adversis sicut in prosperis aliquomodo visibilem se exhibuit. Illustre hujus rei argumentum habemus in illo eventu, qui Juliani imperatoris tempore contigit. Cum enim in odium Christianae religionis templum Hierosolymitanum instaurare statuisset apostata, vaticinia penitus implevit, dum vanitatis convincere voluit. Nam Judaei ad hoc opus ex omnibus mundi partibus confluentes primum fundamenta veteris templi omnino diruere, ut ad verbum impleretur Domini vaticinium, non relinquendum lapidem supra lapidem; cum autem nova ponere fundamenta tentarent, subito erumpentes globi flammarum exustis aliquoties operantibus locum fecerunt inaccessum. Ita narrat *Ammianus Marcellinus* scriptor ethnicus [1]). Cf. quae cap. II. de religionis Mosaicae abrogatione dicta sunt.

477. — II. In historia theologiae vidimus, Judaeos jam ante Christum in plures sectas scissos fuisse; ex his autem nulla fuit, quae non antiquam religionem suo modo corruperit. Haec corruptio vehementer increvit post Christum, quando pars sanctior nationis, seu ii qui veri Abrahae filii erant, non carne tantum, sed et spiritu, Christianae religioni nomen dederunt; reliqui autem a Deo rejecti, et suae pervicaciae permissi, longius quotidie recesserunt a veris et genuinis legis suae principiis. Exinde orta est hodierna Judaeorum religio, seu *Judaismus*, in eo ab antiqua revelatione Mosaica distinctus, quod innumeris erroribus scateat et fabulis ac figmentis tam putidis et absurdis, ut ad eas credendas requiratur mentis caecitas vere Judaica.

478. — Judaei hodierni in duas potissimum sectas dividi possunt; in sectam *Rabbinistarum*, seu *Rabbinorum* aut *Pharisaeorum*; et in sectam *Ka-*

1) Lib. XVIII, cap. 1.

raitarum vel *Karaeorum*. Sadducaei, qui adhuc supersunt, sectam non efficiunt; sed cum aliis permixtim vivunt, neque audent sententiam suam manifestare, ne e synagoga ejiciantur.

Rabbinistae praeter legem scriptam admittunt legem traditam, quam Moysen ex ore Altissimi accepisse dicunt, quando per quadraginta dies in monte Sinai versatus est. Legem hanc oralem etiam κατήχησιν, instructionem et commentarium legis scriptae vocant, eamque dicunt per longam generationum seriem a senioribus, sacerdotibus et Prophetis, ac demum a viris magnae synagogae diligentissime conservatam fuisse usque ad tempora R. *Judae Hakkadosch* vel sancti, qui tempore Hadriani imperatoris vixit circa annum Christi 150. Hic primus legem traditam scripto consignavit in opere, quod מִשְׁנָה, *(mischna)* vocatur, vel secunda lex. Mischnae ab aliis Rabbinis postmodum addita est גְּמָרָא *(gemara)*, quae est quasi commentarium textus. Ex *mischna* et commentario seu *gemara* coaluit liber doctrinalis Judaeorum, qui *Talmud* dicitur. Primum *Talmud* Hierosolymis concinnatum est, et ideo *Hierosolymitanum* vocatur. Verum cum 200 post annis Judaei Babylone commorantes alias Rabbinorum interpretationes collegerunt, saeculo V. aliud prodiit, clarius et multo copiosus, quod *Babylonicum* vocant. Hodierni Judaei passim sequuntur Talmud Babylonicum ejusque auctoritatem parem habent scripturae sacrae.

479. — *Karaitae*, quales hodiedum existunt, cum antiqua Sadducaeorum secta confundi non debent; admittunt enim cum reliquis Judaeis immortalitatem animae, spirituum existentiam, poenas et praemia alterius vitae. Probabile admodum est, sectae hujus initia ad saeculum sextum aerae Christianae referenda esse. Quum enim eo tempore immensa illa traditionum collectio prodierit, quam *Talmud Babylonicum* vocant, tota fabulis et Rabbinorum somniis farcta, quidam sanioris judicii viri ejusmodi ineptias fastidientes satius duxerunt, soli librorum sacrorum textui adhaerere. *Karaitae* per Syriam, Persiden, Aegyptum, Poloniam et Russorum imperium dispersi sunt; sed parum multi. Nobis ex protestantibus imprimis noti sunt, qui eos multis laudibus extollunt tanquam traditionum contemptores.

480. — Inter Judaeorum doctores magnam celebritatem habent *Masorethae* et *Kabbalistae*. De Masoretharum origine valde discrepant eruditi; et dum aliqui in illis collegium agnoscunt ecclesiasticum, ab Esdra ideo institutum, ut libri sacri ab erroribus, qui in captivitate irrepserant, castigarentur et omnis corruptio in posterum praecaveretur; alii eorum originem ad annum Christi 478 aut 600 referunt. Masora (מַסּוֹרָה), a *masar*, *tradidit*, probabiliter non unius scholae Rabbinicae nec unius saeculi opus est; imo ultima manus ei ante undecimum aut duodecimum saeculum admota non esse videtur. Masorethis debemus textus Hebraici punctuationem, quo et facilior fit lectio et certior. Sed de his plura dicentur alio loco.

Kabbalistae a קִבֵּל (kibbel, recepit) nominantur, quia contendunt, se tenere *receptam* legis explicationem, non vulgarem et communem, sed arcanam, aenigmaticam et symbolicam; quae abdita mysteria ex sacris litteris eruere conatur. Multum haec doctrina vanitatis et superstitionis habet; sed de his etiam mentio recurret.

481. — III. Difficile esset, perfectum religionis Judaicae, qualis hodiedum est, systema conficere. Omnia fere doctrinae puncta, quae ex religionis naturalis principiis deduci possunt, cum Christianis communia habent;

credunt insuper nobiscum futuram corporum resurrectionem, inspirationem et divinam auctoritatem Pentateuchi aliorumque V.T. librorum, qui in canone Esdrae continentur; sed rejiciunt mysteria Trinitatis, Incarnationis, Sacramenta etc. Cardo autem controversiarum, quae inter Judaeos et Christianos agitantur, in hoc versatur: *An Jesus Nazarenus sit Messias promissus.* Mirum est, in quot se partes vertant Judaei, cum Christianorum argumentis circa Messiae adventum premuntur. Tot diversae sententiae, tot ridicula et absona opinionum commenta, in quibus sibi perfugium quaerunt, satis probant, nihil jam esse, quod desparatam eorum causam sustentet. Generalis et crassus Judaeorum error est, quod Messiam sibi fingant opibus et potestate praecellentem omnibusque populis cum summa auctoritate imperantem. In hoc errore inter alios fuit Rabbi Maimonides saeculo XII., Cordubae natus, quem Judaei aquilam doctorum appellant. Alii cum humilem et abjectam Messiae conditionem, quam Prophetarum vaticinia praedixerunt, in alium sensum detorquere non possent, neque cum splendidissimo Messiae regno et temporali potestate conciliare, commenti sunt duos Messias, unum ex prisco illo *Josepho*, *Jacobi* et *Rachelis* filio, oriturum, virum dolorum et scientem infirmitatem; alterum filium Davidis, ex Sion regnaturum in omnes gentes. Obscura est hujus doctrinae origo, veteribus Judaeorum doctoribus plane incognita, qui nunquam alium agnoverunt Messiam praeter illum, qui ex familia David ortus esset. Quicunque Prophetas, imprimis Isaiae caput LII. et LIII., attentius perlegerit, ex contextu orationis cognoscet, Prophetam loqui de uno eodemque viro justo, qui debebat extrema pati et videre semen longaevum; qui exaltandus dicitur et elevandus valde, quamvis inglorius sit inter viros aspectus ejus. Haec utique commoverunt Maimonidem, ut hanc opinionem inter Judaeorum traditiones numerare dedignatus sit.

482. — Rem totam brevius absolvendam putant illi, qui fidem in Messiam ex numero dogmatum expungunt. Ad hos pertinent R. Josephus Abbo, R. Tobias Mentensis etc. Alii demum sunt, praesertim ex veteribus, qui dogma de Messia ad mentem Christianorum exponunt, Rabbi Abarbanel inter praecipuos Messiae characteres ponit miracula, quae patraturus est, ejusque ortum ex familia David. Notatu digna sunt haec ejus verba: *Mea sententia dubitandum non est, Messiam justitiam nostram natum esse, antequam invaluit magna illa expulsio, occisio, perditio et exitium Hispanicum.* Existit inter Judaeos R. Eliae traditio haec habens: *Sex mille annos durabit mundus. Duo millia inane, duo millia legem, duo millia Messiae dies complectentur. Sed propter peccata nostra, quae multiplicata sunt, ex istis annis Messiae elapsi sunt anni Messiae, qui jam elapsi sunt.* Ultima verba: *sed propter peccata*, a Rabbinis addita fuisse censent eruditi. Plura videri possunt in opere majore D. *Wiest*[1]).

Tandem nec illi omittendi sunt, qui clarissimis Prophetarum oraculis, iis imprimis quae tempus adventus Messiae praenuntiant, eo redacti sunt, ut faterentur Messiam natum quidem esse, sed absconditum latere propter Judaeorum peccata, vel in horto Eden, vel inter leprosos et aegrotos ad portam urbis Romae.

PROPOSITIO.

Hodierna religio Judaeorum falsa est et neutiquam ut divina revelatio haberi potest.

Argumentum I.

Vera est religio Christiana et omnibus divinae revelationis characteribus insignita: ergo hodierna Judaeorum religio etc.

483. — Antecedens toto cap. II. hujus partis probatum est.

1) Tom. II. histor. Judaismi.

Prob. conseq. 1° Ex consensu omnium Judaeorum, qui fatentur religionem suam ut falsam et obsoletam habendam esse, si religionis Christianae divinitas admittatur.

2° Religio Christiana et Judaica sese mutuo excludunt; nihil enim potest sibi magis esse oppositum. Primarium religionis Christianae dogma, cui tanquam fundamento tota innititur, hoc est: Messiam advenisse, eumque esse Jesum Naz.; ab hoc se originem ducere, et divinam, quam sequuntur, doctrinam accepisse gloriantur Christiani. Atqui hoc ipsum est, quod pertinaciter negant Judaei, et si admitterent, Judaei esse desinerent. Ergo etc.

Argumentum II.

Hodierna Judaeorum religio nullos divinae revelationis characteres habet. Ergo etc.

484. — Prob. Propositio certa est, si 1° veteres divinae originis characteres tempore Jesu Naz. amisit; si 2° novos hucusque non acquisivit: atqui etc. Ergo etc.

Prob. min. 1° Religio per Moysen promulgata ab origine sua temporalis tantum fuit et adveniente Messia abroganda. Messias autem jam dudum advenit; neque is alius esse potest, quam Jesus Nazarenus. Haec omnia copiosius et diffusius a nobis exposita sunt partis hujus capite II. Ergo a tempore Jesu Nazareni religio Mosaica divina, quam habuit, auctoritate destituta est.

2° Ab eo tempore Judaeorum religionem nullos acquisivisse divinae revelationis characteres in aperto est. Nulla hucusque ad eam confirmandam patrata sunt miracula; nullos habuit Prophetas, et illa specialis divinae providentiae procuratio, quam ante Christum constanter experti sunt Judaei, etiam tum, cum poenas infidelitatis suae luerent, eos omnino deseruit. Porro doctrina, quam hodiedum profitentur, non tantum nullas habet notas divinae originis, sed Deo prorsus indigna est. Vaticiniorum sensum pervertunt; puerilibus et absurdissimis fabulis in Talmude contentis eandem divinam originem attribuunt, ac legi scriptae. In hac vero non nisi litteram vident, quae occidit, neque ex ea, qua legi suae inhaerent pertinacia, quidquam meliores fiunt.

ARTICULUS II.

De Mahumetismo.

OBSERVANDA.

485. — I. Religio Mahumetana a Mahumete auctore suo nomen habet, qui Meccae principe quadam Arabiae civitate natus est ex paupere sed nobili hujus gentis familia. Primum mercaturam secutus *Kadidschae* nupsit viduae nobili et diviti. In hac lautiori vitae conditione, ut erat non divitiis tantum, sed et corporis et ingenii dotibus inter populares suos praestantissimus, coepit novum vitae genus meditari, consiliumque secum iniit avocandi Arabes ab idololatria, in qua ipse educatus fuerat, et restituendi, ut ipse dicebat, religionem primaevam Adami, Nohemi, Abrahami, Moysis, Christi et omnium veri Dei Prophetarum. In hunc finem commentus est, se colloquia habere cum angelo Gabriele in spelunca *Hira*, non multum a Mecca distante. Tandem cum annos natus esset 40, publice religionem suam promulgare coepit. Multos in civitate sua adversarios expertus est, qui, cum Arabum deos convitiis appeteret, tam vehementer in eum concitati sunt, ut ad declinandas eorum insidias coactus fuerit Medinam confugere, ubi brevi tempore multos sibi fautores et amicos comparavit. Haec fuga, quae Arabica lingua *Hedschira* appellatur, initium dedit aerae Arabicae; contigit anno post Christum DCXXII.

Quamdiu vires deerant, sola persuasione usus est Mahumetes, imo repetitis vicibus declaraverat, se a Deo missum, ut homines solummodo admoneret, nec sibi licere quemquam ad

fidem compellere: cum autem Medinae incolas sibi devinxisset, et auctum jam videret asseclarum numerum, confestim coepit missionem suam armorum vi comprobare, id sibi a Deo injunctam asseverans, ut infideles armis aggrederetur, et victoriis fidem conciliaret novae religioni. Ex hoc tempore prospera plerumque fortuna usus est, ita ut per totam Arabiam religionem suam cum imperio protenderit, coeperitque terrori esse exteris, cum anno *Hedschirae* XI. aetatis 63. veneno sublatus est, postquam *Abubekrum* socerum successorem suum constituerat, seu *vicarium*, quem Arabes lingua sua *Kalipham* vocant.

486. — II. Successor Mahumetis *Abubeker*, vir magni nominis, primus librum edidit, quem Mahumetani *Alkoranum* vocant, ex articulo *al* et verbo *koran*, quod *lectionem* significat[1]); quamquam etiam ipse Mahumetes libri auctor dici possit in hoc sensu, quod ex sermonibus constet a Mahumete habitis, et ab ejus successore in unum volumen collectis. *Alkoranus* dividitur in *Suras* seu capita CXIV, quae in ipso libro originali non numeris, sed titulis distinctae sunt. Quaedam ex his suris *Meccanae* inscribuntur, qui *Meccae* dicuntur revelatae; aliae *Medinenses*, quia traditae fuerunt Medinae; aliae demum ex parte *Meccanae*, ex parte *Medinenses*. Alkoranus continet *judicia*, *historias* et *paraeneses*. Ad *judicia* pertinent leges et sanctiones, tam ad res sacras, quam politicas spectantes; ad *historias* narrationes, quae partim ex libris sacris, quamvis corruptae, desumptae sunt, partim fictae et ex libris apocryphis, praesertim ex Talmude Judaeorum mutuatae; ad *paraeneses* referuntur adhortationes ad novam religionem etc. Communis et certissima Mahumetanorum fides est, *Alkoranum* divinam habere originem, imo ab omni aeternitate fuisse apud thronum Dei, et in tempore Mahumeti fuisse ab angelo Gabriele per partes communicatum.

487. — III. Superstitionis Mahumetanae celerrimam fuisse propagationem negare non possumus. Secundo post mortem Mahumetis anno jam Damascum ac magnam Syriae partem sibi subegerat. Sarazeni, qui primi Mahumetis religionem acceperant, post mortem *Abubekri* duce *Omaro*, qui secundus inter Kaliphas fuit, imperium in totam Syriam, Palaestinam, Aegyptum, in magnam occidentalis Africae partem, demum in totam fere Persiam et Armeniam extenderunt. Jussu hujus *Omari* factum est, ut famosissima in toto orbe bibliotheca Alexandrina, quae plura centena millia librorum complectebatur, igni absumpta fuerit. Sub *Osmano* confectum est Persicum bellum, et Mesopotamia Mahumetico imperio adjecta; post sub initium VIII. saeculi, India ex una parte, ex altera Hispania subacta. En quibus argumentis persuasa fuit Mahumetana religio!

488. — IV. Mahumetis asseclae in duas sectas majores dividuntur et in plures alias minores. Nam Osmano per conjuratos interfecto, *Ali* Mahumetis gener, qui *Fatimam* magni Prophetae filiam uxorem duxerat, in Kalipham electus est; quod causa magni schismatis fuit. Alii enim instigante imprimis *Aïscha* uxore Mahumetis su-

1) Inter stupendas viri cujusdam eruditissimi atque inter incredulos principis excogitationes non exigui sane momenti haec est, quod inepte omnino nos obscuri homines *Alkoranum* dicamus, retento Arabum articulo, cum Latinum articulum non habeat, Germani autem et Galli suum articulum apponant. Quapropter dicendum esset *Koranus*, der *Koran*, *le Koran*. Pulchre, bene, recte! Hoc tamen observamus, quod, nisi pugnare secum velint, qui tantae eruditionis admiratione tenentur, hanc regulam ad omnes illas voces applicare debeant, quae ex Arabica lingua cum adjecto articulo mutuatae sunt. Ideoquo loco *Algebra*, dicendum esset: *gebra*, die Gebra, *la gebra*; loco *Almanach*, dicendum: der Manach, *le manach*: loco *Alambic*, dicendum, die Ambik, *l'ambic* etc.

perstite, quae summam habebat apud Arabes venerationem, *Moaviae* a multis jam annis Syriae procuratori imperium detulerunt. Interfecto postmodum *Ali*, ejusque filio imperio depulso, dignitas Kalipharum a stirpe et familia Mahumetis ablata est, sed mansit secta, quae usque nunc Persidem occupat, Moaviam ejusque successores execratur, et *Ali* doctrinam sequitur, quam solam ut veram et genuinam agnoscit.

PROPOSITIO.

Mahumetana religio divina revelatio esse non potest.

Argumentum I.

Religio Mahumetana religioni Christianae contradicit; ergo divina revelatio esse non potest.

489. — Consequentia patet ex criteriis revelationis parte I. hujus Demonstrationis stabilitis; sic enim habet regula secunda: *Nulla revelatio posterior priori opposita esse potest.* Ex quo sequitur, religionem illam a Deo revelatam esse non posse, quae religioni Christianae contradicit, cujus divinam originem certis et evidentibus rationibus jam probavimus.

Prob. ant. Religio Mahumetana totam Jesu Christi pro salute hominum oeconomiam evertit; quamvis enim Christum verum Dei legatum fuisse dicat, in lege et Prophetis promissum, ex Maria virgine natum [1]); nihilominus pugnat directa fronte cum praecipuis religionis Christianae dogmatibus; Jesu Christi divinitatem negat, mysteria rejicit et sacramenta; omnemque ecclesiae Christi obedientiam detrectat. Ergo etc.

Argumentum II.

Mahumetana religio omnibus illis notis divinae revelationis destituitur, quae vel ex religionis ipsius praestantia vel ex illius, qui eam tradidit, dotibus desumuntur.

490. — Prob. I. pars. Qualis sit Mahumetanorum religio ex Alkorano discimus, cui coelestem et divinam originem attribuunt. Verum dici vix potest, quam multa liber ille contineat secum pugnantia, quam multa Deo indigna et sanae rationi adversa. Primum quidem credi sibi vult nulla inquirendi libertate [1]), quod ipsum manifestum jam est indicium iniquitatis; deinde doctrinam continet de fato et absoluta Dei praedeterminatione; summam beatitudinem in voluptatibus carnis ponit; totam religionem in rebus externis collocat: in purificationibus, orationibus, jejuniis, eleemosyna; quae siquis diligenter servaverit et ad minimum semel toto vitae suae tempore Meccam peregrinatus fuerit, verus erit, ut in Korano dicitur, Mahumetis discipulus et certo incola paradisi; illos, qui vi vel metu compulsi contra Dei leges agunt, a peccato excusat [2]); de repudio leges statuit ab omni aequitate naturali abhorrentes [3]); multa alia praeterimus de poena talionis, de vindicta privata etc. Demum totus ille liber insulsis refertus est narrationibus, quae magnam auctoris ignorantiam produnt. Imprimis ex Talmude et Rabbinorum scriptis magnam messem collegit absurdissimarum fabularum.

Prob II. pars. Mahumetes acri et callido ingenio instructus facillime potuit inter suos Prophetam agere; virtutes aliquas prae se ferebat quidem, sed notum est, quanta ejus fuerit in simulando dexteritas; neque ita potuit viri quasi divini personam agere, ut non multa ostenderit vitia, quae Dei legatum maxime dedecent. Quantum libidini deditus fuerit, probat uxorum multitudo et singularis illa, quam sibi tanquam Prophetae et Dei ministro attribuit, praerogativa, tot quot vellet uxores assumere, cum asseclas suos ad quatuor restringeret [4]). Ambitione incensum fuisse supra omnem modum,

1) *Azoara* XXIX.

1) *Azoara* XIII. 2) *Sura* XVI. 3) *Sura* II. et V. 4) *Azoara* XLIII. XLVI.

tota ejus vita ostendit; nec defuit, ubi haec imperabat, crudelitas. Unde cum semel spes imperii affulsit, nihil potuit dominandi cupiditatem cohibere, nec a caedibus, nec ab incendiis temperavit. Ergo etc.

Argumentum III.

Religio Mahumetana divinam originem nec prophetiis nec miraculis probare potest.

491.—I. *Non prophetiis.* Mahumetes in Alkorano [1]) gloriatur se in Pentateucho et evangelio praenuntiatum esse, et asseclas suos hortatur ad Judaeos et Christianos adeundos et consulendos, quod praeter impostoris impudentiam parum communem nihil probat. Ubi enim haec vaticinia in libris veteris aut novae legis latitent, nemo hucusque invenire potuit, et duo testimonia, quae ex sacris litteris affert *Sura* VII. v. 147., et *Sura* LXI. v. 6., nullibi leguntur.

II. *Non miraculis.* Praeter ea valde miranda, quae de Mahumete narrantur in Alkorano; plures alia mirabilia narrant Mahumetani: sed ne ullum quidem factum afferre possunt, quod fidem aliquam mereatur. A nemine visa sunt prodigia illa, et propria absurditate refelluntur. Sed quod in hac controversia praecipuum est, Mahumetes nunquam ad miracula provocavit adversarios sibi contradicentes; imo se ad miracula facienda missum non esse, saepius repetit in Alkorano, speciatim *Sura* III, 6. XIII, 19. Consequenter ad hanc Mahumetis doctrinam diversi generis Prophetas distinguunt Mahumetani, secundum varia Dei attributa. *Moyses*, ajunt, missus fuit ad probandam Dei providentiam; *Salomo* ad manifestandam ejus sapientiam, gloriam et majestatem; *Christus* ad justitiam, scientiam et potentiam declarandam; justitiam, quia vixit sine peccato; scientiam, quia futura praedixit; potentiam, quia miracula soli Deo propria operatus est. Prioribus ergo Prophetis necessaria fuit virtus miraculorum, quia nullus ex iis potestatem habuit cogendi homines. At *Mahumetes* ad fortitudinem Dei demonstrandam suscitatus opus habuit gladio, non miraculis, ut ad fidem etiam invitos cogeret. Ergo etc.

Argumentum IV.

Neque ex aliis divinae revelationis argumentis ullum manet Mahumetanae religioni praesidium.

492.—Prob. Ex illis argumentis, quae ex eventibus stupendis in religionis Christianae defensione desumpsimus, et quae jure merito miracula in ordine morali vocari possunt, nullum est, quod Mahumetismo conveniat.

I. Non certe singularis ejus ad immutandos mores efficacia et saluberrimi effectus in orbe producti. Nam insanis superstitionibus orbem replevit, mores induxit efferatos aut effoeminatos; et gentes religione Christiana excultas barbaras fecit.

II. Non martyrum constantia et fortitudo. Multos quidem martyres fecit Mahumetanorum furor et zelus religionis ferro et igne armatus; sed martyres nullos tulit haec religio, neque ad martyrium valde exstimulat, quod *Sura* XVI. v. 110. dicitur: *Qui post susceptam fidem abnegaverit Deum, praeter eum, qui invitus ad hoc coactus fuerit, super hunc erit ira Dei.*

III. Non religionis stabilitas. Nullibi enim stat Mahumetismus, nisi ubi imperat.

IV. Non demum propagationis incredibilis celeritas, quae rerum et circumstantiarum ignaris posset videri stupenda; sed propius considerata nonnisi naturalis videbitur et causarum mere naturalium effectus. Non enim necesse est Deum supernaturali modo intervenire, ut religio corruptae naturae favens, et carnis voluptates suadens propagetur; ut gens robusta

1) *Azoara* XVII.

et in arte bellandi exercitata armis imperium proferat et nationes sibi subdat inermes, ignavas, internis scissionibus divisas. Non potest supernaturali providentiae adscribi armis tentata et felici bellorum exitu parta fortuna.

Innumeras praeterea ad innovandas res opportunitates invenit Mahumetes, tum in Arabum, tum in aliarum gentium statu; ipse autem callide religionem suam temporum circumstantiis ita accommodavit, ut in ea quaelibet natio aliquid tanquam suum inveniret.

Conclusio.

493. — Ergo Mahumetana religio 1⁰ divina non est, cum nullas nec internas, nec externas divinae originis notas habeat. 2⁰ Divina esse non potest, cum multa evidenter falsa, absurda et contradictoria contineat, et contradicat revelationi priori, cujus divinitas invicte probata est. Cf. *Wiest* Op. M. Tom. II. §. 229. et seqq. item §. 251. — *Hooke* Tom. II. in Appendice cap. III. — *Dobmayer* Tom. III. pag. 729. — *Grotius* de veritate relig. Christ. lib. VI. — *Zimmer* veritas relig. Christ. pag. 119. et seqq., atque imprimis Diction. de *Bergier* Art. *Mahometisme.*

ARTICULUS III.

De Gentilismo.

OBSERVANDA.

494. — I. Communi gentilium vel ethnicorum aut paganorum nomine continentur omnes, qui unquam extiterunt, aut adhuc existunt, falsorum numinum cultores. Infinitae fere sunt religiones paganorum, quae nullo inter se vinculo colligatae, in hoc tantum conveniunt, quod, ut Apostolus ait [1]), veritatem Dei commutaverint in mendacium, et coluerint et servierint creaturis potius quam creatori. Mansit quidem apud omnes gentes aliqua unius summi Dei notio ex antiqua humani generis traditione orta, sed foede deformata et quasi obruta densissimis idololatriae tenebris. Hoc certum: Deum verum et vivum, cui soli omnis honor et gloria debebatur, solum fuisse, qui nec templa nec altaria habuit; cui nulla gens cultum exhibuit, si Judaeos excipias. Omnes evanuerunt in cogitationibus suis, atque ii etiam, qui Deum cognoverunt, non sicut Deum glorificaverunt [1]).

495. — II. Nos *Gentilismum* hic consideramus, in quantum divinae revelationis auctoritatem sibi attribuit. Semper enim veritatem aemulatur dolus; neque religio unquam fuit, quae non coelestem originem mentita sit, aut oraculis et prodigiis aliisque divinae sanctionis testificationibus fidem sibi conciliandam existimaverit. Habentur etiam apud gentiles libri sacri, quos non minori veneratione prosequuntur, ac Judaei et Christiani suos. Graeci et Romani suas divinationes, sua oracula, sua prodigia praedicant, quae si vera essent, certissima essent revelationis criteria, ut ipsi demonstravimus.

496. — III. Mirum est, quot laudibus Voltarius et alii increduli libros extollant, qui apud *Sinenses*, *Indos* et *Persas* tanquam sacri servantur. Illorum doctrinam cum evangelio comparare et sanctissimae religioni, quam a Christo Jesu accepimus, praeferre non verentur. Profecto nisi infernale in religionem Christianam odium eos excoecaret, non possent ita apertis oculis coecutire. Sed quales illi libri sint breviter dicendum.

Inter libros sacros, qui apud Sinenses extare dicuntur, praecipuus procul dubio est ille, quem *Chingu-King* vel *Schu-King* appellant, et qui communiter a *Confucio* 500 ante Christum

1) *Rom.* I, 25.

1) *Rom.* I, 21.

annis adornatus dicitur. D. *de Guignes*, vir rerum Orientalium peritissimus, anno 1776 opus hoc in Gallicum idioma vertit juxta originale Parisiis asservatum. Indorum libri sacri sunt: 1° liber *Vedam*, quem Brachmanes Indorum philosophi a supremo numine *Bramae* datum fuisse credunt. 2° Commentarium in Vedam, quod *Schaster* vocatur, vel *Ezour*, aut *Ezour-Vedam*. An liber, qui *Vedam* dicitur, adhuc existat, aut an unquam extiterit, incertum est. Commentarii seu Ezour-Vedam Gallicam versionem habemus, cum adnotationibus, in quibus probatur libri novitas [1]).

497. — De religione Persarum aut Magorum pauca admodum nobis tradiderunt Graeci et Latini scriptores. Neque recentiori aetate clariorum ejus cognitionem accepimus ante D. *Anquetil Duperron*, qui cognoscendae religionis causa diu in Persia et Indiis versatus est et *Zoroastris* celeberrimi apud Persas philosophi et legislatoris libros in Galliam attulit, quorum dein versionem Parisiis edidit anno 1771 sub titulo: *Zend-Avesta*. Communis eruditorum sententia est, Zoroastrem 550 circiter annis ante Christum Persis leges et religionem dedisse, eo fere tempore, quo Confucius apud Sinenses floruit, finita jam aut ad finem vergente Judaeorum captivitate.

Prima Graecae theologiae monumenta, quae ad nos pervenerunt, sunt *Homeri* et *Hesiodi* poëmata; sed his nunquam divinam originem attribuit antiquitas. Aliud de Sibyllinis libris dicendum, quos Romani ut sacros coluerunt et in arce Capitolina servarunt, ut eos in causis gravioribus et negotiis publicis consulerent. Sed de oraculis et Sibyllinis libris locuti sumus, cum de prophetiis ageretur [1]).

PROPOSITIO I.

Libri, qui a gentilibus ut divini habentur, divini non sunt, nec esse possunt.

498. — Probatur I. pars. Etiamsi libri illi nihil continerent Deo indignum, verisque ac genuinis religionis naturalis veritatibus contrarium, nondum sequeretur, eos divinam habere auctoritatem; ad hoc enim necesse esset, ut positivis argumentis coelestis haec origo probaretur; ut eorum auctores divinae suae missionis et inspirationis fidem fecissent: sed nihil ejusmodi probari hucusque potuit. Obscura et incerta est illorum librorum origo; de eorum auctoribus et antiquitate eruditi non consentiunt.

499. — Probatur II. pars. Liber Sinensium *Chingu-King* totus ineptiis repletus est summamque auctoris ignorantiam prodit. Nullibi in eo occurrit dogma de unius Dei existentia, sed potius commendat idololatriam; in tradendis morum regulis valde jejunus est et insufficiens, ac philosophorum tum Graecorum tum Romanorum libris longe inferior [2]).

Idem de sacris Indorum libris ferendum est judicium. Librum *Vedam* tam sacrum habent *Braminae*, ut nullus nisi Braminae oculus eum possit intueri. Dicunt illum in lingua Samscretana scriptum, quae jamdiu emortua est et a Braminis tantum intelligitur; de ejus autem argumento et doctrina nihil produnt. In *Ezour-Vedam* plura quidem utilia et plena verae sapientiae documenta occurrunt: sed notandum 1° illos commentarios non esse

1) Eadem fuit clarissimi *Lessii* sententia contra Voltarium: *So viel muss wenigstens jeder Unparteiische und Verständige eingestehen, dass dies Werk von einem neuern Braminen gemacht worden, der mit der jüdischen, mahumetanischen und christlichen Religion bekannt war.*

1) I. Parte hujus Demonst. cap. II. sect. II. art. III. de prophetiis. Obj. III. etc.

2) De Confucio ita scribit Lessius: *Confucius lebte in den Zeiten der unsichern Geschichte; selbst Sineser sagen, dass er nichts von der Religion gelehrt, hingegen Götzendienst und Wahrsagereien geschützt habe.*

perantiquos, ut legenti cuique apertum est; multa esse ex sacris Judaeorum et Christianorum libris, imo ex Alkorano desumpta. 2⁰ Totos scatere fabulis, superstitionibus et absurditatibus. Praeterea ex publica professione religionis Indorum judicari potest, quid in sacris eorum libris contineatur. Praeter supremum Deum tres adhuc minores colunt, *Brahmam*, *Vischnu* et *Siva;* his putant curam humani generis omnem esse commendatam. Daemonem colunt, ne noceat. Multas habent impias, crudeles et foedas religionis caeremonias etc.

500. — Quod Persas attinet, de ipso Zoroastre, quem *Gauri* seu antiqui habitatores *Zarathustram* vocant, et quem auctorem dicunt *Zend-Avestae*, tam parum conspirant scriptorum testimonia, ut ad ea concilianda sex hujus nominis viros statuere necesse esset. Nec minor est, cum de Zoroastris libro agitur, tum veterum tum recentiorum dissensio. *Chardinus*, rerum Persicarum fidelissimus scriptor, omni diligentia adhibita librum nec videre unquam potuit, nec aliquid certi de eo comperire. D. *Anquetil Duperron*, a quo traductionem habemus Zend-Avestae, contendit se librum hunc invenisse, non quidem apud *Gauros*, qui adhuc in Perside inter Mahumetanos commorantur; sed apud illos, qui Arabum et Tartarorum imperio infensi in Indias penetrarunt, ubi adhuc hodiedum *Parsarum* nomine compellantur. Quae in hoc libro traduntur, cum antiqua Persarum religione, sicut eam descripsit Thomas *Hyde* Anglus, non conveniunt; scatet praeterea ineptiis et absurdis sententiis; duo admittit principia: unum boni, quod *Ormuzd*, aliud mali, quod *Ahriman* vocat; de virtutibus ita loquitur, ut auctor videatur plures et praecipuas ignorasse, reliquas perfunctorie tantum attigit. Amorem erga homines commendat quidem maximopere, sed exclusis alienigenis; in ritibus externis, quorum permagnus est numerus, multa sunt superstitiosa, foeda et indecora; talis est ille de urina vaccae, quae ut sacrum purgationis medium commendatur. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Nulla est ex gentilium religionibus, quae divinae revelationis characterem habeat, aut habere possit.

501. — Prob. I. pars. 1⁰ Ut aliqua ex gentilium religionibus dici posset divinitus revelata, probandum esset, eam certo aliquo tempore fuisse e coelo in terras delatam et hominibus promulgatam. Sed nihil ejusmodi probari potest; omnes enim ethnicae religionis partes ex ignorantia, levitate, cordis corruptione, metu et adulatione aliisque impuris fontibus manarunt, et ex iisdem sua postmodum ceperunt incrementa.

2⁰ Paganae religiones nullas habent divinae revelationis notas, nec naturales internas, nec supernaturales externas. Ergo etc.

Prob. ant. *Non naturales internas;* ut partim ex praecedenti probatione jam vidimus, partim in II. parte hujus probationis videbimus.

Non supernaturales. Hae enim in vaticiniis consistunt et prodigiis; sed nihil ejusmodi apud idololatras gentes reperitur. Multum quidem apud Graecos et Romanos valuit *divinatio*, cujus fere infinita fuerunt genera; sed tam vana fuit haec superstitio, tam futilis et ridicula, ut in illa refutanda operam collocare necesse non sit. Qui eorum elegantem et ingeniosam confutationem videre velit, legat *Ciceronis* lib. II. de divinat. Cf. quae parte prima de prophetiis objectione secunda dicta sunt; ibidem objectione tertia oraculorum, quorum magna erat apud gentiles religio, vanitatem probavimus. Si ad miracula provocant gentiles, respondemus, ea omnia, quae ab eorum auctoribus narrantur prodigia, aut fabulas esse, aut naturales eventus;

ea plerumque indigna esse divina majestate; neque ad religionis confirmationem facta. Vide, quae prius de miraculis n. 107. dicta sunt.

502. — Prob. II. pars. Divina esse non potest ea religio, quae res continet evidenter absurdas, quae cum Dei perfectionibus aut certis religionis et legis naturalis principiis pugnat; atqui etc. Ergo etc.

Major certa est ex parte I. hujus Demonstrationis: *de criteriis verae revelationis* regula prima.

Minor cuilibet patet, qui levem tantum paganismi et mythologiae cognitionem habet. Quid enim sanis religionis principiis magis contrarium, quam illa pene innumera deorum multitudo, quae tanta fuit, ut Varro 300 Joves recensuerit; illa tam viliter et minutatim concisa deorum officia, scurrilitati mimicae magis quam divinae majestati convenientia? Quid morum genuinis legibus exitiosius, quam ea, quae de diis immortalibus tradebat theologia gentilis; quos tam flagitiosos finxit, ut religio, nedum a vitiis avocaret, adderet commendationem? *Deos suos, quos venerantur, imitantur*, ait Cyprianus, *fiunt miseris et religiosa delicta.*

Si religiosos paganorum ritus consideremus in deorum honorem et quandoque, uti dicebatur, ipsis jubentibus instituti, ut ludi scenici, festa, gladiatorum spectacula, sacrificia etc.; nihil potest cogitari turpius, lascivius, atrocius. Horret animus ex tam impudicae tamque saevae superstitionis consideratione. Ut alia omnia omittamus, certum est, humana sacrificia apud omnes paganas gentes obtinuisse partemque fuisse religiosi cultus. Ergo etc.

Nota. Hanc Demonstrationis Christianae partem brevius contrahere necesse fuit, ne in nimiam molem accresceret opus. Difficile non erit, rerum divinarum studiosis hanc cognitionem novis quotidie accessionibus augere et ex parvis initiis majora capere incrementa. Quod praesentem circa Gentilismum quaestionem attinet, eam explicatius fusiusque tractatam invenient apud *Wiest*, Op. Maj. Tom. II. §. 217. et seqq. item §. 250. — *Zimmer*, veritas religionis Christ. cap. III. a §. 68 usque ad 109. — *Dobmayer*, Tom. III. pag. 697 et seqq. — *Hooke*, Tom. II. Appendice cap. II. — *Grotium*, de veritate relig. Christ. lib. IV. — *Bergier*, Traité dogmatique. Tom. I. chap. III.

CONCLUSIO.

503. — Ad finem tandem Deo juvante perduximus magnum hoc, quod tractandum suscepimus, argumentum. Atque utinam digne de re maxima loqui potuissemus idque tandem efficere, ut omnes intelligerent, nihil esse magis consentaneum rationi, quam revelationi Christianae se credere; hanc viam esse lucis et veritatis, hanc veram coelestemque sapientiam, quae divinam suam originem tam splendidis, tam evidentibus indiciis manifestam facit, ut nulla humana ratio dummodo sana sit et sui compos, ejus auctoritati se possit subducere. *Testimonia Dei credibilia facta sunt nimis!* — Superest nunc, ut fidem hanc, in qua tota spes nostra et salus sita est, Deo acceptam referamus, gratumque animum exhibeamus pro tam insigni beneficio; nec quidquam formidemus magis, quam indigni reputari Christiano nomine, et moribus actionibusque nostris a sanctissima, quam ore profitemur, religione dissentire.

504. — Scopus ergo totius nostrae Demonstrationis hic fuit: ostendere religionem Christianam vere esse revelatam, nec aliam esse praeter eam, quae sibi revelationis divinae dignitatem vindicare possit. Aperta est nostra probandi ratio, et ad strictas ratiocinii leges exacta.

Postquam enim revelationem non tantum possibilem esse ostendimus, sed exoptandam quam maxime hominibus, imo aliquo modo necessariam; statim ad ipsam quaestionem accessimus, an scilicet existat aliqua religio, quae se revelatam dicat, et quae divinam, quam sibi attribuit, originem, certis argumentis probare possit.

Ad hanc quaestionem dirimendam, necesse fuit veritatis criteria statuere, certas scilicet notas, certos characteres, quibus divinum opus insignitum esse debet, ut ab humanae sapientiae vel astutiae inventis possit discerni.

505. — Jam obvium est nostrum, quod per totam Demonstrationem diffusum est, ratiocinium:

Sunt certae quaedam notae falsitatis, quae ubi in aliqua religione reperiuntur, certo probant eam divinam non esse: sunt et notae veritatis variae, tum internae, tum externae, tum naturales, tum supernaturales, quae divinam religionis, cui conveniunt, originem clare demonstrant. Exinde fluunt sequentes propositiones:

1° Omnis illa religio certo divina est, quae nullas habet falsitatis notas, omnes autem notas verae et divinae revelationis.

2° Omnis illa religio certo divina non est, quae non tantum divinam originem probare non potest, sed etiam notas habet certissimas falsitatis.

506. — His quasi majore argumenti propositione praemissis, minorem probandam suscepimus in parte operis secunda. Productis igitur probationis instrumentis, et vindicata eorum auctoritate demonstravimus:

1° Religionem Mosaicam, quae ante Christum fuit et proprie praeparatio erat ad evangelium, nullas continere notas falsitatis, omnes autem habere characteres divinae revelationis.

2° Religionem Christianam in abrogatae legis Mosaicae locum substitutam, non tantum nihil continere, quod eam falsitatis argueret, sed omnes divinae revelationis characteres evidentissime praeferre.

3° Nullam aliam in orbe terrarum religionem existere, neque Judaicam hodiernam, neque Mahumetanam, neque ullam ex gentilium religionibus, quae divinam originem probare possit, aut non certas habeat falsitatis notas.

Sequitur itaque:

Religionem Christianam esse vere divinam: — Esse solam divinam.

Quod erat demonstrandum.

THEOLOGIAE DOGMATICAE GENERALIS

LIBER SECUNDUS,

CONTINENS

DEMONSTRATIONEM RELIGIONIS CATHOLICAE.

---

1. — Religionis Christianae ortum divinosque natales hucusque probavimus, nihilque praetermisimus eorum, quae possint reverentiam conciliare tam excellenti doctrinae, omnesque impiorum machinas ad eam evertendam multo labore, arte multa et versutia comparatas, dejicere. Certe jam decor ille plenus nobilitate et majestate, quem ipso ore et habitu praefert, ortum prodit humano longe excelsiorem; sed multa alia attulimus gravissima momenta, quibus certum et perspicuum efficitur, eam a Deo originem ducere, atque e coelo fuisse in terras deductam, *contestante Deo signis et portentis et variis virtutibus, ac Spiritus sancti distributionibus* [1]).

Nihil ejusmodi in aliis religionibus conspicimus, quae divinam originem mentiuntur; omnes fraudis et ignorantiae opus sunt, et accedente luce Christianae religionis tanquam nocturnae species clarescente sole evanescunt. Sua igitur stat religioni Christianae praecellentia; sola divina est, sola potest sanare hominum infirmitates, ignorantiam pellere, mentes regere et ad Deum attollere animos, in quos illabitur.

1. — At devictis nunc Christiani nominis hostibus, ad nova certamina properandum est; et quod acerbissime ferimus, contra eos ipsos pugnandum, quos consentientes nobis hucusque habuimus, et non raro in propellendis incredulis socios. Notum est, plures existere Christianorum societates, quae omnes contendunt, se religionem colere a Christo revelatam. Verum cum inter omnes has societates magna sit doctrinae et dogmatum oppositio; Christus autem divisus non sit, neque plures et diversas religiones ad nos attulerit: in aperto est, non posse omnes veram et integram Christi religionem habere. Sicut ergo prius demonstravimus, inter omnes religiones, quae revelatas se dicunt, unam esse Christianam hoc charactere insignitam; ita nunc probandum, inter diversas religiones Christianas solam Catholicam esse, quae a Christo originem ducat, caeteras omnes falso sibi tanti nominis gloriam attribuere.

3. — Haec tractatio ad omnes quidem pertinet Christianorum sectas, quae ab exordio propagatae religionis a vera Christi ecclesia discesserunt; attamen ad illas imprimis attendere necesse est, quae hac adhuc aetate vigent, et societates constituunt satis numerosas. Praecipuae sunt: 1° Graeci schismatici. 2° Lutherani, seu Evangelici. 3° Anglicani. 4° Calviniani vel reformati. 5° Sociniani. Alias minoris nominis sectas, quae ex his pullularunt, omittimus, cum eas recensere

---

1) Ad *Hebr.* II, 4.

nimis longum esset. Theologi catholici est probare, illas Christianorum societates, quae extorres sunt ab ecclesia catholica et ab ea, quam haec profitetur, religione aversae, nec veram et genuinam Christi religionem sequi, nec in ea, quam Christus instituit, ecclesia versari.

4. — Duplicem in hac disputatione viam inire possumus. Prima est, si dogmata inter nos et dissentientes a nobis religiones controversa singillatim excutiantur; ut, cum ostensum fuerit religionem catholicam in omnibus suis partibus certam esse et ex genuinis fontibus derivatam, tanquam consectarium deducatur, eam ergo veram Christi doctrinam continere, neque aliam dari Christi ecclesiam, praeter eam, quae sola hanc doctrinam integram servavit. Secunda est, si primum ostendatur, ecclesiam catholicam veram esse ecclesiam Christi, eam solam genuina habere conservandae religionis media a Christo instituta. Ex hoc scilicet principio sponte fluit omnium et singulorum dogmatum, quae catholica ecclesia profitetur, veritas. Secundam methodum, quae clarissimorum theologorum auctoritate probata est, nobis sequendam censuimus; est enim brevior et certior et systematico ordini apprime accommodata. Siquidem in hoc systemate primum principia generalia ponuntur, et illae stabiliuntur veritates, ex quibus deinde facillimum est, dogmata religionis singillatim eruere, et eorum, quae ab aliis religionibus opponuntur, falsitatem ostendere. Quare et haec pars nobis videtur ad theologiam generalem pertinere; probat enim ecclesiam catholicam solam veram esse Christi ecclesiam, et ea statuit generalia principia, ex quibus deinde omnes fidei nostrae articuli tanquam totidem conclusiones deducuntur.

5. — Duae igitur erunt hujus demonstrationis partes. Prima aget de vera Christi ecclesia; secunda de criteriis, quibus vera Christi religio a falsis distingui debet. Prior quidem cogitatur religio quam ecclesia, cum ecclesia propter religionem instituta sit: verum nos, qui non nova efficere et componere intendimus, sed eorum, quae sunt formamque suam et constitutionem habent, cognitionem acquirere, merito ab iis incipimus, quae prius indagantibus occurrunt, et quasi ob oculos posita sunt; ut per haec ad alia progrediamur. Igitur primum investigabimus, quaenam sit illa ecclesia, cui Christus doctrinae suae custodiam commisit, seu quaenam sit vera ecclesia Christi. Secundo examinabimus, quaenam media Christus huic ecclesiae dederit ad conservandam revelationis suae integritatem, seu quaenam sint criteria, quibus vera Christi religio ab iis secerni possit, quae falso hoc nomine gloriantur.

Antequam partis utriusque tractationem suscipiamus, primum synopsis aliqua historica praemittenda est illarum religionum, quas hic potissimum impugnamus.

SYNOPSIS HISTORICA.

Schisma Graecorum.

6. — Magnum Graecorum schisma, quo tota pene ecclesia orientalis a sede Romana scissa est, primum auctorem habuit *Photium*, virum ingenio et saeculari litteratura celeberrimum; sed ambitioni perdite servientem, et omnis fraudis et simulationis artificio eruditum. Hic anno 857 sedem Constantinopolitanam invasit dejecto per invidiam legitimo Patriarcha S. Ignatio. Cum autem se a Nicolao I. et Hadriano II. summis pontificibus condemnatum videret, contra Romanam sedem et ecclesiam Latinam se extulit mira audacia, multa contra eam accusationis capita proferens, quae tamen pleraque caeremonias tantum et instituta ecclesiastica spectabant. Unica de Spiritus sancti processione quaestio ad fidem pertinebat.

Michaële imperatore, qui Photii fautor fuit, sublato, S. Ignatius restitutus est; Photius autem in concilio Constantinopolitano, quod auctoritate Honorii II. Romani Pontificis anno 869 coactum fuit, denuo condemnatus, Basilii imperatoris sententia in exilium pulsus est. Verum homo versipellis, ut erat fraudum callidissimus artifex, brevi gratiam imperatoris captavit insigni versutia, ita ut mortuo Ignatio in pristinam sedem redierit anno 878, eamque tenuerit ad annum usque 886, quo Basilius defunctus est, nam a Leone VI., qui philosophus dictus est, iterum expulsus in exilio vitam finivit. Ita pax aliquo modo restituta est.

7. — Germinarunt tamen identidem discordiae semina usque ad *Michaëlem Caerularium*, qui saeculo XI. omnem cum Latinis communionem abrupit, atque ita secundus auctor effectus est exitialis illius schismatis, quod sensim per orientales ecclesias propagatum est et omnes fere Graecos infecit.

Facta sunt subinde conciliandae pacis tentamina, praesertim in concilio Lugdunensi anno 1274, et denuo in Florentina Synodo anno 1439 habita. Verum spem ex tam laetis initiis conceptam mox iterum dejecit Graecorum mala fides et ad omne exitium ruens pertinacia. Paulo post repulsam, quae Florentiae sancita fuerat, pacem urbs Constantinopolis et cum ea pars nobilior ecclesiae Graecae jugum subierunt Osmanorum. (Anno 1453.)

Schisma Moscowitarum seu Russorum.

8. — Saeculo X. fides Christiana ex orientali imperio ad gentem Moscowitarum adducta est: stabat tunc temporis communio cum ecclesia Latina, et Russi, quo tempore Christiani facti sunt, catholici fuerunt. Verum cum fidei praecones ex urbe imperii principe accersiti novas ecclesias Constantinopolitanae sedi subditas fecerint, contigit, ut Patriarcha Constantinopolitano ab unitate avulso, etiam Moscowitarum plurimi in idem schisma traherentur. Non tamen generalis fuit discessio, nam adhuc concilii Florentini tempore tot in Russia catholici erant, quot schismatici. Medio tandem saeculo XV. *Photius* quidam, Archiepiscopus Kiowiensis, schisma per totam gentem propagavit.

9. — Saeculo XVI. ad finem vergente (anno 1588), agente ipso Constantinopolitano Patriarcha Jeremia, Episcopus Moscowiae Russorum Patriarcha creatus est. Sed mox in sedis Constantinopolitanae damnum crevit nova dignitas, et 100 post annos Patriarcha *Nicon* penitus se subduxit auctoritati ecclesiae Constantinopolitanae. Verum et haec patriarchalis dignitas paulo post extincta est, cum Petrus I. quem et Magnum dicunt, ad res sacras et ecclesiasticas ordinandas concilium aliquod ecclesiasticum composuit, cui ipse tanquam supremum caput praesideret.

Graeci eandem nobiscum fidem tenent, in hoc tantum dissentiunt, quod ecclesiae Romanae primatum non agnoscant et Spiritum sanctum dicant a solo Patre procedere.

Russorum ecclesia, cum Graecae propago sit, ab ea etiam ritus suos et doctrinam habet, nec quidquam in iis mutari hucusque passa est. Habemus celebre *statutum canonicum seu ecclesiasticum Petri Magni*, quod monumentum est summe authenticum doctrinae totius Russorum ecclesiae. Nihil in illo continetur, quod non cum catholicis dogmatibus consentiat, excepto, quod primatum Romani Pontificis non recipiat et quaestionem de Spiritus sancti processione silentio praetereat.

Novatorum saeculi XVI. praecursores.

10. — Novatores, qui saeculo XVI. ecclesiam turbarunt, *Wicleffum* et *Joannem Hus* prae ceteris inter patres et praecursores suos numerant; quamvis magnum sit inter eorum et

novatorum dogmata discrimen, ut alio loco ostendetur [1]). Sed unum est arctissimae affinitatis vinculum, odium in ecclesiam Romanam; hoc ubi adest, parum obstat etiam in rebus gravissimis sentiendi diversitas. Primus in universitate Oxoniensi professor anno 1369 errores suos sparsit. Compressa quidem fuit eo tempore haeretici hominis audacia, sed error penitus extinctus non est. Saeculo XV. ineunte ex Anglia in Bohemiam cum Wicleffi libris perlatus acerrimum nactus est propugnatorem *Joannem Hus*, Pragensis academiae rectorem, virum novitatis amantem ac superbe de se ipso sentientem. Novum haeresiarcham una cum fidelissimo amico *Hieronymo Pragensi* Constantiae ad rogum condemnavit Sigismundus Imperator anno 1416. Exinde vehementius exarsit Husitarum bellum, quo per sexdecim annos Bohemia et omnes circum regiones dire vexatae sunt.

Sed inter Husitas quoque dissidia exorta sunt. Moderatiores qui *Calixtini* vocantur, quia calicis usum in eucharistia postulabant, jam anno 1433 ad ecclesiae unitatem redierunt, accepta a patribus, qui tum in concilio Basileensi congregati erant, facultate sub utraque specie communicandi. Multo his pertinaciores fuerunt, qui *Thaboritae* dicti sunt, a monte munitissimo prope Pragam, in quo arcem ac praesidium sectae suae constituerant, et cui *Ziska* eorum dux nomen *Thabor* indiderat. Ex his prodierunt *fratres Bohemi*, qui postea Lutheranis et Zwinglianis se adjunxerunt.

Ecclesiarum protestantium brevis historia ordine chronologico.

11. — Anno 1517. *Lutherus* Islelebiae in Saxonia natus, ex ordine Eremitarum S. Augustini, theologiae doctor et professor in academia Wittenbergensi, opus pseudoreformationis aggreditur.

1519. *Zwinglianismi* seu Sacramentariorum initia apud Helvetios.

1521. Lutherus ad comitia Wormatiensia citatus, cum videret damnationem sibi imminere, clam aufugit et favente sibi *Friderico Sapiente* Saxoniae duce per decem menses delituit in castro Wartburgensi, quod Patmos suum vocare solebat.

1525. Motus rusticorum et anabaptistarum in Suevia et finitimis regionibus. *Münzerus*, qui fanaticorum dux fuerat, Mühlhusii ultimo supplicio afficitur.

12. — Nova religio in Sueciam, Daniam et Norvegiam inducitur. Haec regna sub una Christiani II. ditione tenebantur. Hujus se obsequio subduxit Gustavus I. regnumque Sueciae occupavit anno 1521, ubi paulo post ecclesiarum ac monasteriorum bonis inhians, reformationem sibi in adjumentum adscivit anno 1527. Daniam et Norvegiam ad novam religionem traxit Fredericus I., qui Christiano II. successit.

1528. Comitia Spirae praesente Carolo Caesare habita, in quibus causa catholicorum vicit. Contra protestati sunt *Joannes* dux et elector Saxoniae, qui Frederico fratri successerat, et *Philippus* Hassiae Landgravius cum reliquis Lutheranis. Inde *protestantes* dicti sunt.

1530. Lutherani Carolo V. in comitiis Augustae Vindelicorum habitis confessionem fidei porrigunt a Melanchthone exaratam, quae postea a plerisque Lutheranis tanquam liber symbolicus seu fundamentalis habita est sub nomine *confessionis Augustanae*.

13. — 1531. Post Augustana comitia res ad arma spectare coepit: itaque protestantes *Schmalcaldicum foedus* sanxerunt contra imperatorem et catholicos. Foederis articulos concinnavit Lutherus.

1) Vide hujus Demonstrat. part. I. n. 364 seqq.

Zwinglius in bello a Tigurinis et Bernensibus contra finitimos catholicos inito occubuit. Eodem anno extinctus est *Oecolampadius*, qui Zwinglio minister subservierat, sicut Luthero Melanchthon.

14. — 1533. *Henricus* VIII. Angliae rex, qui fidem Romanam adversus Lutherum strenue defenderat, et propterea a Leone X. titulo defensoris fidei condecoratus fuerat, orto postea inter illum et Pontificem dissidio in causa divortii, omnem cum sede Romana communionem abrupit, et seipsum caput constituit ecclesiae Anglicanae.

1535. *Anabaptistae* Monasterii et in Belgio omnia permiscent seditiosis et effrenatis violentiis. *Joannes de Leyden*, rex et dux fanaticorum Monasterii regni sui sedem fixerat; sed capta urbe, diris tormentis affectus, mortem subiit atrocissimis criminibus meritam.

Eodem anno *Calvinus* ex Gallia profugus Basileae quatuor institutionum libros absolvit et publici juris fecit. Ab hac epocha desumitur Calvinianae haeresis initium. Paulo post cum fratre *Antonio Calvino* Genevam petiit, ibique theologiae professor renuntiatus est anno 1536.

15. — 1545. Cum omnes fere Europae nationes pervagaret novarum opinionum lues, et novas quotidie strages pateretur antiqua religio, de convocando generali concilio actum est inter principes Christianos et sedem Apostolicam. Clemens VII. serio in hoc opus incubuit, ut ex ejus litteris patet anno 1533 ad Franciscum regem Galliae datis; sed morte impeditus est. Vix sedem Romanam conscenderat Paulus III., cum Clementis consilium prosecutus, synodum indixit, quae tamen novis semper interpositis impedimentis, nonnisi anno 1545 initium sumsit Tridenti, quae urbs est in Germaniae cofinibus sita.

1546. Lutherus e vita excessit hoc ipso anno, quo principes foederis Schmalcaldici, cujus ipse classicum cecinerat, in Caesarem insurrexerunt.

16. — 1547. Schisma Anglicanum mortuo Henrico VIII. in apertam haeresim degeneravit sub Eduardo VI., agente imprimis *Thoma Cranmer*, Cantuariensi Archiepiscopo.

1548. Hoc anno a Carolo V. Imperatore data est famosa constitutio, quae *Interim* vocatur. Cum enim priori anno ob pestem Tridenti grassantem concilium post X. sessionem interruptum fuisset, voluit imperator hoc edicto praescribere, quid *interim*, id est usque ad concilii generalis definitionem servandum esset. Haec constitutio tum catholicis displicuit, tum protestantibus quam plurimis, inter quos occasio fuit *belli adiaphoristici*, cui sopiendo diu post (anno 1580) editus est *Liber Concordiae*, quo tamen finis non potuit fieri discordiarum.

17. — 1551. Concilium Tridentinum per IV. annos interruptum, resumitur sub Julio III. summo Pontifice. Mauritius Saxo, foedere cum rege Galliae aliisque principibus Germaniae inito, Caesarem aggreditur, qui in angustias redactus pacem inire cogitur cum protestantibus. Inde *Transactio Passaviensis*.

Transactionem Passaviensem anno 1555 secuta est *Pax religiosa*, quae licet protestantibus plenam religionis libertatem concederet, eorum tamen audaciam non compescuit, sed auxit potius; utpote qui nulla foederis religione commoti ab hoc imprimis tempore omnia susque deque verterunt.

1558. In Anglia religio catholica anno 1553 sub *Mariae* regimine pristinas sedes receperat. Sed, succedente in locum Mariae *Elisabetha*, denuo dejecta et saevissime vexata haeresi locum cedere coacta est.

1560. In Gallia Calvinismus potentissimos nactus fautores, principem Condaeum ac Burbonicam domum, saevire coepit civilibus bellis.

18. — 1561. Colloquium Pisciacum

(Poissy), in quo celebriores athletae fuerunt ex parte catholicorum *Cardinalis Lotharingius*, ex parte Calvinistarum *Theodorus Beza*.

1563. Concilium Tridentinum anno 1552 post sessionem XVI. denuo suspensum, et anno tantum 1562 auctoritate Pii IV. iterum continuatum, quarta Decembris anno 1563 vigesimam quintam et ultimam sessionem habuit.

1572. Nox S. *Bartholomaei* sub Catharina de Medicis ejusque filio Carolo IX.

1579. Philippus II. rex Hispaniae, cum in Belgio protestantium haeresim cruentis suppliciis extinguere conaretur, jacturam fecit septem provinciarum.

19.—1585. *Liga* catholicorum, studio principum Lotharingiae Parisiis inita contra Burbones sectae Calvinianae tunc temporis addictos, ad quos post Henrici III. mortem regni successio pertinebat.

1589. Henricus III. Jacobi Clementis impii sicarii manu percussus moritur. Liga totis viribus se opponit Henrico Navarrensi proximo throni Gallici haeredi. 1593—94. Henricus ad sacra catholicorum transit, urbem Parisiensium ingreditur, et sub nomine *Henrici* IV. gloriose regnat.

1589. — Edictum *Nanetense*, quod armatis precibus Calvinistae ab Henrico IV. obtinuerunt.

Calvinismi progressus in Germania. Jam saeculo XVI. sedem fixerat in Palatinatu ad Rhenum, in ditione principum Anhaltinorum, in urbe Bremensi etc. Saeculo sequenti in Hassiam receptus est et partem Electoratus Brandeburgici.

1609. Mors *Arminii* Lugduni Batavorum (Leyden), theologiae professoris, qui *Arminianis* ortum dedit. Haec secta in doctrina de praedestinatione a caeteris Calvinianis recessit, et a *Gomariensibus* in synodo Dortrechtana anno 1616 damnata ac diris persecutionibus agitata est. Arminianorum doctrinae inter alios addicti erant *Joannes Clericus* et *Hugo Grotius*.

20. — 1610. Protestantes Hallae Suevorum unionem ineunt; catholici Ligam illis opponunt duce Maximiliano I. Bavariae principe. 1617. Bohemi haeretici in proprium regem seditionem movent, quae tricenario bello initium dedit. Cum enim res Bohemicae infeliciter successissent, protestantes novas turbas cientes primum quidem Danorum regem, postea autem, cum hic male res gereret, *Gustavum Adolphum* regem Sueciae sibi constituerunt ducem.

1648. *Pax Westphalica* inita Monasterii inter Caesareos et Gallos, et Osnabrugi inter Suevos principesque protestantes et imperatorem. Annus 1624 tanquam *normalis* assumtus est.

In Anglia secta *Puritanorum* Elisabethae auctoritate aliquamdiu compressa ingentes vires cepit sub *Jacobo* I. ex domo *Stuart*, qui Hiberniae regnum cum Anglico conjunxit. 1649. Haec secta in apertam tandem seditionem prorupit adeo, ut *Carolum* I. Jacobi successorem extremo supplicio interimeret, animos inflammante *Oliverio Cromwello* exercitus duce, qui regiminis habenas arripuit sub nomine *Protectoris*.

21. — 1647. Initium *Quakerorum* seu *Tremulantium* in Anglia auctore *Georgio Fox* sutore. A *Guilielmo Penn* in Americam inducti urbem *Philadelphiam* fundarunt in provincia, quae ab eorum duce *Pensylvania* dicta est. Coetus *Methodistarum* recentior est et ad saeculum XVIII. pertinet.

1658. Sociniani ex Polonia expelluntur. Jam anno 1553 *Michaël Servetus* tanquam *Antitrinitarius* Genevae opera Calvini flammis traditus fuerat. Anno 1566 Bernenses *Gentilem* Neapolitanum ejusdem haeresis accusatum morte mulctarunt. Inde factum, ut qui hujus impietatis suspecti erant, in Poloniam secesserint, ubi gubernatoris Podoliae praesidio tuti dogmata sua

spargebant. Praecipui hujus sectae duces fuerunt ambo *Socini*, *Laelius* et *Faustus*, nepos *Laelii*. Primus Tiguri apud Helvetios mortuus est anno 1562. *Faustus* autem non tantum scripta patrui summa cum diligentia collegit; sed ipse etiam plura opera conscripsit, et formam quasi indidit errori, cum opiniones, quae liberius in omnem partem vagabantur, in systema coëgit. Obiit *Faustus Socinus* prope Cracoviam anno 1604; tantamque apud suos celebritatem habuit, ut secta ab eo nomen acceperit. Opera *Socini* et aliorum quorundam ejusdem impietatis defensorum octo tomis collecta habentur sub hoc titulo: *Bibliotheca fratrum Polonorum, quos Unitarios vocant.* Vocantur autem *Unitarii*, quia unum Deum profitentur sine personarum distinctione.

22. — Difficile esset omnia doctrinae capita recensere, in quibus a catholica ecclesia et inter se dissentiunt protestantium societates. Nulla est, quae in ea, quam semel assumsit, doctrina permansit. Abjecto semel erga legitimam auctoritatem obsequio, quilibet sibi jus arripuit innovandi et ecclesiam suo modo reformandi; donec tandem in effraenam licentiam degeneraverit inconsulta libertas, ita quidem, ut spreta librorum symbolicorum auctoritate ac veterum magistrorum doctrina, omnia nunc errorum monstra impune grassentur.

Protestantes omnes neque eam ecclesiae constitutionem admittunt, quam a Christo habet ecclesia catholica, neque hujus ecclesiae in decidendis fidei quaestionibus auctoritatem; verbum autem divinum, cui tanquam fundamento veram Christi religionem inniti profitentur, in sola dicunt scriptura contineri.

Exinde id saltem sequitur, protestantes, nisi a se ipsis desciscant, fidem in religione postulare, et tamquam primum credendi principium nobiscum assumere auctoritatem divinam. Non ita Sociniani et moderni protestantes, qui omnia humanae rationi subjiciunt, neque assensum tribuendum esse volunt propter divinam scripturae auctoritatem, sed ob perspectam ex rationibus intrinsecis veritatem. Quam affinis sit haec doctrina naturalismo nemo non videt; non ita frater fratri similis est, sicut Socinianus aut *evangelico-christianus* Deistae.

PROLUSIONES.

OBSERVANDA.

23. — I. Tractationi, quam de ecclesia et locis, ex quibus Christiana dogmata hauriuntur, instituimus, quaedam de religione Christiana in genere praemittenda censemus, quae partim consectaria sunt ejus, quam absolvimus, Demonstrationis, partim introductio quaedam ad ea, quae in hac Demonstratione catholica tractanda suscepimus. Videndum ante omnia est, quid intelligendum sit sub Christianae religionis nomine, removenda sunt noviora systemata a protestantibus in desperatae causae patrocinium excogitata, quae ubi semel invaluerint, jam non ad veram Christi religionem viam sternunt, sed divinam ejus auctoritatem violant, et in apertum indifferentissimum omnisque revelationis despectionem degenerant.

II. Primum, quod DD. protestantes sibi pararunt effugium, in distinctione consistit articulorum fundamentalium et non fundamentalium. Cum enim in religionis doctrina nihil certum fixumque haberent, in diversis ecclesiis diversa docerent, et alias semper et alias fidei professiones cuderent; cumque eo adducti fuerint catholicorum argumentis, ut nullam Christianorum societatem potuerint a salute excludere: in hanc demum sententiam abierunt, ut assererent, distinguendum esse inter articulos fidei *fundamentales* et *non fundamentales;* hominem posse

absque salutis discrimine veritates etiam a Christo revelatas non credere, dummodo ad necessarios seu fundamentales fidei articulos non pertineant. Ex solis necessariis seu fundamentalibus pronuntiandum esse de vita et morte ecclesiae, deque retinenda vel repudianda ejus communione, ex his pendere vitam et salutem hominum. Hanc igitur distinctionem summopere extollunt, tanquam firmissimum propugnaculum, in quo demum tutos se securosque putant. *Vix credi potest*, inquit Dallaeus, *quantopere sit necessarium advertere hanc differentiam in materia religionis.*

24. — III. Verum si a protestantibus quaeritur, quaenam sint puncta illa doctrinae tam necessaria, aut quaenam in discernendis fundamentalibus sequenda sit regula, iterum mire inter se dissentiunt. Ipse doctissimus *Moshemius* hujus distinctionis acerrimus propugnator fatetur [1]), hanc controversiam inter protestantes facillime quidem componi, quamdiu quaestio in abstracto ponitur, quid nempe sit articulus fundamentalis; verum si ad dogmata applicetur, an nempe hoc vel illud dogma sit fundamentale, tunc oriri lites, *quae non facile componi possunt ob vehementes animorum motiones et praejudicatarum opinionum varietates.* Idem fatetur *Franciscus Buddeus* [2]) et *Jacobus Zimmermann*, theol. Ligur., qui inter alia haec habet [3]): *Quid ad salutem consequendam necessario credendum sit, quisve error a salute excludat, is solus decernere potest, qui est salutis et exitii Dominus.*

IV. Ab hac sententia facilis fuit transitus ad illam, quam hodiedum videmus a protestantium doctoribus valde commendari: Christianam scilicet religionem id habere cum aliis institutionibus commune, ut magis in dies magisque elimari et perfici possit. Quam impium hoc recentioris protestantismi commentum sit, nemo non videt: sub hoc enim *perfectibilitatis* praetextu, quidquid superbae et inquietae rationi non arridet, non tantum ex numero articulorum fundamentalium, sed ex ipsa Christi religione expungunt, atque demum in divinae revelationis locum purum putidumque naturalismum ponunt, explosa omni supernaturali dispensatione. Certe nescimus cui potissimum illudere velint homines isti, an sanctissimae religioni, cujus adhuc nomen usurpant, an nobis, quibus impias inventiones suas cum magna philosophiae jactatione vendere non erubescunt.

25. — V. Cum his protestantium systematibus tam arcte conjunctus est *indifferentismus*, ut difficile sit definire, an ex illis profluxerit, an potius ortum illis ipse dederit. Id certum, hunc indifferentismum communem saeculi nostri morbum esse, quo omnes fere, qui extra ecclesiam catholicam versantur, graviter decumbunt; quamvis nihilominus sectae suae, quantum possunt, consulant, non religionis sed partium studio. Primum quidem protestantes, cum jugo auctoritatis excusso per varias erroris semitas incerti vagarentur, ne ipsi a salute viderentur exclusi, omnes fere novatorum sectas ad eam admiserunt; hoc, ut vidimus, principium statuentes: exceptis quibusdam fundamentalibus doctrinae punctis, reliqua inter indifferentia collocanda. Sic primum indifferentismus ille ortus est, qui docet, tum catholicos, tum protestantium societates omnes posse ad haereditatem filiorum Dei pervenire. Quinimo, cum homines suae rationi plus aequo fidentes magis in dies quidquid supernaturalis ordinis est fastidirent, et multi ex protestantibus *Socinianis* ultro dexteras porrigerent, difficile non fuit, religionis Christianae fundamentum ita statuere, ut ne hi quidem ab eo excluderentur.

---

1) Element. theol. dogmat. vol. I. cap. I. 2) Instit. theol. dogmat. lib. I. 3) Tom. I. opusc. pag. 46.

26. — Socinianismo vicinus est *naturalismus;* ad hunc incitato cursu progreditur humana ratio, ubi semel laxato divinae auctoritatis freno se ipsam constituit religionis et veritatis magistram. Exinde oritur secundi generis *indifferentismus*, qui in sola lege et religione naturali haerens, caetera omnia ait nihil a Deo curari, neque ab eo repelli cultum quemcunque, dummodo rationem non offendat et genuinis morum principiis non repugnet.

Sed neque in hoc gradu diu constitit *indifferentismus*, neque consistere potest, si sibi constat et sua ipse principia prosequitur. Brevi igitur ad eam accrevit *latitudinem*, ut nec idololatras nec scepticos nec incredulos quoscunque excluserit, et Deum sibi effinxerit, qui rerum humanarum curam non habeat, aut certe hominum opinionibus, quamvis monstrosis et impiis, non offendatur. Hoc tertium *indifferentismi* genus est, quo nihil potest esse Deo injuriosius, nihil humano generi exitialius, nihil ad efferandos animos omnesque religionis sensus enecandos aptius. Hoc genus *indifferentium* impugnare nostri non est instituti; id enim philosophis relinquimus, qui religionis naturalis existentiam et necessitatem probant. Nobis, postquam cum Deistis pro religione Christiana pugnavimus, nunc cum protestantibus de ecclesia et fide catholica agendum est.

27. — VI. Ut igitur tum indifferentismo, tum illis, quae supra exposuimus, protestantium effugiis occuramus, animosque praeparemus ad ea, quae in Demonstratione catholica dicenda sunt; 1⁰ propositiones quasdam stabiliemus circa naturam et proprietates religionis Christianae in genere; 2⁰ utrumque adversariorum systema, tum articulorum fundamentalium, tum perfectibilitatis impugnabimus; 3⁰ pauca quaedam de religionum indifferentia dicemus.

§. I.

De natura et proprietatibus religionis Christianae in genere.

PROPOSITIO I.

Revelatio Christiana, cujus divinam originem probavimus, illa tantum religionis capita complectitur, quae a Christo tradita, et ab Apostolis tanquam ad Christi religionem pertinentia in orbe promulgata sunt.

28. — I. Propositio patet ex ipsa revelationis Christianae definitione. Haec enim nihil aliud est, quam religio a Christo divinitus tradita; ex quo necessario sequitur, nihil eorum, quae Christus non docuit, posse ad hanc revelationem pertinere.

II. Ex Demonstratione Christiana certum est, omnia illa argumenta, quibus divinam religionis Christianae auctoritatem probavimus, ad Christum tantum pertinere et Apostolos, vel ad illam doctrinam, quae a Christo revelata et per Apostolos in orbe propagata est. Ergo quidquid huic doctrinae adjiceretur, commentum esset mere humanum, nullo divinae auctoritatis sigillo munitum. Ergo neque pars esse posset Christianae revelationis. *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.* I. ad Cor. III, 11.

PROPOSITIO II.

Ad revelationem Christianam, quam divinam probavimus, omnia illa necessario pertinent, quae a Christo hominibus tradita, et ab Apostolis tamquam ad Christi religionem pertinentia in orbe promulgata sunt.

29. — Prob. I. Omnia illa argumenta, quae ad probandam religionis Christianae divinitatem attulimus, non unam tantum aut aliam partem hujus revelationis concernunt, sed totam et integram Christi doctrinam ab Apostolis per orbem propagatam: probant enim Christi et Apostolorum divinam missionem, adeoque in genere divinam illius doctrinae, quam homi-

nibus tradiderunt, originem. Ergo etc. *Docete omnes gentes, docentes eos servare omnia, quaecunque mandavi vobis.* Matth. XXVIII, 19. 20.

Prob. II. Cum omnes revelationis Christianae partes eidem innitantur fundamento, nempe Dei revelantis auctoritati, sequitur, quod si unicum revelatae religionis caput auferri posset, tota revelatio corrueret: omnes enim reliquae doctrinae partes nulla alia habent argumenta, quibus sustentantur. Ergo etc.

Prob. III. Omnis positiva institutio ab eo, qui ejus auctor est, propriam suam formam et naturam habet, ita quidem, ut si aliquam sui partem amittat, eo ipso desinat esse, quod fuit: atqui Christiana revelatio est institutio positiva, quae Christum auctorem habet (ex Demonst. Christ.). Ergo nihil ex illis amittere potest, quae a Christo accepit, quin eo ipso in aliam mutaretur, et non amplius eadem illa positiva institutio esset, quae a Christo profecta est.

30. — Corollarium I. *Ergo omnis religio, quae aliquid fide divina credendum proponit, aut tanquam dogma tradit divinitus revelatum, quod a Christo revelatum non est, vera et genuina Christi revelatio esse non potest.*

Corollarium II. *Ergo omnis religio, quae non omnia ea continet, quae a Christo revelata et ab Apostolis promulgata sunt, non est vera et genuina Christi revelatio.*

PROPOSITIO III.

Christus religionem suam universalem esse voluit et perpetuam.

31. — Probatur. Quaenam sit religionis Christianae natura, quas illi proprietates Christus inesse voluerit, melius dijudicari non potest, quam ex ipsis verbis Christi et Apostolorum. Atqui ex his certum est, Christum religionem suam universalem esse voluisse et perpetuam. Ergo etc.

Prob. I. pars. Matth. XXVIII. Christus ita ad Apostolos locutus est, ut non potuerit apertius mentem suam exprimere: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra; euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos . . . docentes eos servare, quaecunque mandavi vobis.* Eadem fere Marci XVI. leguntur: *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.* Haec Christi mandata exequentes Apostoli *profecti praedicaverunt ubique* (Marc. XVI, 20.) palam profitentes, *non esse aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri* (Act. IV, 12.). Unum esse Salvatorem nostrum Jesum, *qui omnes homines vult salvos fieri, et ad agnitionem veritatis venire* (I. ad Tim. II, 3.). Hinc idem Apostolus ad Colos. III. ait: *Non est gentilis et Judaeus; circumcisio et praeputium; barbarus et Scytha; servus et liber;* et Petrus Act. X. vidit linteum magnum quatuor initiis submissum de coelo, in quo omnis generis animantia continebantur. Ergo etc.

32. — Prob. II. pars I. Ex iis, quae supra ex I. ad Timoth. et Actor. IV. citavimus, scripturae testimoniis liquet, Salvatorem nostrum Deum velle, omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire, et non esse aliud nomen, praeter nomen Jesu, in quo oporteat nos salvos fieri: atqui nisi religio Christiana, de qua textus illi loquuntur, sicut omnia loca, sic etiam omnia tempora impleret, neque omnes homines ad agnitionem veritatis venire, neque omnes in nomine Jesu salutem consequi possent. Ergo etc.

II. Postquam Christus mandatum dederat Apostolis, ut docerent omnes gentes, statim addidit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi,* ut ostenderet evangelium illud, quod praedicari voluit in universo mundo, etiam usque

ad mundi consummationem perstiturum. Haec porro ex iis, quae de ecclesiae stabilitate dicturi sumus, evidentius apparebunt.

Confirmatur haec propositio ex consensu omnium illarum societatum, quae a Christo nomen habent. Quamvis enim in pluribus inter se dissentiant, in hoc tamen conveniunt omnes, quod dicant, revelationem Christianam nullis temporum limitibus esse circumscriptam, sed adhuc existere, et semper exituram: ideoque in tanta opinionum diversitate nullus est, qui non contendat, veram Christi religionem in coetu suo haberi.

33. — Corollarium. *Inter diversas religiones, quae se Christianas dicunt, certe una est, quae vera Christi revelatio dici potest.*

Probat. Si ex omnibus, quae per orbem disseminatae sunt, religionibus nulla esset, quae vere Christi religio dici posset; ergo haec religio non amplius existeret, quod falsum probatur ex propos.

PROPOSITIO IV.

Ex omnibus Christianis religionibus una tantum vera Christi revelatio esse potest.

34. — Prob. I. Religiones omnes, quae se Christianas dicunt, quamvis mire inter se discrepent, suam tamen doctrinam tanquam a Christo traditam proponunt; ergo vel dicendum est, religionem Christianam contraria et pugnantia continere, quod in divinam revelationem cadere non potest, vel unam tantum ex illis esse, quae doctrinam Christi puram et integram contineat.

II. Si inter diversas religiones Christianas una est, quae ea omnia et sola, quae a Christo revelata sunt, complectitur, sequitur, quod reliquae omnes eo ipso, quod ab hac dissentiant, vel non omnia, vel non sola, quae revelata sunt, credenda proponant; ergo vera et genuina Christi revelatio esse non possunt. (Ex propos. I. et II.)

III. Apostolus ad Ephes. IV. postquam fideles ad pacem et unitatem servandam hortatus est, addit v. 4. seqq.: *Unum corpus et unus spiritus, unus Dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus et pater omnium;* atqui ita dicitur *una fides,* sicut est unus Dominus et unus Deus. Ergo etc.

§. II.

De systemate articulorum fundamentalium et religionis Christianae perfectibilitate.

PROPOSITIO I.

Distinctio in articulos fidei fundamentales et non fundamentales in sensu protestantium admitti non potest.

Argumentum I.

35. — Ex protestantium doctrina sequeretur, plurima religionis a Christo revelatae puncta esse, quae negari possint absque salutis dispendio; alia autem ita esse necessaria, ut iis ignoratis aut abjectis omnis ad salutem aditus intercludatur: atqui repugnat ejusmodi discrimen admittere inter doctrinae articulos ad eandem divinam revelationem pertinentes.

Et certe necessitas credendi fidei articulos aliunde deduci non potest, quam ex ipsa revelatione, seu Dei revelantis auctoritate; quare enim revelati sunt, nisi ut credantur? Et quare creduntur, nisi quia revelati sunt? Ergo si aliqui ex his articulis credendi sunt, cur non et alii, quos pariter constat esse revelatos? Si omnia Christi praecepta observari oportet, quia a Christo data sunt, ut ipsi protestantes fatentur; ergo et dogmata omnia credere necesse est, quia a Christo revelata sunt.

Argumentum II.

36. — Nemo hucusque determinare potuit, quaenam doctrinae puncta ad

fundamentalia, quaenam ad *non fundamentalia* pertineant. Nugantur ergo protestantes et deludunt populum inanibus verbis, quibus nullus sensus subest. Qui fundamentum non tenet, ajunt, extorris est a Christo, alienus a salute. Sed cum a coecis ductoribus quaeritur, quodnam sit igitur illud fundamentum, quae sint dogmata illa necessaria, haesitant, in diversas partes scinduntur, et tandem fatentur ipsi, nihil se certi habere, neque sperandum, ut tot discrepantes sententiae unquam in unam aliquam certamque regulam conspirent. Ut enim in hac materia, in qua fatentibus adversariis de eo, quod ad salutem necessarium est, agitur, certi aliquid statueretur, necessarium esset, ut articulus quilibet inter fundamentales cooptandus probaretur non tantum sub ratione *veri*, sed etiam sub ratione *necessarii;* et ut articulus a fundamentalibus excludendus probaretur saltem sub ratione *non necessarii;* atqui hoc effici a protestantibus nunquam poterit; nec ex scriptura, quam quilibet pro more suo interpretatur, nec ex traditione aut ecclesiae auctoritate, quam rejiciunt.

Argumentum III.

37. — Protestantes distinctionem, quam inter fidei articulos admittunt, ex claris scripturae sacrae testimoniis probare deberent: atqui nulla hujus distinctionis mentio in scripturis ocurrit; imo contrarium ex evangeliis et Apostolorum scriptis discimus. Ergo etc.

Prob. maj. Protestantes scripturam tanquam unicam credendorum regulam admittunt, et passim contendunt, clare in ea contineri quaecunque necessaria sunt ad salutem. Quid autem magis necessarium est ad salutem, quam scire, quaenam sint fundamentalia illa dogmata, quae negare absque salutis jactura nemo potest?

Prob. min. I. Quod scriptura de distinctione inter articulos fundamentales et non fundamentales alte sileat, legenti patet; neque protestantes aliquod scripturae testimonium afferre hucusque potuerunt.

II. Scripturae ubique generatim et sine ulla exceptione dicunt: credendum esse evangelio; tenendam esse Christi doctrinam; eos, qui ab hac doctrina recesserunt, haereticos esse, a fide excidisse, sectas perditionis introduxisse etc. *Matth.* XXVIII. Apostoli mittuntur ad omnes gentes, ut docerent eos servare, quaecunque Christus ipsis mandaverat. *Marc.* XVI, 16. additur: *qui non crediderit, condemnabitur.* Ad Galat. I. ait Apost.: *Siquis evangelizaverit vobis praeter id, quod accepistis, anathema sit.* Rationem affert, quae ad omnia revelata dogmata pertinet; scilicet, quod evangelium, quod ab eo evangelizatum est, non ab homine sit, sed a Deo. Idem Apostolus ad Timotheum et Titum scribens frequenter de hominibus haereticis et deceptoribus loquitur, qui errant et in errorem mittunt; qui cum profanas vocum novitates sectarentur, a fide exciderunt. *Haereticum hominem,* ait ad Titum III., *post unam et secundam correptionem devita, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est.* Cf. II Joan. 9. 10. II Petri II, 2. Judae 3 et seqq.

Argumentum IV.

Doctrinam protestantium circa articulos fundamentales explodendam esse, probatur ex falsis et absurdis ejus consectariis.

38. — Consect. I. Protestantes docent, sine fide articulorum fundamentalium impossibile esse placere Deo et haereditatem filiorum Dei adipisci: atqui hanc fidem nemo protestantium habere potest; ergo salus ipsis impossibilis est.

Major certa est ex ipsa definitione articuli fundamentalis.

Prob. minor. Fidem, qua creditur ad salutem, divinam esse oportet, fatentibus ipsis protestantibus. Atqui

nemo protestantium fide divina certus esse potest, articulos, quos ipse admittit, ad necessarios pertinere, neque alios praeter hos; ad hoc enim requireretur, ut rationem teneret certam et infallibilem, fundamentales ab iis, qui fundamentales non sunt, discriminandi. Unde autem protestantes in hac re tam difficili infallibilem illam certitudinem habere poterunt, quae ad fidem divinam requiritur? An ex ecclesiae suae aut doctorum judicio? Sed illud judicium ex protestantium sententia non est principium fidei. An quia articuli illi clare et aperte in sacris biblis continentur? Sed nullibi ita continentur, et contrarium vel ex eo apparet, quod doctissimi inter protestantes in determinandis articulis necessariis dissentiant.

39. — Consect. II. Protestantes omnes fatentur, difficillimam esse hanc de articulis fundamentalibus quaestionem, et in ea definienda summam esse etiam inter eorum doctores dissensionem. At iidem clamare non cessant, facillimum esse rudi cuique et simplici Christiano certam sibi eorum, quae ad salutem necessaria sunt, cognitionem ex scriptura acquirere. Quis non videt, quam absurda haec sint? Ergo quaestio illa intricatissima simul erit, et aperta ac facilis; et, quod magis mirandum, solvendo difficillima eruditis, qui quae sint, aut non sint necessaria, nulla ratione invenire possunt, et clara et aperta rudibus, qui clare et dilucide ex scripturis discere possunt, quae sunt scitu et creditu necessaria [1]).

40. — Consect. III. Juxta protestantes valde periculosum est, determinare fundamentalia, ita ut neque plus satis arctetur salutis via, neque fidei catena dissolvatur. Ergo tum docti, tum indocti in continuo salutis periculo versantur, quod cavere ipsis impossibile est.

Consect. IV. Haec sententia necessario ad indifferentismum ducit; nulla enim haereticorum secta hac ratione poterit a vera ecclesia excludi. Quis v. g. probare poterit mysteria SS. Trinitatis, Incarnationis etc. ad fundamentalia pertinere? Aut quaenam afferri potest regula, ex qua deduci argumentum possit? An protestantes contendent id in scripturis clare contineri? Sed Ariani, Nestoriani etc. et recentiores Sociniani se oppositam doctrinam in scripturis reperisse affirmant [1]).

---

1) Egregie in hanc rem loquitur illustrissimus *Bossuetius* (III. Avertissement aux protestans. §. XXI. Tom. XXI. des oeuvres, édition de Lebel 1816), qui cum doctorum protestantium malam fidem, et quaesita ex omni parte effugia, ad oculum monstrasset, ita exclamat: O peuples fascinés et préoccupés; ne sentirez-vous jamais que vos ministres se jouent de votre foi?... Les docteurs jugeront-ils seuls cette question (des articles fondamentaux), ou seront-ils infaillibles à cette foi, et le peuple sera-t-il tenu de les en croire à l'aveugle! Mais si les ministres se trompent, car ils ne veulent être infaillibles, ni en particulier, ni en corps, faudra-t-il consentir à leurs erreurs! Peuple aveugle, où vous mène-t-on en vous disant, que vous voyez tout par vous-mêmes?

1) Indifferentia omnis Christianae, imo omnis positivae religionis necessaria consecutione ex his propositionibus eruitur: *Tene fundamentalia et sufficit; cetera adiaphora sunto. Quae sunt fundamentalia valde incertum; ea determinare cuilibet liberum esto.* Hinc bene observat D. *Schwarz* (Handbuch I. Band. Seite 189.): *„Manche Wahrheiten, von denen die Apostel so oft reden, und die sie also gewiss nicht für gleichgültig hielten, zählen jetzt einige unter die gleichgültigen: und viele haben die ganze christliche Lehre zu einer blossen Vernunftreligion aus eben diesem Grunde machen wollen, weil es unmöglich sei, das Nothwendige von dem minder Nothwendigen abzusondern.“* Schon *Mosheim* drückt sich hierüber auf eine Art aus, die wenig Achtung für göttliche Offenbarung verräth (S. *Wiest* op. M. Tom. III. p. 44.): *„Da so viele Parteien und Meinungen,“* spricht er, *„in unserer Kirche sich*

Argumentum V.

Protestantes, distinctionem articulorum fundamentalium defendendo, se ipsos condemnant, suamque ab ecclesia catholica scissionem illegitimam declarant.

41. — Prob. Ideo protestantes distinctionem inter articulos necessarios et non necessarios tanti faciunt, quia ex his, ajunt, judicandum est, an abrumpenda sit communio cum ecclesia, an retinenda: ergo juxta eorum principia ab ecclesiae communione secedendum non est, quamdiu haec non errat in puncto doctrinae fundamentali. Atqui ipsis fatentibus ecclesia catholica articulos fundamentales omnes semper tenuit, et adhuc hodiedum tenet; ergo nulla potuit esse justa scindendae unionis causa. Sed ex hac separatione quanta exorta sunt mala! Quantae ecclesiae et regnorum perturbationes! Quam dira et diuturna odia, non privatorum tantum, sed et civitatum et populorum! Quam effraena cogitandi et innovandi licentia! Quantus demum omnis religionis contemptus! Et haec omnia experiri oportuit genus humanum et pati, propter hominum quorundam superborum et turbulentorum insaniam, qui temerario ausu diruperunt vincula pacis, quibus omnes Europae nationes colligabantur; idque, quod ex propriis suis principiis fateri coguntur, absque legitima ratione.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

42. — Dicunt I. Etiam in ecclesia catholica certamina sunt et dissidia plurima inter theologos; nota quoque et vulgaris distinctio inter articulos necessarios et non necessarios. Ergo etc.

Resp. I. Inter doctores catholicos nulla est dissensio de fidei articulis, sed de iis tantum, quae ad fidem non pertinent. Qui in aliquo fidei articulo sufficienter proposito dissentit, habetur haereticus. Inter protestantes autem dissensio est circa articulos fidei ad salutem necessarios, ita quidem, ut inter eos conveniri non possit, qui articuli sint omnino necessarii, et qui errores oppositi justam ac legitimam afferant separationis causam, aut saluti viam praecludant; quod tamen, antequam schisma tam horrendum conflarent, determinandum fuisset.

II. Distinctio catholicorum in articulos necessarios et non necessarios toto coelo distat a sententia protestantium. Optime sciunt catholici omnes, nullum esse revelationis Christianae dogma, quod non fide divina credendum sit; quaedam esse dogmata fidei praecipua, quae aliorum quasi fundamentum sunt, et quae explicite, ut ajunt, et distincte credenda sunt omnibus; quae reliqua sunt ad fidem pertinentia, et ab ecclesia contra varias haereses definita, satis esse rudioribus, ut iis omnibus fidem habeant, quae credit ecclesia, sicque dogmata omnia, quae ab ecclesia catholica credenda proponuntur, fide saltem implicita amplectantur.

---

einschleichen, so ist in der That für uns kein anderes Mittel übrig, als dass wir den Weg zur Seligkeit erweitern und viele Grundartikel für solche Lehren erklären, die zum Grunde des Glaubens nicht gehören?“ Eine ganz feine Art sich aus der Verlegenheit zu ziehen! Wird ein bestehender Fundamentalartikel von einem Sektirer bestritten, so ist das Mittel in promptu. Man streicht den bestrittenen Artikel aus der Zahl der Grundartikel aus. Ex his protestantismi principiis deducta est illa responsio Rousseauvii ad Genevenses (Lettres écrites de la Montagne, lettre 11.): „Je vois déjà vos docteurs triompher sur ces points capitaux, et dire, que je m'en écarte. Doucement Messieurs, de grâce. Sachons d'abord, quels sont selon vous ces points capitaux; sachons, quel droit vous avez de me contraindre à les voir, où je ne les vois pas, et où peut-être vous ne les voyez pas vous-même. N'oubliez point, s'il vous plait, que me donner vos décisions pour lois, c'est vous écarter de la sainte réformation évangélique, c'est en ébranler les fondemens.“

43. — Dicunt II. Falso protestantibus objicitur, quod nullam habeant regulam distinguendi necessaria a non necessariis: clara enim est et omnium captui accommodata haec regula: *Omnia ea ad fundamentalia pertinent, quae clare in scripturis continentur.* Aut haec alia: *Fundamentalia sunt, quae cum religionis Christianae fundamento necessariam habent connexionem.*

Resp. Praeclarus utique ratiocinandi modus, quo difficultas non tollitur, sed augetur, et incertum per magis incertum probatur! Dicant igitur DD. protestantes, quaenam sint illa doctrinae capita, quae clare in scripturis continentur? Cur in rebus tam claris nihil hucusque certi definiri potuit, ita ut ipsi fateantur, consensionem in hac re optandam quidem esse, sperandam nunquam? Dicant, quodnam sit fundamentum illud Christianae religionis, quaenam illa dogmata, quae cum hoc fundamento connexa sunt? Ergo fundamentalia sunt, quae ad fundamentum pertinent! Ergo necessaria sunt, quae clare in scripturis continentur; et clare in scripturis continentur, quaecunque sunt necessaria! Heu, quam dilucida haec sunt! Quam subtiliter excogitata!

44. — Instant. Si haec non arrident, aliud assumi poterit distinctionis principium, quod multis doctissimisque viris inter protestantes valde probatur, et quo nullum est ad conciliandos animos accommodatius: scilicet *ad articulos fundamentales pertinere omnes illos, quos communi consensu tenent omnes Christianorum societates.* Si autem neque haec sufficiant, consulat unusquisque sensum internum a Spiritu sancto inditum, quo, quid fundamentale sit, quid non, tam facile discernet, quam gustus amarum discernit a dulci.

Resp. I. Haec ipsa protestantium fluctuatio, haec dissensio in assignando distinctionis suae principio totum systema funditus evertit. Omnis enim in determinandis fundamentalibus inanis est labor, nisi certa figatur regula; hanc autem in tanta opinionum diversitate quis inveniet? Curent igitur adversarii, antequam eorum articulos fundamentales examinemus, ut circa principium distinctionis ipsi consentiant, tum illud quod statuunt principium, ut fidei regula esse possit, clare in scripturis contineri ostendant. Sed hic opus, hic labor!

45. — Resp. II. Illa sententia, quam plurimi protestantes credunt ad conciliandos animos aptissimam, tam ridicula est et absurda, ut nihil certius probet, quam desperatam eos agere causam. — Ergo illi articuli fundamentales sunt, quos communi consensu tenent omnes Christianorum societates? Verum 1° quis non videt, ecclesiae consensum in hac sententia tanquam fundamentum fidei haberi, quod protestantium doctrinae e diametro opponitur, qui aliud principium praeter scripturas non admittunt? 2° Quaenam haec est argumentandi ratio? Si quaeritur a protestantibus, quis ad ecclesiam pertineat, illico respondent: Omnes illi, qui tenent articulos fundamentales. Si, quinam sint hi articuli, nosse desideras, reponunt: Ii, quos tota tenet ecclesia. 3° Si hoc protestantium principium admittitur, sequitur, omnia catholicorum dogmata ante Lutherum ad fundamentalia pertinuisse. Quae nos hodie adhuc circa septem sacramenta, invocationem Sanctorum, purgatorium etc. credimus, tota tunc credidit ecclesia. Ergo Lutherus et qui eum secuti sunt, fundamentalia deseruerunt. 4° Sequitur, tempore Arianorum, Pelagianorum, Nestorianorum etc. doctrinam de sacramentis, invocatione Sanctorum etc. ad necessaria pertinuisse; dogma autem divinitatis Christi, peccati originalis, necessitatis gratiae etc. non pertinuisse. 5° Sequitur, fidem non ex articulis fundamentalibus determinandam esse,

sed fundamentalia ex hominum fide; nullam haereticorum sectam unquam posse in necessariis errare; cum ea, quae ab aliqua haereticorum societate impugnantur, necessaria esse desinant.

46. — Sed, dicunt alii, internus Spiritus sancti instinctus, et gustus ille fidelis animae, qui sensu magis, quam ratione percipitur, certius nos securiusque in hac investigatione dirigit, quam omnis theoretica disquisitio. — En ultimum ac simul miserrimum infelicis causae effugium! Quis enim fanaticus, quis impostor non potest hunc instinctum, hunc gustum praetendere? Et cum inter protestantes tanta sit in determinandis fundamentalibus opinionum diversitas, utique redit et hic tritum illud proverbium: de gustibus non esse disputandum [1]).

1) Vide D. *Wiest* op. M. Tom. III. *Schwarzhüber* I. Bd. S. 134. Dissertation sur les églises catholiques et protestantes par M. *de la Luzerne* Tom. I. pag. 113—143. Verum fusius prae omnibus et accuratius suo jam tempore de hac materia egerunt fratres Walemburgici in insigni opere, cui titulus est: *Tractatus generales de controversiis fidei.* Nihil in hoc opere, quamvis totum in controversiis versetur, ad offensionem dictum est. At ubique veritatis jura vindicantur cum tanta sermonis et argumentorum gravitate, tanta rerum copia, tam stricta et accurata concludendi ratione, tam sincero simul religionis studio, ut vix aliquid in hac re perfectius haberi possit. Reverendissimi et doctissimi viri unus Coloniensis, alter Moguntinae ecclesiae suffraganeus, jam medio saeculo decimo septimo viam illam invenerunt finiendis controversiis aptissimam, quam paulo post illustrissimus *Bossuetius* secutus est; ut scilicet non particulatim cujuslibet dogmatis suscipiatur defensio, sed ad radicem securis ponatur, et ea prae ceteris argumenta seligantur, quae generalia sunt atque ad evertendum totum falsae reformationis aedificium comparata. Inter tractatus in citato opere contentos unus est *de articulis fidei necessariis seu fundamentalibus.*

PROPOSITIO II.

Divina Christi religio non potest successu temporis fieri perfectior.

47. — Probatur I. Ut religio Christiana in dies perfectior fieri posset in sententia protestantium, unum ex his duobus esset admittendum: vel Apostolos, cum religionem propagarunt, mentem Christi assecutos non fuisse, et dogmata orbi terrarum credenda proposuisse, quae Christum auctorem non habuerunt; vel religionem, qualis ab ipso Christo tradita fuit, emendari posse successu temporis, et ad meliorem politioremque formam perduci; atqui neutrum dici potest. Ergo etc.

Major certa est; agitur enim hic de illa religione Christiana, quam genus humanum ab Apostolis accepit, non de alienis dogmatibus et doctrinis hominum, quae in eam postmodum irrepsissent. Illud ergo, quod a protestantibus nobis objicitur, ecclesiam catholicam multa fide divina credenda proponere, quae nec a Christo revelata, nec ab Apostolis tradita sunt, ad hanc praesentem quaestionem non pertinet, et a nobis diluetur tum in hac Demonstratione catholica, tum in tota theologia speciali; neque haec quaestio nova esset apud protestantes, utpote cum ipso protestantismo nata. Agitur ergo de ipsa Christiana religione, quam Apostoli tanquam a Christo Jesu traditam per orbem terrarum propagarunt.

48. — Probatur min. Primum Christi sapientiae et bonitati contradicit; quis enim sibi persuadeat Christum, qui doctrinae suae propagationem solis Apostolis commisit, nullam, ut integra et pura ab ipsis servaretur, curam adhibuisse? Aut unde scire postmodum potuissent protestantes, factam fuisse ab Apostolis corruptionem? An non potius totus orbis tractus fuisset in errorem inevitabilem, praesertim cum Apostoli divinae missionis signa et argumenta dederint omni exceptione majora? Ergo impostores erant Apostoli!

Ergo Deus ipse humanum genus in fraudem induxisset! Sed absit a nobis tanta impietas, potius dixerim, insania. Ex scripturis discimus, Apostolos a Christo in omnibus, quae ad regnum Dei pertinent, fuisse institutos; ipsis expressis verbis injunctum fuisse, ut docerent omnes gentes servare omnia, quaecunque Christus ipsis mandaverat (Matth. XXVIII, 20.); et ne quid memoriae eorum elaberetur, aut alio quocunque humano errore veritas corrumperetur, promisisse Christum, se illis affuturum continua assistentia (ibid.), neque defuturum unquam Spiritus sancti auxilium, qui doceret eos et suggereret illis omnia, quae ex ore Magistri audierant (Joan. XIV, 26.).

Secundum dicere vetat ea, quam divinae revelationi debemus, reverentia. Nam Christi religionem Deum auctorem habere, jam probavimus. Quis vero audeat opus Dei corrigere? Quaenam haec impietas esset, quae vesania? Nonne ad hoc adegisse adversarios, refutasse est?

49. — Probatur II. Si religio Christiana posset successu temporis majorem perfectionem acquirere, id fieret vel per accessionem novorum dogmatum, vel per rejectionem eorum, quae ab Apostolis accepit; atqui neutrum dici potest; talis enim religio Christi religio amplius non esset, ex coroll. primo et secundo praecedentis paragraphi.

Probatur III. Illa dogmata, quae successu temporis expungerentur, ad religionem Christi pertinerent, vel non: si primum, divina sunt, et fide divina credenda; si secundum, non possunt ex illa religione expungi, ad quam non pertinebant.

OBJICIUNT ADVERSARII.

50. — 1° Notum est, etiam apud catholicos multa quotidie immutari, quae ad religionem pertinent, quod utique eo fine agunt, ut purior perfectiorque appareat religio. 2° Alia omnino est etiam apud catholicos recentioris theologiae facies, quam antiquae. 3° Constans haec fuit Apostolorum ad fideles adhortatio, ut crescerent quotidie in scientia et cognitione Dei [1]). Ergo etc.

Resp. nego consequentiam. Ad I. Constans catholicorum regula est, nihil posse in iis immutari, quae ad revelatae religionis doctrinam pertinent. Tota ecclesiae sollicitudo in eo est, ut perditos et divinis praeceptis adversantes hominum mores corrigat, revelationis Christianae corruptores coërceat, et abusus quoscunque, qui temporum injuria et hominum ignorantia irrepserunt, eliminet.

51. — Ad II. Si contendimus, religionem Christianam perfectiorem fieri non posse successu temporis, illud non ita accipiendum est, ac si non liceret in religionis expositione aliquid immutare. Religio ipsa, quae a coelo ad nos delata est, non potest humanae disciplinae more tractari; et methodus, quae ad doctrinam religionis evolvendam et clariore in luce collocandam adhibetur, cum humani ingenii opus sit, perfectior fieri potest; dummodo, ut observat Vincentius Lerinensis, dum *nove* dicitur, non dicantur *nova*.

52. — Ad III. Volunt Apostoli, ut fideles eorum, quae a Christo tradita et praecepta sunt, meliorem semper perfectioremque cognitionem acquirant, et ad ea, quae bona et sancta sunt, expeditiores quotidie fiant et ferventiores. Hoc Apostoli vocant crescere in scientia et cognitione Dei; ita non religio, sed religionis cognitio, et hominis intelligentia, atque ad superna erectus animus perficitur. Quam longe haec absunt ab animali hominum illorum sapientia, qui tunc demum ad perfectiorem statum se progredi putant, cum divina omnia conculcant, et praeter quotidiana et terrena nihil sciunt, nihil credunt, nihil sapiunt! Si philosophi essent et ad Christianae religio-

1) *Coloss.* I, 10.; II *Pet.* III, 18.

nis naturam attenderent, scirent utique eam positivam institutionem esse et Deum habere auctorem: quid autem magis Deo injuriosum, quam dicere, divinum opus posse humana industria emendari? Quid magis primis rationis principiis repugnans, quam contendere, perfici posse religionem, cum destruitur? Religio enim, quae non amplius ea omnia complectitur, quae a Christo tradita sunt, tam parum Christiana religio dici potest, quam certum est, mutari non posse rerum essentias [1]).

1) Evidens est, fidem divinae revelationis cum hac protestantium sententia stare non posse. Ein neuerer Protestant, *Johann Philipp Gabler,* sagt mit klaren Worten: *„Der Geist des Protestantismus bestehe in einer continuirlichen Protestation gegen allen Gewissenszwang und in dem Rechte einer continuirlichen Verbesserung des Lehrbegriffes nach der Bibel.“* — Diese vollkommene innere Glaubensfreiheit wurde auch bei der Vereinigung der protestantischen Kirchen in Rheinbaiern und dem Herzogthum Nassau als Grundprinzip angenommen, und somit dem geoffenbarten göttlichen Christenthum der Herzstoss gegeben. Darum sagt der gelehrte Professor *Müller* in Schaffhausen (historische Untersuchung in den vertrauten Briefen an Biester. 1801. S. 41.) ganz richtig: *„Selbst Theologen machten sich's zum Geschäfte, die Grundsätze des reinen Christenthums in einem seichten Deismus zu verschwemmen.“* Und *Klaus Harms,* der zu Kiel im Jahre 1817 die 95 Theses Luthers vom Jahre 1517 mit andern 95 Sätzen herausgab, sagt in seinem eilften Satze: *„Mit der Idee einer fortschreitenden Reformation reformirt man das Lutherthum in ein Heidenthum, und das Christenthum zur Welt hinaus.“* So sagt auch *Stäudlin* (Beiträge zur Religion und Sittenlehre. Th. III. S. 190.): *„Wer von Perfectibilität der Dogmen einer geoffenbarten Religion sprechen kann, der verfehlt durchaus den Charakter der Offenbarung.“* Doch dies achtet der neue protestantische Perfectibilismus nicht; er schreitet dreist voran und ruhet nicht, so lange noch etwas zu reformiren übrig ist; er ist am Ziel, wie es in Theoduls Gastmahl heisst (Note, S. 132.), wenn er den Atheismus erklimmt hat. Wenn nun jeder consequente Protestant gestehen muss, dass dieses continuirliche Reformiren in dem Wesen des Protestantismus liege, wie kann er den Charakter einer Offenbarung in einer Religion finden, die auf solche Resultate führt? Man lese hierüber Theoduls Gastmahl S. 129. u. 134.

§. III.

De religionum indifferentia.

PROPOSITIO I.

Religionem Christianam quilibet amplecti tenetur.

53. — Probatur. In Demonstratione Christiana ostendimus [1]), hominem indifferentem esse non posse, cum ei aliqua religio ut divinitus revelata proponitur. Exinde sequitur, duo homini in ejusmodi negotio esse examinanda: 1° An illa religio divinam originem, quam sibi attribuit, revera habeat. 2° An ad ipsum quoque pertineat, seu, an pro ipso quoque facta sit haec revelatio. Ubi haec semel probata fuerint, non potest ab ea amplectenda abstinere, nisi velit in Deum et seipsum peccare, veritatem a Deo ipso propositam repellendo. Atqui revelatio Christiana 1° probata est divinam habere originem (ex Demonstratione Christiana). 2° Omnibus tanquam divina revelatio credenda proponitur, quia est universalis (ex Propos. III. §. I.). Ergo etc.

1) Parte I. n. 59 seqq.

PROPOSITIO II.

Homo inter religiones Christianas non potest manere indifferens.

54. — Probatur. Cum plures sint religiones inter se diversae, quae se Christianas dicunt, ex illis autem una tantum vera Christi religio esse possit (ex Propos. IV. §. I.); cum porro Christi religio, utique vera, ab omnibus sit amplectenda (ex Propos. praeced.), neque effugium pateat in distinctione articulorum fundamentalium (ex Prop. I. §. II.); sequitur, quod cuilibet incumbat obligatio omni studio investi-

gandi, quaenam ex illis religionibus, quae Christi nomen praeferunt, sit vera et genuina Christi revelatio [1]).

55. — Corollarium. *Ergo si probatum fuerit, solam religionem catholicam veram et genuinam Christi religionem esse; sequitur, quemlibet ad eam amplectendam obligari.*

PARS PRIMA.

De vera Christi ecclesia.

56. — Post illam quam de Christianae revelationis origine instituimus quaestionem, nullum potest esse gravius argumentum theologo catholico, quam praesens de ecclesia tractatio. Sicut hucusque, cum de ratione credendi et divinae revelationis indagatione ageretur, dictum est: *Solutio omnium difficultatum Christus est;* ita nunc cum de cognoscenda vera Christi doctrina et de eorum, quae ab eo dicta sunt, genuino sensu disputatur, aptissime responderi potest: *Solutio omnium difficultatum ecclesia est.* Nam stabilita semel verae ecclesiae auctoritate, necesse est errores omnes uno quasi ictu corruere. Mirum igitur non est, quod novatoribus valde displiceat haec certa et brevissima absolvendarum controversiarum ratio, ex qua una cernunt, conclamatum esse de sua doctrina certamque esse omnium novarum opinionum ruinam. Hinc rectam, qua ad veritatem ducimur, viam prosequentes novis semper disputationum laqueis irretire conantur nihilque non agunt, ut argumento tam claro et obvio novas semper tenebras offundant. Quapropter magna nobis adhibenda est diligentia, ut argumentum hoc, ex quo tantus religioni nostrae splendor accedit, quam studiosissime perquiramus et in luce apertissima collocemus.

57. — Ante omnia observandum est, nobis hic controversiam non esse cum philosophis, qui omnem supernaturalem Dei dispensationem rejiciunt; ideoque non philosophice inquirendum esse in ecclesiam, quid illa esse posset, aut quae ex possibilibus esset optima. De facto agitur, quod ad supernaturalem salutis nostrae oeconomiam pertinet et cum divina Christi revelatione intime connexum est, et ideo, quemadmodum et haec, historice probandum est. Ergo, sicut antehac quaerebatur, an facta sit a Deo revelatio, et quaenam illa sit; ita nunc quaeritur, an instituta sit a Christo ecclesia, et quaenam illa sit inter tot Christianorum societates. Ita de ecclesia disserere, est juxta noviores philosophos ecclesiam historice construere [1]).

---

1) Non possumus hic satis commendare egregium opus: *Essai sur l'indifférence.*

1) Res esset satis curiosa neque illepida, si ecclesiae construendae cura philosophis committeretur. Primum quidem evertenda esse funditus, quae hucusque steterunt, uno ore clamarent, atque in hoc uno summa animorum et virium consensione agerent; cum autem quaereretur, quid substituendum esset veteri aedificio, quae melior et perfectior forma esset novae ecclesiae, heu, quae subito exurgeret opinionum diversitas et plus quam Babylonica confusio! Neque quidquam tam ineptum, tam absurdum aut impium cogitari potest, quod non cum summa jactantia in lucem ederet ridicula haec et ventosa philosophia. Optime ergo consultum fuit humano generi, quod idem ille unigenitus Dei filius, qui Christianae religionis auctor est, etiam architectus esse voluerit Christianae ecclesiae. Necessarium quippe erat, ut positiva religio positivam societatem haberet, et divina religio in ecclesia servaretur a Deo instituta. — *Wir suchen hier,* sagt *Dobmayer* (Tom. IV. Theol. general. p. 6.) *keine idealische, sondern die wirkliche Kirche Jesu. Mithin ist hier der historische, nicht der philosophische Standpunkt zu wählen; weil man sonst nur willkürliche, oder gar falsche Begriffe erhält,* wie selbst *Plank* anmerkt (Geschichte der christlich-kirchlichen Verfassung, I. B. Vorrede.): *Die Vernunft for-*

58. — Pauca tamen de aspectu philosophico hujus materiae ex clarissimo temporum nostrorum theologo hic adjicimus, ut sciant candidati, quantam nova philosophia, inter boreales nebulas nata, sciat lucem affundere rebus theologicis: *Ecclesia secundum suam ideam spectata, est objectiva sive visibilis repraesentatio absolutae revelationis Dei, sive absolutae formae Dei, prout haec est absoluta unitas utriusque revelationis relativae, id est, naturalis et idealis, et idcirco absoluta unitas utriusque formae relativae, nimirum objectivae et subjectivae.* O misera philosophia, quae ita potest optima ingenia perturbare! Idem ille vir, ex quo haec descripsimus, vere venerandus et doctissimus, cum inania obscurissimae philosophiae spatia relinquit et ad sensum communem redit, praeclare disserit; omnia ordinate et accuratissime evolvit, sermone puro, facili et nitido.

In tota hac disquisitione eandem viam ingrediemur, quam in Demonstratione Christiana secuti sumus. Primum investigabimus, quae et qualis esse debeat vera Christi ecclesia; deinde facile erit haec verae ecclesiae criteria applicare ad diversas Christianorum societates, et ex iis, quaenam vera Christi ecclesia sit, ostendere. Cum enim expressam semel habebimus imaginem illius ecclesiae, quam Christus instituit; sufficiet diversas Christianorum societates cum illa effigie conferre. Nam instituto examine illico apparebit, nullam esse praeter catholicam, quae omnia illius formae, quam Christus ecclesiae suae impressit, lineamenta referat; hanc ergo esse solam veram Christi ecclesiam.

dert zwar mit Recht, dass die positive Constitution sich an die Principien anschliesse, die sie von einer Gesellschaft überhaupt, und von einer religiösen insbesondere aufstellt.... Aber sie gestehet auch, dass sie die Form der Kirche so wenig, als die Form der Weltregierung und Offenbarung positiv bestimmen kann. — Wie schön sagt der heil. Augustin (Epist. CLXVI. num. 105.): *In scripturis didicimus Christum, in scripturis didicimus ecclesiam.* Und anderswo (De unit. Eccl. n. 20.): *Vera perennisque evangelica lectio nobis demonstrat verum Christum et veram ecclesiam; ne in aliquo eorum erremus, aut sancto sponso aliam pro alia supponamus: aut sanctae sponsae non suum virum, sed alium importemus. Ergo ne in aliquo eorum erremus, tanquam matrimoniales eorum evangelii tabulas audiamus.*

CAPUT PRIMUM.

Qualis esse debeat Christi ecclesia.

OBSERVANDA.

59. — Ecclesiae nomen Graecum est, et juxta grammaticalem significationem idem est, ac *coetus* seu *concio*. Hoc generali sensu sumitur, non apud profanos tantum auctores, sed etiam in scripturis, ubi et civiles coetus significat, imo et improborum conventus: *Odivi ecclesiam malignantium.* Psalm. XXV, 5. In libris N. T. fere semper usurpatur ad significandam societatem fidelium, vel totam et universalem, vel etiam in certa provincia aut urbe consistentem. Sic Apoc. I, 4.: *Joannes septem ecclesiis, quae sunt in Asia.*

In ipsa statim ecclesiae definitione difficultates movent protestantes; neque inter se satis consentientes sunt, quid proprie per ecclesiam intelligendum sit. Multum scilicet disputant de ecclesia interna et externa; illam veram et proprie dictam ecclesiam vocant, hanc praesumptivam tantum et improprie dictam. Verum manifestum est, controversiam potissimum de nomine esse, et si loco duplicis ecclesiae, duplicem cum catholicis ecclesiae partem, animam scilicet et corpus vellent agnoscere, facile foret eos nobiscum in concordiam hac in parte venire. Corpus ecclesiae juxta catholicos est ipsa multitudo fidelium in unam societatem externam conjuncta, quae recte ecclesia externa dicitur et visibilis. Animam vocant internam illam et invi-

sibilem ecclesiam, quae Spiritus sancti donis informatur et justos tantum complectitur. Hanc distinctionem pluribus illustravit *Bellarminus* [1]). Quidam etiam inter protestantes eam agnoverunt, imprimis *Juriaeus*, qui data opera eam exponit et defendit.

60. — Ecclesiam in praesenti quaestione considerare non possumus quoad partem ejus internam. Sicut enim, cum hominem quaerimus, animae formam perspicere non possumus, sed ad corporis et formae exterioris lineamenta attendimus; sic in indaganda vera Christi ecclesia non possumus ex iis judicare, quae interna sunt, et hominum cognitionem effugiunt, sed de corpore ecclesiae agendum est, seu de ecclesia externa et visibili.

Ecclesiae definitio a theologis catholicis haec communiter datur ex Bellarmino desumta: *Ecclesia est coetus hominum unius et ejusdem fidei Christianae professione, et eorumdem Sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue Romani Pontificis.* Hanc definitionem rectam esse, et quoad omnes suas partes legitimam tum demum clare apparebit, quando omnia, quae ad veram Christi ecclesiam pertinent, a nobis fuerint in hac demonstratione evoluta. Interim ne adversariis ab initio disputationis obtrudere videamur, quae nondum a nobis probata sunt, haec sufficiat brevior et minus accurata: *Ecclesia Christiana est societas religionis Christianae causa inita.* Vel: *Societas hominum veram Christi religionem profitentium.*

Omnia, quae in hoc capite exponenda sunt, in quatuor articulos dividi possunt. *Primus* aget de ecclesiae institutione; *secundus* de ecclesiae a Christo institutae proprietatibus; *tertius* de potestate; *quartus* de constitutione ecclesiae.

1) Lib. III. de eccles. milit. cap. II.

ARTICULUS I.

De ecclesiae Christianae institutione.

PROPOSITIO I.

Christus instituit ecclesiam.

Argumentum I.

Ex verbis, factis et institutionibus Christi.

61. — I. Christus, cum in terris versaretur, saepius vel expressis verbis vel sub parabolarum involucro de ecclesia a se instituenda locutus est. Matth. XVI, 18.: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Ibid. XVIII, 16. et 17. de correctione fraterna agens ait: *Si te non audierit (frater tuus), adhibe tecum adhuc unum vel duos ... quodsi non audierit eos, dic ecclesiae; si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Joannis X. se pastorem vocat, illos autem qui vocem ejus audiunt, oves in ovili congregatas; tum addit v. 16.: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, ut fiat unum ovile et unus pastor.* Frequenter etiam de regno Dei, aut regno coelorum loquitur, quo constat non raro praesentis temporis ecclesiam designari; ideoque in describendo hoc regno iis utitur comparationibus, quae necessario conjunctionem membrorum ad communem finem supponunt. Matth. XX. illud assimilat patrifamilias, qui conducit operarios in vineam suam; ibid. XXII. regi ad nuptias filii congreganti multos in domo sua; cap. XIII. agro in quo zizania crescunt cum tritico, aut sagenae missae in mare et ex omni genere piscium congreganti etc. Ergo etc.

62. — II. Cum his verbis Christi facta quoque et mandata ejus perfectissime concordant. Ipse enim, quam primum evangelium annuntiare coepit, plures sibi discipulos adjunxit, et inter eos duodecim elegit, quos Apostolos vocavit Luc. VI. His claves concessit regni coelorum, potestatem ligandi et solvendi Matth. XVI. et XVIII., et cum

eos postmodum in mundum universum misit tanquam doctrinae suae praecones Marc. XVI., simul expressis verbis declaravit, se ab omnibus, quibus verbum evangelii innotesceret, fidem exigere et obsequium: *Qui non crediderit, condemnabitur*, Marc. XVI. et Matth. XXVIII.: *Docete omnes gentes ... docentes eos servare, quaecunque mandavi vobis.* Neque in numero discipulorum haberi voluit eos, qui fidem, quam animo conceperunt, exterius non profiterentur: *Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram patre meo.* Matth. X, 33. Manifestum est, in his jam prima quasi elementa contineri omnis religiosae societatis.

63. — III. Accedunt Christi instituta, vel ritus illi externi, quos Christus praescripsit, et quibus tanquam totidem vinculis credentes in unam societatem colligantur. Praecipui sunt 1° *Baptisma*, quo inter fideles cooptantur ii, qui verbum vitae susceperunt. Matth. XXVIII. 2° *Coena*, quam Magister optimus primum cum discipulis celebravit, antequam moreretur, et quam voluit inter suos continuari, tanquam vinculum amoris, quo fideles inter se, et cum capite suo cohaererent. Luc. XXII. Ergo et verba, et facta, et instituta Christi probant, ab ipso, cum adhuc inter homines viveret, jacta fuisse ejus ecclesiae, quae postmodum Christiana appellata est, fundamenta.

Argumentum II.

Institutam fuisse a Christo ecclesiam probant expressa Apostolorum testimonia.

64. — Prob. Ad Ephes. I, 22. et 23.: *Ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius*, et cap. IV, 11. et 12.: *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangelistas, alios autem pastores et doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* I. ad Corinth. XII. idem Apostolus pluribus docet, credentes per baptisma membra fieri corporis Christi, vel ecclesiae: tum addit v. 28.: *Et quosdam quidem posuit Deus in ecclesia primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores* etc. Cf. ad Col. I, 18. ad Ephes. II, 21. atque imprimis V, 23 seq.

Argumentum III.

Quod Christus ecclesiam instituerit, probatur ex eo, quod e tempore Christi semper extiterit ecclesia, Christi sectatores complectens, et ab omni alia societate distincta.

65. — Prob. I. pars. Nemini ignotum esse potest, a tempore Christi extitisse ecclesiam, quae non alia ratione Christi ecclesia vocabatur, quam quia a Christo originem ducebat. Quod enim ab ipso audierant Apostoli, cum eis loqueretur de regno Dei, id docebant, id instituebant: *Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis*, ait Apost. I Cor. XI, 23. Innumera sunt in Actibus Apostolorum, in epistolis aliisque antiquitatis monumentis testimonia, quae clare ostendunt, ecclesiam Christianae religioni coaevam esse, ergo et communem cum illa habere originem.

Prob. II. pars. Si Christi sectatores statim ab exordio propagatae religionis ecclesiam peculiarem non effecissent; ergo pertinuissent ad synagogam, quod certe nemo serio affirmare audebit. Ex Actibus Apostolorum [1]) discimus, primos statim fideles in coetum peculiarem adunatos fuisse, cui Apostoli praeerant; eos unanimiter convenisse in porticu Salomonis; fregisse per domos panem, atque in conventibus suis ita fuisse ab aliis separatos, ut nemo auderet se illis conjungere. Ibidem dicitur post mortem sancti Stephani persecutionem magnam factam esse *in ecclesia*, quae erat Jerosolymis, et Saulum *ecclesiam* devastasse. Act. VIII, 1. et 3. An forsan in

1) *Act.* II, 42—46. Cap. IV, 23 seqq. Cap. V, 12. et 13.

synagoga facta est haec persecutio, aut an Paulus synagogam devastabat? Notum est gentiles, cum Christi fidem susceperunt, ecclesiae fuisse aggregatos, quin onus ipsis impositum fuerit circumcisionis et caeremoniarum legalium; ergo non potuerunt ad synagogam pertinere. Ergo extitit ecclesia extra synagogam, ex iis tum Judaeis tum gentilibus adunata, qui Christi doctrinam profitebantur.

Argumentum IV.

Ex ratione.

66. — Societas in genere est conjunctio voluntatum et virium ad finem communem obtinendum. Jam vero non experientia tantum, sed ex ipsa rerum natura certum est, a pluribus, qui conjunctis viribus eundem finem prosequuntur, certius, facilius perfectiusque illum obtineri, quam si singuli extra societatem agerent: ex quo sequitur, societatem non tantum medium esse maxime idoneum ad finem aliquem obtinendum, sed saepe necessarium; imprimis quando finis omnibus hominibus communis est; media autem voluntati hominum non sunt relicta, et insuper ejus naturae, ut facillime aut oblivione, aut ignorantia, aut malitia humana deleri vel corrumpi possint. Haec omnia ex primis juris naturalis principiis certa sunt, et ad religionem Christianam facillime applicari possunt.

Nihil itaque sapientiae divinae magis conveniebat, quam ut divinus religionis Christianae auctor etiam societatem institueret, in qua haec religio pura et intacta conservaretur, media ad salutem assequendam necessaria et ab ipso religionis auctore determinata permanerent, et ad finem communem dirigerentur. Ergo jam *a priori* legitime concludimus, Christum ecclesiam instituisse. Scimus enim Christum in omnibus sapientissime egisse; prima autem sapientiae regula est, ut qui finem aliquem intendit, etiam opportuna ad illum assequendum media impendat [1]).

67. — Corollarium I. *Ergo quando de statu ecclesiae originario agitur, seu de vera ecclesiae Christianae indole et constitutione, ad Christi voluntatem attendendum est, atque ex hoc tantum principio in hac materia concludi potest.*

Prob. Ecclesia est societas positiva; ergo juxta prima juris principia a Christo suam naturam et constitutio-

---

1) Quamvis certum nobis sit, et tanquam principium in tota hac tractatione habendum, omnia historice probanda et ex Christi tantum voluntate dimetienda esse, neque concludendum ex incertis et fere semper contrariis philosophorum placitis, illud tamen non ita intelligendum est, ac si rationis vere philosophicae judicium refugeret disquisitio nostra. Non potest esse a ratione alienum, quod Dei ipsius, id est, summae rationis opus est. Cf. D. *Dobmayer*, Tom. II. Theol. generalis, ubi ecclesiae, vel societatis ethicae et religiosae necessitatem, characteres et formam ex primis juris socialis principiis et genuinis verae philosophiae postulatis ita deducit, ut apertum sit, catholicum systema omnium, quae sibi ratio cogitatione effingere potest, esse perfectissimum. — Novum huic argumento pondus exinde accedit, quod protestantes, quando relicta ecclesia catholica et iis, quae stabilita repererant, dejectis ac dirutis, tandem de forma aliqua aut constitutione ecclesiae cogitarent, statim in contrarias sententias distracti fuerint; ita quidem, ut nullibi major inter eos reperiatur opinionum fluctuatio. Nam modo visibilem admittunt ecclesiam, modo invisibilem; modo unam, modo divisam in sectas; modo ex solis justis compositam, modo omnes, qui Christum confitentur, non peccatores tantum, sed et haereticos continentem, modo per plura saecula penitus extinctam. Quae utique ratio fuit, ut plurimi, cum diu frustra laboraverint, ut saltem simulacrum aliquod ecclesiae extra catholicam invenirent; in eam tandem sententiam delapsi sint, ut nullam a Christo institutam fuisse dicerent. Verum in errorem inciderunt, omni alio pejorem et rationi aeque ac evangelio repugnantem. Vide *Dobmayer* Tom. IV. pag. 12 et 19. in scholiis.

nem habet: aperta enim esset contradictio, si Christi ecclesia diceretur illa societas, quae naturam suam et formam a Christo non haberet.

68. — Corollarium II. *Ergo natura et constitutio, quam ecclesia a Christo accepit, immutari non potest.*

Prob. ex eo, quod essentiae rerum sint immutabiles. Qui enim hanc formam mutaret, aliam construeret ecclesiam, et ecclesia hoc modo constructa, non esset ea ecclesia, quam Christus institut, sed alia a priore diversa. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Finis ecclesiae a Christo institutae immediatus est religio a Christo revelata, mediatus vero salus aeterna per religionem obtinenda.

69. — Prob. I. pars. 1º Ecclesia in genere est societas religionis causa inita: ergo ecclesia Christiana est societas religionis Christianae causa inita.

2º Tria sunt quae ad religionem Christianam pertinere dignoscuntur: 1. Vera fides. 2. Externa fidei professio. 3. Mandatorum observatio. Sed haec tria per ecclesiae institutionem Christum promovere voluisse ex N. T. scripturis patet.

70. — I. Cum Christus adhuc in terris vivens ecclesiae suae fundamenta jaceret, id praecipue intendit, ut revelata ab ipso religio pura servaretur et integra. Ideo Apostolos misit docere omnes gentes illisque promisit Spiritum sanctum, qui doceret eos omnem veritatem. Joan. XVI, 13. Ideo voluit, ut quae in aure audierunt, super tecta praedicarent. Matth. X. Et Apost. ad Ephes. IV. omnem illum apparatum ad formandam ecclesiam a Christo factum esse testatur: *ut non circumferamur omni vento doctrinae,* v. 14, et I Tim. III, 15. ecclesiam vocat *columnam et firmamentum veritatis.*

71. — II. Externam fidei professionem exigit Christus pluribus in locis, ut argumento primo propositionis I. monstratum est; eam ad salutem necessariam esse expresse docet Apostolus Rom. X.: *Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Hunc autem finem ecclesiae institutionem habuisse, Christi et Apostolorum tum dicta, tum facta satis ostendunt. Ideo Christus baptismum instituit, tanquam externum fidei signum ab omnibus, qui in ipsum crederent, suscipiendum. Hic ritus et per seipsum praecipua fidei mysteria repraesentabat et cum expressa fidei professione connexus erat. Ideo ad conventus publicos conveniebant fideles, ut publico cultu Christi se asseclas profiterentur, et ad fidem ipsi servandam mutuo sese excitarent. Ideo imprimis tam assidui erant in celebranda eucharistia, quam Christus voluit in ipsius memoriam fieri, qua, ut ait Apost. I Cor. XII. mortem Domini annuntiabant, donec veniat.

72. — III. Praecipuum societatis bonum in eo consistit, quod membrorum actiones ad finem communem dirigantur, et legum observatio opportunis mediis urgeatur Hunc certe finem intendit Christus, cum Apostolis potestatem dedit regendi vel pascendi gregem, et ligandi vel solvendi. Matth. XVIII. regulas praescribit in aliorum correctione observandas, versu autem 16. ait: *quod si non audierit eos* (id est testes quos adhibuisti), *dic ecclesiae.* Matth. XVIII. Apostolis praecipitur, ut populos docerent omnia, quaecunque ipsis a Christo mandata fuerunt. Hanc porro mentem Christi fuisse, tota Apostolorum agendi ratio ostendit, qui auctoritate a Christo accepta omnia in ecclesiis ordinabant, gliscentes abusus reprimebant, publicos peccatores gravissimis poenis multabant. Vide I Cor. V. Ergo etc.

73. — Prob. II. pars. Ecclesia propter religionem instituta est: atqui re-

ligionis a Christo revelatae finis est salus aeterna fidelium. Ergo etc.

Major ex probatis certa est.

Minor ex ipsa Christianae revelationis indole patet. Joan. X. Christus de se expresse ait: *Oves meae vocem meam audiunt, et ego cognosco eas, et sequuntur me, et vitam aeternam do eis . . . Venit filius hominis salvare quod perierat.* Matth. XVIII, 11. Ergo etc.

74. — Corollarium. *Ergo Christus ecclesiam suam ob finem tantum supernaturalem instituit.*

Prob. Ecclesia est societas religionis Christianae causa instituta: atqui religio hominibus a Christo data est propter finem tantum supernaturalem, seu ad promovendam hominum salutem, ut propositione secunda probatum est. Ergo etc.

Porro Christus Joan. XVIII. expressis verbis declarat, quodnam sit regnum illud a Prophetis tam magnifice descriptum, quod per evangelii praedicationem per totum orbem propagari debuit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* In omnibus autem N. T. libris ne vestigium quidem occurrit terrenae potestatis, nulla terrenae felicitatis promissio; sed omnia eo tendunt, ut homines a rebus caducis abstracti, ad haereditatem pervenirent aeternae salutis.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

75. — Arg. I. Cum de ecclesiae institutione et indole agitur, catholici argumenta desumunt ex scripturis; sed scripturas divinitus inspiratas esse ac fundamentum certum divinae revelationis, nondum probatum est. Ergo eorum argumenta nullius sunt ponderis.

Resp. Scripturam hoc loco nondum pro libro divino assumimus, sed pro libro authentico, seu pro instrumento, quod, cum in testimonium effertur alicujus facti, recusari non potest. Hanc scripturis nostris auctoritatem vindicavimus in Demonstratione Christiana. Principium totius hujus quaestionis est voluntas Christi; quid autem Christus egerit, aut dixerit, ex evangelio scimus. Ergo ecclesiam a Christo institutam fuisse non aliter ex scripturis probamus, quam patrata ab eo miracula, aut edita vaticinia. Hac ratione omnis evitatur circulus, ut fusius ostendetur, cum de ecclesiae infallibilitate dicendi locus erit.

76. — Instant. Sit ergo, ea, quae Christus egit aut dixit, ex evangelio probari posse; id saltem manebit, infirma esse, quae ex actibus aut scriptis Apostolorum sumuntur testimonia, neque primorum saeculorum traditionem vim probandi ullam habere.

Resp. neg. ant. Quis enim mentem Christi melius nosse poterat, aut quis in exequendis ejus mandatis studiosior fuit, quam Apostoli, et qui ab ipsis instructi fuerunt fideles? Ergo Apostolorum et antiquae traditionis auctoritas merito adhibetur tanquam criterium omni exceptione majus, quando dubium movetur circa mentem Christi et genuinum verborum, quae ab ipso prolata sunt, sensum.

77. — Arg. II. Apostoli et primi fideles cum synagoga permixti vivebant. Si successu temporis in peculiarem coetum coaluerunt, illud non Christi institutioni, sed eventibus mere naturalibus adscribendum est. Post gentium conversionem, post templi et urbis Hierosolymitanae ruinam necesse fuit, a synagoga secessionem facere. Ergo etc.

Resp. Contrarium probavimus parte secunda arg. tertii prop. primae. Quamvis Apostoli, ut synagoga cum honore sepeliretur, Deum cum aliis Judaeis in templo Hierosolymitano adoraverint; nihilominus certum est, quod stante adhuc templo coetus separatos instituerint. An non Christus ipse templi devastationem vaticinatus est? An non ipse praedixit, gentiles ad ejus ecclesiam accessuros?

ARTICULUS II.

De proprietatibus ecclesiae.

78. — In hac quaestione, ut ex coroll. I. prioris articuli patet, omnia ex voluntate Christi pendent. Ab illo solo ecclesiae natura profecta esse potest, qui illius auctor est et fundator. Quamcunque ergo ecclesiae formam nobis obtrudant adversarii, e cerebro effictam, et ad philosophiae placita constructam, quamvis etiam perfectissimam praedicent; unum est, quod respondemus: Christi ecclesiam quaerimus; at profecto illa non potest Christi ecclesia dici, quae illam naturam, illas proprietates non habet, quas Christus habere ecclesiam suam voluit.

Has igitur ecclesiae Christianae proprietates nunc singillatim explicabimus quatuor paragraphis. Si duas in uno paragrapho conjungimus, illud ideo fit, ut earum intimior connexio magis appareat. Primus itaque ecclesiae *catholicitatem et unitatem;* secundus ejus *perpetuitatem et inerrantiam;* tertius *sanctitatem;* quartus *necessitatem illius et visibilitatem* exponet et conficiet.

§. I.

Ecclesiae universalitas et unitas.

OBSERVANDA.

79. — I. Praecipua proprietas, quam Christus ecclesiae suae indidit, est illius *universalitas*, qua per totum orbem diffunditur. In hoc ecclesia Christi differt ab ecclesia Judaica, quae unam tantum familiam continebat, idque inditum sibi a natura habuit, ut non diffunderetur in alias gentes, sed ab aliis Judaeos secerneret.

Ad universalitatem pertinet: 1° Ut ita comparata sit et consituta, ut possit communis fieri omnibus hominibus. 2° Ut ad id ex natura sua tendat, ideoque majorem semper ambitum quaerat, neque alios sibi limites praefigat, quam fines orbis terrarum. 3° Ut revera omnibus gentibus praedicetur, totumque orbem pervadat. Ubi notandum est, non absolutam requiri universalitatem, sed moralem; haec enim sola possibilis est, quando de re agitur ad salutis oeconomiam pertinente. Salus enim nonnisi convictione et libera voluntatis submissione perficitur.

80. — II. *Unitas* ecclesiae in eo consistit, quod omnes per orbem dispersi fideles unum tantum corpus, unam societatem conficiant: seu quod sit consociatio fidelium ad communem finem unitis viribus tendentium. Haec ecclesiae proprietas diligentius evolvenda est, cum ab ea plures aliae circa ecclesiam controversiae pendeant. Novatores, qui merito violatae unitatis rei arguuntur a catholicis, in omnes partes se vertunt, et vel unitatem ex Christi institutione ecclesiae necessariam esse negant, aut eam ita explicant, ut unitatem in confusione inveniant.

Unitas ecclesiae proprie et in sensu stricto unitatem corporis significat, qua omnes fideles in unam societatem coalescunt: verum haec unitas consistere non potest sine consensione in fide; quae ut vinculum unionis esse possit inter fideles, non interna tantum esse debet, sed etiam exterius manifestata per consensionem in una fidei professione et cultus externi exercitiis. Exinde triplex oritur unitas: nempe unitas *doctrinae*, unitas *cultus*, unitas *corporis*.

81. — Protestantes initio non videntur aliam habuisse unitatis ecclesiae notionem; nam unicam veram ecclesiam se habere dicebant, in qua una, uti gloriabantur, pura fides esset et sincerus sacramentorum usus. At eorum theologi multis partibus ab hac opinione recesserunt. *Moshemius* [1]) cum aliis multis docet, ecclesiam a Christo institutam compositam esse ex multis ecclesiis particularibus nullo alio, quam amoris et communis fidei

1) Comm. de rebus Christ. sect. 1.

vinculo conjunctis. *Juriaeus* Calvinista in libro, quem inscripsit de systemate ecclesiae, novum systema proponit, ad illud usque tempus inauditum. Multa quidem habet de ecclesiarum confoederatione, sed has confoederationes plane accidentales esse pronuntiat, ita ut omnes, quibus confoederatae alicujus ecclesiae disciplina displicebit, secessionem facere possint, dummodo in articulis, quos fundamentales vocat, sanam teneant doctrinam. Ergo in hujus viri opinione ecclesia Christi integra stare potest neque unitatis suae patitur detrimentum; etiamsi in varias societates distracta sit, quae nulla communione externa jungantur, imo mutuo sese haeresis aut schismatis damnent. Eandem fere sententiam tenent ii omnes, qui *independentes* vocantur et omnem ecclesiae cujuscunque auctoritatem respuunt. Alii tamen aliis audaciores sunt, et qui magis caeteris profecerunt, contendunt, licere sibi et singulari cuilibet personae uti libertate filiorum Dei, et cum quibuscunque velint, quos norint habere spiritum Dei, inire societatem ecclesiasticam.

Jam facile quilibet intelliget, quam arcte inter se connexae sint universalitas et unitas ecclesiae. Neque enim cogitari posset ecclesia universalis, nisi esset una; neque una esse posset, nisi esset universalis. Hinc S. *August.* in lib. de unit. eccl. inscripto multa etiam habet de ejus catholicitate, quam a cap. VI. usque ad XVII. ex professo probat, ex lege et Prophetis, ex psalmis et evangeliis et actis Apostolorum.

PROPOSITIO I.

Christus ecclesiam suam instituit universalem.

82. — Prob. I. Ecclesia propter religionem instituta est: atqui Christus religionem suam voluit esse universalem; ergo etiam ecclesiam universalem instituit.

Major ex articuli primi prop. secunda patet, cui addi potest argum. quartum prop. primae.

Minor in prolusionibus propositione quarta probata est.

Et vero si ecclesia est medium illud, quo Christus voluit revelationis integritati consulere, verum Dei cultum promovere hominesque ad observandam legem evangelii adstringere; ergo alios non potest habere limites, quam ipsa revelatio, ipsa lex evangelica.

83. — Prob. II. Multa sunt veteris testamenti vaticinia, quae futurum Messiae regnum annuntiant per totum orbem diffundendum: atqui haec vaticinia in Christo Jesu impleta sunt, et quidem per universalem ecclesiam ab ipso institutam. Ergo etc.

Major luculenter a nobis probata est in Demonstratione Christiana [1]).

Prob. min. 1° In eadem Demonstratione Christiana vidimus [2]) ea, quae de gentium vocatione in unum Messiae regnum a Prophetis tam magnifice praedicta sunt, tunc exitum habuisse, quando missi a Christo discipuli praedicarunt evangelium regni in universo orbe. Sufficiat hic illud ipsius Salvatoris dictum Lucae XXIV, 44. 46. 47.: *Necesse est impleri omnia, quae scripta sunt in lege Moysi et Prophetis et psalmis de me. Quoniam sic scriptum est, et sic oportebat Christum pati, et resurgere a mortuis tertia die, et praedicari in nomine ipsius poenitentiam et remissionem peccatorum in omnes gentes, incipientibus a Jerosolyma.* 2° Hanc materiam praeter alios Patres diserte et copiose exponit *Augustinus*, tum multis in locis, tum maxime in libro de unitate ecclesiae. Adducta illa promissione, quae Abrahae ac deinde Jacobo facta est: *in semine tuo benedicentur omnes gentes;* sic compellat Donatistas: *Date mihi hanc ecclesiam, ostendite vos com-*

1) Part. II. cap. II. sect. I. art. III.
2) Ibid. part. II. sect. II. art. III. prop. II.

municare omnibus gentibus. Idipsum deinde confirmat ex Prophetarum vaticiniis, et ex Isaia potissimum, atque ita concludit: *Ecce ex uno Propheta quam multa, quam clara! Et tamen resistitur et contradicitur, non cuiquam homini, sed Spiritui Dei et evidentissimae veritati.* Multa tandem ex Psalmis in eandem sententiam colligit, imprimis illud Psalmi XI.: *Dabo tibi gentes haereditatem tuam;* et Psal. XXI.: *Adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium,* tunc ait: *Quid autem hujus crucis pretio comparatum est, nisi quod illic in consequentibus dicitur: commemorabuntur et convertentur ad Dominum universi fines terrae; et adorabunt in conspectu ejus universae familiae gentium? Nonne Apostolus de praedicatoribus novi testamenti dictum exposuit, quod scriptum est: In omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terrae verba eorum? De quo alio, nisi de Christo intelligitur: Deus deorum Dominus locutus est, et vocavit terram; a solis ortu usque ad occasum ex Sion species decoris ejus!* 3⁰ Quae in veteri testamento dicuntur de congregatione omnium gentium ad spirituale regnum Christi, non possunt aliter intelligi, quam de universali ecclesia a Christo instituta, quod vel solo hoc argumento perspicuum efficitur. Omnes, qui in Christo vocantur, ad corpus ejus pertinent; id pluribus in locis explicat Apostolus, ut ad Ephes. IV, 4.: *Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae,* et ibid. v. 30.: *Membra sumus corporis ejus.* Atqui hoc corpus Christi est ipsa ecclesia. Ad Ephes. II.: *Ipsum dedit caput super omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius, et plenitudo ejus.* Et ad Colos. I, 7. 8.: *Omnia in ipso constant, et ipse est caput corporis ecclesiae.*

84. — Prob. III. Apostolis Matth. XXVIII. dicitur: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis.* Ad haec Christi mandata, praeter baptisma, etiam pertinet sacrae eucharistiae celebratio: *Hoc facite in meam commemorationem.* Ergo baptisma et coena, ut de aliis Domini praeceptis sileamus, debuerunt ex Christi voluntate ad universas gentes propagari. Atqui hoc ipsum probat, Christum ecclesiam instituisse universalem, ex omnibus gentibus conflatam; nam baptisma et coena eucharistica ad hoc instituta sunt a Christo, ut omnes undique fideles in unum corpus, seu in unam ecclesiam coadunarent. Ita rem explicat Apostolus I Cor. XII, 12. 13. 14.: *Sicut corpus unum est et membra habet multa, omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi: et omnes in uno spiritu potati sumus. Nam et corpus non est unum membrum, sed multa.*

PROPOSITIO II.

Christus ecclesiam suam unam esse voluit.

85. — Prob. I. Ecclesia propter religionem instituta est; ergo necessario una esse debet.

Prob. consequentia. Christus unam tantum religionem ad homines attulit, hancque ita voluit per omnes gentes disseminari, ut una esset et eadem ubique; ergo et ecclesiam, quae propter religionem instituta fuit, necessario unam esse voluit. Repugnaret enim sapientiae divinae ad conservandam religionis unitatem medium instituere, quo nullum esset ad eam destruendam aptius; siquidem in natura hominum positum est, ut ii, qui diversos in coetus dividuntur, in eodem sensu et eadem sententia non permaneant.

86. — Prob. II. Christus ecclesiam suam universalem instituit; ergo et unam.

Prob. consequentia. Ecclesia universalis nonnisi ex pluribus particularibus coalescere potest, quae communibus vinculis inter se conjunctae unum tantum corpus, unam societatem maximam conficiunt. Pone enim, ecclesias particulares sibi non cohaerere, nec unum aliquod efficere, jam nulla existeret ecclesia universalis, sed plures tantum ecclesiae particulares. Ergo vox ipsa *catholica* utrumque intellectu suo complectitur: *universitatem*, quam manifeste et aperte, atque *unitatem*, quam occultius, sed reipsa tamen significat. Unde et sancti Patres unum ab altero non sejungunt; et S. *Pacianus* breviter catholicum definit idipsum, quod *ubique est unum*.

87. — Prob. III. Ecclesia Christiana est societas positiva a Christo eo fine instituta, ut homines per religionem ad aeternam felicitatem perducat. Ex ipso conceptu hujusmodi societatis sequitur, quod, ut *una* dici possit requiratur: 1° *Unio animorum* per caritatem et fidem earum veritatum, quae ad religionem pertinent a Christo traditam; 2° *Unitas cultus externi* in iis, quae a Christo ipso determinata sunt; 3° *Unitas corporis*, seu omnium eorum, qui unam fidem eademque sacramenta habent, in *unam* societatem coalitio: atqui haec omnia Christus ecclesiae suae inesse voluit. Ergo etc.

Prob. min. I. argum. generali. Ad Ephes. IV, 3 et seq.: *Unum corpus et unus spiritus; sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae; unus Dominus, una fides, unum baptisma; unus Deus et Pater omnium.* Omnes hic unitatis partes recenset Apostolus. Unitatem societatis: *unum corpus.* Unitatem cultus externi: *unum baptisma.* Unitatem internam, *unus spiritus, una spes vocationis, una fides.* I Cor. XII, 12.: *Sicut corpus unum est, et membra habet multa; omnia autem membra corporis, cum sint multa, unum tamen corpus sunt; ita et Christus. Etenim in uno spiritu omnes nos in unum corpus baptizati sumus, sive Judaei, sive gentiles, sive servi, sive liberi: et omnes in uno spiritu potati sumus.* Hic videmus fidelium in unam societatem tanquam in unum corpus coalitionem, non tantum externis sacrorum rituum vinculis connexam, sed uno etiam spiritu, fide scilicet et charitate animatam.

88. — Prob. min. II. per partes. 1° Quod unitatem caritatis attinet, quam Christus et Apostoli toties commendarunt, nulla potest esse cum adversariis controversia. Unitatem doctrinae et fidei et quidem perfectam, quae omnia doctrinae puncta complectitur, ex Christi institutione requiri, satis superque probatur propos. II. art. I., et ex argumento III. contra protestantium sententiam de articulis fundamentalibus. Et vero, si ecclesia propter religionem instituta est, sequitur, ibi veram Christi ecclesiam non esse, ubi non est vera et genuina Christi religio. Atqui omnis religio, quae non omnia ea continet, quae a Christo revelata et ab Apostolis promulgata sunt, non est vera et genuina Christi revelatio: ex coroll. II. paragraphi I. in prolusion. Ergo etc.

2° Cultus divini exercitium tanquam unitatis externae vinculum a Christo institutum fuisse, ex propos. I. et argumentis supra allatis perspicuum est, quibus illud addi potest I. ad Cor. I.: *Divisus est Christus? Numquid Paulus crucifixus est pro vobis, aut in nomine Pauli baptizati estis?* et cap. X.: *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus.* In primo textu unitatis necessitas ex baptismatis necessitate, in secundo ex corporis et sanguinis Domini participatione repetitur.

3° Unitas societatis, vel corporis in multis scripturae locis exprimitur.

Vide quae supra in argumento generali attulimus. Ubique ecclesia ut una et indivisa describitur; unum corpus, grex unus, unum ovile, domus eadem, aut civitas aut regnum. Joan. X. Christus ait: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et audient vocem meam, et fiet unum ovile, et unus pastor;* et Matth. XVI.: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Non plures vocat ecclesias Christus, sed unam, quam suam esse dicit. Eandem similitudinem adhibet Apostolus ad Ephes. II, 20. 21.: *Aedificati estis super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino.*

89. — Prob. IV. Nemo facile credet, antiquos Patres falsam sibi ecclesiae finxisse ideam et notionem; nam qualis illa ecclesia esse debeat, quam Christus instituit, melius utique ex Apostolorum doctrina et continua traditione sciverunt, quam noviores haeretici. Verum Patres omnes, qui toties nomen ecclesiae catholicae usurpabant, nunquam hoc nomine aliud quid intellexerunt, quam unicam credentium societatem per omnes gentes diffusam, in qua omnes partes admirabili connexione in unum corpus coalescunt, quaeque haereticos omnes et schismaticos rejicit. Perpauca ex multis testimoniis proferre sufficiat. *Clemens Alexand.* lib. VII. Stromatum: *In unius,* inquit, *naturae sortem cooptatur ecclesia, quae est una, quam conantur haereses in multa discindere; eaque, quae antiqua est et catholica, una est propter unitatem fidei.* S. *Cyprianus* in eo, quem de praesenti argumento scripsit, libro pluribus adversus Novatianos probat, ecclesiam esse unam. Sub finem libri ait: *Deus unus est, et Christus unus, et una ecclesia ejus, et fides una, et plebs in solidam corporis unitatem concordiae glutino copulata*[1]).

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Contra primam propositionem.

90. — Obj. I. Ecclesia Christi nunquam per orbem universum fuit diffusa: ergo Christus eam universalem non institut.

Resp. I. nego consequentiam. Ecclesia Christi statim ab origine et ex institutione fundatoris sui catholica erat, tum quia ab ortu suo catholice docuit, hoc est, universam Christi doctrinam sine defectu vel differentia, ut ait S. *Cyrillus Hierosolymitanus;* tum quia non pro uno aut alio populo, sed pro omnibus per orbem populis instituta est: *docete omnes gentes;* tum etiam quia eam ab auctore suo naturam et indolem accepit, quae cum omnium gentium moribus et institutionibus, dummodo nihil habeant rectae rationi

1) Praeclare ait S. *Cyprianus* de ecclesiae unitate loquens: *Hanc ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui ecclesiae renititur et resistit, in ecclesia se esse confidit?* Et eodem in loco: *Quomodo solis multi radii, sed lumen unum; et rami arboris multi, sed robur unum tenaci radice fundatum; et cum de fonte uno rivi plurimi defluunt, numerositas licet diffusa videatur exundantis copiae largitate, unitas tamen servatur in origine. Avelle radium solis a corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit; a fonte praecide rivum, praecisus arescet. Sic et ecclesia Domini luce perfusa, per orbem totum radios suos porrigit, unum tamen lumen est, quod ubique diffunditur. Ramos suos in universam terram copia ubertatis extendit, profluentes largiter rivos latius expandit: unum tamen caput est, et origo una et una mater foecunditatis successibus copiosa. Illius foetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu ejus animamur. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est et pudica. Unam domum novit, unius cubilis sanctitatem casto pudore custodit.*

contrarium, possit consistere; totaque in id tendit, ut omnes populos jungat communibus vinculis.

Resp. II. nego anteced. Haec jam S. Augustino objecerunt Donatistae, quibus ille respondit [1]), *fructificare quotidie evangelium in gentibus, et fructificaturum, donec in omnibus praedicetur.* Non hic agitur de universalitate absoluta, vel in rigore metaphysico, sed de diffusione moraliter universali. Sic cum scriptura ait [2]), Nabuchodonosorem occupasse *omnia regna terrae*, Alexandrum imperaturum *universae terrae;* id tantum significat, utriusque imperatoris dominationem in plurimas terrae partes diffusam fuisse. Hoc sensu Apostolus jam suo tempore ad Romanos scripsit [3]), fidem eorum annuntiari in universo mundo. Et Patres primorum saeculorum, quamvis optime scirent plures adhuc gentes existere nondum Christianae religionis sacris initiatas, palam tamen et constanter asseruerunt, ecclesiam Christi esse toto orbe diffusam, eamque esse ecclesiae ipsius illustrem notam, qua facile ab omnibus dignosci queat, tanquam civitas in monte posita.

91. — Obj. II. 1° Sola ratio potest esse principium universalitatis. 2° Ecclesia nunquam potest fieri universalis, nec per miracula, nec per scripturas, nec per traditionem. Ergo nullo modo.

Resp. ad I. nego. Illud enim, quod a modernae philosophiae cultoribus tam confidenter tanquam certissimum veritatis principium profertur, in se falsissimum est. Facilius nobis esset ostendere, rationem sibi relictam in diversis diversam, et nemini nisi sibi ipsi parentem, principium universalitatis esse non posse; quod nullo argumento melius, quam philosophorum exemplo probaretur. Auctoritas contra criterium est omnium ingenio accommodatum; et si divina est certisque et evidentibus signis comprobata: non tantum certum erit universalis persuasionis principium, sed solum, quod in praesenti hominum statu cogitari potest.

Ad II. Christus ecclesiam una cum evangelio in omnes gentes propagari voluit per praedicationem Apostolorum eorumque, qui legitime ad id opus mittuntur: *Quomodo audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* Rom. X. Porro iis, qui tanquam evangelii praecones a Christo mittuntur, media ad conciliandos veritati animos deesse non possunt.

Contra secundam propositionem.

92. — Argum. I. Unitas ecclesiae in eo posita non est, quod unam eandemque doctrinam ubique teneat, et illius membra inter se eadem communione colligata sint: sed in congerie omnium societatum, quae Christiano nomine censentur, dummodo in iis, quae sunt fidei fundamenta, inter se consentiant. Hanc fuisse Apostoli sententiam, ex celebri illo textu apparet I *Cor.* III., quem integrum afferre operae pretium est: *Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus. Siquis autem superaedificat super fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, foenum, stipulam; uniuscujusque opus manifestum erit, dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur; et uniuscujusque opus quale sit, ignis probabit. Si cujus opus manserit, quod aedificavit, mercedem accipiet. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen, quasi per ignem.* Apertum est, Apostolum ligni, paleae et foeni nomine varios in doctrina errores designare, quos dicit in die Domini detrimentum passuros; ita

1) Lib. III. contra Crescon. cap. LXIII.
2) *Jerem.* XXXIV. *Daniel.* II. et VIII.
3) Ad *Rom.* I, 8.

tamen, ut eorum patroni et defensores a salute non repellantur; quia in fundamento manserunt, quod Christus est; seu quia in articulis fundamentalibus non errarunt.

Resp. I. Nihil evidentius probat, quam parum consulere sibi valeant protestantes, quam ejusmodi systema omnibus retro saeculis inauditum. Quis enim, cum hoc ecclesiae monstrum intuetur, ex membris undique collatis ita conjunctum, ut nec pes nec caput uni reddatur formae, non rideat male sani ingenii foetum? quomodo ex textu satis obscuro, qui totus in allegoria ludit, probari potest systema tam novum, quod ante protestantium tempora nemo unquam in scripturis vidit, nemo ex Apostolorum doctrina et praxi retinuit, quod Apostolus ipse in tot aliis locis clare et expressis verbis destruit? Non potest esse melior doctrinae Christi et Apostolorum interpretatrix, quam primorum saeculorum ecclesia, quam veram Christi ecclesiam fuisse etiam protestantes fatentur; sed haec nullo non tempore omnes haereticos cujuscunque nominis e sinu suo exclusit. Sic Novatianos, qui in hoc pene uno a catholicis dissentiebant, quod poenitentes ecclesiae reconciliare nollent, episcopi omnes damnarunt, scissosque declararunt a catholicae ecclesiae communione. Atque his verbis ad Novatianum scribit *Dionysius Alexandrinus: Nec minus gloriosum fuisset, idcirco subire martyrium, ne ecclesiam scinderes, quam ut ne idolis sacrificares. Imo illud meo quidem judicio illustrius fuisset: hic enim pro sua unius anima, illic pro omni ecclesia martyrium quis sustinet.*

93. — Resp. II. Nunc ad textum respondendum est. Interpretationi protestantium obest maxime, quod per tot saecula nemo ex SS. Patribus aut ex scriptoribus ecclesiasticis hunc Apostoli locum sic exposuerit, et distinctionem inter fundamentales articulos fecerit et non fundamentales; quamvis occasio saepe et necessitas textum ita interpretandi occurrerit. Imo, quod magis adhuc ferit adversarios, quod ex tot haereticis, qui ab ecclesia proscripti sunt, nullus unquam ad illum textum appellaverit; aut illum eo modo, quo protestantes, interpretatus fuerit, quippe persuasum semper fuit etiam haereticis, omnes articulos, qui revelati sunt a Christo, necessario credendos. Tam alte hanc Christi et Apostolorum doctrinam imbiberant omnes, quotquot erant per orbem Christiani! Ergo fundamentum, de quo Apostolus loquitur, non sunt quidam fidei articuli, sed fides pura et integra; *Christus Jesus*, ut vers. 11. dicitur, et de quo cap. I. dixerat: „*divisus est Christus?*“ Hic Christus indivisus, haec fides integra in totam revelatam doctrinam, fundamentum est immobile; quidquid in hac fide non solidatur, non supra fundamentum, sed super arenam aedificatum est. Verum sicut illud, quod a Deo est, necessario unum est et immotum; sic, quod ab hominibus est, hominum naturam induit, adeoque varium esse debet pro ingenii, indolis, virtutis et sapientiae, quae in illis est, diversitate. Diversa sunt in evangelii praedicatoribus gratiae dona, diversi charitatis gradus, motiva agendi varia. Saepe etiam opiniones magis curiosae quam utiles, non tamen fidei contrariae, cum doctrina Christi commiscentur. De his omnibus dicitur v. 13.: *Uniuscujusque opus, quale sit, ignis probabit.*

94. — Instant. Ab initio statim propagatae religionis Christianae duae existebant Christianorum societates, una ex Judaeis, altera ex conversis gentilibus constans, quae, quamvis communione disjunctae, nihilominus in una ecclesia consistebant. Ergo etc.

Resp. Istae duae Judaeorum et gentilium ecclesiae in disciplinaribus tantum dissentiebant, non in doctrina Christi. Dissidium, si quod aderat,

ab Apostolis compositum est. Alii obstinati legis aemulatores, qui, spreto Apostolico decreto, gentiles cogere volebant ad judaizandum, a Christi ecclesia scissi sunt et sub nomine *Ebionitarum* separatam constituerunt societatem.

95. — Argum. II. Ecclesia potest esse universalis, quin ideo una sit; ergo unum ex alio legitime deduci non potest.

Prob. ant. Ecclesiam universalem constituunt omnes baptizati in Christum credentes, quamvis in plures societates divisi sint, nulla exteriore communione devinctas. In hac ecclesia universali plena est credendi libertas vel perfectissima *autonomia*, vi cujus omnes Christianae societates sunt veluti in statu naturali, ab invicem prorsus independentes. Omnes tamen conveniunt inter se sub idea ecclesiae Christi, omnes habent jus aliquod *universale*, haud secus quam *jus gentium*. Ita *Pfaffius* (akademische Reden, S. 253.) aliique protestantes.

Resp. nego ant. *argumenti*, quod per probationem nequaquam probatur. Ex primis sanae philosophiae principiis certum est, plures societates, quarum unaquaeque absolute independens est, et sui juris, non posse universalem societatem efficere. An quia existit jus gentium, quo mutua statuum inter se relatio determinatur, legitime concludi potest, statum universalem existere? Status est societas maxima, quae alterius societatis pars non est. Ergo si quaelibet ex diversis Christianorum ecclesiis sui juris esset, nec partem efficeret alterius ecclesiae, quaelibet esset societas maxima; et tam parum ex illis posset universalis ecclesia exsurgere, quam plures status possunt universalem statum constituere [1]).

1) *Pfaffius,* qui magnam apud protestantes celebritatem habet, ita sententiam suam exponit (akademische Reden S. 262.): *„Wir verstehen durch die allgemeine christliche Kirche eine Gesellschaft, die aus allen besondern christlichen Kirchen bestehet, wenn sie nur zur Lehre Christi sich bekennen. Es gehören dahin die orientalischen, griechischen und russischen Kirchen, mit allen orientalischen Sekten; es gehören dahin die römischen Kirchen; es gehören dahin alle protestantischen Kirchen; es gehören dahin die remonstrantischen, independentischen, socinianischen, mennonitischen und quäkerischen Gemeinden, sofern sie alle die christliche Religion überhaupt bekennen.“* Item (S. 214.): *„Ich halte dafür, dass die Kirchen unter einander in statu naturali leben, da eine so viel zu sagen hat als die andere. Hat nun aber eine jede Kirche ihre autonomiam, so gibt es erstlich ein jus ecclesiasticum universale, gleichwie es ein jus gentium gibt. So erhellet ferner abermal, dass viele verschiedene Kirchen in der Welt keinen Monarchen, so über sie herrschte, und keinen Richter haben, der über ihre Streitigkeiten urtheilen könnte. Und drittens so haben sie eben desswegen gegen einander die Gesetze der Höflichkeit und des Naturrechtes zu betrachten.“* Wie ungereimt! Können verschiedene independente Staaten darum als *eine* Gesellschaft angesehen werden, weil es ein jus gentium gibt? Können Menschen, die in statu naturali leben, *eine* Gesellschaft ausmachen, weil es ein absolutes Naturrecht gibt! Mich dünkt, wer gerade das Gegentheil folgern würde, würde ganz schulgerecht schliessen.

96. — Argum. III. Unitas necessaria non est ecclesiae, 1° quia pauca sunt morum principia humano generi necessaria; 2° quia ecclesiae pulchritudo, sicut et hujus universi, magis ex varietate, quam ex uniformitate nascitur. Ergo etc.

Resp. ad I. Multa falsa in hoc argumento supponuntur; supponitur enim 1° de ecclesia agi ad hominum arbitrium constituenda, in qua hypothesi utique quaeri posset, quid ipsi necessario inesse debeat, quid abesse sine detrimento possit. De facto agimus, totaque in eo quaestio volvitur, qualem Christus esse voluerit ecclesiam suam. Supponitur 2°, nihil esse ecclesiae necessarium praeter ea, quae ad morum informationem immediate pertinent. Ecclesia est societas religionis

causa instituta; religio autem praeter morum praecepta, cultum externum complectitur et credendi regulas, quae omnis verae moralitatis fundamentum sunt.

Resp. ad II. 1° Falsum est, mundi hujus pulchritudinem ex partium potissimum varietate elucescere, haec quippe parum admirationis haberet, nisi omnia mire inter se apta essent et connexa, et continuae temporum rerumque commutationes certo et immutabili ordine peragerentur. Unde potius sequitur, ecclesiam, seu supernaturalem Dei dispensationem hoc quoque cum mundi corporei gubernatione commune habere, quod ex infinita prope partium multitudine et varietate, *unum* aliquod exsurgat, per membrorum in unam societatem conjunctionem, et eorum, quae a Deo ipso statuta sunt, ratum immutabilemque ordinem. 2° Non potest a mundo hoc aspectabili conclusio fieri ad ecclesiam, quae a Christo instituta est, illius, quae a coelis delata fuit, veritatis propagatrix et conservatrix. In veritatum investigatione perfectio in unitate consistit; quia veritas necessario una est, error autem multiplex. En quam misere ratiocinentur homines, qui divina et humana ad rationis suae tribunal vocant!

97. — Argum. IV. Impossibile est, ut in tanta hominum multitudine una sit omnium eademque fides. Ergo etc.

Prob. Fides etiam revelatis veritatibus data rationis usum requirit: atqui notum est rationem in diversis hominibus diversam esse. Ergo non potest unam eandemque fidem generare. Ergo etc.

Resp. 1° Sunt quaedam rationis principia omnibus communia; tale est istud, fidem habendam esse Deo revelanti. Ergo una eademque revelatio, cum certis argumentis innotescit, necessario generat unam eandemque fidem. 2° Unitas ecclesiae non requirit, ut fides sit omnibus hominibus communis; sed ut membra ejusdem ecclesiae esse non possint, qui in eadem fide non conveniunt.

98. — Instant. Ecclesia, quae unam tantum credendi normam admittit, et fidem, quam ipsa profitetur, ab omnibus aliis exigit, tyrannidem exercet in conscientias, et vincula injicit rationi humanae: atqui haec Deo indigna sunt. Ergo etc.

Resp. I. neg. maj. Ecclesia usum rationis non interdicit, sed cogitandi licentiam refraenat. Fidem exigit quidem, sed ea simul credendi motiva proponit, quae omnibus sanae rationis postulatis plene satisfaciunt. Quo autem clariora sunt haec argumenta et valentiora, eo magis valent ad animorum et sententiarum consensionem. Quidni ergo tyrannidem exercet ratio, et vincula sibi ipsi cudit, cum excolitur? quo enim magis in veri cognitione progreditur, eo minus inter diversas sententias fluctuare potest; eo fortius ad unam certamque cogitandi et agendi regulam adstringitur.

Resp. II. Qui ita argumentantur, ecclesiam non construunt, sed destruunt; omnem mysteriorum fidem, omnem revelationem supernaturalem tollunt, non tantum indifferentismum, sed et scepticismum inducunt. Illud igitur nunquam ex animo amittendum est, quod ab initio statim hujus argumenti monuimus, totam quaestionem in facto versari; non enim qualis esse posset ecclesia quaerimus, sed qualem Christus eam esse voluerit.

§. II.

De ecclesiae perpetuitate et inerrantia.

OBSERVANDA.

99. — I. Difficile non est ex iis, quas hucusque exposuimus, ecclesiae proprietatibus, reliquas omnes educere, atque imprimis illas, de quibus nunc nobis agendum est. Nam si Christus voluit ecclesiam suam quam latissime patere, ut salus ab uno in omnes

effluēret, et fieret in omnibus populis unum ovile sub uno pastore: quis non videt, ejusmodi ecclesiam unam et universalem, necessario esse perpetuam et ab omni doctrinae corruptione tutatam? Nam neque commune bonum erit, si non ad omnia tempora pertineat, neque vere una esse poterit, si non sicut ubique, sic et semper eadem sit.

Ecclesia catholica omni tempore certum habuit, Christum ecclesiam suam instituisse perpetuam, vel usque ad finem saeculorum duraturam. Cum hac ecclesiae proprietate necessario conjuncta est *inerrantia*, quae nihil aliud est, quam constans ejusdem fidei professio et perseverantia in ea, quae a Christo tradita est, doctrina. Utrumque uno verbo vocatur *indefectibilitas*.

100. — II. Donatistae in hoc potissimum errabant, quod contenderent Christi ecclesiam, quae primum per omnes nationes dispersa fuerat, postea periisse, et in ea dumtaxat remansisse Africae parte, quae Donato adhaerebat. Eo etiam audaciae et temeritatis prorupit Berengarius teste Ratramno, ut diceret, errasse et periisse ecclesiam.

Inter protestantes ab initio suae reformationis non pauci fuerunt, qui odio in ecclesiam Romanam obcaecati docuerunt, ecclesiam Christi non tantum deficere posse, sed etiam revera per plura saecula defecisse; quod tamen ita postmodum interpretati sunt eorum discipuli, quasi asseruissent tantummodo, ecclesiam defecisse a primaeva puritate et integritate ministerii. Fatentur itaque omnes reformatores, ut jam *Bellarminus* observavit[1]), ecclesiam absolute deficere non posse, seu omnino extingui atque interire. Quidam tantum adhibita distinctione inter visibilem et invisibilem ecclesiam, docere visi sunt, invisibili tantum ecclesiae convenire illud perpetuitatis do-

1) Lib. II. de eccles. militante cap. XIII.

num, sed neque hi in opinione sua constantes fuerunt; pars protestantium longe maxima semper docuit, et etiamnum docet, ecclesiam perpetuam esse et usque ad finem mundi duraturam, etiam spectata ejus visibilis corporis compage.

101. — III. Quod *inerrantiam* attinet, quam hic in genere tantum consideramus, nulla adhuc facta inter fideles et pastores distinctione, non defuerunt ab initio inter protestantes, qui eam absolute negarunt, tanquam principium statuentes, totam ecclesiam, id est, tam vulgus fidelium, quam collegium pastorum posse errare etiam in articulis necessariis. At cum viderent, hanc sententiam cum perpetua ecclesiae stabilitate conciliari non posse, ad suam distinctionem confugerunt articulorum fundamentalium et non fundamentalium; et vulgo tenent, nunquam in Christi ecclesia defecturam articulorum fundamentalium fidem et publicam confessionem. Itaque ecclesiae inerrantiam nobiscum admittunt saltem in necessariis. Cum igitur in hac parte in multis consentientes habeamus adversarios, breviores esse licebit.

PROPOSITIO I.

Christus ecclesiam suam perpetuam esse voluit.

102. — Prob. I. Ecclesia propter religionem instituta est *(art. I. prop. II.)*: atqui Christus religionem suam perpetuam esse voluit *(Prolus. §. I. prop. III.)*. Ergo et ecclesiam.

Prob. II. Ex scriptura. In vetere testamento multa occurrunt Prophetarum vaticinia, quae ecclesiae Christi perpetuam durationem praedicunt. Is. IX. dicitur: *Parvulus natus est nobis ... multiplicabitur ejus imperium, et pacis non erit finis: super solium David, et super regnum ejus sedebit, ut confirmet illud, et corroboret in judicio et justitia, a modo et usque in sempiternum.* Idem Propheta cap. LXI.

(quod caput Christus Luc. IV. de se ipso interpretatus est). vers. 8. Deum ita loquentem inducit: *Foedus perpetuum feriam etc.* Daniel II. *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus coeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur; regnum ejus alteri populo non tradetur, comminuet autem et consumet omnia regna haec, et ipsum stabit in aeternum.* Eadem fere cap. VII. v. 14. leguntur.

Haec Prophetarum oracula de regno Christi in terra seu de ecclesia intelligenda esse, eo minus dubitari potest, quod eadem doctrina in libris N. T., et antiquissima ecclesiae traditione multo clarius adhuc et evidentius contineatur. Antequam Christus nasceretur, jam dictum legitur ab angelo Luc. I.: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris sui, et regnabit in domo Jacob in aeternum, et regni ejus non erit finis.* Sed hoc regnum Christi perpetuum sine ecclesiae perpetua duratione cogitari non potest.

Christus ipse pluribus in locis expresse declarat, ecclesiam suam perpetuam fore et indefectibilem; pauca tantum seligamus et praecipua. Matth. XVI. Petrum ita alloquitur: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Textus hic clarus est et non indiget interpretatione. Aeque insignis est locus ille Matth. XXVIII.: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra: Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Verba haec continent perpetuitatem doctrinae, sacramentorum et ministerii; et quidem perpetuitatem sine interruptione.

His testimoniis merito adjicimus illud I ad Timoth. III.: *Ut scias quomodo oporteat te conversari in domo Dei, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.*

Prob. III. Hanc fuisse Christi voluntatem, ut fundata ab ipso ecclesia nunquam deficeret, facillimum esset ex primorum Patrum doctrina et communi omnium saeculorum persuasione probare. Sed quorsum tot argumenta, cum ipsi protestantes id nobiscum fateantur, ut videri potest apud illustrissimum *Bossuetium* hist. variat. lib. XV. Item *Hooke* de indefect. eccl.

PROPOSITIO II.

Ecclesiae, quam Christus instituit, nunquam potest a vera fide deficere.

103. — Prob. I. Christus ecclesiam perpetuam instituit; ergo a vera fide deficere non potest.

Prob. conseq. Ecclesia Christi est *societas hominum veram Christi fidem profitentium;* ergo si a vera fide deflecteret, non amplius esset vera Christi ecclesia; nam non amplius esset societas hominum veram Christi fidem profitentium; ergo non esset perpetua.

Prob. II. Ex textibus in priori probatione allatis, imprimis ex Matth. XXVIII. I Tim. III. Item ex verbis Christi Joan. XIV, 16.: *Ego rogabo patrem et alium paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.* De hoc autem Paracleto dicitur v. 26.: *Ille docebit vos omnia et suggeret vobis omnia,* et cap. XVI.: *Ille docebit vos omnem veritatem.* Non hic inquirimus, an ad solos Apostolos eorumque successores verba ista pertineant, an ad universum coetum fidelium; sufficit, quod ex illis evidenter sequatur, quod volumus: in ecclesia, quae veros Christi sectatores complectitur, veritatem non posse deficere. Ergo etc.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

104. — Objiciunt I. *Indirecte,* cum ea, quae a nobis in probationem adducuntur, evertere conantur.

Arg. I. *Contra textum ex Matth.* XVI. 1° Haec verba: *portae inferi non praevalebunt adversus eam,* perpetuam ecclesiae stabilitatem non probant; si-

quidem vox *eam* ad petram referenda est, non ad ecclesiam; domus autem corruere potest, stante fundamento.

2⁰ Si haec particula ad ecclesiam refertur, eo sensu intelligi debet, quod ecclesia nunquam ex integro sit defectura, sed quod semper extituri sint aliqui veritatis testes, vel quod illae promissiones conditionatae sint tantum aut ad Apostolorum tempora restrictae.

3⁰ Cum vox ἅδης etiam mortem significet, per *portas inferi* optime intelligi possunt tyrannorum persecutiones. Ergo etc.

Resp. ad I. Probatio illa 1⁰ contorta est et textui vim facit. Nemo enim textum legens, nisi animum praeoccupatum habeat, in illum sensum incidere potest. 2⁰ Nihil juvaret adversarios; nam qui vult, ut firmum semper stet fundamentum, illud procul dubio vult propter domum super fundamentum exstructam.

Ad II. Si testes illi veritatis, quos Pfaffius ait semper extituros, veri Christiani sunt, tunc utique non deficiet ecclesia, quae est societas hominum veram Christi religionem profitentium. Conditionatam autem fuisse Christi promissionem nulla ratione probari potest ab adversariis. Nullum conditionis vestigium in textu occurrit, et siqua admitteretur, sensum ridiculum efficeret et absonum. Suppone enim, ita verba intelligi: Portae inferi non praevalebunt adversus eam, nisi deficiat a fide, nisi impia fiat, adultera, idololatra; quid hoc aliud esset, quam dicere: Non praevalebunt, nisi praevaleant; ecclesia non deficiet, nisi deficiat? Neque illud admitti potest, promissionem Christi tam magnificam ad Apostolorum tempora fuisse restrictam. An forsan Petrus et Apostoli magis curae fuerant Christo quam ecclesia, quae corpus ejus est, et sponsa ipsius, quam sibi acquisivit sanguine suo? An ergo ecclesia propter Apostolos instituta est? Aut an minor fuit post Apostolorum tempora hujus privilegii necessitas?

Ad III. Per vocem ἅδης Graeci intelligunt locum inferorum, et omnes Latini interpretes haec verba Matth. XVI. πύλαι ἅδου verterunt per: *portae inferi*, vel *portae inferorum*. Si protestantes volunt locum de persecutionibus ecclesiae intelligere, non repugnamus, sed observent, ecclesiam non a tyrannis tantum persecutiones pati, sed etiam ab haereticis. Imo plus ipsi periculi ab his imminere, qui fidem ipsam, quae anima est ecclesiae, impugnant: quam ab iis, qui exterius tantum in ejus membra saevire possunt.

105. — Arg. II. contra locum ex I Tim. III. 1⁰ Haec verba: *Columna et firmamentum veritatis* cum sequentibus conjungi debent, in quibus de mysterio incarnationis agitur, quod revera totius religionis Christianae columna est et firmamentum.

2⁰ Etiamsi ad praecedentia referentur verba ista, non possunt tamen de ecclesia in genere intelligi, sed de Ephesina tantum, cui tum praeerat Timotheus. Ergo etc.

Resp. ad I. Ista mutatio interpunctionis recentiorum quorundam interpretum commentum est, omnibus retro saeculis ignotum et nulli solido argumento innixum. Certe contextus ipse et Graeca vocum constructio novae interpretationi repugnant; nam vox στύλος (columna) sine articulo ponitur, quia ad praecedentia pertinet: econtra articulus τό ante τῆς εὐσεβείας μυστήριον (pietatis mysterium) positus, novum sensum esse ostendit [1]).

1) Quid quaeso in scripturis sanctum fixumque erit, si ita licet contra auctoritatem omnium codicum, tum manuscriptorum, tum typis excussorum, contra sententiam omnium Patrum et scripturae interpretum, etiam protestantium, verba mutatis interpunctionibus in alium sensum detorquere? Unde indignor, quando catholicos interpre-

Ad II. Verba Apostoli de nulla ecclesia particulari intelligi possunt, quia nulli ecclesiae particulari id convenire potest, ut sit columna et firmamentum veritatis. Ad episcopum quidem Ephesinum scribit Apostolus, sed de universa loquitur ecclesia, uti Patres omnes interpretantur. Sic Cyrillus Hieros.[1]): *De hac sancta ecclesia catholica scribit ad Timotheum Paulus, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.*

106. — Arg. III. 1° Christus Matth. XXVIII. ecclesiae nihil promisit, sed Apostolis tantum. 2° Nihil in illa promissione continetur, quod probet Deum certo et efficaci auxilio ecclesiae suae semper affuturum; alioquin sequeretur, Christum etiam immunitatem a peccatis promisisse ecclesiae suae, quod nemo unquam asserere ausus est. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. ant. Contrarium probant haec Christi verba: *usque ad consummationem saeculi.* An Christus forsan in illo errore versatus est, ut putaverit saeculi consummationem statim post Apostolorum aetatem eventuram? Sed de his plura alio loco.

Ad II. neg. pariter antec. Quod verba illa auxilium certum et efficax promittant, jam ex eo clarum est, quod alias tam praeclara et solemnis promissio vana esset et nullius roboris. Quid enim aliud significat 1° illud splendidum exordium: *Data est mihi omnis potestas etc.* 2° Illud tam grande, tam difficile munus docendi omnes gentes, quod absque certa et semper praesenti Dei ope nullus mortalium suscipere potest? 3° Illa tam clara, tam significantia verba: *ecce ego vobiscum sum omnibus diebus etc.?* Haec imprimis: *Ego vobiscum sum* in scripturis semper designant auxilium praesens et efficax. Sic Ps. XXII.: *Si ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Isaiae VIII, 10.: *Inite consilium et dissipabitur; loquimini verbum et non fiet, quia nobiscum Deus.* Vide Judic. VI, 11. et 14. Is. XLIII, 2.[1]). Caeterum neminem latere potest, quantum inter immunitatem a peccato, et eam, quam nos defendimus ecclesiae indefectibilitatem discrimen intercedat. Si ecclesia interiret, tota salutis humanae oeconomia funditus destrueretur; non item, si aliqui a virtutis tramite deflectant; nam Christus ipse aperte docuit, oportere esse scandala, neque eradicanda zizania ante consummationem saeculi. Peccare, aut non peccare singularis cujuslibet hominis attributum est, qui libertatem non amittit, quando membrum ecclesiae efficitur.

107. — Objiciunt II. *Directe.* Arg. I. Ecclesiam Judaicam a vera religione

---

tes video, nescio qua eruditionis laude illectos, novis ejusmodi interpretationibus plus aequo indulgere. Revera exiguum in hoc eruditionis argumentum est, at vanitatis et levitatis quam maximum. Audiamus potius quae celeberrimus *Grotius* in hunc locum commentatur: „Tituli hi sunt ecclesiae, ait, cui qui eos invident, mirum quam laborent, ut haec verba sequenti periodo connectant. Eis tum alia repugnant, tum illud τό, quod ponitur ante τῆς εὐσεβείας μυστήριον (pietatis mysterium), qui articulus ostendit novum esse sensum. Apostolus mentione facta templi novam de templo sumsit similitudinem. In templo erant columnae; iis columnis suae erant bases. At sicut columnae basi, ita opus superius columnae innitebatur. Veritatem hic comparat operi supero, ecclesiam columnae et basi. Veritatem sustentat atque attollit ecclesia; efficit, ne elabatur ex animis, efficit, ut longe lateque conspiciatur."

1) Catech. XVIII.

1) Nihil potest in hanc rem ponderosius et enucleatius dici, quam quae ab illustrissimo *Bossuetio* facta est hujus textus (Matth. XXVIII.) explanatio. Libentissime verba auctoris citaremus; sed satius ducimus lectores ad ipsum auctorem remittere, certi quod inchoata semel operis lectione major semper ex voluptate exardescet legendi aviditas. Vide I. Instruct. pastorale n. 4. etc. II. Instruct. pastorale n. 2. seqq. Ibid. n. 38. 39.

defecisse, ex gentis illius historia notum est. Judic. II. dicitur: *Filii Israël servierunt Baalim, et dimiserunt Deum patrum suorum.* III Reg. cap. XIX. Elias conqueritur, se solum esse in Israël, qui Deum coleret. Imo jam Moysis tempore Aaron et universus populus relicto Deo suo, vitulum aureum adorarunt. Atqui alia non est ecclesiae Christianae, quam olim synagogae conditio. Ergo etc.

Resp. I. neg. maj. Nusquam in scripturis reperitur, ecclesiam Judaicam penitus defecisse a visibili professione fidei. Tempore Judicum tabernaculum Dei in medio populi erat, et cum dicuntur filii Israël Deum suum dimisisse, illud de aliquibus, non de omnibus intelligendum est; siquidem ne verae religionis oblivio ingrueret, Deus populum durum et rebellem crebris calamitatibus ad saniora consilia reduxit. Tempore Eliae cultus Dei vigebat in regno Juda. Neque, cum Aaron, qui nondum Pontifex creatus erat, vitulum aureum conflavit, hoc scelus commune fuit toti genti. Hinc Apostolus ait [1]): *Neque idololatrae efficiamur, sicut quidam ex ipsis.*

Resp. II. neg. min. Indoles ecclesiae Christianae ex voluntate Christi aestimanda est, non ex comparatione cum synagoga. Judaica religio in multis differt a Christiana; altissima illa misteria, quae Christianae religionis fundamentum sunt, non continebat; particularis erat Judaeis, et cum tota gentis constitutione intime connexa. Haec porro constitutio theocratica erat: Deus tanquam caput reipublicae eam regebat supernaturali et extraordinaria providentia, collapsamque religionem stupendis miraculis, rerum miris conversionibus et Prophetarum ministerio reintegrabat.

108. — Argum. II. Ecclesiam Christi aliquando defecturam clare in N. T. libris praedicitur. Ergo etc.

Prob. Praedicitur II. ad Thess. II. discessio a fide tempore Antichristi futura: *Nisi venerit discessio primum et revelatus fuerit homo peccati.* Apocal. XIII. dicitur: *Datum est illi* (bestiae) *bellum facere cum sanctis et vincere eos, et data est illi potestas in omnem populum et gentem.* Eadem jam Christus claris verbis praedixerat Luc. XVIII, 8.: *Filius hominis veniens, putas fidem inveniet in terra?* Ergo etc.

Resp. I. Obscura scripturae loca congerunt adversarii, quibus rem perspicuam et omnibus expositam oppugnent; nam obscura esse, quae in objectione citantur, ipsi eorum interpretes fatentur. Si in illis locis de integra defectione agitur, jam non visibilis modo, sed etiam invisibilis ecclesia deficiet, quam tamen protestantes omnes volunt esse perpetuam. Nolumus hic de illa insulsa atque impudentissima quorundam interpretatione loqui, qui Romanum Pontificem Antichristi nomine designatum volunt, et Romanam ecclesiam meretricem illam vocant et Babylonem magnam, de qua Apocal. cap. XVII. Tam coeci furoris sin minus adversarios, certe nos ipsos pudet. Id unum observamus, in hac sententia necessario admittendum, Antichristum jam diu advenisse, et jam factam esse discessionem, quin tamen interierit ecclesia, aut desint, qui veram Christi fidem profiteantur; cum utique protestantes se in numero fidelium esse et ad Christi ecclesiam pertinere contendant.

Resp. II. Discessio, quam Apostolus praedicit, potest metonymice ipsum Antichristum significare, vel defectionem ab imperio Romano, vel demum defectionem a fide; omnes istae interpretationes suos patronos habent. Si defectio a fide intelligitur, nihil est in contextu, quod cogat eam tam generalem admittere, ut ecclesia posset dici interiisse.

Eadem responderi possunt ad locum ex Apocalypsi citatum et alia similia,

1) I *Cor.* X.

quae in illo libro sparsa reperiuntur. Cap. XIII. v. 8. additur: *Et adoraverunt eam omnes, qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitae agni.*

Christus illa loquendi ratione: *Filius hominis veniens, putas inveniet fidem?* fidei raritatem significat, non totalem interitum: aut potius fidei inter homines debilitatem et sterilitatem, propter iniquorum abundantiam. Juxta illud Matth. XXIV.: *Quoniam abundavit iniquitas, refrigescet charitas multorum.*

109. — Argum. III. Nulla est ecclesia particularis, quae non possit a vera fidei professione deficere; ergo et universalis ecclesia interire potest.

Resp. neg. conseq. Qui prima tantum philosophiae elementa didicit, statim argumenti hujus vanitatem inspiciet. Ecclesia 1⁰ corpus morale est, quod ex conjunctione multarum partium coalescit; quemadmodum autem pars quaelibet singillatim sumta corpus esse non potest; sic etiam ad partem pertinere non potest, quod corpori tantum convenit. 2⁰ Ecclesiae institutio positiva est et divina; hujus ergo indoles alia esse non potest, quam Christus eam esse voluit. Ridiculum autem esset dicere, Christum non potuisse ecclesiae universae praerogativam aliquam asserere, qua ecclesias particulares distributive sumtas carere voluit.

110. — Argum. IV. Admissa etiam ecclesiae indefectibilitate, id unum sequeretur, ecclesiam non posse in necessariis deficere, seu in articulis fundamentalibus. Quamdiu ergo ecclesia haec necessaria tenet, in fundamento manet, ecclesia Christi manet.

Resp. I. Vanissimam esse hanc distinctionem articulorum fundamentalium et non fundamentalium jam supra probatum est. Vera Christi ecclesia ea est, quae veram Christi doctrinam habet: vera autem Christi doctrina omnia complectitur, quae a Christo revelata sunt.

II. Mirum est quantas sibi protestantes hac nova distinctione commoditates paraverint; cum enim ex una parte fundamentalium tantum articulorum professionem ad veram ecclesiam requirant, ex alia autem parte plenam sibi libertatem reliquerint, articulos fundamentales determinandi; ab eorum arbitrio dependet, ecclesiam quo velint modo construendi. Neque in hac hypothesi ulla esset societas, dummodo ecclesiae Christianae nomen retineret, quae ab hac perpetuae stabilitatis praerogativa excludi posset.

§. III.

De sanctitate ecclesiae.

OBSERVANDA.

111. — I. Omnes in symbolo Apostolorum profitemur *sanctam ecclesiam catholicam;* certum igitur habemus et fide divina credimus, hanc fuisse Christi voluntatem, ut sancta esset, et sancta perpetuo permaneret ecclesia, quae ab ipso nomen et originem duxit. Protestantes idem nobiscum symbolum recitant, et quamdiu in genere tantum de hac ecclesiae proprietate loquimur, non repugnant.

Sed quaeritur, qua ratione *sancta* sit ecclesia? Agimus de ecclesia in terris militante, de societate illa externa et visibili, cujus proprietates ex parte jam evolvimus. Haec autem Christi ecclesia sancta est multiplici sensu. Sancta est ortu suo aut genere, quia ab eo originem habet, qui omnis sanctitatis fons est. Sancta est in doctrina, in cultu, in sacramentis. Sancta, quia omnia ejus membra ad sanctitatem vocati sunt, et ad eam sese obligata esse sciunt, hoc ipso, quod ad ecclesiam Christi pertineant. Sed parum hoc esset, nisi sanctorum quoque parens esset ecclesia. Ipsa enim Christo, cui indissolubili charitatis vinculo copulata est, filios generat, quos nutrit

et alit ad vitam aeternam: in visibili ecclesia continetur illa invisibilis, quae ex justis constituitur. Cum autem invisibilis haec nullo modo deficere possit, sequitur, etiam visibilis ecclesiae sanctitatem nunquam posse deficere: utpote quae semper sanctos in sinu suo fovet, quibus crescit in dies electorum numerus.

112. — II. Antiqui quidam haeretici, imprimis Donatistae docuerunt, peccatores saltem graviorum criminum reos ab ecclesia excludi. *Wicleffus* solos praedestinatos ad ecclesiam pertinere voluit. Eundem errorem secutus est *Joan. Hus*, ut colligitur ex concilio Constant. Sess. XV. Novatores duplicem ecclesiam distinguunt, unam veram, quam dicunt ex justis tantum constitui: alteram externam, quae nomen tantum ecclesiae habet, et in qua mali bonis permixti vivunt. Ab hac sententia non satis recedunt sectae Jansenistarum primores, Sancyranus Abbas in familiari theologia, et Quesnellus, Prop. LXXVII. et LXXVIII.

PROPOSITIO I.

Christus ecclesiam suam sanctam esse voluit.

113. — Prob. I. Ex fine ecclesiae. Ecclesia a Christo eo tantum fine instituta est, ut religio, qua ipse homines ad sanctitatem informare voluit, et quae in omnibus suis partibus sanctissima est, pura et integra servaretur (ex Art. I. Prop. II.): atqui ecclesia, quae notam sanctitatis non haberet, medium ad hunc finem idoneum non esset. Ergo ex Christi institutione sancta esse debet.

114. — Prob. II. Ecclesia in scripturis iis insignitur nominibus, quae ei, nisi sancta esset, convenire non possent. Vocatur enim corpus Christi, sponsa Christi, tabernaculum Dei cum hominibus, domus Dei, templum Dei. *Ipse est caput corporis ecclesiae.* Ad Coloss. I. — Ad Ephes. I, 22. et 23. *Ipsum dedit caput supra omnem ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Alia similitudine utitur Apostolus cap. II, 19. seqq.: *Non estis hospites et advenae; sed estis cives sanctorum et domestici Dei, superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Jesu, in quo omnis aedificatio constructa crescit in templum sanctum in Domino, in quo vos coaedificamini in habitaculum Dei in spiritu.* Non potest ecclesiae sanctitas magnificentius exprimi: nam et fundamentum sanctum et lapis angularis sanctus, et omnis aedificatio crescit in templum sanctum. His tam luculentis testimoniis addimus insignem locum ex cap. V. ejusdem epistolae: *Christus caput est ecclesiae, et ipse salvator corporis ejus. Christus dilexit ecclesiam et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret mundans lavacro aquae in verbo vitae, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam, non habentem maculam aut rugam, aut aliquid hujusmodi, sed ut sit sancta et immaculata.* Quamvis Patres nonnulli hunc Apostoli locum de societate sanctorum in coelis triumphantium interpretentur; alii tamen multo plures illum intelligunt de ecclesia militante, atque ita intelligendum esse, scopus Apostoli et totus orationis contextus probant.

115. — Prob. III. Omnes illi sanctitatis characteres, quos supra exposuimus, ecclesiae Christi conveniunt; ergo sancta est.

Probat. ant. Christus voluit 1° ut fundata ab ipso ecclesia doctrinam sanctam proponeret cultumque sanctum Deo exhiberet: quia illam, ut jam pluries dictum est, propter religionem suam instituit, qua nulla potest esse sanctior et in omnibus suis partibus perfectior. Voluit 2° ut esset societas hominum ad sanctitatem ex vocatione sua tendentium et sanctitatem profitentium. Ideo Christiani passim in scripturis vocantur sancti. Ad Rom. I.

Vocatis sanctis. I Petr. II.: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta.* Voluit 3° ut ecclesia sanctos revera efficeret. Ad hoc enim tendit institutio baptismi: *Abluti estis, sanctificati estis.* I ad Cor. VI. — Coena eucharistica: *Probet se ipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat.* Potestas remittendi peccata: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.* Joan. XX. — Tota demum ecclesiae constitutio: *Dedit quosdam pastores et doctores ad consummationem sanctorum.* Ephes. IV.

PROPOSITIO II.

Sanctitas, qualem Christus ecclesiae suae in hac terra inesse voluit, non excludit homines improbos et peccatores.

116. — Prob. I. *ex praxi Apostolorum et primorum temporum.* Quamvis Apostoli omnem in id operam contulerint, ut Christianos omnes ad sanctiorem vitam erudirent et informarent, nunquam tamen malos putarunt extra ecclesiam versari: eos redarguebant, hortabantur, nec laboribus parcebant, nec precibus aut minis, ut eos ad saniora consilia reducerent. Verum cum illis agebant tanquam hominibus, qui intus essent, non foris. Sic quando Apostolus I *Cor.* V. avaros, fornicarios etc. imo et incestuosum Corinthium judicat, utique eos ad ecclesiam pertinere putavit, cum ibidem aperte dicat: *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Impossibile est N. T. scripturas perlegentibus non ubique animadvertere, Apostolos aliam ecclesiae notionem a Christo non hausisse. Numquid enim peccatores excludit S. Joannes, cum ait epist. I. cap. I.: *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,* et cap. II.: *Filioli mei, haec scribo vobis, ut non peccetis; sed siquis peccaverit, advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum.*

Hanc porro ecclesiae imaginem nobis adumbravit Christus variis parabolis. Haec scilicet ager est, in quo zizania crescunt cum tritico; haec area triticum simul et paleas continens; haec sagena illa in mare missa et omni piscium genere referta. In hac hoedi cum ovibus permixti sunt: servus nequam cum servo bono et fideli; virgines prudentes cum fatuis. Ex illa sagenae similitudine ita concludit S. *August.* lib. de unit. eccles. cap. XII.: *Nulla ergo malorum commixtio terreat bonos, ut propterea velint tanquam retia rumpere, et a congregatione unitatis exire. Quandoquidem cum ad litus, id est, ad finem saeculi ventum fuerit, fiet debita separatio, non humana temeritate, sed divino judicio.*

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Contra primam propositionem.

117. — Sanctitas est aliquid internum et prorsus invisibile: ergo si datur ecclesia sancta, illa non potest esse visibilis illa societas, de qua hic agitur.

Resp. dist. ant. Sanctitas membrorum est aliquid internum et invisibile, *conc.* Sanctitas ecclesiae, *nego.* Ex argumento optime concluditur, ecclesiam, quae ex justis tantum coalesceret, hoc ipso visibilem esse non posse. Verum visibilis est ipsius ecclesiae sanctitas, quae sese omnibus manifestam facit per doctrinam, quam profitetur; per sanctissima morum praecepta, quae inculcat; per totam oeconomiam, quae nonnisi ad supernaturalem finem ordinata est. Quamvis autem membrorum sanctitas visibilis non sit, certi tamen sumus, justorum invisibilem ecclesiam nonnisi in Christi ecclesia reperiri. Ideo haec ecclesia sancta quoque est ratione membrorum; quia in illa continetur justorum societas tam parum defectura, quam ipsa ecclesia. Imo fatemur justos aut electos non tantum partem nobiliorem ecclesiae efficere, sed ecclesiam propter illos institutam

esse; sic ager a patrefamilias propter triticum excolitur, non propter zizania; sic arbor, quamvis in tanta ramorum multitudine praeter frugiferos, alios quoque steriles habeat, nihilominus in genere frugifera dicitur, et propter fructus plantatur, non ut foliis abundet.

Contra secundam propositionem.

118. — Argum. I. Illa scripturae testimonia, quae ad probationem primae propositionis allata sunt, secundam omnino evertunt. Nam 1° ecclesia, quae peccatores et malos homines complecteretur, sponsa Christi sancta et immaculata dici non posset; sed coinquinata potius esset et multis criminibus foedata. 2° Neque corpus Christi mysticum esset, quae multos in membris suis numeraret, qui membra Christi esse non possunt.

Resp. ad I. Quidam, ut jam observatum est, per ecclesiam illam gloriosam, de qua Apostolus loquitur, ecclesiam triumphantem intelligunt; sed haec non est communis Patrum et interpretum sententia. Eadem scilicet Christi ecclesia, quae in coelis perfecti decoris est et electorum tantum coetum continet, in hac terra multis laboribus atteritur et in doloribus generat filios, quos transmittit ad coronam. Cumque nullius hominis salus desperata sit in hac vita, cum grandi charitate sustinet discolos, nec cessat unquam ad eorum emendationem omnes vires impendere. At in hoc ipso ecclesia mihi videtur Christo dignissima, quae exemplum sponsi sequens, peccatorum saluti intenta, omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet; atque ita non potest ipsa inquinari peccatis filiorum suorum, quae aversatur et damnat et corrigit. *Nihil* (in ecclesia Christi) *turpe ac flagitiosum spectandum imitandumque proponitur*, ait Augustinus [1]), *ubi veri Dei aut praecepta insinuantur, aut miracula narrantur, aut beneficia postulantur.*

Ad II. Haec et similia argumenta facile diluuntur, si ad ea attenditur, quae de ecclesiae anima et corpore ab initio hujus tractationis diximus. Alia ergo sunt membra ecclesiae perfecta, quae ad animam et corpus pertinent; alia imperfecta, quae vitam gratiae non habent, sed tamen externis vinculis, nempe fidei professione, et sacramentorum communione inter se cum vivis membris connexa sunt. Ecclesia est corpus Christi mysticum, quia ejus sanguine fuit coagmentata, ejus vita et spiritu vivit, ejus testamentum et promissiones habet; sed corpus vivum esse potest, quin omnia ejus membra vitam et motum habeant, neque pars corporis, cum hac vita destituitur, statim a corpore abscinditur, imprimis si non sit adeo mortua, ut non vitam iterum ab anima excipere possit. Certum igitur est, quamvis viva ecclesiae membra non sint, in corpore tamen ecclesiae inesse, et in fidelium numero computari. Fideles enim et Christiani tales dicuntur non a charitate, sed a fide sive a fidei professione.

119. — Argum. II. Patres passim docent arcam Noë esse figuram ecclesiae: atqui in arca non fuerunt, nisi qui salvandi erant; ergo etiam in ecclesia alii non sunt, nisi qui salvantur.

Resp. I. Si omnes, qui salvandi sunt, ad ecclesiam pertinent, necessario etiam malos complectitur; quotidie enim ex malis boni fiunt, et regnum coelorum non tantum iis promissum est, qui constanter in justitia perseverarunt, sed etiam peccatoribus conversis et vere poenitentibus.

Resp. II. dist. maj. Arca Noë in aliquibus figura ecclesiae est, *conc.*, in omnibus, *neg.* Nulla comparatio in omnibus suis partibus adaequata est. Arca Noë est ecclesiae figura 1° quia

1) Lib. II. de civit. Dei cap. XXVIII.

sicut in arca animalia munda et immunda includebantur, ita in ecclesia mali cum bonis permixti sunt. 2° Quia sicut extra arcam nemo potuit salvus esse ab aquis diluvii, ita extra ecclesiam nulli patet aditus ad salutem. In hoc stare comparationem docent Cyprianus de unit. eccles.; Hieronymus in epist. ad Damasum; S. Augustinus lib. V. de bapt. Ulterius urgeri non potest; alias sequeretur, omnes baptizatos certo esse salvandos, quia S. Petrus primae epist. cap. III. baptisma cum arca Noë comparat.

120. — Argum. III. S. Augustinus pluribus in locis negat, malos esse in ecclesia. Lib. IV. de bapt. ait: *Videntur esse in ecclesia, sed non sunt.* Idem de haeretico et catholico improbo: *In corpore autem unicae columbae incorruptae, sanctae, pudicae, non habentis rugam, nec ille nec iste invenitur . . .* et lib. V. cap. LI. de ecclesia disputans: *Haec*, inquit, *in bonis fidelibus est, et sanctis Dei servis ubique diffusis, et spiritali unitate devinctis in eadem communione sacramentorum.*

Resp. I. S. Augustinus contra Donatistas disputans eos saepe urget argumento ad hominem, uti dicitur. Scilicet docebant illi, valorem baptismatis pendere a probitate ministri; atque insuper ecclesiam dicebant ex justis tantum et sanctis constare, et ab his tantum valide administrari baptismum. Nihilominus baptisma, a malis hominibus in eorum ecclesia collatum, non iterabant. Quam parum haec sibi cohaereant, ostendit S. Augustinus, et ex ipsis Donatistarum principiis concludit, aut rejiciendum esse baptismum a malis et peccatoribus collatum, vel etiam haereticorum baptisma esse admittendum.

II. Dist. ant. S. Augustinus negat, malos esse membra ecclesiae perfecta, viva et animata, ad animam ecclesiae pertinentia, *conc.*, membra imperfecta, arida, ad corpus tantum ecclesiae pertinentia, *nego.* Hoc modo conciliari debent, quae S. Augustinus videtur pugnantia dicere; nam alias, quando ecclesiam ut vulgus doctorum sumit, seu qualis intuentium oculis occurrit, eam fatetur ex bonis et malis constare: *Istos esse in domo negare non possumus;* et tract. VI. in Joan. ait: *Nos fatemur, in ecclesia catholica et bonos et malos esse;* et rursum de malis: *Utrumque verum est*, inquit, *et ex nobis sunt et non ex nobis; secundum aliud ex nobis, secundum aliud non ex nobis. Secundum communionem sacramentorum ex nobis, secundum suorum proprietatem criminum non ex nobis.*

121. — Inst. Ergo S. Augustinus duplicem agnovit ecclesiam in sensu protestantium.

Resp. neg. conseq. 1° S. Doctor, etiam cum ecclesiam docet ex justis tantum constare, tamen praeter interna vincula etiam externa requirit, quibus ecclesia visibilis efficitur. Quod longe abest a mente protestantium.

2° S. Augustinus expresse docet malos cum bonis in ecclesia quasi iisdem retibus includi. Verba ejus in probatione citata sunt. Commixtionem hanc, ait, ubique ac toto vitae tempore reperiri. Idem lib. III. contra Parmenianum cap. V. ait: *Non ergo quis quaerat separatos justos.*

Sed nusquam S. Augustini sententia melius cognosci potest, quam ex ea collatione, quam catholici, quorum ille dux tunc fuerat, cum Donatistis habuerunt. Cum enim, ut ex breviculo collationum in collatione diei tertiae videri potest, hoc idem Donatistae catholicis objicerent, hi responderunt, nunquam se duas admisisse ecclesias, sed tantum in unica ecclesia distinxisse diversas partes et diversa tempora; quemadmodum et idem corpus Christi sit, quod in hac vita fuit mortale et humile, in altera vita autem gloriosum est et immortale.

§. IV.

De ecclesiae necessitate et visibilitate.

OBSERVANDA.

122. — I. Necessaria vocatur illa societas, quam ingrediendi incumbit obligatio; seu quae ad communem finem obtinendum ita instituta est, ut ad eundem finem pervenire non possint, qui libere extra societatem vagantur. Haec porro necessitas oriri potest, vel a natura rei, vel ab instituto. Ex rei natura oritur, si bonum, quod appetimus, ejus naturae sit, ut sine societate et virium conjunctione non possit obtineri. Ex instituto autem necessaria efficitur societas, quando lege cavetur, ne particeps fiat communis boni, qui pars societatis non est. Ejusmodi societas *exclusiva* dicitur, nec quidquam habet, quod cum naturali aequitate pugnet; aequum enim non est, ut emolumentum ex societate capiat, qui societati se adjungere etiam vocatus recusat.

II. Nobis examinandum non est, an ecclesia in primo sensu necessaria sit; quanquam difficile non esset illud ex philosophiae principiis deducere: nam religionem divinam, quae hominibus ad salutem assequendam data est, respuere grande piaculum esset et summa impietas: cum autem extra ecclesiam religio haec nec pura haberi, neque legitime exerceri possit, sequitur, ecclesiam ex natura sua esse necessariam. Verum de ecclesia Christi tractantibus hoc unum indagandum est, quid Christus voluerit. Cum autem semel constituerit, hanc Christi voluntatem fuisse, ut omnes ecclesiam ab ipso fundatam ingrederentur: sponte sequitur, extra ecclesiam Christi salutem sperari non posse.

123. — III. Scimus hanc doctrinam plurimorum animos vehementer offendere, idque catholicis theologis in criminis loco objici, quod immitem et exosam obscurorum saeculorum sententiam perpetuo recudant; et quidem hac nostra felicissima et bonarum rerum foecundissima aetate, qua liberalitatis et tolerantiae sensus, quos uberior philosophiae lux excoxit, ad incredibilem populorum omnium felicitatem ubique vigent et florent. Verum non possumus nos ea, quae accepimus et quae a Christo ipso nobis tradita sunt, non loqui. Theologi munus est, non dicere quae placent, sed quae vera sunt. Aut an haec cum negantur, vera esse desinunt? An nostrum est ecclesiam ex ingenio nostro aut ad protestantium placita effingere, an non potius qualis instituta est, delineare? Non est tam immitis doctrina nostra, si propius inspiciatur, neque obscurorum virorum partus; cum recentiores protestantium doctores eam negare non possint, nisi vel in latissimum indifferentismum incidant, vel male ratiocinentur; id est, nisi vel Christiani esse desinant vel philosophi. Dicitur, *recentiores protestantium doctores;* nam olim protestantium ecclesiae omnes, quamvis in multis diverse sentirent, in hoc articulo nec a catholicis, nec a se invicem dissentiebant, ut paulo infra ostendetur.

124. — Quod *visibilitatem* attinet ecclesiae, protestantes eam ab initio suae reformationis absque haesitatione admiserunt; ut ex variis fidei confessionibus probat *Bossuetius* lib. XV. hist. variat. Postmodum cum urgerentur a catholicis, petentibus, ubinam ergo fuerit ecclesia reformatorum ante Lutherum et Calvinum; ut hac difficultate, quae sane gravissima est, sese expedirent, responderunt ex iis nonnulli, eam quidem visibilem esse, sed ita tamen, ut ferme extincta fuerit certis temporibus, et in paucis tantum fidelibus latuerit.

Nos ecclesiam ex Christi institutione visibilem dicimus, non eo tantum sensu, quod oculis intuentium pateat; nulla enim fuit haereticorum secta, quae non hoc modo aspectabilis fuerit; sed ita, ut etiam inter omnes alias socie-

tates constante et singulari claritate fuerit conspicua.

Jam observatum est, ecclesiam veluti ex anima et corpore constare; ideoque duplicem ejus statum esse, interiorem scilicet et exteriorem. De exteriore loquimur, qui cum visibilis sit, tota ecclesia simpliciter visibilis dicenda est. Sicut homo est per se visibilis, tametsi illius anima non videatur.

PROPOSITIO I.

Christus ecclesiam suam instituit ut societatem necessariam.

125. — Prob. I. Matth. XXII. et Luc. XIV. regnum coelorum seu ecclesia Christi comparatur homini regi, qui fecit nuptias filio suo. Cum autem qui invitati fuerant, noluerint venire, iratus paterfamilias dixit: *Dico vobis, nemo virorum illorum gustabit coenam meam.* Ergo qui oblatam a Christo gratiam repellunt, non possunt partem cum ipso habere in regno coelorum: ergo qui ecclesiam, ad quam vocantur, non ingrediuntur, alieni sunt a Christo. — Marc. XVI.: *Praedicate evangelium omni creaturae: qui crediderit et baptizatus fuerit, hic salvus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur.* Ergo expressa fuit Christi voluntas, ut omnes evangelio crederent, idque in ecclesia, cujus membra per baptisma efficiuntur. — Matth. XVIII.: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ex his Christi verbis hoc efficitur argumentum: Qui ecclesiae obsequium detrectat, tanquam ethnicus habendus est: atqui ethnici a salute excluduntur in scripturis. Ergo etc.

Minorem probant tum expressa Christi verba Joan. III, 5.: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, et v. 18.: *Qui non credit jam judicatus est, quia non credit in nomine unigeniti filii Dei.* Tum ea, quae S. Petrus palam annuntiavit Act. IV, 12.: *Non est in aliquo alio salus, nec enim est aliud nomen sub coelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri.*

126. — Prob. II. Omnes tenentur amplecti religionem Christianam, utique vere Christianam, seu illam, quae a Christo fuit vere revelata; ergo etiam tenentur ingredi veram Christi ecclesiam.

Antecedens jam supra probatum est in prolusionibus, propos. I. §. III. et argum. III. prop. de art. fundament.

Consequentia ex eo patet, quod ecclesia propter religionem instituta sit. Qui vult finem, vult et medium. Ergo 1° Christus, qui vult, ut omnes per religionem vitam consequantur, debuit etiam velle, ut omnes in eam societatem convenirent, quam propter religionem instituit. Ergo 2° cum hominibus obligatio incumbat veram Christi religionem amplectendi, etiam tenentur ad medium, quo ex instituto Christi ad illius religionis veram cognitionem pervenire, et legitimum Deo cultum exhibere possunt.

PROPOSITIO II.

Extra Christi ecclesiam non est salus.

127. — Prob. I. Ecclesia Christi est societas necessaria, ad illam ingrediendam omnes obligantur, tum jure naturali, tum jure positivo divino (ex prop. I.): ergo qui eam sciens volensque non ingreditur, salutem sperare non potest. Ad vitam enim ingredi non potest, qui non servat mandata; imo, qui cognovit voluntatem Domini, et non fecerit eam, vapulabit multis. *Luc.* XII, 47.

128. — Prob. II. Mentem Christi nemo melius assecutus est, quam Apostoli et primorum temporum ecclesiae ab his institutae. Sed Apostoli omnes, qui genuinam Christi doctrinam non tenent et extra ecclesiam sunt, a salute excludunt. Vid. argum. III. prop. de art. fund.

Ex Patribus pauca afferamus testimonia, ut non ex obscuris temporibus

prodiisse doctrina nostra videatur, sed a Christi tempore, et in iis saeculis constanter viguisse, quae utpote origini propiora, fatentibus adversariis, puram conservarunt Christi religionem. S. Irenaeus lib. IV. adversus haer. cap. XXXIII. alias LXII. ait, quod Dominus judicaturus est *eos omnes, qui sunt extra veritatem, id est qui sunt extra ecclesiam.* S. Cyprianus lib. de unitate ecclesiae multis probat, extra ecclesiam non esse salutem: *Habere non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem. Si potuit evadere quispiam, qui extra arcam Noë fuit, et qui extra ecclesiam foris fuit, evadet.* In epist. ad Pomponium idem S. Doctor de iis, qui ab ecclesia ejiciuntur, sic habet: *Neque enim vivere foris possunt, cum domus Dei una sit, et nemini salus esse nisi in ecclesia possit.* • Ex S. Augustino, qui totus est in hac veritate asserenda, hoc unicum sufficiat, ex lib. de unitate eccl. cap. XIX.: *Ad ipsam salutem et vitam aeternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum; habere autem caput Christum nemo poterit, nisi in ejus corpore fuerit, quod est ecclesia.*

129. — Prob. III. *Ex consensione ecclesiarum acatholicarum.* Omnium Christianarum societatum haec semper consentiens vox erat, extra veram Christi ecclesiam salutem non obtineri. Neque protestantium ecclesiae, facto schismate, ab hac communi omnium Christianorum sententia discesserunt; prout ex fidei confessionibus et libris symbolicis et eorum, qui novarum religionum auctores fuerunt, testimoniis liquido constat. Et vero, si haec non fuisset novatorum doctrina etiam post factam ab ecclesia catholica separationem, quare ergo tot systemata fabricarunt, ut probarent, se esse in vera Christi ecclesia? Quare cum catholici omnes novatorum societates a vera Christi ecclesia excludunt, continuo clamant, se ergo a salute excludi? Quare tanti faciunt suam in articulos fundamentales et non fundamentales distinctionem; nisi ut dilatando spatia ecclesiae, omnibus sectis ad salutem viam pandant? Et quid aliud ipsi intelligunt per articulum fundamentalem, nisi eum quem credere necessarium est ad salutem? Ergo in Christi ecclesia esse, et in via salutis versari unum idemque est. Manet ergo principium: extra Christi ecclesiam salutem sperari non posse. Et quia jam a nobis probatum est, admitti non posse distinctionem inter articulos fundamentales et non fundamentales, atque inter tot ecclesias, quae se Christianas dicunt, unam tantum veram Christi ecclesiam esse; sequitur, in hac tantum una vera Christi ecclesia salutem obtineri posse.

PROPOSITIO III.

Ecclesia a Christo instituta est societas visibilis.

130. — Prob. I. *Ex vaticiniis Prophetarum*, quae cum de nova ecclesia loquuntur, per Messiam instituenda, eam semper annuntiant ut eminenter visibilem. Is. II.: *Erit in novissimis diebus praeparatus mons domus Domini, in vertice montium, et elevabitur super colles, et fluent ad eum omnes gentes.* Dan. II. lapis, qui percussit statuam, dicitur factus mons magnus, et implevisse universam terram. Is. VI.: *Ambulabunt gentes in lumine tuo et reges in splendore ortus tui.*

131. — Prob. II. *Ex novo testamento.* Matth. V. Christus ecclesiam vocat civitatem supra montem positam: *Non potest civitas abscondi supra montem posita.* Ibid. XVIII. jubet adire et audire ecclesiam. Cap. XXVIII. mittit Apostolos docere et baptizare omnes gentes. Sed haec et alia multa a Christo prolata, quae jam a nobis exposita sunt, necessario supponunt societatem visibilem.

Idem de ecclesia docet Apostolus. Act. XX. convocatos ex Epheso presbyteros ita alloquitur v. 28.: *Attendite*

vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei. Quod utique societatem visibilem indicat; nemo enim regere potest, quod non videt. Ad Ephes. IV. Christus dicitur dedisse ecclesiae suae pastores, *in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi.* Huc quoque pertinet illud Apostoli ad Timotheum cap. III. prioris epistolae: *Ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quae est ecclesia Dei vivi, columna et firmamentum veritatis.* Non intelligitur, quomodo conversari quis posset in ecclesia invisibili.

132. — Prob. III. Christum voluisse ecclesiam visibilem, necessaria consecutione sequitur ex iis, quae de natura et proprietatibus ecclesiae diximus.

1° Ecclesia omnibus consentientibus est societas seu coetus hominum ad communem finem conjunctis viribus tendentium: atqui in ecclesia invisibili societas hominum, et virium ad communem finem conjunctio ne cogitari quidem potest.

2° Ecclesia eo fine a Christo instituta est, ut religionis integritati prospiceret et verum Dei cultum conservaret; hunc autem finem assequi non potest, nisi ecclesia visibilis.

3° Ecclesia ex Christi institutione una esse debet et universalis, atque indefectibilis. Verum has aliasque proprietates frustra quaereres in ecclesia invisibili, quae nulla haberet vincula, quibus in unum corpus coalesceret, nihil quo perpetuam durationem et constantem in eadem fide perseverantiam et sibi et aliis probare posset.

4° Ecclesia est societas necessaria, id est, omnes tenentur, nisi velint aeternae salutis jacturam facere, verae Christi ecclesiae se adjungere. Ex hac autem Christi voluntate necessario sequitur, non invisibilem ab eo institutam esse ecclesiam, sed visibilem et ita visibilem, ut insigni quadam claritate splenderet, et omnibus esset conspicua. Cum enim Deus omnes homines salvos fieri velit, neque salus detur extra ecclesiam, necesse est, ut omnes eam videre possint, et a longe conspicere, veluti civitatem supra montem positam.

133. — Prob. IV. Aliqua iterum veterum Patrum testimonia adjicimus, ut innotescat, quid ipsi de instituta a Christo ecclesia tenuerint. Origenes hom. in Matth. ait: *Ecclesia plena est fulgore ab oriente usque ad occidentem.* S. Cyprianus de unit. eccl.: *Ecclesia Domini luce perfusa est, per totum orbem radios suos porrigit.* S. Chrysost. hom. IV. in caput VI. Isai.: *Facilius est solem extingui, quam ecclesiam deleri.* S. August. passim contra Donatistas assertionem nostram probat.

Prob. V. *Ex protestantium confessione.* Quamvis enim hac de quaestione inconstantissime loquantur, et nonnunquam ecclesiae nomine coetum electorum intelligant, qui prorsus est invisibilis; saepe tamen rei evidentia coacti, ecclesiam visibilem admiserunt, quam ecclesiam vocatorum nominant. Plura eorum testimonia referunt doctissimi fratres Walenburgici lib. I. de unitate eccl. cap. V. Sic confessio Saxonica art. XII. ait: „Non igitur de ecclesia, tanquam de idea Platonica loquimur, sed ecclesiam monstramus, quae conspici et audiri potest.“ Et nobilis inter Lutheranos Philippus Melanchthon in locis communibus de ecclesia: „Quotiescunque de ecclesia cogitamus, intueamur coetum vocatorum, qui est ecclesia visibilis, nec alibi electos ullos esse somniemus, nisi in hoc ipso coetu visibili.“

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Contra primam et secundam propositionem.

134. — Obj. I. Si extra ecclesiam salus speranda non est; ergo genus humanum in deterius lapsum est post

Christum: nam stante synagoga nihil gentes ad legem Mosaicam cogebat.

Resp. neg. ant. Gentes ad legem non cogebantur, quia ad solos Judaeos pertinebat. An ideo felicior tunc erat sors gentilium, qui coluerunt et servierunt creaturae potius quam creatori; quos Deus tradiderat in reprobum sensum, in passiones ignominiae? An non toti orbi tunc incubuit infelix Dei oblivio et incredibilis morum perversitas? Huic communi malo remedium attulit Christus, qui innumeros ex omnibus nationibus homines ad veri Dei cultum adduxit, et de tenebris vocavit in admirabile lumen suum. *Evangelium virtus Dei est in salutem omni credenti, Judaeo primum et Graeco.* Rom. I.

135. — Obj. II. Sententiam, quod extra ecclesiam salus sperari non possit, nemo hac nostra aetate defendere potest, nisi velit gravissimam obscurae et fanaticae intolerantiae notam incurrere, et multorum, qui a sacris catholicorum alieni sunt, invidiam et odia in se concitare. Ergo deserenda est sententia haec.

Resp. I. Etiamsi verum esset, quod in antecedente dicitur; non tamen discedendum nobis ab ecclesiae nostrae doctrina, neque pax cum veritatis dispendio quaerenda. Aut an mutata sententia, etiam Dei ordinationes et instituta mutantur? Qui ita sentiret, ridendus potius, quam refellendus esset, nec viro illi absimilis, qui dogma de poenarum aeternitate jam dudum graviter ferens, cum audiret novam catechismi editionem parari, ab iis qui operi praeerant, multis precibus flagitavit, ut articulum, qui de inferno ageret, expungerent, neque opportunam hanc et felicissimam occasionem praetermitterent, se multosque alios hoc metu liberandi.

Non potest igitur deseri veritas, quia displicet, nec divina revelatio temporibus accommodari. Videndum est, quid Christus voluerit, quid Apostoli a Christo eruditi docuerint, quid ab his acceperint antiqui Patres. In hoc, ut jam saepe diximus, totus hujus argumenti cardo vertitur. Si adversarii nostri Christum accusant et Apostolos, fatemur malle nos cum his condemnari, quam in eorum numero reperiri, qui sanam doctrinam non amplius sustinent, sed coacervant sibi magistros prurientes auribus [1]). Quid autem Christus docuerit, et post eum Apostoli et ecclesiae omnes, ex probatione videri potest.

136. — Resp. II. Non est, cur nobis succenseant acatholici. Non nostra tantum est haec sententia, sed ut in probatione diximus, omnium Christianarum societatum; illam docuerunt celeberrimi protestantium theologi, et ita quidem, ut catholicos laxioris in hac parte doctrinae accusaverint [2]).

---

1) II *Timoth.* II.

2) In actis eruditorum Lipsiae publicatis ad annum 1692, Tom. XI. legitur succincta relatio commercii litterarii inter *Leibnitium* et *Pelissonium,* ubi *Leibnitius* ad *Pelissonium* scribens ait: „Nullos laxiores esse in omnibus non haereticis tantum, sed etiam ethnicis ad salutem admittendis, quam pontificios (catholicos), imprimis Jesuitas, et his consentientes alios scholasticos; quemadmodum sane dudum ea de re graviter questi sunt theologi protestantes.“ In eadem epistola catholicorum sententiam summum laxitatis gradum appellat. In alia ad *Pelissonium* epistola fatetur, *minimum in fide errorem cum rebellione conjunctum damnare.* Ibid. p. 247. De hac cum *Pelissonio* controversia loquitur *Leibnitius* epist. III. ad *Simonem Loefflerum* (epist. ad diversos Tom. IV.). Et cum dixisset catholicos omnis generis infideles, nedum haereticos materiales, modo Deum vero affectu ament colantque, ad salutem aeternam admittere; addit: *„Quod argumentum contra ipsos miratus sum a nostris theologis non crebrius fortiusque urgeri.“* Cf. ibid. epist. I. ad *Loefflerum.* Hanc porro doctrinam: *Extra communionem externam cum vera Jesu Christi ecclesia non esse salutem,* non theologorum tantum quorundam, sed omnium ecclesiarum protestantium publicam fidem fuisse, innumeris testimoniis probari

Nondum hic de ecclesia catholica agitur; sed, quod bene observandum, generatim ponitur quaestio: an extra veram Christi ecclesiam salus obtineri possit? Nihil ergo ex hac doctrina pertimescendum est iis, quibus certo persuasum est, se veram Christi ecclesiam habere. Unde, si quos videmus tam acriter hac sententia commoveri, merito suspicio oritur, eos longe abesse ab hac persuasione, et ideo tantum tolerantiae suae systema fabricasse, ut in eo perfugium quaerant contra catholicorum argumenta et propriae conscientiae terrores.

137. — Inst. I. Christus ipse Joan. XVII, 3. ad Patrem orans ait: *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te solum Deum verum et quem misisti Jesum Christum.* Atqui nullus est ex omnibus, qui se Christianos dicunt, qui non verum Deum adoret, et Jesum Christum ab eo missum esse agnoscat. Ergo etc.

Resp. Vita aeterna in eo non consistit, ut credamus Jesum Christum missum esse a Patre; sed ut in eum, qui missus est credamus. Credere autem in Jesum, est eam ipsam doctrinam tenere, quam Jesus a Patre accepit et hominibus revelavit, et eam legem servare, quam Jesus tradidit.

138. — Inst. II. Diversae quae in orbe existunt Christianorum societates, quamvis in articulis quibusdam minus necessariis differant, idem tamen fundamentum habent, quod Christus est, et totidem veluti formae sunt ejusdem ecclesiae; ergo nulla ex illis a salute excludi potest.

Resp. I. Jam ostendimus, unam tantum religionem a Christo fuisse revelatam, unam tantum institutam ecclesiam; vanam quoque esse distinctionem in articulos necessarios et non necessarios, et in fundamento non stare, qui Christi religionem integram non tenet. Quid autem sibi volunt diversae illae ejusdem ecclesiae formae? Nova haec sunt verborum tendicula, quibus illi tantum, qui levioris ingenii sunt capiuntur; nam si propius examinentur, facile deprehenditur, novis et fucosis verbis sensum nullum subesse. Quomodo enim eadem esse potest sub diversis formis ecclesia? Aut an unius ejusdemque rei simul diversae esse formae possunt? Et si Christus ipse ecclesiae suae formam impressit, an societates illae, quae hanc formam non referunt, Christi ecclesiae dici poterunt?

Resp. II. Si societatum Christianarum tolerantiam exposcunt adversarii; non video, qua ratione eam aliis etiam religionibus, quaecunque illae sunt, denegare possint. Nam si dicunt, evangelio credendum esse, et extra Christum salutem non reperiri; illico repugnantes habebunt Deistas, qui omnia, quae ipsi nobis opponunt, argumenta in eos conjiciunt, neque illos excludi a communi tolerantia patiuntur, qui, quamvis Christiani non sint, unum tamen verumque Deum sincera mente colunt. — Sed et Deistas iisdem iterum armis urgent alii multo liberaliores, qui ad gentiles quoque extendi volunt, quod Deistae veri Dei cultoribus impertiuntur. En ergo hujus tolerantiae tantopere commendatae necessarium consectarium! Nullibi consistere possunt, qui semel catholicorum principia deseruerunt, sed ab errore in errorem pelluntur, et nonnisi in pleno indifferentismo conquiescunt.

139. — Inst. III. Quidquid sit de illis consectariis; ex ipsa omnium Christianorum confessione certum est, nihil in evangeliis et scriptis Apostolorum crebrius occurrere, quam charitatis in omnes homines commendationem; atqui doctrina, quae magnam hominum partem a salute excludit, cum hac charitate stare non potest. Ergo etc.

---

posset, quae tamen brevitatis causa praeterimus. Vide FF. *Walenburgicos* de unit. eccl. lib. I. cap. VII. et opus multo recentius: *Discussion amicale,* edition de Londres 1817, tom. I. pag. 46.

Resp. I. Doctrinam, quam nos defendimus, a Christo et Apostolis dimanare, multis certisque argumentis in probatione ostensum est; ergo non potest esse communi illi charitati opposita, quam scripturae tantopere commendant. Et vero, non potest ad charitatis praeceptum pertinere, quod in hominis potestate non est. Quando video, ingentem in mari navigantibus tempestatem imminere; an forsan exigit charitas, ut vim ventorum ego cohibeam, aut motus frangam saevientium aquarum? Aut suadebit amor, ut securos esse jubeam in tanto periculo constitutos, neque ut sibi rebusque suis provideant, admoneam? An non potius, qui ita ageret, ab omni humanitatis sensu longissime abesset? Ergo, nec nobis ita agendum esse putamus. Nos omnes aliarum religionum sectatores salvos fieri vehementer cupimus; hancque eorum salutem quantum in nobis est, promovemus, idque eo ardentius, quo certius nobis persuasum est, eos a salutis via aberrare. Majus hoc est amoris indicium, quam cum inani tolerantiae jactatione omnem alienae salutis curam a se removere, et eo liberalius coelestia largiri, quo avidius temporalia arripiuntur.

140. — Resp. II. Non attendunt adversarii, se, cum nos laesae charitatis accusant, varia tolerantiae genera confundere. Datur enim tolerantia *theologica* aut *religiosa*, datur et *politica* seu *civilis*, quae iterum vel *publica* esse potest vel *privata*. Sola tolerantia civilis ad caritatem pertinet et pertinere potest, et quidem, quod nos attinet, privata. Consistit autem in vitae hujus societate et communibus officiis, idque efficit, ut omnes in civitate concorditer vivant, et mutuis sese auxiliis adjuvent. Haec lex caritatis est, quam Christus et Apostoli docuerunt, quam nos ab infantia ab ecclesia didicimus, quae schola Christi est et verae religionis magistra. Cum hac tolerantia confundenda non est ea, quae theologica dicitur aut religiosa et quae, cum de vera Christi religione agitur, sine repugnantia cogitari non potest. Error errorem patitur, tenebrae cum tenebris sociari possunt; at quae societas luci ad tenebras? Quidquid agas, quidquid velis, manet immota omnisque erroris intolerans veritas [1]).

141. — Inst. IV. Ergo in Deum ipsum refunditur tam immitis, tam invisa humano generi doctrina! Non possunt quidem homines, quae a Deo constituta sunt, mutare, et stulte negatur, quod negando tolli non potest: hoc verum; sed quis Deum cogitare poterit tam durum et crudelem, ut longe majorem hominum partem ad aeterna supplicia crearet? Id autem admittere necesse est, si omnes eos, qui extra veram Christi ecclesiam versantur, aeternis ignibus excruciandos dicimus.

Resp. I. Si ita argumentari licet, nihil in religione sacrum erit, atque ipsa divinae providentiae fides brevi ex hoc orbe exulabit. Ergo Deum crudelem nobis exhibet Apostolus, cum ad Co-

1) „Une religion tolérante n'est pas un culte, c'est la destruction de tous les cultes. Un des plus grands hommes qu'ait eu le Calvinisme en France (Mr. *Papin*) et qui avait été élevé dans le tolérantisme, trouva dans l'examen de ce système les premiers motifs de son retour à l'église et de sa conversion. Il comprit et démontra ensuite dans un excellent ouvrage (Examen de la tolérance), que la première consequence de cet affreux système était le renversement entier et l'anéantissement de la religion." *Catéchis. philos.* — En quo tandem perveniunt catholicae unitatis desertores! Omnes quidem ab initio veritatem sibi *exclusive* vindicant, verum cum ex omni parte premi se videant catholicorum argumentis, neque exire ex dubiis, neque consulere rebus suis possint, tandem in indifferentismo salutem quaerunt. Illud jam suo tempore *Baylius* (quis crédat!) Juriaeo objecit scripto contra ipsum libro, cui titulus est: *Janua coeli reserata cunctis religionibus a celebri admodum viro D. Petro Jurieu.* Cum hac inscriptione:

Porta patens esto, nulli claudatur honesto.

rinthios scribit[1]: *Nolite errare; neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri etc. regnum Dei possidebunt.* Et alibi[2] de iis loquens, qui noverunt Deum et non obediunt evangelio: *Poenas dabunt in interitu aeternas.* Nostrum non est a Deo rationem poscere eorum, quae ab ipso constituta sunt; sed quae manifestare nobis voluit, humili mente suscipere, memores illius sententiae[3]: *Altiora te ne quaesieris . . . et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus.* Certum enim nobis est, *quod rectus sit Dominus, et non sit iniquitas in eo*[4]. Scimus, neminem nisi sua voluntate malum esse posse; neminem ab eo immerentem puniri.

142.—Resp. II. Multa in allato argumento falsa continentur et a nostra sententia prorsus aliena. Nemo a Deo ad aeterna supplicia creatur. Hanc sententiam, quam protestantium antesignani olim docuerunt, semper exhorruit ecclesia catholica. Deus omnium hominum Pater est, *qui omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire*[5]. Falsum quoque est, a nobis asseri, omnes eos, qui extra veram ecclesiam versantur, aeternis ignibus excruciandos esse. Hoc tantum contendimus, neminem, qui non fuerit renatus ex aqua et Spiritu sancto, posse intrare in regnum coelorum[6]; neminem etiam baptizatum haereditatem filiorum Dei assequi posse, nisi membrum sit verae ecclesiae, vel actu, vel voluntate, aut sincera animi dispositione. Ergo, quod infideles attinet, qui Christum sine culpa ignorant, nemo unquam docuit, eos ideo, quia Christum ignoraverint, sine fine damnandos. Imo et baptismi gratiam in eos redundare posse credimus, cum sincerum cognoscendae divinae voluntatis desiderium locum tenere possit actualis baptismi. Jam si illos, qui Christiani vocantur, sed extra veram Christi ecclesiam sunt, a salute excludimus; utique eos intelligimus, qui cum veram ecclesiam cognoscunt, aut certe facultatem habent eam cognoscendi, contemnunt tamen, negliguntve ad eam accedere, cum possint. *Non tibi deputatur ad culpam*, ait S. Augustinus[1], *quod invitus ignoras, sed quod negligis quaerere, quod ignoras. Non enim quod naturaliter nescit, et quod naturaliter non potest, hoc animae deputatur in reatum, sed quod scire non studuit.* Hinc catholici theologi differentiam maximam ponunt inter *formales*, uti dicunt, et *materiales* haereticos. Nam, ut cum eodem S. Augustino loquamur[2]: *Qui sententiam suam quamvis falsam, quamvis perversam nulla pertinaci animositate defendunt, praesertim quam non audacia suae praesumtionis pepererunt, sed a seductis atque in errorem lapsis parentibus acceperunt, quaerunt autem cauta sollicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter haereticos deputandi.* Legem quidem habemus ingrediendi veram ecclesiam, omnibus datam, neque illam aut abrogare aut restringere cuiquam fas est; verum in hac materia, sicut in aliis quibuscunque praeceptis, applicari debent regulae imputationis. Neque enim poena locum habet, ubi nulla culpa subest; et pro ratione culpae poena aut levior aut gravior decernitur. Libenter ergo concedimus, multos extra veram ecclesiam versari, quibus haec legis divinae transgressio propter ignorantiam et bonam fidem non deputatur ad culpam. Verum eos, qui veritatem a se repellunt, qui dura cervice et incircumcisis cordibus et auribus Spiritui sancto resistunt[3]; qui impuris desideriis serviunt, et ex hac vita ex-

1) I *Cor.* VI, 9. 10. 2) II *Thessal.* I, 9. 3) *Eccles.* III, 22. 4) *Psal.* XCI, 16. 5) I *Timoth.* II, 4. 6) *Joan.* III, 5.

1) De libero arbit. cap. XXII. 2) *Aug.* Epist. 43. alias 162. 3) Act. Apost. VII, 51.

cedunt tanquam Dei et gratiae ejus contemptores; hos profecto a regno Dei excludendos et partem habituros cum hypocritis, negare nemo poterit, nisi omnem religionem omnemque Dei metum excusserit.

143. — Haec nostra explicandi ratio, quae rem simpliciter sub *peccati* et *transgressionis* conceptu considerat, valde perspicua nobis videtur et accurata. Cum ea omnino concordat haec auctoris recentioris explanatio: „L'héresie est un crime sant doute, qui exclut du ciel; mais pour qu'un individu soit héretique, il faut que l'erreur de la société, au sein de laquelle il a été élevé, devienne un crime propre de sa volonté. Il faut, que cette révolte contre l'autorité soit faite avec un consentement libre, entier et accompagné d'une connaissance suffisante, pour produire un peché mortel etc.“ Memorial cathol. 1825. Instit. v. 38.[1]).

Nota. Plura adhuc sunt, quae ab adversariis objiciuntur, cum ecclesiam catholicam intolerantiae accusant: verum ad ea alio loco respondebimus. Nondum enim de hac vel illa ecclesia loquimur; sed in genere de Christi ecclesia qualis sit, quaerimus.

Contra tertiam propositionem.

144. — Objiciunt I. Scriptura multis in locis videtur significare, ecclesiam totam esse spiritualem et omnino invisibilem. Ergo etc.

Prob. Luc. XVI, 21, Christus interrogatus a Pharisaeis, quando veniret regnum Dei, respondit: *Non venit regnum Dei cum observatione; neque dicent: ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos est.* Joan. IV, 28.: *Venit hora et nunc est, quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu et veritate.* I Petr. II, 5.: *Ipsi tanquam lapides vivi superaedificamini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerentes spirituales hostias Deo.* Ergo etc.

Resp. ad I. Non agitur ibi de ecclesia; sed vel de regno Christi spirituali, quod per gratiam stabilitur in cordibus nostris; vel de Christi adventu in hunc mundum. Cum enim Judaei, qui temporale aliquod Messiae regnum exspectabant, a Christo quaererent, quandonam ergo sessurus esset in solio David et imperaturus omnibus populis, respondit Jesus: Regnum Dei jam adest. In medio vestri sum, et regnum meum mecum est: quotquot enim recipiunt me, dabo eis potestatem filios Dei fieri.

Ad II. Christus per illa verba et cultus Mosaici abolitionem docet et novi cultus excellentiam, qui totus in id tendit, ut virtute corroboremur per spiritum in interiorem hominem. *Ephes.* III. Adoratio in spiritu et veritate externum Dei cultum non excludit, neque ecclesiam reddit invisibilem; alias sequeretur, destruenda esse templa et removendos ritus omnes et caeremonias.

Ad III. Ecclesia a S. Petro vocatur domus spiritualis, non quia occulta est et invisibilis, sed ad differentiam domus materialis.

145. — Obj. II. Ecclesia consistit in vera fide et caritate; atqui haec sunt invisibilia. Ergo etc.

Resp. Equidem vera fides et sincera caritas efficiunt quasi animam

1) In epistola I. ad *Loefflerum* jam citata *Leibnitius* ad amicum suum scribit: „Vellem tua opera testimonia pontificiorum scriptorum habere, et quidem quod auctores graves et probati apud ipsos doceant; quod ex pontificiorum sententia haeretici materiales, qui scilicet contumaces non sunt, non damnentur etc.“ Cf. *Hooke* Tom. II. in prooemio; ubi facultatis Parisiensis sententiam affert. *Sulzers* Wahrheit in Liebe eilfter Brief. Déisme réfuté par lui-même. Tom. I. lettre V. *Schwarz* Handbuch S. 185. etc.

ecclesiae, sed ecclesiam totam non constituunt. Ut ecclesia recte dicatur visibilis, sufficit, ut quoad unam ex suis partibus essentialibus visibilis sit. Sic homo ex natura sua recte dicitur visibilis; quamvis pars ejus praecipua, nempe anima, videri non possit.

146. — Inst. I. Quod creditur non videtur, atqui ecclesia creditur; nam in symbolo dicimis: *Credo in sanctam ecclesiam.* Ergo etc.

Resp. dist. maj. Quod creditur non videtur sub eodem respectu, *conc.* Sub diverso respectu, *neg.* Quod relate ad ecclesiam creditur, non videtur: et quod videtur, non creditur. Hoc autem in omnibus illis rebus occurrit, in quibus est aliquid apertum, quod oculis subjicitur, et aliquid occultum, quod fide apprehenditur. Sic baptisma videtur quatenus est ablutio; quatenus autem est sacramentum, gratiam conferens, creditur. Apostoli videbant humanitatem Christi, divinitatem, quam non videbant, adorabant.

147. — Inst. II. Ecclesia potest in quibusdam tantum occultis fidelibus consistere. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Cum omnes ad ecclesiam Christi vocati sint, necesse est, ut omnes ad illius cognitionem venire possint. At ecclesia illa, quam minister Calvinista Claudius, non ex evangelio, sed ex suo cerebro finxit, non tantum ignota esset extraneis, sed et sibi ipsi; illi enim fideles occulti ne sibi quidem invicem cogniti essent. Et quo tandem argumento protestantes probare possunt, semper aliquos veros fideles in ecclesia Romana latuisse? Si fideles illi occulti, eo ipso tempore, quo vivebant, ita latere potuerunt, ut nequidem coaevis suis diverse ab aliis sentire viderentur; unde illud nunc sciunt protestantes?

ARTICULUS III.

De potestate ecclesiae.

OBSERVANDA.

148. — I. Jam vidimus, ecclesiam non alio fine a Christo fuisse institutam, quam ut salus aeterna per religionem ab ipso revelatam obtineretur (propos. II. art. I.). Ergo necesse erat, ut Christus Dominus, qui omnes homines vult ad agnitionem veritatis, et per veritatem ad salutem pervenire, ecclesiam suam ita instituere, ut idoneum esset hujus finis obtinendi medium. Debuit igitur 1^0 per ecclesiam doctrinae a se traditae conservationi et propagationi prospicere. Debuit 2^0 providere, ut ea, quae ad cultum externum pertinent, divina instituta servarentur, et ad suum proprium finem dirigerentur. Debuit 3^0 ecclesiae ipsius conservationi consulere, ne deficiente medio finis obtineri non possit.

149. — II. Quod primum attinet, manifestum est, nec conservari posse sanam doctrinam, neque diffundi in alios, nisi per instructionem; nihil enim ad moralem hominum perfectionem perficiet religio utut sancta et divina, nisi homines quae sibi credenda sunt et quae agenda cognoscant, atque ad amplectenda ea quae cognoverint excitentur. *Quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo autem audient sine praedicante? Fides ex auditu, auditus autem per verba Christi...* ad Rom. X. Verum et hoc cavendum erat, ne instructio, si cujuslibet arbitrio permitteretur, non tam veritatis propagatio esset, quam falsitatis et errorum disseminatio.

Ut ergo Christus ecclesiae suae in hac parte non deesset, magisterium in ea instituit, seu cathedram publicam, facta divisione inter eos, qui in audientium et discentium numero computarentur. „Jam sub hoc aspectu, ut optime observat clarissimus D. *Zimmer* [1]), ecclesia Jesu Christi ut opus

1) Theol. special. Tom. III. pag. 31.

divinum se commendat. Nemo enim praeter Jesum, neque ante, neque post illum aliquid simile aut coepit, aut perfecit: nemo publicum munus docendi in universo terrarum orbe instituit, quod ad omnes homines, ne infima quidem classe eorum excepta, quinimo ad hanc maxime pertineret."

150. — III. Verum haec quantumvis praeclarissima institutio non sufficeret in praesenti hominum statu, nisi per cultum publicum fideles in unum coadunati in fide permanerent unanimes, et majora semper caperent incrementa virtutum. Hunc finem ut assequeretur Christus, ecclesiae suae publici cultus administrationem et mysteriorum dispensationem commisit; neque omnibus indiscriminatim, ne divina instituta in tanta confusione interirent; sed quibusdam tantum, quos ministros suos et sacrorum antistites esse voluit, quod utique divinae ejus sapientiae dignissimum erat.

151. — IV. Notum praeterea est, nullam societatem bene ordinatam sine publica aliqua politia consistere posse. Nam homines semper oppositis studiis in diversa aguntur, et non raro oriuntur scandala et abusus varii, qui finis prosecutionem impediunt; quo fit, ut societas etiam exigua, quae comprimendi abusus, et membra sua in officio continendi media non haberet, brevi dilaberetur, aut praeter nomen inane nihil retineret. Ut huic malo occurreret Christus, neque dilabi sineret ecclesiam suam; illud quoque sapientissime instituit, ut se ipsam regere posset, neque media ipsi deessent, coërcendi discolos et membrorum actiones ad communem finem dirigendi.

152. — V. Ex iis, quae modo diximus, manifestum est, totum ecclesiae conceptum his tribus contineri: *Doctrina, Cultu, Societate.* Doctrinam ecclesia conservat per magisterium; cultum per ministerium; societatem vel seipsam per regimen vel imperium sacrum. Exinde triplex oritur ecclesiae potestas, quam illa a divino fundatore accepit; scilicet *potestas magisterii*, *potestas ministerii*, *potestas imperii;* seu potestas docendi, cultum externum administrandi, et regendi vel dirigendi cum auctoritate fidelium actiones ad finem communem. Quoniam autem Christus ecclesiam suam indefectibilem instituit, ita ut neque interire possit visibilis illa societas, quae ab ipso nomen et originem habet, neque a verae fidei professione deflectere, necessario sequitur 1^0 nunquam deficere posse potestatem illam triplicem a Christo ecclesiae concessam; 2^0 Cathedram a Christo institutam seu magisterium publicum aberrare non posse ab ea, quae a Christo tradita est, doctrina. Hoc nunc paulo fusius explicabimus et quidem §. primo de triplicis potestatis concessione agemus, §. secundo de ejusdem potestatis perpetua duratione et ecclesiae docentis sive magisteri infallibilitate.

153. — VI. Protestantes etiam corpus aliquod pastorum habent ad annuntiandum evangelium et administranda sacramenta; habent etiam seniores suos et doctores, quibus officium committunt legibus regendi disciplinam. Verum in eorum sententia nulla est ex Christi ordinatione inter clerum et plebem distinctio; imo omnem potestatem et jurisdictionem ecclesiasticam radicaliter in populo esse contendunt, eos, quae illam exercent, de consensu tantum et nomine populi agere, et si munere suo exuuntur, nulla ratione a reliqua plebe distingui. Quakeri et aliae quaedam fanaticorum sectae nullum omnino ordinum aut ministrationum discrimen admittunt; sed cuique fideli, sive mas sit, sive foemina, si spiritu interiori movetur, fas esse dicunt, verbi ministerio fungi.

§. I.

De potestate a Christo ecclesiae concessa.

PROPOSITIO I.

Christus in ecclesia sua instituit cathedram, seu magisterium authenticum.

154. — Prob. Christus antequam ad Patrem ascenderet, ministerium verbi aut magisterium publicum Apostolis suis commisit, praecipiens eis Marc XVI.; *Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae.* Matth. XXVIII.: *Euntes docete omnes gentes.* Apostolos post effusionem Spiritus S. hoc munere constanter functos fuisse, res est nimis aperta, quam ut probatione indigeat. Quod autem authenticum fuerit illud ministerium verbi, cui se totos impendebant, ex eo constat, quod a Christo fuerit institutum, et Apostoli, cum evangelium praedicarunt, se tanquam Christi legatos gesserint, neque aliter, quam in nomine Jesu et auctoritate ab ipso accepta locuti sint. Cum princeps sacerdotum Apostolis in concilio seniorum dixisset (Actor. V, 27.): *Praecipiendo praecepimus vobis, ne doceretis in nomine isto; et ecce replestis Jerusalem doctrina vestra;* Petrus et Apostoli responderunt: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus.* Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Christus in ecclesia sua instituit ministerium authenticum seu potestatem administrandi cultum publicum.

155. — Prob. Matth. XXVIII. mittuntur Apostoli non docere tantum, sed etiam baptizare: *Docete omnes gentes, baptizantes eos.* Luc. XXII. cum Christus in ultima coena corpus suum dedisset Apostolis, addidit v. 19.: *Hoc facite in meam commemorationem.* Joan. XX, 23. potestatem eis concessit remittendi peccata: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis etc.* Apostolos injunctum sibi munus magna cum sollicitudine peregisse omnis testatur historia, neque protestantes inficiantur. Nam conventus frequentissime agebant per domos, in quibus non tantum fideles instruebant, sed et sacra perficiebant, sicut a Domino acceperant. Paulus I Cor. IV. se aliosque Apostolos vocat *ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei.* Quod autem authenticum fuerit hoc ministerium et legale, eo ipso certum est, quod a Christo fuerit institutum, quod Christi nomine illud exercuerint Apostoli, et suam missionem miraculis comprobaverint. *Pro Christo legatione fungimur,* ait Apostolus II. ad Cor. V, 20. et 18.: *Omnia ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, et dedit nobis ministerium reconciliationis.*

PROPOSITIO III.

Christus in ecclesia sua instituit imperium seu potestatem legislativam, judiciariam et coactivam.

156. — Prob. I. arg. generali. Christus ecclesiam audire jussit Matth. XVIII. voluitque ut ii, qui obedientiam recusarent, tanquam ethnici haberentur et publicani. Ecclesiae potestatem dedit ligandi et solvendi, primum quidem Matth. XVI. cum Petro dixit v. 19.: *Tibi dabo claves regni coelorum et quodcunque ligaveris super terram etc.* Tum et Matth. XVIII. ubi omnes Apostolos alloquitur v. 28.: *Quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo etc.* Joan. XXI. iterum Petro dictum est: *Pasce oves meas.* Et postmodum ab ipso Petro ad praepositos ecclesiae I Pet. V, 2.: *Pascite qui in vobis est, gregem Dei.* Atqui haec omnia juxta modum loquendi scripturis usitatum veram potestatem vel imperium exprimunt. Ergo etc.

Prob. min. Christum Matth. XVIII, 18. de vera et proprie dicta potestate loqui, tum ex contextu patet, tum ex sensu, quem ipsa haec verba *solvere* et *alligare* exprimunt, quae, uti doctissimus D. *Calmet* observat, ad consuetudinem Judaeorum alludunt, qui domos

suas non seras obducendo, sed implicando claudebant, et solvendo aperiebant. Id clarius efficitur ex Matth. XVI. ubi potestas ligandi et solvendi cum potestate clavium conjungitur. Constat autem in scripturis claves veram et proprie dictam potestatem significare. Cf. Is. XXII, 22. Apocal. III, 7. Quod vocem *pascere* attinet, eam verum exprimere imperium, atque idem significare quam *regere*, ex multis V. T. locis probari potest. Vide Ezechielis totum cap. XXXIV.: *Suscitabo super eas pastorem unum, qui pascat eas, servum meum David, et servus meus David princeps in medio eorum.* Is. XLIV, 28.: *Qui dico Cyro: Pastor meus es etc.* Cf. D. *Wiest* Opere maj. schol. in §. 245. et schol. II. in §. 250.

157. — Prob. II. per partes. 1⁰ Potestas ligandi, pascendi seu regendi necessario includit potestatem, bonum societatis idoneis legibus promovendi. Hanc porro potestatem semper in ecclesia exercitam fuisse probatur ex Act. XV. ubi Apostoli leges statuendo haec verba praemittunt: *visum est Spiritui sancto et nobis.* Ibid. v. 41. Paulus dicitur perambulasse Syriam et Ciliciam: *praecipiens custodire praecepta Apostolorum et Seniorum.* Ipse autem Apostolus ad Thessal. scribit (Ep. I. cap. IV.): *Scitis quae praecepta dederim vobis per Dominum Jesum.* In suis quoque ad Timoth. et Titum epistolis plura praescribit in ecclesiae gubernatione observanda. I Tim. III. et Tit. I.

2⁰ Potestas legislativa judiciariam necessario involvit; nam hac sublata leges vanae sunt et nullae. Hanc potestatem exercuisse Apostolos patet ex concilio Jerosolymitano Actor XV. et ex Apostoli contra incestuosum Corinthium agendi ratione. Sic enim scribit I Cor. V, 3.: *Ego quidem absens corpore, praesens autem spiritu, jam judicavi ut praesens eum, qui sic operatus est.* I Tim. V. modum praescribit hanc potestatem exercendi.

3⁰ Potestas decernendi poenas in illis Christi verbis jam continetur Matth. XVIII.: *Si ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Paulus I Cor. V. incestuosum Corinthium tradit satanae. Ibidem cap. IV. redarguens quosdam ex Corinthiis subjungit: *Quid vultis? in virga veniam ad vos?* II Cor. X, 6. ait, in promptu se habere ulcisci omnem inobedientiam, I Tim. V.: *Peccantes coram omnibus argue, ut et caeteri timorem habeant,* et Tit. II.: *Argue cum omni imperio.*

PROPOSITIO IV.

Christus ipse elegit Apostolos, et illis immediate et solis omnem illam potestatem concessit, quam in ecclesia sua instituit.

158. — Prob. I. pars. *Christus ipse sibi Apostolos elegit*, ut omnis evangelica historia testatur. *Cum dies factus esset, vocavit discipulos suos et elegit duodecim ex ipsis, quos et Apostolos nominavit.* Luc. VI, 13. et Joan. XV, 16. ad eos ait: *Non vos me elegistis, sed ego elegi vos.*

159. — Prob. II. pars. *Quod Christus omnem potestatem docendi, ministrandi et regendi Apostolis dederit,* hoc quidem ex omnibus illis scripturae locis apparet, quae in prioribus propositionibus allata sunt. Ubique, cum de potestatis traditione agitur, Christus Apostolos alloquitur. Ubique, cum de potestatis exercitio agitur, Apostolos videmus, qui omnes ejus partes magna cura complectuntur. Ubique, cum de potestatis communicatione agitur, nonnisi ab Apostolis aliis traditam conspicimus.

160. — Prob. III. pars. Scilicet *potestatem illam Apostolis a Christo immediate traditam fuisse*, neque eam communitati datam aut nomine communitatis fuisse exercitam. Hujus enim institutionis nullum in scripturis occurrit vestigium; contrarium autem ubique apparet. Christus Apostolos immediate alloquitur; ad eos prae-

cepta sua et promissa dirigit. Non ait: Ecclesia mittet vos; sed: *Sicut misit me vivens pater, et ego mitto vos.* Joan. XX. — *Data est mihi omnis potestas; euntes ergo docete etc.* Matth. XXVIII. Apostolus ad Ephes. IV. expresse ait: *ipse dedit quosdam etc.*, et ad Galat. I. se missum ait, *non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum et Deum patrem.* Ergo etc.

161. — Prob. IV. pars. *Solis Apostolis haec potestas data est.* Quamvis enim Christus sibi discipulos elegerit eosque miserit binos ante faciem suam *Luc.* X, 1., tamen cum de ecclesiae novae constitutione agitur, nullibi ad hos discipulos sermo Domini dirigitur; neque post adventum Spiritus sancti aliquam in ministerio sacro partem habuisse videntur. Cum Apostolis necessarium videbatur sibi ministros eligere, in quos aliquam curae pastoralis partem transferrent; electi sunt septem diaconi, et per impositionem manuum Apostolorum ad ecclesiae ministerium ordinati. Ergo etc.

162. — Corollarium I. *Universa fidelium ecclesia divina Christi ordinatione distribuitur in clerum et populum; in ecclesiam docentem et discentem.*

Prob. Sub communi *cleri* nomine omnes illi intelliguntur, qui a reliquis fidelibus separati sunt ad ministerium, et officia ecclesiastica obeunda, et ideo distinctum in ecclesia ordinem efficiunt. Reliqui *laicorum* nomine veniunt, aut simpliciter *fideles, populus Christianus* appellantur. Quod ex Christi institutione profluxerit distinctio haec, ex propositionibus certum est. Probavimus enim Christum omnem spiritualem potestatem in ecclesia instituisse, eamque non communitati commisisse, sed discipulis, quos ipse elegit, ut ejus nomine et auctoritate omnes partes explerent sacri ministerii. *Ego elegi vos, et posui vos.* Joan. XV, 16. *Sic nos existimet homo ut ministros Christi.* I Cor. IV.

Eadem haec argumenta probant, a Christo ipso factam esse divisionem in ecclesiam *docentem* et *discentem.* Ecclesia *docens*, quamvis strictiore significatu magisterium tantum exprimere videatur; communiter tamen idem fere est cum clero, et omnes sacrae potestatis partes complectitur; quia iidem sunt, quibus et docendi, et ministrandi, et regendi munus commissum est. Quocunque autem sensu accipiatur, ex probatis manifestum est, eam a Christo ipso ortum habere. *Ipse dedit quosdam Apostolos, alios vero Evangelistas, alios autem Pastores et Doctores, in aedificationem corporis Christi.* Ephes. IV.

163. — Corollarium II. *Ecclesia discens ecclesiae docenti divina ordinatione subjecta est, eamque audire tenetur.*

Prob. I. Ex eo, quod ipse Dominus dederit quosdam pastores et doctores, sequitur, partes fidelium esse, ut audiant et obediant; qui enim vult primum, necessario vult secundum.

Prob. II. *Expressis scripturae testimoniis.* Matth. XVIII.: *Qui ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus.* Ibid. cap. XXIII. Christus Judaeis hoc praeceptum inculcat: *Super cathedram Moysis sederunt scribae et Pharisaei: omnia ergo quaecunque dixerint vobis, facite.* Si obsequium debebatur scribis in cathedra Moysis sedentibus, quanto magis pastoribus a Christo ipso institutis? Quis porro credat Apostolos, cum fidelibus, quae credenda et agenda essent, cum tanta auctoritate proposuerunt, obedientiam non exegisse, aut eam exigendi jus non habuisse? Apostolus *Act.* XV, 41. dicitur perambulasse cum Sila *Syriam et Ciliciam confirmans ecclesias, et praecipiens custodire praecepta Apostolorum et Seniorum.*

ARGUMENTA ADVERSARIORUM
contra tertiam propositionem.

164. — Argum. I. Omne imperium involvit coactionem: atqui religio coactionem non patitur. Ergo nec imperium.

Minor ex ipsa verae religionis natura probatur; nam religio gratiae opus est, et sine libera et interna mentis subjectione cogitari non potest.

Resp. dist. min. Religio coactionem non patitur, si consideretur tanquam bonum privatum cujuslibet hominis singillatim sumpti, *conc.* Si consideretur ut commune bonum societatis Christianae, *neg.* Religio hominem ad salutem perducere non potest, nisi per liberam et internam voluntatis subjectionem; verum haec subjectio in homine a multis rebus externis dependet, quibus religio vera conservari et homines ad eam amplectandam excitari debent; quod sine societate cogitari non potest, in qua membra vinculis externis colligata ad communem finem diriguntur. Haec societas imperium exercere potest, tam in actiones externas, quae directe ejus judicio subjacere possunt; quam in internas, quae in societate, quae ex natura sua religiosa est, intimam habent cum externis actibus connexionem. Discrimen ergo ponendum inter religionem in se ipsa spectatam et ecclesiam. Haec religionis causa instituta est, et cum sit societas, omnia ea habere debet, quae societati cuilibet necessaria esse dignoscuntur. Ergo et religionem conservare debet et se ipsam. Neque religioni providere poterit, si non habeat, quo se ipsam sustineat et tueatur; neque se ipsam tueri sine legibus et politia externa.

165. — Inst. Omnes hodie in hoc consentiunt, quod religio argumentis propagari debeat, non armis; quia arma ad persuadendum non valent. Ergo etc.

Resp. Ecclesia neminem vi et armis ad amplectendam religionem compellit, neque hic est potestatis ecclesiasticae finis: in eos, qui membra societatis sunt, potestatem exercet ecclesia, non in eos, qui foris sunt. Id autem in omni republica bene constituta necessarium est, ut possit legibus dirigere subditos, ad obsequium cogere eos, qui bonum communitatis impediunt, et contumaces expellere.

166. — Argum. II. Christus exemplo suo et doctrina omne imperium ab ecclesia exclusit, nihil ipse per vim agere voluit, sed persuasione et charitate; idque Apostolis pluries commendavit: *Principes gentium dominantur eorum;* ait Luc. XXII., *vos autem non sic; qui major est in vobis, fiat sicut minor.* Et Matth. XX.: *Filius hominis non venit ministrari sed ministrare.* Idem inculcat S. Petrus epist. I. cap. V. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Christus, qui non venit ministrari, sed ministrare, nihilominus Matth. XXVIII. ait: *Data est mihi omnis potestas in coelo et in terra.* Et cum Joan. XIII. praeclarum humilitatis exemplum Apostolis dedisset, ait v. 13.: *Vos vocatis me magister et domine: et bene dicitis, sum etenim.* In illa autem exhortatione ad Apostolos non ait: nemo sit inter vos major; sed, qui major est, fiat sicut minor. Ergo textus illi, quos adversarii objiciunt, imperium sacrum non excludunt, sed modum praescribunt, quo illud in ecclesia exerceri debeat. Scilicet ecclesiae rectores, qui pro Christo legatione funguntur, pascere debent gregem Dei, *non coacte, sed spontanee secundum Deum; neque turpis lucri gratia, sed voluntarie; neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo,* memores illius humilitatis, mansuetudinis et dilectionis, quam princeps pastorum Christus, et ejus Apostoli verbis et exemplo docuerunt. Potestas ecclesiae ad aedificationem data est, non ad destructionem. Hinc non cessat saluti consulere filiorum suorum etiam tunc, cum poe-

nas decernit; ad id enim omnes poenae ecclesiasticae tendunt, ut Christianos vel a malo deterreant, vel ad officium revocent, vel communitatem a scandalo et contagione liberent.

167. — Inst. I. Systema protestantium, quo omne inter clericos et laicos discrimen tollitur, et perfecta inter omnia ecclesiae membra aequalitas stabilitur, magis convenit religionis Christianae fini, qui totus supernaturalis est atque omnibus communis.

Resp. Cum de institutione positiva agitur, non attenditur ad ejusmodi rationes convenientiae, quas sibi quilibet ex cerebro suo effingere potest. Cuilibet id videtur convenientissimum, quod illius systemati accommodatum est. Et nobis, si vellemus ejusmodi rationibus pugnare, difficile non esset probare, imperium, quale illud institutum esse diximus, ita esse ecclesiae necessarium, ut absque illo tam immensa societas nec sibi cohaerere, nec durare posset.

168. — Inst. II. Nemo nescit 1^0 ambitionem et rerum habendarum cupidinem civitatibus et imperiis ortum dedisse. 2^0 Finem regnorum alium non esse, quam securitatem publicam, 3^0 Media ad finem consequendum esse administrationem politicam, vim armorum, auri argentique copiam etc. Atqui haec omnia Christi doctrinae e diametro opponuntur. Ergo etc.

Resp. neg. maj. Falsos omnino reipublicae conceptus nobis obtrudunt protestantes. Quae de ortu, fine, mediis statuum dicunt, ex parte quidem vera sunt, si ad statum tantum civilem attendimus. Verum in ipso conceptu status haec omnia non continentur. Ergo potest existere societas, quae illum non habeat ortum, quem status politici plerumque habent; quae finem communem habeat a statu civili distinctum, ideoque et media omnino alia ad finem consequendum. Talis societas est ecclesia, in genere suo completa et perfecta, et in se omnia complectens, quae ad finis prosecutionem et societatis conservationem necessaria sunt.

169. — Argum. III. Ex eo, quod Christus claves dederit Petro et Apostolis; vel quod jam Apostolorum tempore quidam fidelium communione privati fuerint, seu, uti vulgo dicitur, *excommunicati*, non sequitur, ecclesiam potestatem accepisse proprie dictam ferendi leges et decernendi poenas. Ergo etc.

Prob. Potestas clavium nihil aliud est, quam actus, quo minister declarat peccata esse remissa. Excommunicatio autem est exclusio mere negativa ex communione fidelium, quando scilicet fideles, forsan pastoris sui adhortatione excitati, ab alicujus hominis consortio se separant, quemadmodum evitare solemus homines male in republica notatos vel lue contagiosa infectos. Ergo nec potestas clavium, nec excommunicatio potestatem imperii involvunt.

Resp. neg. maj. argum. Declarare peccata esse remissa, non est peccata remittere, solvere aut ligare. Qualis quaeso haec esset potestas clavium, si illi, quibus claves traduntur, nunquam aperire possent januam, aut claudere, sed tantum declarare, eam clausam esse vel apertam? Item aliud est privata auctoritate hominis alicujus male notati societatem fugere, aliud auctoritate publica aliquem e societate excludere, et omnibus societatis juribus privare. Hoc ultimum actum esse jurisdictionis et summae potestatis, quis negabit?

§. II.

De potestatis ecclesiasticae perpetua duratione et ecclesiae docentis infallibilitate.

OBSERVANDA.

170. — I. Non defuerunt inter protestantes, qui claris et apertis scripturae testimoniis convicti, negare ausi non sunt, illam, quam diximus potestatem, a Christo fuisse Apostolis col-

latam: sed dicunt, eam ad Apostolorum tempora fuisse restrictam; neque post eos in ecclesia perdurasse. Ex quo sequeretur, ecclesiam, quae primum ob extraordinarias circumstantias *societas inaequalis* fuerat, postmodum mutatam fuisse in *collegium aequale*. Mirum est, viros rerum theologicarum et juris canonici scientia insignes ita potuisse a primis juris naturalis et rationis philosophicae principiis aberrare. Verum contingit illud etiam doctissimis, cum malam causam defendendam suscipiunt. Scilicet etiam parum attendentibus clarum est, quod omnis positiva societas suam naturam et formam ab auctore suo habeat, neque exuere hanc naturam possit, vel primam hanc formam immutare, quin eadem esse desinat. Posito autem hoc generali principio rectissime concluditur, ecclesiam Christi, si ex inaequali facta est collegium aequale, naturam exuisse quam habuit, neque eandem amplius fuisse positivam institutionem, quae Apostolorum tempore extitit, ideoque ecclesiam a Christo institutam post Apostolorum tempora mutatam fuisse in aliam. Aut an Christus duas statim ecclesiae suae constitutiones edidit, unam Apostolorum tempore, aliam postea valituram? Sed nihil est nec in scripturis, nec in antiquissimis ecclesiae documentis, quo ejusmodi commentum fulciatur. Contrarium probabimus propos. I. hujus paragraphi.

171. — II. Inerrantiam ecclesiae Christianae necessarium attributum esse, jam supra probavimus (art. II. §. II.). Verum hanc singularem et excellentissimam ecclesiae praerogativam ibi paucis tantum lineis exprimere potuimus, nondum facta inter ecclesiam docentem et discentem distinctione. Nunc accuratius hanc inerrantiam definire necesse est; et modum docere, quo Christus voluit ecclesiam suam ab omni errore tutari; hic autem alius ex Christi institutione esse non potest, quam infallibilitas magisterii aut ecclesiae docentis.

Hanc quaestionem necesse est cum omni mentis attentione et sincero veritatis studio examinare; nam adversarios habemus protestantes omnes, qui non tantum ecclesiae infallibilitatem impugnare pergunt; sed etiam a majorum suorum fide ipsi recedunt, librorum symbolicorum auctoritatem respuunt, nullam praeter rationem fidei regulam admittentes. Fuerunt etiam inter catholicos quidam viri proditores et protervi, corrupti mente et reprobi circa fidem[1]), qui, ut homines viderentur acutioris et liberioris ingenii, et haereticorum laudes emendicarent, doctrinam infallibilitatis, quae totius revelatae religionis palladium est, multis modis convellere ausi sunt, maximam in eo operam collocantes, ut argumentorum, quibus catholici utuntur, vim infringerent, et locis claris et apertis nova et tortuosa interpretatione, ad fucum tantum et fallacias composita tenebras offunderent.

172. — III. Est in rectoribus ecclesiae, etiam non spectato infallibilitatis dono, auctoritas humana, quae per se ipsam tanta est, ut ipsa naturalis ratio summam ei reverentiam haberi jubeat. Oritur enim auctoritas illa ex consentiente doctrina omnium locorum et temporum; neque vulgi opinionibus innititur, sed toti pastorum et doctorum coetui, in quo notum est, quam plurimos quovis tempore fuisse viros doctissimos, sanctitate et scientia illustres. Ergo catholici, etiamsi ad infallibilitatis praerogativam non attenderetur, in sola hac humana ecclesiae suae auctoritate fundamentum jam haberent suae fidei multo certius firmiusque, quam protestantes. Nam cum pars protestantium multo maxima tam parum fidem suam ex sacris libris eruere possit, quam catholici (nemo enim hodie ita desipere posset, ut con-

1) II *Timoth.* III, 2—9.

tarium assereret); merito quaeritur: quid ergo habeant protestantes, quod eos securos reddere possit? Quis magis ad sanae rationis principia fidem suam instituit, num ille, qui obvio cuique se credere cogitur, et doctrinam arripit quasi casu sibi et fortuito oblatam, cui nec antiquitas, nec communis consensus potest reverentiam conciliare? an catholicus, qui nullius privati doctoris opinioni se tradit, sed totius ecclesiae suae et omnium saeculorum fidei?

Verum, ut apertius fiat, quam consentanee agant catholici ad stricta rationis postulata, addimus, hanc humanam auctoritatem, quamvis tanta sit, ut major haberi non possit; nobis tamen ad fidem nullatenus sufficere, hac sola ratione, quod humana sit, et ideo fallibilis. Nunquam ecclesiae docentis auctoritas sat firmum fundamentum esse posset fidei nostrae, nisi persuasum haberemus, Christum illam ita spiritu suo regere, ut aberrare non possit ab ea, quam divinitus accepit, doctrina. Igitur praeter humanam *divinam* quoque ecclesiae docenti auctoritatem attribuimus, juxta illud: *Qui vos audit, me audit.* Divinam dicimus non *immediatam*, cum Deus ipse non loquatur nobis, sed *mediatam*, quia ecclesia docens Dei nomine et auctoritate quae credenda sunt proponit, et, ut legitimum esse possit veritatis organum, speciali Spiritus sancti influxu dirigitur.

Nota. Haec quaestio intime connexa est cum illa de judice controversiarum, quam parte II. hujus Demonstrationis tractabimus. Interim tamen cum ea confundi non debet. Nunc in genere tantum agimus de infallibilitate, quam Christus ecclesiae suae inesse voluit, illamque ab ipso ecclesiae fundatore collegio doctorum, aut magisterio publico affixam fuisse ostendimus. His autem principiis stabilitis vindicatisque, nullius fere operae erit, ea, cum opus fuerit, ad auctoritatem ecclesiae in decidendis fidei controversiis applicare.

PROPOSITIO I.

Triplex potestas Apostolis concessa ex Christi institutione est perpetua.

173. — Prob. I. Christus Apostolis perpetuam promisit assistentiam, atque eo ipso loco (Matth. XXVIII.), ubi eos misit docere et baptizare, statim addidit: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Joan. XIV. Paraclitum promisit, qui cum eis maneat *in aeternum.* — Ex his ita concludimus: In Apostolis spectari potest vel persona, vel dignitas; jam vero apertum est, verba illa personam Apostolorum non spectare, quia hi usque ad consummationem saeculi permanere non poterant: ergo dignitatem respiciunt, seu munus quo fungebantur, et quod interire nunquam debuit.

174. — Prob. II. Ratio, cur triplex illa potestas Apostolis concessa fuit, semper perseverat. Ergo et potestas illa perseverare debet.

Prob. Christus potestatem ecclesiae contulit 1° propter religionem, quae tum revelatam ab eo doctrinam, tum cultum ab eo institutum complectitur; 2° propter ipsam ecclesiam, cui religionis cura et custodia commissa est. Atqui religio debet esse ex Christi institutione perpetua (ex prolus. §. I. prop. III.), et ecclesia, quae propter religionem instituta est, deficere non potest (art. II. §. II. prop. I.). Ergo et illam potestatem perpetuam esse oportet, quae propter religionem et ecclesiam data est. Et vero, doctrina religionis absque instructione et magisterio authentico conservari et propagari non potest; ergo ne in ecclesia fides deficiat, semper adesse debent, quibus jus et officium sit docendi. Cultus administratio ex Christi institutione ministerio publico commissa est; ergo quamdiu cultus ille perseverare debet, manet in ecclesia mini-

sterii sacri necessitas. Demum magna illa et prope immensa societas Christianorum perpetuo consistere, et in unam atque indivisam ecclesiam coalescere debet; quod absque debita subjectione, et membrorum ab invicem dependentia ne cogitari quidem potest. Ergo perdurare debet imperium sacrum [1]).

1) Vix auctoritatis ecclesiasticae jugum excusserant protestantes, cum subito tanta inter eos orta sit rerum perturbatio, et quidlibet audendi licentia; ut ipsi satis intellexerint, plus sibi audaciae fuisse et virium ad destruendum, quam scientiae et auctoritatis ad aedificandum. Hoc utique certum indicium esse deberet cuilibet, a Deo excitatos non fuisse viros illos, qui sub *libertatis* specie populum in tantam perniciem praecipitarunt; quin malo, cujus ipsi auctores fuerant, mederi postmodum potuerint. Sic *Capito* ad Farellum scribit: „Plerique animadvertentes rem Christi abire in pejus, optarunt quidem restitutam auctoritatem ministrorum; sed aut veram ejus reparandae rationem ignorant, aut eam videntes desperant prorsus: ex quo ecclesiae nostrae omnes ad unam sine disciplina sunt, ecclesiis necessaria.“ Eadem Melanchthon pluribus in locis habet. „Utinam, utinam possim, ait (lib. IV. epist. 104.), non quidem dominationem confirmare, sed administrationem restituere episcoporum! Video enim qualem simus habituri ecclesiam dissoluta πολιτεία ecclesiastica. Video postea multo intolerabiliorem futuram tyrannidem, quam antea unquam fuit.“ Alio loco (epist. ad Ballaium) eadem fere habet, tum addit: „*Si nulli essent episcopi, tamen creari tales oporteret.*“ Alia multa ex protestantibus auctoribus testimonia legi possunt in egregio et pererudito opere: Zeugnisse aus allen christlichen Jahrhunderten für die Gewalt der Kirche und ihres Oberhauptes. Hoc opus tanquam in hac materia vere classicum non possumus satis theologiae studiosis commendare. Hieher gehören wohl auch die gutgemeinten Vorschläge eines Protestanten aus dem neunzehnten Jahrhundert, des Herrn Dr. *Kirchhoff*; der in seinen Gedanken über die Wiederherstellung der protestantischen Kirche vom Jahre 1817, nichts weniger begehrt, als einen protestantischen Oberbischof (S. 12.), und dabei ein geistliches, von dem weltlichen ganz getrenntes Regiment. Merkwürdig sind seine

PROPOSITIO II.

Ecclesiae inerrantia ex Christi institutione consistit in ecclesiae docentis infallibilitate.

175. — Argum. I. Vera Christi ecclesia inter alias proprietates id quoque habet ab auctore suo, quod interire non possit (art. II. §. II. prop. I.); ex hac autem ecclesiae dote necessario fluit haec alia, quod non possit a vera Christi doctrina deficere (ibid. prop. II.), quod donum inerrantiae vocamus, seu *infallibilitatis passivae.* Atqui inerrantia haec, seu infallibilitas passiva, quam vel ipsi agnoscunt adversarii, cogitari non potest sine *infallibilitate activa* ex parte ecclesiae docentis. Ergo etc.

Prob. minor. Doctrina in ecclesia ex Christi instituto conservari et propagari debet per eos, quibus docendi munus commissum est. *Fides ex auditu, quomodo autem audient sine praedicante? Quomodo vero praedicabunt, nisi mittantur?* Rom. X. Habet ergo populus Christianus pastores suos et magistros a Christo ipso constitutos, quos audire, quibus obsequi tenetur, nisi velit extorris esse a salute (§. I. huj. art.). Inde manifestum est, recte credi non posse, nisi recte doceatur. Ergo ut ecclesia integra falli non possit in fide sua, requiritur, ut ecclesia docens non possit in ea tradenda errare. Demus enim istud contingere, quod fieri posse agnoscunt adversarii; jam peribit totius ecclesiae fides, et nullum erit populo Christiano evitandi erroris medium. Nam credere

Worte Seite 14.: „*Aus dieser gänzlichen Absonderung der geistlichen Gewalt folgt schon von selbst, dass den Handhabern derselben die Kirchenzucht ohne Einschränkung überlassen werden muss. Dehnt man diese zur Gerichtsbarkeit über alle geistliche Verbrechen aus; verbindet man damit den Cölibat der Geistlichen und die Wiedereinführung der Ohrenbeicht, so möchte ich die Wiedergeburt der Kirche in ganz kurzer Zeit herrlicher als jemals verkünden.*“

necesse est propter Domini praeceptum, et cum creditur, erratur.

176. — Argum. II. Clara sunt verba Christi, quibus haec ecclesiae docentis praerogativa exprimitur; et quoniam jam saepius testimonia illa appellavimus, nunc ea indicare sufficiat. Praecipua sunt Matth. XVI. XVIII. XXVIII. Joan. XIV. ei XVI., Lucae X, 16. etc. Eandem fuisse Apostolorum doctrinam patet tum ex verbis Apostoli ad Ephes. IV, 11. et seq. I. ad Timoth. III, 15. tum ex eo, quod Apostoli et Seniores in concilio Jerosolymitano (*Act.* XV.) decreta sua Spiritus sancti auctoritate ediderint: *Visum est Spiritui sancto et nobis.*

177. — Argum. III. *Ex sensu constanti ecclesiae*, quem nonnisi ex Christi et Apostolorum doctrina haurire potuit. Notum est autem ex omnium saeculorum historia, SS. Patres semper ad ecclesiae doctrinam provocasse, qua tanquam lucidissimo sole facillimum esset, omnes haereticae pravitatis rivulos siccare. Nam ecclesiae invictam in retinenda, tradendaque ac tuenda veritate constantiam magnifice extollunt; neque eam ex alio fonte deducunt, quam ex illo supernaturali auxilio ecclesiae docenti promisso, quod eam nunquam sinit a vera Christi doctrina aberrare. Hoc argumentum versarunt tum Patres apostolici, *Clemens Rom.* et *Ignatius martyr.*, tum sequentes ex omnibus religionis Christianae saeculis, ex quibus antiquissimos tantum indicamus, et qui hanc materiam ex professo tractarunt; ut *Irenaeus* contra haereses, *Tertullianus* de praescriptione, *Cyprianus* de unitate eccles., item epist. LIX. ad Florentium, epist. XL. ad plebem Carthag. etc., *Augustinus* lib. de utilitate credendi, de unitate ecclesiae et alibi.

178. — Argum. IV. Ipsa ratio philosophica, dummodo vere philosophica sit, et non magis involucra quaerat praeconceptae opinioni, non tantum possibilem esse intelligit magisterii infallibilis institutionem; sed etiam *a priori* concludet, nihil esse hac institutione religionis Christianae naturae, nihil fini ecclesiae, nihil hominum ingenio et indoli magis accommodatum. Et certe, nisi Christus velit mediis extraordinariis religioni succurrere, eaque quovis tempore in infinitum prope multiplicare (cujus rei nec in scripturis, nec in experientia fundamentum reperitur), nullum aliud cogitari potest medium, quo religio, quae positiva institutio est, semper et ubique pura et incorrupta servari, et ecclesia finem suum assequi possit. Nam sicut nulla potest esse unitas, nisi omnes eidem fidei ab ecclesia propositae obsequantur; sic nullum potest esse rationabile obsequium, nisi illi, qui fidem ab ecclesia accipiunt, certam habeant persuasionem, non homini, sed Deo se credere. In hac sola hypothesi ratio ipsa jubet auctoritati submittere rationem. In hac sola hypothesi certi sumus, verbum Dei nos habere ejusque legitimam interpretationem. In hac sola hypothesi in eodem sensu scripturae, et quod consequens est, in eadem doctrina convenire possunt incerta alias et fluctuantia hominum ingenia. Unde et hoc clarum efficitur, nihil esse medium inter naturalismum aut indifferentismum et infallibilem ecclesiae auctoritatem.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM
contra secundam propositionem.

179. — Objiciunt I. Non bene intelligitur, in quo consistat illa infallibilitas, quam tanti faciunt catholici: neque concipi potest, quomodo ejusmodi attributum, quod soli Deo proprium est, possit hominibus communicari et in societate existere, quae ex hominibus tantum coalescit. Ergo etc.

Resp. ad I. Infallibilitas duo complectitur; 1° requiritur, ut ecclesia cognitionem revelationis Christianae

integram conservet, ne quidquam depereat ex sacris religionis dogmatibus. 2° Ut nihil unquam docere possit, quod ad Christi fidem non pertineat, ne corrumpatur sacrum depositum alieni dogmatis admixtione.

180. — Resp. ad II. 1° Sententiam nostram ex certis veritatis criteriis probavimus. Ubi autem semel certum est, aliquid esse a Deo constitutum, non est anxie inquirendum de modo, quo id fieri possit; Deo enim media deesse non possunt, illud, quod statuit, efficiendi. Multa occulta et obscura sunt in Dei operibus, non supernaturalibus tantum, sed in iis etiam, quae ad naturalem providentiam pertinent. Eventus rerum et effectus cognoscimus: manum autem gubernantis omnia et moderantis Dei non videmus.

2° Nihil est in sententia nostra, quod rationem offendat; nam et Deum ita posse homines regere, ut in errorem non labantur, et homines ita posse a Deo dirigi, res est adeo aperta, ut a nemine negari possit. Praeterea si Deus potuit Apostolos hoc tam praecellenti dono instruere; cur illud non poterit ad successores etiam extendere? Imprimis cum posita semel revelationis positivae existentia et ecclesiae institutione, ratio ipsa naturalis satis intelligat, quam consentaneum id sit divinae sapientiae, ut revelationis auctor Deus illud, quod auctoritate constitutum est, auctoritate conservet, et hoc medio tam facili et indoli atque ingenio hominum quam maxime accommodato opus suum ad finem perducat. Hinc ratio *infallibilitatem* docentis ecclesiae non utilem tantum agnoscit et Deo dignissimam; sed eam aliquo modo postulat ut necessariam; cum nullum aliud medium ipsi occurat, quo possit idem finis obtineri [1]).

181. — Argum. II. Catholici, cum volunt infallibilitatis defensores agere,

---

1) *„Wenn zu einem nothwendigen Zwecke nur ein einziges passendes Mittel ausfindig gemacht werden kann, so bin ich von dessen Dasein überzeugt.“ Schwarz* I. Bd. S. 193. Dass Christus Religionswahrheiten geoffenbart habe und folglich auch wolle, dass sie gekannt und geglaubt werden, ist schon eine bewiesene Sache. Nun sage man uns ein anderes, passendes Mittel zur rechten und sicheren Erkenntniss dieser Wahrheiten zu gelangen, als das untrügliche Ansehen einer von Gott beglaubigten Lehranstalt; denn auf die persönlichen Einsichten und Kenntnisse eines jeden Einzelnen wird man uns doch nicht hinweisen wollen. Der protestantische gelehrte oder ungelehrte Pöbel muss seine Religion auf Treu und Glauben annehmen, wie der katholische. Nur mit dem Unterschied, dass jener einen blinden, und folgsam unvernünftigen Glauben hat, weil er auf ein Ansehen sich bestimmt, welches nach seinen eigenen Grundsätzen nichts weniger als vollgültig ist; da hingegen der Katholik consequent, vernünftig handelt. Nur wegen der Untrüglichkeit, die er in seiner Kirche anerkennt, gibt er ihren Lehren seinen Beifall; denn nur in diesem Falle ist die Hingebung der Vernunft unter die Auctorität im höchsten Grade vernünftig. Darum sagt auch *Reinhold* in seinen Briefen über die kantische Philosophie (I. Theil Seite 179.): *„Das System der Unfehlbarkeit ist das einzige unter allen auf historischem Grunde entstandenen Lehrgebäuden der Religion, das durch den Zusammenhang und die Gleichartigkeit seiner Theile den Namen eines Systems verdient.“* Haec pro more suo fortiter et nervose, at vere expressit auctor. lib. *Essai sur l'indifférence* (Tom. I. pag. 200.): „La réforme est par la loi même de son existence une république, ou plutôt une anarchie religieuse, ou le pouvoir sans stabilité et sans règle appartient au plus habile, ou au plus audacieux. Mais malgrè les maximes qui le proscrivent, le principe d'autorité y demeure aussi long-temps, qu'on y croira à quelque chose.“ Et in nota ibidem: „L'absence d'une autorité générale fait, selon la remarque de *Burke*, que l'autorité personelle de chaque pasteur y est beaucoup plus grande, que chez les catholiques. Un protestant ne croit pas à l'église, mais il croit à son ministre.“ — Multa alia docte et cum magno rationum pondere in hanc materiam dicta leguntur ab optimae notae theologis (cf. inter alios *Dobmayer*, Tom IV. pag. 87. *Hooke*, Tom. IV. pag.

circulo se innectunt; nam infallibilitatem per scripturas probant; et rursus, cum de scripturis agitur, ad infallibilem ecclesiae doctrinam recurrunt. Ergo etc.

Resp. I. Scriptura tanquam libro divino et inspirato uti possumus, quando cum protestantibus nobis quaestio est. Argumentum hoc est *ad hominem*, id est ab ipsis adversariorum principiis deductum.

Resp. II. Cum illis, qui et scripturae et ecclesiae divinam auctoritatem rejiciunt, solo rectae rationis subsidio utimur. Probandum suscepimus Christum ecclesiae suae, et quidem pastoribus et doctoribus infallibilitatis praerogativam promisisse; tota igitur quaestio in facto posita est; ad hujus autem facti probationem testimoniis utimur ex libris N. T. petitis, quorum auctoritatem ad faciendam fidem adstruximus in Demonstratione Christiana. Cfr. object. I. contr. prop. I. art. I. pag. 261.

182. — Arg. III. Si promissiones, quae Apostolis factae sunt, ad eorum successores pertinerent, sequeretur, hos singulos infallibiles esse, iisque dotibus instructos, quas scimus Apostolis fuisse a Christo concessas. Falsum tamen consequens. Ergo etc.

Resp. ad maj. Sequeretur, Apostolorum successores omnibus illis privilegiis et dotibus instructos fuisse, quae ad conservandum fidei depositum et perpetuam ecclesiae stabilitatem requiruntur, *conc.*; quae ad hunc finem necessariae non sunt, *neg.* Ad conservandam fidei integritatem et finem revelationis sufficit, ut corpori ecclesiae docentis infallibilitatis donum inhaereat: cum autem Dei perfectiones exigant, ut nihil frustra fiat et ea imprimis, quae extraordinaria sunt, cum parsimonia dispensentur; mirum non est, si plurima, quae Apostolis propria erant, divini Spiritus dona, in eorum successores non transierint. Nam Apostolorum successores fidem habebant ab Apostolis traditam, per omnes gentes disseminatam et in ecclesiis imprimis iis, quae apostolicae dicebantur, diligentissime conservatam: stabat ergo veritatis regula, cui innixa fides nutare non poterat. Praeterea qui ab Apostolis instituti sunt pastores, missi non sunt ad omnes gentes, sed ad exiguam tantum gregis portionem, neque ut fundarent ecclesias, sed ut fundatas regerent. Quamvis igitur extraordinaria dona etiam post Apostolorum tempora in ecclesia non cessarint, et non raro viris apostolicis collata fuerint, quando disseminandum erat inter gentes evangelium; nihilominus in promissione Christi Matth. XXVIII. facta contineri non possunt, quia alias via ordinaria in episcopos transfunderentur usque ad consummationem saeculi, quod oeconomiae Christianae revelationis repugnat.

ARTICULUS IV.

De constitutione ecclesiae, seu de hierarchia a Christo instituta.

183. — Christus, qui seipsum tradidit pro ecclesia, ut eam mundaret et exhiberet sibi gloriosam, non potest eam ullo tempore destituere, sed eam perpetuo nutrit et fovet, tanquam caput ejus invisibile. Ab ipso tanquam ex radice vitalis succus in omnes ecclesiae partes diffunditur. Cum vero ecclesia societas hominum sit in hac terra degentium, eo modo constituenda erat, qui hominum naturae et fini ecclesiae esset accommodatus; id est externis mediis, ac visibili modo ordi-

---

102. *Wiest* Op. M. Tom. III. pag. 203. *Schwarz* Handbuch I. Band. VI. Hauptst. n. 8 ff. *Theoduls* Gastmahl S. 195 ff.); atque in ea luce collocata est haec quaestio, ut nihil contra afferri possit, quod non magis noceat adversariorum causae. Vel enim omnem fidem divinae revelationis abjiciunt, et, ut vere dicam, Christiani esse desinunt; vel tam misere ratiocinantur, ut vix possis a risu temperare.

nanda erat et regenda. Primum quidem necesse fuit, ordinem instituere ministrorum, qui praeesset ecclesiasticis officiis et curam haberet sacrae reipublicae. Id Christum fecisse jam vidimus, cum potestatem, quam a Patre accepit, in Apostolos transfudit, eamque per legitimam successionem perpetuo in ecclesia perdurare voluit.

Verum nec ita satis consultum fuisset ecclesiae saluti, nisi ille, a quo omnis sacra potestas dimanat, eam quoque temperasset sapientissimis institutis, ne scilicet confuse diffluereat, sed suis legibus esset adstricta, atque ita divisa in certos ministrantium ordines, ut non distinctio tantum, sed et subjectio graduum esset, et unus ab altero dependeret, et unus alteri subserviret.

Itaque Christus, ut in nullo ecclesiae suae deesset, non solum ordines ministrantium distinxit, assignata cuilibet certa operis mensura; sed instituit etiam, ut continuatio esset et series officiorum, ita ab extremis ad summa ascendens, ut omnia aptissime cohaererent, ac demum ex summa varietate admirabilis unitas exsurgeret. Quapropter divino consilio statutum est, ut non tantum in qualibet ecclesia unus praeesset omnibus; sed et tota ecclesia et rectores omnes ecclesiarum sub unius capitis imperio continerentur, et in eo tanquam in communi centro collecti unum tantum corpus efficerent, per omnes suas partes mire connexum et compactum. Sic divinus ecclesiae auctor ultimam quasi manum admovit operi suo et ad perfectionem adduxit ecclesiae structuram.

OBSERVANDA.

184. — I. Theologi omnem illam potestatem, quam Christus ecclesiae contulit, dividunt in potestatem *Ordinis* et *Jurisdictionis*. Prima per *sacram ordinationem* confertur, et Sacramento Ordinis annexa est. Altera *canonicam institutionem* exigit, quae subditos assignat et jus tribuit in fideles; ideoque recte potestas jurisdictionis vocatur. Illa ministros gignit ecclesiae, eosque idoneos reddit ad facienda dispensandaque mysteria; haec regit ecclesiam et jus dat docendi et exercendi Ordines. Magna quidem est et intima inter duplicem hanc potestatem connexio: ambae ad eundem finem supernaturalem a Christo institutae sunt, ambae in eodem pastorum et ministrorum ordine continentur, ambae sese mutuo sustinent, et divelli ab invicem aegre patiuntur; attamen divelli possunt, et divelluntur non raro, quando illud salus fidelium et prudens rei ecclesiasticae administratio exigunt. Quod satis superque probat, vanam non esse, ut quibusdam videtur, distinctionem illam, neque explodendam ut novam theologorum adinventionem.

185. — II. Ordo ille personarum, quae Deo consecratae sunt, et secundum diversos gradus ecclesiae praesunt, aut certa in ea ministeria obeunt, vocatur *hierarchia*, quae juxta etymologiam nominis idem est, ac sacer principatus (ἱερὰ ἀρχή). Sicut a theologis duplex distinguitur ecclesiae potestas, sic et hierarchia duplex est, alia *Ordinis*, alia *Jurisdictionis*. Iterum gradus hierarchici alii divini juris sunt, alii ecclesiastici: de his sermo nobis esse non potest in praesenti quaestione; nam quid Christus voluerit, et qua ratione ille ecclesiam suam instituerit et constituerit, examinandum suscepimus. *Hierarchia Ordinis*, in quantum Christum ipsum auctorem habet, constat ex episcopis, presbyteris et diaconis (conc. Trid. sess. XXIII. can. V.). *Hierarchiam Jurisdictionis* efficiunt Primatus S. Petri in successoribus perdurans, episcopi et presbyteri. Ex his nunc facile est integram ecclesiae constitutionem eruere, si nempe ad tres gradus, quos hierarchia Ordinis complectitur, addatur *primatus*, qui non Ordinis, sed Jurisdictionis praerogati-

va est. Atque ita totum hoc argumentum in duas partes dispertitur, quas duplici paragrapho absolvemus. Primus ostendet hierarchiam, quae ex episcopis, presbyteris et diaconis constat, divinae institutionis esse. Secundus probabit Christum specialem praerogativam primatus, aut supremae potestatis in totam ecclesiam S. Petro contulisse, in ejus successores propagandam.

§. I.

De episcoporum, presbyterorum et diaconorum institutione et distinctione.

OBSERVANDA.

186. — I. In hac materia iterum contrarios habemus novatores omnes, si illos excipias, qui ad Anglicanam ecclesiam pertinent, de quibus mox sermo erit. Cum enim novatores doceant, nihil ex Dei ordinatione discriminis interesse inter clerum et populum; consequens est, nullam ab illis hierarchiam admitti a Christo institutam. Imprimis acerrime propugnant, episcopos presbyteris jure divino superiores non esse, sed diversis nominibus eundem significari ordinem *seniorum*, qui docendi et ministrandi officio, quod a communitate acceperunt, humana iterum auctoritate exui possunt. Multa sunt a doctissimis eorum theologis *Moshemio*, *Salmasio*, *Blondello*, *Basnagio* etc., in hanc rem dicta et conficta, quibus probare nituntur, hierarchiam illam, a qua tantum splendorem, tantam firmitatem accepit ecclesia, non esse divinae sapientiae opus, sed humana astutia potius et ambitione natam. Novatoribus praeierant *Wicleffus*, *Albigenses* et *Waldenses*, quibus praeceptoribus Lutherani et Calviniani gloriantur. Horum autem antesignanus fuit *Aërius* presbyter, secta Arianus, qui invidia et dolore percitus, quod repulsam ab episcopatu passus fuisset, ut seipsum solaretur, docuit nullum episcopum inter et presbyterum discrimen esse. Et nos non sine ratione conjicere possumus, inter eos, qui saeculo XVI. exorti sunt, hierarchiae osores plures fuisse, qui, cum superbia elati duces esse vellent populi et primas tenere in ecclesia, episcopalem dignitatem, ad quam ipsi assurgere non poterant, ad se detraxerunt, inique dilacerantes, quidquid antecellere illis dignitate et auctoritate videbatur. Ideo principum et populi favorem omnibus modis aucuparunt, totam auctoritatem populo et principibus committentes, ut totam iterum ab ipsis reciperent.

187. — II. Ecclesia Anglicana hierarchiam, quae ex episcopis, presbyteris et diaconis constat, non retinuit tantum, sed et strenue defendit, et pro ea tanquam pro aris et focis pugnat. Propter hoc magnam invidiam sustinet aliorum novatorum, qui dicunt, eam a pura evangelii doctrina multum abesse et fermento papistico turgere. Addunt etiam, malitiose forsan, strenuos illos episcopalis auctoritatis defensores non tam religionis, quam proprii commodi studio commoveri. Quae accusatio magnum exinde pondus acquirit, quod in aliis quam plurimis doctrinae articulis dimoveri se ab avita religione aequo animo passi sint; imo ex ipsa sua hierarchia nihil aliud retinuerint, quam quod necessarium esset, ut pinguiores reditus et bonorum ac dignitatum gradus in tuto collocarentur. Reipsa nihil illis superest, praeter magni nominis umbram; omnem autem ecclesiasticam potestatem pessumdatam habent, cum ruptis legitimae successionis vinculis et a communi trunco separati, missionem suam et statuta et fidei articulos a rege accipiant, cui tanquam supremo capiti subjecti sunt, a quo solo habere se profitentur omnem, quam exercent, spiritualem potestatem. Vide Diction. theol. art. *Anglican.*[1]).

---

1) Frustra respondent Anglicani, principes civiles nunquam sibi verbi Dei et sa-

188. — III. Praeter illos, qui saeculo XVI. in ecclesiam irruerunt, *libertatis* et *aequalitatis* praecones, alii surrexerunt hierarchiae ecclesiasticae hostes, qui ut vibrata contra haereticos ecclesiae fulmina declinarent, per ambages et circuitus et quaesita verborum temperamenta, ad eundem fere quo illi exitum tendebant. Horum antesignanus fuit *Edmundus Richerus* facultatis theologicae Parisiensis Syndicus, qui saeculo XVII. ineunte opus suum evulgavit de *ecclesiastica et politica potestate*, ubi inter alia docet: totam jurisdictionem ecclesiasticam primario, proprie et essentialiter ecclesiae convenire; Romano autem Pontifici atque aliis episcopis instrumentaliter, ministerialiter et quoad executionem tantum. Doctrina *Richeri* quamvis a suo auctore revocata fuerit, multos tamen habuit ad nostra usque tempora sectatores; imprimis Quesnellum aliosque Jansenistarum partibus addictos, qui ad id constanter contendebant, ut Papam episcopis coaequarent, episcopos presbyteris, presbyteros plebi, atque omnem tandem ecclesiam sub imperium cogerent politicae potestatis.

189. — IV. Nullum quidem in evangelio praeceptum Dei legitur, quo diversos ministrorum gradus ipse determinasset. Verum praeter id, quod ipsa divina Christi sapientia de hoc dubitare non sinat; non potest certius esse divinae voluntatis argumentum, quam Apostolorum agendi ratio, qui post Christi assumptionem potestatem, quam illi totam in se continebant, quasi per partes prout illud tempus et necessitas exigebat, aliis diversorum ordinum ministris communicarunt. Ita non egissent Apostoli, nisi mandatum a Christo habuissent; nam sacrosanctum illis erat, ut praeter magistri sui voluntatem nihil facerent, neque pro arbitrio ordinarent ecclesiam, sed juxta exemplar, quod ipsis a Christo monstratum fuerat. Haec omnium ecclesiarum et antiquissimorum Patrum constans persuasio erat. S. Clemens Rom. ad Corinthios scribens, cum dixisset Apostolos per regiones episcopos et diaconos constituisse, addit: *Et quid mirum, si quibus in Christo a Deo hoc munus a Christo commissum fuit, praedictos constituerint?* Et Athanasius ad Dracontium: *Quae Deus per*

---

cramentorum administrationem arrogasse; reginam Elisabetham nunquam nomen assumsisse capitis ecclesiae. Verum de nomine quaestio non est. Utique mirum nemini videbitur, quod reges Angliae nunquam verbum Dei in ecclesiis praedicare, aut munia ecclesiastica obire voluerint; sed ipsi ministros constituunt; sed praecipuum, a quo recedere nemini permittitur, dogma statutum est, ex regia auctoritate tanquam ex proprio fonte omnem spiritualem potestatem in episcopos caeterosque ecclesiae ministros diffundi; principi, etiam ubi foemina imperium tenet, potestatem competere ordinandi liturgiam et controversias fidei cum suprema auctoritate decidendi. Legi merentur, quae illustrissimus *Bossuetius* narrat in hist. variat. lib. VII. et X. Item autor praeclari operis, cui titulus: *Autorité des deux puissances,* Tom. II. pag. 4. et seq. Jure merito igitur de Elisabetha regina scripsit *Chemnitius* (epist. ad elector. Brandeb.): *„Femineo et a saeculis inaudito fastu se Papissam et caput ecclesiae fecit.“* Ne ergo de nomine litigent Anglicani, cum res ipsa et acta publica satis superque loquantur. Sufficiat formulam afferre juramenti ab Elisabetha omnibus regni subditis sub poena capitis praescriptam: „Ego N. prorsus testificor et declaro in conscientia mea, reginam esse solam supremam gubernatricem et istius regni Angliae, et aliorum omnium suae majestatis dominiorum et regionum *non minus in omnibus spiritualibus et ecclesiasticis rebus vel causis,* quam temporalibus; et quod nemo externus princeps vel persona vel praelatus . . . habeat aliquam jurisdictionem ecclesiasticam aut spiritualem in hoc regno.“ Id ergo infelici schismate assecuta est ecclesia illa tam magnis olim nominibus illustrata, ut omni sua auctoritate exuta duram serviat servitutem; et abjecta ecclesiae universalis et apostolicae doctrina, nunc fidem suam et ritus suos et sacramenta sua a rege et senatu accipiat.

Apostolos instituit et bona sunt, et firma persistunt. Sed neque protestantes in hoc nobis adversantur; atque ex dictis et factis Apostolorum legitimum desumi divinae institutionis argumentum ipsi fatentur.

190. — V. Majoris ordinis et claritatis causa praesentem controversiam in duas propositiones dividimus; incipientes a diaconatus ordine et inde ad ea progredientes, quae partem praecipuam efficiunt hujus, quam contra protestantes agimus, causae. In tuto erit catholicum dogma, si probatum fuerit: 1⁰ Institutum ab Apostolis fuisse diaconorum ordinem, ab episcoporum et presbyterorum ordine distinctum. 2⁰ Episcoporum et presbyterorum ordines ex apostolica institutione distinctos esse, et episcopos presbyteris esse superiores.

PROPOSITIO I.

Ordo diaconorum semper in ecclesia extitit tanquam gradus sacer et hierarchicus, ab episcoporum et presbytorum ordine distinctus.

191. — Prob. I. pars. Notum est ex Actorum cap. VI., Apostolos, qui primum soli ecclesiae nascentis curam gerebant, crescente fidelium numero aliquos sibi assumpsisse adjutores, ut in eos partem sollicitudinis transferrent: assumpserunt autem septem viros, quibus ob officium ministrandi diaconorum nomen inditum est. Verum non minus tum ex scriptura, tum ex traditione perspicuum efficitur, illos septem viros, ac ceteros deinceps diaconos non mensarum tantum ministerium, sed sacrum et hierarchicum gradum accepisse, et cultui divino et sacris ministeriis fuisse addictos.

Prob. ex script. 1⁰ Actor. VI. volunt Apostoli, ut in diaconos eligerentur viri *pleni Spiritu sancto et sapientia;* quod certe majus aliquid, quam mensarum ministerium indicat. 2⁰ Electi ab Apostolis inaugurantur per manuum impositionem et orationem, v. 6., quod fieri solet in ordinatione sacerdotum. 3⁰ Stephanus et Philippus, qui ambo ex septem diaconis erant, sacra munia obeunt statim post suam ordinationem. Stephanus evangelium praedicat cum tanta vi Spiritus et gratiae, ut nemo Judaeorum posset ei resistere. Act. VI, 8 seq. Philippus evangelizat de regno Dei, et credentes baptizat, Act. VIII, 5 seq. et 35 et 38. 4⁰ Apostolus in I. ad Timoth. III. et Philipp. I. diaconos inter ecclesiae ministros recenset.

Prob. ex tradit. S. *Ignatius* testis temporum apostolicorum aequalis in epistola ad Trallenses ait, diaconos *ministros esse mysteriorum Jesu Christi*, deinde Calvinum aliosque qui docent, profanum fuisse ministerium illud, his verbis jugulat: *Non enim ciborum et potuum sunt ministri, sed ecclesiae.* Alia ejusdem S. Patris loca habentur epist. ad *Polycarp.* n. 8. Epist. ad *Magnesios* n. 6. *Cyprian.* epist. 65. diaconos vocat episcopatus et ecclesiae ministros, et in epist. 68. docet, eos ad altaris ministerium ab Apostolis assumtos. Plura videri possunt apud *Petavium*[1]) et *Natalem Alex.*[2]). Cf. etiam quae mox sequentur testimonia.

192. — Prob. II. pars. Palam est, ex ipso jam diaconorum nomine, eos ad illorum ordinem nunquam pertinuisse, qui tanquam pastores et doctores gregem regebant, et cultui divino praeerant. Id etiam Apostolus docet, et antiquissimi Patres. Apostolus locis supra citatis diaconos distinguit ab episcopis, quod vocabulum tum inferioris etiam ordinis sacerdotes complectebatur. Ex Patribus pauca seligamus. *Ignatius* saepe in epistolis diaconos nominat tanquam distinctos a presbyteris et episcopis. Sic ad Ephes.: *Subjecti estote episcopo et presbyteris et diaconis. Clemens Roman.*, qui SS. Petri et Pauli comes fuit, in I.

1) Tom. IV. dogm. Dissert. lib. II. cap. I. 2) Dissert. VII. in saec.

ad Cor. epist. sic habet: *Summo Sacerdoti sua munia tributa sunt; et sacerdotibus locus proprius assignatus est; et Levitis* (diaconis) *sua ministeria incumbunt.* Et cum *Tertullianus* ait[1]): *Jus dandi baptismum summus sacerdos habet, de hinc etiam presbyteri et diaconi;* an non diaconos aperte ab aliis gradibus distinguit? Cf. Auctores supra cit.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

193. — Argum. I. Ex iis, quae Act. VI. referuntur, manifestum est, septem viros illos non ad ministerium aliquod sacrum deputatos fuisse, sed ad officium mere profanum; scilicet, ut mensis communibus deservirent. Hanc quoque S. *Hieronymi* sententiam fuisse, patet ex ejusdem epistola ad Evagrium, ubi diaconorum fastum invehens ait: *Quis patiatur, ut mensarum et viduarum minister super eos se tumidus efferat, ad quorum preces Christi corpus sanguisque conficitur? Sciant, quare diaconi constituti sunt, legant acta Apostolorum, recordentur conditionis suae.* Ergo etc.

Resp. ad I. Murmur illud Graecorum, de quo Actor. VI., occasionem quidem dedit electioni diaconorum: verum quod non ad hoc tantum officium, sed ad ministeria sacra inaugurati fuerint, ex illo ipso cap. VI. Actorum, aliisque tum scripturae, tum Patrum testimoniis liquido constat. Adde, quod iis ecclesiae primordiis conjunctae fuerint mensae communes sacrae. Vide I Cor. XI. Ministerium igitur quotidianum utriusque mensae administratio erat, quae quotidie parabatur: quemadmodum Actor. II. dicitur: *Erant perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis et orationibus.*

194. — Resp. ad II. 1° Epistola illa 85. ad Evagrium dubiae saltem fidei est. Vide *Binterim* dissertat. III. Tom. II. Antiquitatum insertam. Pluribus rationibus ac minime spernendis probat vir doctissimus, illam epistolam, quam hierarchiae oppugnatores tam libenter appellant, falso fuisse S. Hieronymo suppositam. 2° Si concedatur, Hieronymi esse locum citatum; facile tollitur difficultas, si ad scopum S. Doctoris attenditur. Totus ibi est in retundenda diaconorum quorundam superbia, qui se supra sacerdotes erigebant; ideo inter varia eorum munia ea potissimum refert, quae aliquam vilitatis speciem prae se ferunt. Verum alia digniora non excludit; nam in eadem epistola diaconos nostros Levitis veteris legis comparat, et lib. II. adversus Jovinianum sic habet: *Si tollis ordinem tabernaculi, templi, ecclesiae . . . nequaquam episcopi, frustra presbyteri, sine causa diaconi.* Ergo diaconos docet ad sacrum ministerium constitutos, perinde atque episcopos et presbyteros.

195. — Inst. I. Illos, qui Actor. VI. constituti sunt mensarum ministri, ab omni sacro ministerio fuisse exclusos, satis superque elucet ex his Apostolorum verbis v. 2.: *Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis* et v. 4.: *Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus.* En, quod sacrum erat, sibi reservarunt Apostoli; profanum officium in novos ministros transtulerunt. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Quemadmodum Apostoli, cum mensarum et pauperum curam in diaconos rejecerunt, non tamen omnino a se amoverunt hoc charitatis officium; sic et ipsi diaconos non voluerunt a sacro ministerio excludere, quamvis sibi tanquam principibus ecclesiae partes ejus praecipuas reservarint. Agebant Apostoli cum plena potestate a Christo immediate accepta; non ita diaconi, qui aliquas tantum sacras functiones obibant, neque has sine Apostolorum et postea episcoporum auctoritate. Sic, quando frangebant per domos panes et sacram syn-

1) Lib. de Bapt. cap. XVII.

axin celebrabant fideles, coetui praeerant Apostoli, offerebant, consecrabant immaculatam hostiam, subservientibus diaconis. Inde mos ille antiquissimus ecclesiae, quem ita explicat Justinus M. in Apolog. II.: *Postquam is, qui praeest, gratias egit, et populus omnis benedixit, ii, qui apud nos diaconi dicuntur, dant unicuique eorum, qui adsunt panem, vinum et aquam, quae cum gratiarum actione consecrata sunt, et ad absentes perferunt.*

196. — Argum. II. Synod. VI. can. XVI. expressis verbis ait, Aetor. VI. sermonem esse *non de viris, qui ministrant mysteriis, sed de ministerio, quod in usu mensarum adhibebatur.* Hanc suam sententiam concilium tuetur auctoritate S. Joannis Chrysostomi, cujus verba profert ex hom. XII. in Acta. Ergo etc.

Resp. neg. Canonem illum a VI. synodo oecumenica conditum fuisse, utpote quae canones nullos edidit. Foetus est *Trullanae* synodi, quae etiam *quin-sexta* vocatur. Haec synodus ab Occidentali ecclesia, atque imprimis ab ecclesia Romana, quae ceterarum mater est et magistra, explosa fuit, unde nullius apud nos sunt ponderis plerique illius canones. Mirum, Patres Trullanos S. Chrysostomi testimonium appellasse, qui non negat sacrum fuisse septem diaconorum mysterium, sed econtra asserit, munus illud pecuniarum administrandarum per se ad ordinem diaconatus non pertinere; idque ex eo probat, quod suo tempore Constantinopoli ad presbyteros pertineret haec dispensatio.

PROPOSITIO II.

Episcoporum ordo nullo non tempore a presbyterorum ordine fuit distinctus, eique superior.

197. — Non inficiamur primis ecclesiae saeculis communia fuisse et promiscua nomina presbyteri et episcopi. Verum quamvis commune nomen fuerit, distincti tamen erant gradus et ordines, ita, ut unus fuerit alteri superior; et illi qui postmodum episcopi nomen sibi proprium fecerunt, nullo non tempore supremam auctoritatem in ecclesiis exercuerint, et functiones habuerint sibi proprias, quae presbyterorum ordini inesse nunquam poterant; quod his fere rationibus conficitur.

I. Diversa semper fuerunt presbyterorum et episcoporum officia, atque in illis etiam, quae erant utrique ordini communia, major erat episcoporum auctoritas. Ordinandi potestatem in solo semper episcopo agnovit omnis retro antiquitas, atque ita, ut non tantum illicita esset ordinatio, sed et prorsus nulla, si presbyter eam usurpare auderet. In hoc ipso quanta episcopalis ordinis vis et majestas! *Ordo episcoporum*, ait S. Epiphanius haeres. LXXV., *ad praeponendos patres praecipue pertinet. Presbyter, cum patres non possint, filios ecclesiae regenerationis lotione producit, non tamen patres et magistros.* Cum potestate ordinandi Apostolus ad Tit. I, 5. conjungit potestatem regiminis: *Reliqui te Cretae, ut ea, quae desunt, corrigas et constituas per singulas civitates presbyteros, sicut et ego constitui tibi.* Haec utique satis indicant ecclesias illas, una cum suis presbyteris sub Titi auctoritate fuisse. I. ad Timoth. V. legitur: *Adversus presbyterum accusationem noli recipere, nisi sub duobus aut tribus testibus.* In haec verba, et illa ejusdem cap. v. 1. ita habet Epiph. loco cit.: *Non alicui ex presbyteris praecipit, ut accusationem contra episcopum non admitteret, aut episcopum non objurgaret.*

Jam in illis functionibus, quae possunt etiam a presbyteris peragi, quam maxime eminet episcoporum dignitas, neque unquam magis, quam in illa prima aetate et florentissima juventute ecclesiae. Episcopi semper agebant potestate libera et tanquam summi pastores; presbyteri vero tanquam

administri episcoporum, partem tantum sacri muneris implebant, idque nonnisi annuente, aut jubente episcopo. *Omnes episcopum sequimini ut Jesus Christus Patrem, et presbyterum ut Apostolos, diaconos autem revereamini, ut Dei mandatum*, ait S. Ignatius epist. ad Smyrn.; *sine episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad ecclesiam spectant; non licet sine episcopo baptizare neque agapen celebrare.* Et Tertull. de bapt.: *Dandi baptismi habet jus summus sacerdos, qui est episcopus: dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate.*

198. — II. Certum est ex vetustissimorum Patrum testimoniis, ab Apostolorum tempore singulis ecclesiis singulos praefuisse primi ordinis sacerdotes, qui speciali quodam modo Apostolorum successores vocabantur. Horum nomina in archivis ecclesiae studiose servabantur; ab his veteres illam episcoporum successionem deducebant, ad quam solebant haereticos provocare. Ita Irenaeus lib. III. cap. III.: *Habemus*, inquit, *annumerare eos, qui ab Apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis et successores eorum usque ad nos.* Et Tertull. de praesc. cap. XXXII. sic compellat haereticos: *Edant origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus episcopus aliquem ex Apostolis . . . habuerit autorem, vel antecessorem.*

199. — III. Viri inter hierarchiae impugnatores celeberrimi, ut Salmasius, Blondellus, Basnagius, Moshemius aliique contendunt, medio fere saeculo secundo mutationem factam esse in forma regiminis; tunc demum morem invaluisse, ut in qualibet ecclesia unus praeesset veluti summus sacerdos, qui deinceps nomen episcopi solus retinuit, exclusis aliis a dignitatis et nominis communione. Verum, praeterquam quod auctores illi opinionem suam aut potius fabulam nullis rationis momentis, nulla auctoritate firmare possint; nostra autem, quae attulimus, argumenta eam penitus evertant; illud quoque certum est, hoc ipso, quod saeculo secundo mediante episcoporum praecellentia jam in tota ecclesia stabilita reperiatur, necessario consequi, illam origine divinam esse et semper in ecclesia obtinuisse. Qui enim fieri potuisset, ut ab Apostolorum aetate, quorum ultimus S. Joannes ad finem pervenit saeculi primi, usque ad medium saeculum secundum tam insignis mutatio fieret in tota ecclesia, per Orientem et Occidentem; quin commotionem excitasset tanta novitas, aut aliquod occurat factae mutationis vestigium? Quid ergo? Ita Christus providisset ecclesiae suae, ut vix elapso post ejus ascensum saeculo, communi consensu ubique discessum fuisset ab ejus dictis et institutis? Idque ab illis factum esset viris sanctissimis, qui apostolicam vivendi rationem edocti tam longe aberant ab omni dominandi libidine; quibus nihil antquius erat, nihil sanctius, quam in nulla re ab Apostolorum doctrina discedere; quae autem ab illis constituta fuerant et tradita, servare et tueri quam accuratissime?. Ergo etc.[1]).

---

1) Cf. *Natalis Alexandri* dissertatio de episcoporum supra presbyteros eminentia, Tom. VIII. pag 421. editionis Bing. *Tournelius* de Sacram. Ordinis quaest. VI. art I., et ejus continuator. Tom. XII. part. II. p. 629. edit. Paris. in 8. *Selvaggio* antiquit. Christ. lib. I. cap. XII. Protestantes cum de potestate ecclesiastica et hierarchia loquuntur, in diversas sententias abeunt; neque illud curant, quantum distent a se invicem, dummodo non sentiant cum catholicis. *Boehmerus* ex una parte contendit primam ecclesiam fuisse societatem inaequalem, postea autem mutatam in collegium aequale; at ex altera parte quamplurimi contendunt, prima hierarchiae initia in saeculum secundum collocanda esse; neque quo tempore, aut qua ratione id factum sit dicunt, aut dicere possunt. Vide *Dobmayer* Tom. IV. §. 166. An non satius esset in quaestione, quae tota historica est,

ARGUMENTA CONTRARIA.

200. — Totum hierarchiae aedificium potissimum in discrimine episcopatus et presbyteratus positum est; atqui hoc discrimen non est juris divini: siquidem saeculo tantum secundo consuetudo illa inducta est, quae, ut ait Salmasius, ex uno ordine duos fecit, et nomina etiam distinxit episcopi et presbyteri. Ergo etc.

Minoris probatio prima et praecipua in libris N. T. reperitur; ubique enim promiscue sumuntur episcopi et presbyteri vocabula. Loca scripturae praecipua haec sunt: Ad Philipp. cap. I. v. 1. et I ad Timoth. III. Apostolus ab episcopis statim transit ad diaconos nulla facta presbyterorum mentione. Ad Tit. I. de presbyteris loquitur, per singulas civitates constitutis, eosdem autem postea (v. 7.) episcopos vocat. Actor. XX. v. 17. idem Apostolus dicitur a Mileto misisse Ephesum et vocasse majores natu ecclesiae (τοὺς πρεσβυτέρους); versu autem 28. haec ad eos verba dirigit: *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit episcopos regere ecclesiam Dei.* I ad Tim. IV. Timotheus ordinatus fuisse dicitur *per impositionem manuum presbyterii.* Et S. Petrus epist. I. cap. V. Seniores ita alloquitur: *Seniores, qui in vobis sunt* (πρεσβυτέρους τοὺς ἐν ὑμῖν) *obsecro consenior* (συμπρεσβύτερος): *Pascite, qui in vobis est gregem Dei.*

Atqui haec promiscua vocum usurpatio luculenter probat, eundem ordinem tempore Apostolorum fuisse presbyterorum et episcoporum. Ergo etc.

201. — Resp. neg. min. I. Nos luculenter probavimus, ab exordio ecclesiae duplicem fuisse sacerdotum et pastorum ordinem, utrumque Christi ipsius jussu et auctoritate institutum. Ea autem, quae ab adversariis congeruntur, testimonia, probant tantum communia fuisse utriusque ordinis nomina. Neque illud aliter fieri in primis ecclesiae initiis potuit: nam neque episcopi, neque presbyteri nomen ex se vim habet significandi illum ministrorum gradum, quem nunc ex usu et consuetudine ecclesiae designat. Omnis siquidem dicendi ratio in communi usu versatur, idque imprimis in illis vocabulis contingit, quae ad significanda officia et dignitates abhibentur. Constat enim et varia esse, quibus idem officium indicatur, nomina; et diversa item officia, quae eodem nomine designantur. Quid mirum igitur, si in designandis episcoporum et presbyterorum ordinibus, qui plurima habent communia, et quibus tanquam novis, et recens institutis nomina ex analogia quaerenda erant, aliqua ab initio incertitudo aut fluctuatio reperiatur? Ergo ex nominum communione nulla probari potest graduum permixtio. Quis ex eo, quod *Papae* nomen olim non episcopis tantum, sed et presbyteris commune fuerit, concludet, Romanum Pontificem, eodem tunc, non cum episcopis tantum, sed et presbyteris gradu stetisse?

202. — II. Textus, qui in probationem afferuntur ab adversariis, in duas classes distingui possunt. Alii siquidem

facta et auctoritates veterum consulere, quam res pro ingenio suo construere et ad causae suae patrocinium accommodare? Non ita egit doctissimus *Leibnitius*, qui in hac parte, sicut in aliis multis catholicorum doctrinae libere et ingenue suffragatur. En ejus verba ex systemate theologico excerpta: „Sacramentum ordinis sive hierarchiae ecclesiasticae est, quo officium et potestas ecclesiastica sive spiritualis, suis gradibus distincta, certis hominibus confertur, quorum ministerio utitur Deus ad sacramentorum suorum gratiam dispensandam, hominesque alios docendos, regendos et unitate fidei et obedientia caritatis retinendos, addita vi cujusdam jurisdictionis, quae in clavium usu potissimum comprehenditur. Pertinent autem ad pastorum ecclesiae hierarchiam non tantum sacerdotium et hujus praeparatorii gradus, sed et episcopatus et ipse primatus maximi Pontificis, quae omnia divini juris esse credendum est."

presbyteri nomen episcopis attribuunt; alii videntur episcoporum nomine presbyteros quoque comprehendere. Quod primum attinet, omnes confitentur, in scripturis episcopos etiam presbyterorum nomine fuisse appellatos. Nomen enim *presbyteri*, si originem spectas, aetatis, si usum, dignitatis et sacerdotii praerogativam indicat; et sub utroque respectu episcopis potiori quodam jure conveniebat; utpote qui vulgo erant aetate seniores, semper autem dignitate prae caeteris eminentes, et in sacerdotii apice constituti. Sic ergo *presbyteri* nomen tunc commune erat sicut insequentibus saeculis nomen *sacerdotis* commune fuit utriusque ordinis viris.

Major in eo difficultas est, an nomen episcopi unquam fuerit secundi ordinis presbyteris attributum. Illud negat S. Epiphanius contra Aërium disputans, eumque secuti sunt doctissimi hierarchici ordinis defensores apud Anglos, *Hammondus*, *Pearsonius*, *Beveregius* etc. Dicunt autem Apostolos in quibusdam ecclesiis clerum ita instituisse, ut complures ordinarent primi ordinis presbyteros, seu episcopos, quos ad alias dein ecclesias mitterent. Plures tunc Philippis fuisse ejusmodi primi ordinis presbyteros, quando Apostolus epistolam direxerat ad eam ecclesiam, plures etiam Ephesi commoratos, quibus Miletum vocatis Apostolus gregem Domini commendavit. Ad illud autem, quod idem Apostolus ad Timotheum scribens, postquam dotes expresserat episcopi, statim ad diaconos transeat, respondent, de solis episcopis ibi sermonem esse; omissos autem presbyteros, quia satis notum erat omnibus, easdem fere dotes, eundem virtutum apparatum, qui episcopo necessarius esset, etiam in presbyteris requiri, qui, licet inferioris ordinis essent, tamen partem magnam tunc sustinebant pastoralis curae.

203. — Multo tamen communior est sententia eorum, qui cum Chrysostomo, Ambrosio, Hieronymo, Isidoro, Anselmo, Thoma aliisque multis existimant, episcopi appellationem Apostolorum tempore communem fuisse primi et secundi ordinis presbyteris. Scilicet episcopi nomen, quod juxta vocis etymologiam (ἐπισκοπέω) idem significat, atque inspicere, rei alicujus curam gerere, et simplici presbytero tribui poterat; antequam ad certum ministrorum ordinem adstricta fuerit ejus significatio. Magnam huic sententiae lucem affundit illa Patribus valde usitata verborum Apostoli interpretatio, quod nempe in plerisque ecclesiis recens excitatis nondum primi, sed secundi tantum ordinis sacerdotes praepositi fuerint, qui in administranda ecclesia omnia ea praestarent, quae differri longius non poterant, neque episcopalem characterem necessario exigebant. Cetera quae majoris erant potestatis, in episcoporum, aut Apostolorum adventum reservabantur. Illi ergo presbyteri, qui ita instituti fuerant, ideo episcopi vocabantur, quia fidelium conventibus praeerant, rem divinam faciebant, et curam gerebant ecclesiae tanquam fideles excubitores in domo Dei. Interea Apostoli supremam in ecclesias inspectionem ipsi cum magna sollicitudine exercebant, episcoporum munia ipsi obibant, exortas controversias dirimebant, et quae necessaria videbantur, aut praesentes, aut absentes per litteras ordinabant.

204. — Ergo putandum non est, ut etiam S. Epiphanius observat, Apostolos in omnibus quas constituebant ecclesiis, statim ab initio tres illos ordines, ex quibus hierarchia componitur, instituisse. Siquidem pro arbitrio et prudentia sua modo integram hierarchiam, modo ex primo et tertio, aut ex secundo et tertio ordine ministros instituebant, prout nascentis ecclesiae necessitas postulabat. Ita rem explicat S. Epiphanius: *Neque enim subinde omnia ab Apostolis ordinari poterant,*

et quidem presbyteris imprimis et diaconis opus erat, a quibus videlicet ambobus ecclesiae negotia administrari possunt. Quare ubi nondum episcopatu dignus aliquis óccurrerat, nullus ei loco praepositus est episcopus. At ubi necessitas postulabat, nec eorum, qui episcopatu digni erant, copia derat, ibi episcopi constituti. Sed quum haud magna multitudo foret, reperiri nulli potuerunt, qui presbyteri crearentur: unde solo episcopo contenti fuerunt. Sine diacono vero episcopus esse non potest; quare in id Apostolus incubuit, ut ministrandi gratia episcopo diaconi suppeterent. Itaque quum nondum ecclesia suis omnibus functionibus expleri posset, per illud tempus istiusmodi singulorum locorum status extitit. Neque vero ulla res est, quae ab initio suis omnibus numeris absoluta fuerit.

205. — Instant. Scripturae testimoniis commoti SS. Patres non semel apertis verbis confessi sunt, episcopatum a presbyteratu ex primaria sui institutione nihil differre; et humana tantum voluntate in duo scissum esse, quod unum fuerat ab Apostolis traditum. Haec imprimis, ut de reliquis sileamus, S. Hieronymi sententia fuit, quam ille tum in commentario ad cap. I. epistolae ad Titum, tum in epistola ad Evagrium jam laudata, fusius prosequitur. Docet autem in commentario, ante schisma inter Corinthios subortum (de quo Apostolus I ad Cor. I.), eundem fuisse presbyterum et episcopum. *Paulatim vero ut dissensionum plantaria evellerentur, ad unum omnem sollicitudinem esse delatam.* Tunc ita pergit: *Sicut ergo presbyteri scient, se ex ecclesiae consuetudine ei, qui sibi praepositus fuerit, esse subjectos; ita episcopi noverint se magis consuetudine, quam dispositionis dominicae veritate, presbyteris esse majores.* Eadem fere in epist. ad Evagrium habet.

Resp. Hoc argumentum, in quo adversarii magnum causae suae firmamentum positum esse putant, omnino praeterire non possumus, quamvis brevitati studendum sit. Haec ergo adnotasse sufficiat.

1⁰ S. Hieronymus nonnullis videtur in ea revera sententia fuisse, quod episcopi jurisdictionis primatum ex humana institutione acceperint; quamvis, ut Bellarminus observat [1]), non adeo constans videatur in illa sententia, ut valde probabile sit, eum non omnino certum fuisse.

2⁰ „Notissimum est, ut doctissimus *Morinus* ait [2]), omnibus in S. Hieronymi lectione versatis, eum in disputationis fervore rhetoricis amplificationibus et hyperbolis plurimum indulgere, et ἐνεργητικῶς admodum καὶ ἐμφατικῶς sententiam suam pronuntiare.“ Mirum itaque non est, si in hac disputatione, in qua totus est, ut tumorem deprimeret quorundam diaconorum, qui supra presbyteros superbius se efferebant, sicut ex una parte plus aequo depressit diaconorum officium, ita ex altera presbyterorum ordinem quantum potuit evexit.

206. — 3⁰ Certum est allata S. Hieronymi loca plura continere parum exacta, et cum historia ecclesiastica aliisque S. Patris textibus pugnantia; ita quidem, ut quibusdam suspicio orta sit, objecta loca, ut et alia Patrum nonnulla, haereticorum, fortassis Aërianorum fraude corrupta fuisse. S. Hieronymus ait, episcoporum principatum tunc demum ortum habuisse, quando coepit dici in ecclesia: *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephae* (I Cor. I.). Id ergo contigit non multis post annis, quam evangelium gentibus praedicatum fuit; contigit, cum adhuc viverent Apostoli et ecclesias summa auctoritate regerent. Ergo Apostolorum fuit illa institutio; ergo juri divino tribuenda.

---

1) Lib. I. de cler. cap. XV.

2) De sacris ordinationibus part. III. Exercit. III. cap. III. n. 21.

Praeterea S. Hieronymus in lib. de scriptoribus eccles. ipse ait, *Jacobum* statim a Christi ascensione ordinatum fuisse episcopum Jerosolymorum. S. Petrus, qui primum Antiochenam ecclesiam rexerat, inde Romam discedens *Evodium* Antiochenum episcopum creavit, cui deinde successit *Ignatius*. Haec in Eusebii chronico leguntur, quod ipse Hieronymus edidit. *Marcus* Evangelista a S. Petro Alexandriam missus est, ut illam ecclesiam gubernaret; huic, cum mortuus esset, anno Neronis octavo *Anianus* successit. *Evodii* autem et *Marci* ordinationes episcopales octo aut novem annis Corinthiacum schisma praecesserunt. Non intelligitur, qua ratione conciliari haec possint cum ea S. Doctoris sententia, occasione tantum schismatis Corinthiorum ab Apostolis creatos fuisse episcopos. Accedit quod S. Hieronymus multa alia habeat quae evincunt, eum praeeminentiam episcoporum divinae institutioni adscribere. In laudato commentario episcopis Moysis exemplum proponit: *Qui cum haberet in potestate solus praecesse populo Israël, septuaginta elegit, cum quibus populum judicaret.* Moyses certe divina institutione major erat septuaginta senibus. In epistola ad Marcellam ait, episcopos Apostolis succedere. In epist. ad Evagr. comparat episcopum Aaroni, presbyteros filiis Aaronis. Ibidem expresse asserit, solos episcopos sacrae ordinationis esse ministros.

207. — 4° Ergo in mitiorem sensum explicanda sunt, quae ab adversariis objiciuntur, ne secum pugnare videatur S. Doctor, aut modum in loquendo excessisse. Notandum est igitur 1. Hieronymum non asserere, episcopos *tantum* ex ecclesiae consuetudine esse majores, et *nullatenus* ex dispositione divina; sed *magis* ex ecclesiae quam ex Christi institutione. Quod ideo dicere potuit, quia in illis ecclesiae primordiis, episcopi cum presbyteris communi consilio res ecclesiae tractabant et moderabantur, divisa cum ipsis jurisdictione externa, saltem quantum ad usum et exercitium. Verum cum aucto jam fidelium numero dissensiones orirentur in ecclesiis . . . *et unusquisque eos, quos baptizaverat, suos esse putabat, non Christi*, tunc ad extinguenda schismatum semina episcopi ecclesiae curam ad se solos revocabant. Mens ergo S. Patris haec esse poterat: Christum, quamvis episcoporum ordini plenam potestatem dederit regendi ecclesiam, modum tamen exercitii et usum hujus potestatis non determinasse; sed id tantum praecepisse, ut eam non sua, sed ecclesiae utilitate moderarentur: exinde factum esse ut ab initio vix aliquod discrimen inter episcopos et presbyteros appareret; postmodum autem necessarium visum esse propter schismata, ut magis et evidentius se exerceret episcopalis auctoritas.

2. Potest et alia admitti interpretandi ratio, si supponatur S. Hieronymus in ea fuisse non improbabili plurimorum opinione, quod in primo ortu ecclesiae raro instituti fuerint episcopi, sed presbyteri tantum, qui sub Apostolorum suprema inspectione ecclesias gubernarent. Ea ergo S. Patris mens esset, quod licet episcopalis dignitas Christum auctorem habeat, qui totam ejus plenitudinem in Apostolos transfudit; nihil tamen a Christo ordinatum fuerit quoad actualem episcoporum in ecclesias institutionem; nam quamdiu Apostoli viverent, deficere non poterat haec potestas; ab eorum autem voluntate dependebat, ut cum idoneos ad illud viros invenirent, aut aliter ecclesiae alicujus necessitas id exigeret, ipsi successores sibi eligerent, quos regendis ecclesiis praeficerent. Haec porro necessitas tum demum adesse visa est, cum ex intestinis discordiis magna ecclesiis pernicies imminebat.

208. — Quid ergo de illo S. Patris pervagato loco sentiendum, ex epist.

ad Evagrium: *Quid enim facit excepta ordinatione episcopus, quod presbyter non faciat?*

Resp. I. Utique verum esse, quod S. Doctor ait, praeter ea, quae characterem episcopalem exigunt, nihil esse, quod non deficiente episcopo, ubi ecclesiae necessitas illud exigit, presbyteris committi possit: quin et ipsa episcopalis jurisdictio vacante sede a presbyteris exercetur. Sed permagna tamen est inter utrumque ordinem differentia, quia episcopus ex plenitudine potestatis agit; presbyter autem cum eadem sacramenta conficit, aut iisdem muniis fungitur, cum potestate agit saepe precaria tantum, semper autem obnoxia legi et imperio episcopi.

II. Respondet Thomassinus[1]): „Cum dicit Hieronymus sola ordinandi potestate praestare presbyteris episcopos, de amplitudine episcopalis ordinis nihil demetit, etsi in angustum eam videatur contrudere. Quisquis enim episcopis ordinandi potestatem solis vindicat, is profitetur, solos episcopos illam sacerdotii amplitudinem, eas sacrae potestatis opes immensas esse consecutos, quas refundere in omnes orbis ecclesias et in omnes deinceps saeculorum decursus possint."

Nota. Forsan in hac parte diffusiores fuimus, quam oporteret in opere tyronibus conscripto. Verum et hoc non inutile judicavimus, immorari paulum ejusmodi quaestionibus, quae materiam concernunt maximi momenti; ut res ipsa clariore in luce collocetur, et non omnino peregrini sint theologiae candidati in criticis hujus generis disquisitionibus.

§. II.

De institutione primatus.

OBSERVANDA.

209. — I. Ut hierarchia, quae ex episcopis, presbyteris et diaconis constat, dici possit divina ordinatione instituta, necesse non fuit, ut Christus ipse adhuc in his terris vivens diversorum ordinum ministros crearet. Omnes sacri ministerii partes et quidquid ad ecclesiae regimen pertinebat, Apostolis contulit, simulque modum ipsos edocuit, quo postmodum in ecclesiis dividenda esset sacrae reipublicae administratio; ut ita ab Apostolis exiret omnis sacra potestas, et inde divisa in partes omnes ubique ecclesias irrigaret et foecundaret.

Aliam omnino viam iniit Christus in instituendo primatu. Nam si alii ministerii ecclesiastici gradus ab Apostolis Christi nomine et auctoritate institui poterant, quia in eorum potestate continebantur, et ex ea tanquam rivuli ex fonte dimanabant; id de supremo ecclesiae principatu dici non potest; non enim poterat in Apostolorum potestate contineri illa dignitas, qua unus inter omnes alios emineret, et caput esset totius collegii apostolici. Hunc ergo primatum Christus immediate ipse instituit; illum, qui primus inter Apostolos primatum gerere, et successoribus transmittere deberet, ipse designavit; ipse propriis quasi manibus fundamentum illud posuit, quo potissimum sustineri voluit ecclesiam suam.

210. — II. Contra primatum inflammato furore diu debacchati sunt novatores, in lacessendo et convitiando fere ad insaniam procaces. Successu temporis furor ille nonnihil deferbuit, multosque hodiedum pudet tam impotentis irae. Imo nullo non tempore fuerunt inter illos aequiores viri, qui, licet ex sectae suae praejudiciis primatum ad jus divinum pertinere negaverint, fassi tamen sint, eum ad unitatem conservandam utilissimum esse, ideoque ab ecclesia sapientissime institutum.

III. Inter catholicos nemo reperitur, qui primatum a Christo institutum esse neget; neque enim catholicus esse pos-

1) De vet. et nova eccles. discip. part. I. lib. I. cap. I. n. 13.

set, qui in hanc insaniam erumperet. Contingit autem in hac materia, quod et in aliis quibusdam doctrinae punctis, ut haereticorum dogmatum defensores inter nostrates affines suos, aut semi-fratres habeant, qui quod aperte negare non audent, lacessere tamen non desinunt, et multis exceptionibus et distinctionibus ita attenuare, ut vix aliquid praeter nomen remaneat. De *Edmundo Richero* jam dictum est. Quid hac de re senserit postmodum Jansenianorum secta, quid in Germania novi reformatores *Febroniani*, *Emsiani* etc., satis ubique notum est. Neque credendum est viris istis, cum pacis studium simulant, et se id agere contendunt ad conciliandos ecclesiae dissidentium animos; nam sua quaerunt, non quae Jesu Christi; neque ex semine sunt virorum illorum, per quos salus fieri possit in Israël.

211. — IV. Primatus dividitur in primatum *honoris*, *auctoritatis* et *jurisdictionis*. Primatus *honoris* nihil est aliud, quam tituli praerogativa, cui annexa essent jura quaedam honorifica; v. g. jus primum locum occupandi in conventibus etc. Primatus *auctoritatis*, si ab illo jurisdictionis distinguitur, potestatem aliquam directoriam exprimit, seu jus disponendi negotia, proponendi materiam in consessibus, colligendi vota, sententiam promulgandi etc. Primatus *jurisdictionis* ille est, qui veram potestatem in alios tanquam sibi subditos exercet, quos regere legibus potest, et in judicium vocare, et coërcere poenis. De hac distinctione nihil, ut puto, apud veteres occurrit; nunc autem bene intelligenda est et sedulo retinenda, propter vaferrimorum hominum artes, qui licet nomen primatus retineant, omnia tamen studia eo convertunt, ut eum juribus suis ac potestate exuant, nec quidquam praeter honoris quaedam insignia, aut ad summum *directorium* aliquod in ecclesiae negotiis relinquant.

PROPOSITIO I.

Christus in ecclesia sua primatum instituit, quem sancto Petro contulit et in ecclesia semper perdurare voluit.

Probatur I. pars.

212. — Argumentum I. ex insigni loco Matth. XVI. ducitur, ubi Petrus praecellenti ratione inter alios Apostolos designatus est fundamentum ecclesiae, addita promissione clavium regni coelorum. Haec sunt Christi ad Petrum verba v. 17 et seq.: *Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in coelis est. Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum; et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram; erit solutum et in coelis.* Necesse non est lucem his verbis affundere. Hoc unum rogamus adversarios, ut ea abjecto partium studio legant et perlegant.

213. — Argum. II. ex illo non minus illustri loco desumitur Joan. XXI, 15—17., ubi primatus Matth. XVI. promissus Petro revera collatus est. Christus ter Petrum interrogat: *Simon Joannis diligis me?* et trinae amoris testificationi trinum subjungit mandatum: *Pasce agnos meos, pasce oves meas.* Obvius est horum verborum sensus. Si praeterea attenditur, Christum praesentibus reliquis Apostolis solum Petrum allocutum esse et ab eo non tantum petiisse, an eum diligeret, sed an eum *plus aliis* diligeret; profecto negari non potest specialem Petro praerogativam obtigisse, et ecclesiam universam, agnos et oves Christi, totum ovile ei a supremo pastore (*Joan.* X.), a pastore pastorum (I *Petr.* V.) commendatum fuisse.

214. — Argum. III. ex illis script. locis desumitur, quae probant Petrum omnibus semper Apostolis a Christo

fuisse praelatum. Joan. I, 42. cum Petrus prima vice ad Jesum accederet, intuitus eum Jesus dixit: *Tu es Simon filius Iona, tu vocaberis Cephas;* addit Evangelista: *quod interpretatur Petrus.* Notandum est, nulli Apostolorum praeter Petrum, aliud nomen impositum fuisse. *Matth.* XVIII. Christus pro se et Petro tributum solvit. Pedes Petri primum lavit, *Joan.* XIII. Resurgens ei seorsim apparuit, *Luc.* XXIV. Demum singulariter pro Petro oravit Christus Luc. XXII.: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.*

215. — Argum. IV. ex eo conficitur, quod Petrus constanter primo loco ponatur ab Evangelistis, et quandoque solus tacitis reliquorum nominibus; quod casu contigisse a nemine hucusque serio dictum fuit. Matth. X. expresse additur: *primus Petrus;* hujus rei autem alia ratio dari non potest, quam Petri super omnes Apostolos praecellentia. Praeterea tanquam Apostolorum coryphaeus solus nominatur praetermissis aliis. Marc. I, 36.: *Prosecutus est eum Petrus, et qui cum ipso erant.* Marc. XVI.: *Dicite discipulis ejus, et Petro.* Et Act. II.: *Stans Petrus cum undecim.* Act. V.: *Petrus et Apostoli dixerunt etc.*

216. — Argum. V. Constat Petrum post Domini ascensum statim et ubique se gessisse tanquam apostolici collegii principem, eumque ut talem suspexisse reliquos Apostolos. Ille *Act.* I. exsurgens in medio fratrum alium Apostolum eligendum esse docet in locum Judae. Ille post acceptum Spiritum sanctum *Act.* II. primus in aliorum Apostolorum praesentia ad populum verba fecit, et primam Jerosolymis ecclesiam fundavit. Ille primus coelesti visione monitus gentiles ad ecclesiam adduxit *Act.* X. et, ut multa alia praetermittamus, primus in concilio Jerosolymitano sententiam dixit. Ex quibus omnibus pronum est dicere cum S. Chrysost. hom. III. in Actus Apost.: *Quam est fervidus, quam cognoscit creditum a Christo gregem, quam in illo choro princeps est!*

217. — Argum. VI. Non exiguum his argumentis pondus accedit ex unanimi PP. tum Graecorum tum Latinorum testimonio. Nam haec communis et antiquissima ecclesiae fides nonnisi ex Apostolorum doctrina et Christi institutione dimanare potuit. *Origenes* hom. II. de diversis, appellat sanctum Petrum *summum Apostolorum verticem.* Et in caput VI. epist. ad Rom. ait, summam rerum de pascendis ovibus Petro traditam fuisse, et super ipsum, velut super petram aedificatam esse ecclesiam. S. *Basilius* serm. de judicio Dei de Petro ait: *Ille beatus qui caeteris praelatus discipulis fuit; cui claves regni coelestis commissae sunt.* S. *Chrysost.* hom. V. de poenit.; *Post gravem illum lapsum, iterum eum* (Petrum) *evehit: Ecclesiae praefecturam ipsi per universum mundum tradidit.* Ex Latinis quoque haec pauca sufficiant. *Optatus Milev.*, I, 7. ait: (Petrus) *praeferri Apostolis omnibus meruit, et claves regni coelorum communicandas caeteris solus accepit.* Ambros. in cap. XII. epist. II. ad Cor.: *Primatum* (inquit) *non accepit Andreas, sed Petrus.* August. lib. de bapt. cap. II.: *In scripturis sanctis didicimus, Apostolum Petrum, in quo Primatus Apostolorum tam excellenti ratione praeeminet, aliter quam veritas postulabat, de circumcisione agere solitum.*

Probatur II. pars.

218. — I. Natura et constitutio ecclesiae, quam ipsa a Christo accepit, mutari non potest: et cum ecclesia perpetua sit, etiam perpetua perdurare debet. Atqui primatus ad originariam ecclesiae constitutionem pertinet. Ergo etc.

II. Semper manet finis, propter quem primatus a Christo institutus est; ergo et primatus perdurare debet.

Prob. Finis primatus est unitatis conservatio; ut unum sit corpus, una fides, unum baptisma. *Ut unitatem manifestaret*, ait *Cyprian.* de unitate eccles., *unitatis ejusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit.* Et S. *Hieronymus* lib. I. adversus Jov. cap. XIV.: *Unus inter duodecim eligitur, ut capite constituto schismatis tollatur occasio.* Atqui ecclesia ex Christi institutione semper debet esse una. Ex prop. II. part. II. Ergo etc. Quinimo multa magis indiget ecclesia hoc servandae unitatis medio post Apostolorum tempora; illi enim speciali infallibilitatis praerogativa gaudebant, quae in eorum successores non transiit.

III. Potestatem Apostolis concessam in eorum successoribus perdurare priori paragrapho probavimus. Ergo et primatus Petro prae caeteris omnibus collatus in ejus successoribus manet.

IV. Christus Matthaei XVI. expressis verbis praedicit, Petrum praecipuum fore ecclesiae fundamentum, *super hanc petram aedificabo ecclesiam meam.* Atqui de illa ecclesia ibidem dicitur: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam*, ergo ex ecclesiae perpetua stabilitate necessario sequitur immota fundamenti firmitas.

PROPOSITIO II.

Christus non honoris tantum, sed et jurisdictionis primatum instituit.

219. — Prob. I. Matth. XVI. Petro promittuntur claves regni coelorum cum potestate ligandi atque solvendi. Joan. XXI. pastor constituitur super oves Christi. Atqui haec veram potestatem imperii exprimunt, ex prop. III. §. I. art. III.

Prob. II. Christus instituit primatum, ut prop. I. probatum est: atqui alium instituere non potuit, quam primatum jurisdictionis: quis enim credat Christum, qui humilitatem toties verbis et exemplo suo commendavit, qui omnem praeeminentiae aemulationem a discipulis longissime abesse voluit, nudos honoris titulos instituisse?

220. — Prob. III. Primatus propter commune ecclesiae bonum institutus est; scilicet ad religionis integritatem, totiusque ecclesiae in uno corpore compagem conservandam: atqui ut hic finis obtineatur, honoris praerogativa non sufficit; sed continua requiritur vigilantia, cum omni ea auctoritate quae ad implendum tam sublime, tamque difficile munus necessaria est. Requiritur potestas legislativa, executiva et judiciaria. Ergo jurisdictionis, non honoris tantum primatus a Christo institutus est.

Prob. IV. In antiquorum Patrum scriptis nullum occurrit vestigium inanis illius distinctiunculae, quae a modernis quibusdam subtilius quam verius excogitata est. Patres, quibus utique ignotum non erat, quid Christus voluerit et instituerit, ubique de primatu loquuntur, qui non nomine tantum, sed reipsa talis sit, cui concredita sit ecclesiae praefectura per universum mundum, potestas pascendi, ligandi et solvendi, seu regendi, universam ecclesiam. Haec ex Patrum testimoniis, quorum aliqua propos. I. attulimus, tam clara sunt, ut in omnium oculos incurrant [1]).

1) Praecipua momenta, quae pro perpetua primatus duratione afferuntur, brevi hoc et solido ratiocinio comprehendit *Melchior Canus,* in locis theol. lib. VI.: „Regnum Christi futurum erat aeternum, ergo et ecclesiae principatus non fuit temporalis; alioquin si Petri potestas ad posteros non esset translata, ne caeterorum quidem Apostolorum potestatem ad successores transmissam agnoscemus. Ita nunc in ecclesia nulla aut episcoporum aut sacerdotum potestas erit: et quod inde sequitur, eadem quae Christi fuit tempore ecclesia non erit."

Inter acatholicos plurimi fuerunt ab ipsis reformationis incunabulis, qui rei veritate et experientia convicti ingenue confessi

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

221. — Argum I. Petrus nihil prae caeteris Apostolis accepit. Ergo etc.

Prob. Omnia ea, quae Petro concessa fuisse legimus, etiam caeteris Apostolis tribuuntur in scripturis. Omnibus datur potestas ligandi et solvendi, *Matth.* XVIII., omnes vocantur fundamenta ecclesiae, *Ephes.* II. et alibi, omnibus ovium cura commissa est. De se ipso et reliquis Apostolis ait Paulus: *Pro Christo legatione fungimur*[1]). *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei*[2]). Ergo omnis primatus praerogativa excluditur.

Resp. I. Qui illum tam solemnem Christi sermonem *Matth.* XVI. absque praejudicata opinione perpenderit, intelliget magnum aliquid et excellentius prae caeteris Apostolis Petro fuisse promissum; secus hic admittendus esset verborum Christi sensus: Vere felix et *beatus es Simon Barjona*, qui divinitatem meam tam praeclaro testimonio confessus es; nam, quae dixisti, non ex te habes, neque humana investigatione didicisti; *sed Pater meus revelavit tibi.* Audi nunc, quae tu impetraturus sis, in tantae confessionis premium. *Et Ego dico tibi:* Ego verus Dei filius, uti professus es, notam tibi facio excellentiam tuam: *Tu es Petrus*, nec immerito hoc tibi a me nomen imponitur; nihil enim habebis prae caeteris Apostolis praecipuum; sicut ipsi fundamentum erunt ecclesiae, ita et tu eris; habebis ligandi et solvendi potestatem, sicut et ipsi; claves regni coelorum tibi dabo, sicut et ipsis. An non aperta blasphemia est, verbis incarnatae sapientiae sensum ejusmodi ridiculum et absonum subjicere?

Resp. II. Ex eo, quod omnibus Apostolis data fuerit ligandi solvendique potestas, quod fundamentum ecclesiae constituti fuerint omnes etc., sequitur tantum, potestatem Petro concessam ab illa Apostolorum non fuisse genere diversam, sed gradu. Quod ita explicat S. Leo[3]): *Inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quaedam*

---

sunt, primatum necessarium esse unitatis et communionis conservandae medium. *Hugo Grotius* in voto pro pace ad art. VII. ait (tom. IV. Operum.): „Ordo sive in partibus, sive in toto continetur in principatu quodam, sive in praepositi unitate; hoc est, quod in Petro Christus nos docuit“ . . . et postea: „Hic ordo semper in ecclesia manere debet, quia semper manet causa, id est, periculum a schismate.“ Item (tom. I. p. 605.): „Sine tali primatu exiri a controversiis non potest; sicut hodie apud protestantes nulla est ratio, qua ortarum inter ipsos controversiarum reperiatur finis.“ Idem fatetur *Leibnitius* epist. ad *Joan. Fabricium* (tom. I. epist.), *Laurent. a Mosheim* in disput. adversus *Dodwell.* Quaenam Melanchthonis, Capitonis aliorumque protestantium sententia fuerit, videri potest apud *Bossuetium* hist. var. lib. V. Cf. etiam *Barruel* du Pape et de ses droits, tom. I., deuxième partie, chap. V. et egregium opus incomparabilis viri comitis de *Maistre,* du Pape lib. I. chap. VI. Imprimis opus jam citatum: Zeugnisse aus allen christlichen Jahrhunderten III. Abschnitt IV. Cap. Pauca tantum adjicimus ex *Leibnitii* systemate theol. recens edito, pag. 300. Postquam de conciliis locutus est et de privilegio assistentis ecclesiae Spiritus sancti, addit: „Quoniam autem non semper, nec frequenter haberi potest concilium; nam episcopi populos, quibus praesunt, crebro deserere non possunt, sed tamen semper persona ecclesiae vivere ac subsistere debet, ut voluntas ejus possit agnosci; consequens fuit ipso divino jure et memorabilibus admodum Christi ad Petrum verbis (quando claves regni coelorum specialiter commisit, pariter ac cum oves suas pascendas tribus vicibus emphatice commendavit) insinuatum, atque in ecclesia creditum est, ut unus inter Apostolos, hujusque successor unus, inter episcopos majore potestate exornaretur; ut per eum tanquam visibile centrum unitatis colligari corpus ecclesiae, provideri communi necessitati, convocari, si opus, concilium et convocatum dirigi, et tempore interconciliari dari opera posset, ne quid res fidelium publica detrimenti caperet.“

---

1) II *Cor.* V, 20. 2) I *Cor.* IV.
3) Epist. LXXXIV. ad *Anastas.* episc.

discretio potestatis; et cum omnium par esset electio, uni tamen datum est, ut caeteris praeemineret. Et vero, an Petrus, quotiescunque aliquid promissum aut concessum est Apostolis, non etiam in eorum numero comprehendebatur? Quare ergo ipsi specialius adhuc claves datae sunt et cura ovium commissa? Impossibile est in illis locis non agnoscere praeeminentiam Petro concessam, qua in celsiore fastigio collocatus, et omnibus ecclesiae rectoribus praepositus est.

222. — Instant. S. *Cyprian.* I. de unitate eccles. ait: *Hoc erant caeteri Apostoli, quod erat Petrus, pari consortio praediti honoris et potestatis.* Ergo etc.

Resp. Fatemur Apostolos fuisse pares in apostolica potestate, seu ratione Apostolatus; verum omnes Petrum tanquam caput suum respicere debebant, quod S. *Cyprian.* passim docet. Pergit enim loco citato: *sed exordium ab unitate proficiscitur, et primatus Petro datur, ut ecclesia una monstretur.*

223. — Argum. II. Haec Christi verba: *Super hanc petram aedificabo ecclesiam meam;* non de Petro, sed de Christo ipso sunt intelligenda. Ergo etc.

Probat. ant. 1° Perspicuum est, super quam petram aedificetur ecclesia, cum Apostol. dicat I. ad Cor.: *Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id, quod positum est, quod est Christus Jesus.*

2° Post haec verba ad Simonem directa: *Tu es Petrus,* Christus digito monstrans se ipsum addidit, *et super hanc petram,* id est super me, *aedificabo ecclesiam meam;* nam idem Apostolus Christum *petram* vocat: *Petra autem erat Christus* I Cor. X.

Resp. ad I. Paulus loco cit. non loquitur de quocunque, sed de primario fundamento; alioquin pugnaret ipse secum, cum ad Ephes. II. ait: *Superaedificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum.* Pugnaret cum Joanne in Apocalypsi cap. XXI. Alio igitur modo Christus fundamentum est, alio modo Apostoli; alio iterum modo Petrus prae caeteris Apostolis fundamentum vocatur ecclesiae. Christus fundamentum est primarium, ipse lapis angularis, per ipsum omnia sunt, et omnia in ipso constant. Apostoli fundamenta dicuntur, quia per ipsos in orbe propagata est Christi religio, et ea fides, quam nulla unquam saecula labefactare poterunt; quia ab ipsis successio pastorum exorta est, et illa ecclesiastica potestas, quae adhuc in legitimis eorum successoribus perseverat. Verum haec ita Apostolis conveniunt, ut salva semper et integra maneat Petri praerogativa, qui prae caeteris fundamentum ecclesiae factus est; ita ut caeteri ab eo penderent, ipse autem a nemine eorum. Ita tota docet antiquitas. *Petrum Dominus primum elegit,* ait Cyprianus [1]), *et super eum aedificavit ecclesiam suam,* et S. Hieronymus [2]): *Licet super omnes Apostolos ex aequo ecclesiae fortitudo solidetur; tamen propterea inter duodecim unus eligitur, ut capite constituto schismatis tolleretur occasio.*

224. — Resp. ad II. Sensus, quem adversarii Christi verbis affingunt, ineptus est, et contra primas grammatices regulas impingit. 1° Cum dicitur: *Et super hanc petram,* planum est, per particulam *et* causam exprimi, cur Simon vocatus sit Petrus. Tu es Petrus, quia super te quasi petram aedificabo ecclesiam meam. 2° Pronomen *hanc,* cum sit demonstrativum, ad illam petram referendum est, de qua paulo ante locutus fuerat Dominus. Sensus ergo est: Tu es Petrus seu petra, et super te, quasi super petram aedificabo ecclesiam meam; nullius enim alterius petrae facta est mentio, quam demonstrare potuisset pronomen *hanc.*

1) Epist. ad Quirin. 2) Lib. I. contra Jovinian.

Secus est I. ad Cor. X., ibi enim dictum fuerat: *Bibebant de spiritali consequente eos petra.* Jam ut scirent, quaenam esset haec spiritalis petra addit Apostolus: *Petra autem erat Christus.* Vide ergo, quam absonum sit, quod in objectione additur: Christum illa dixisse digito ad se ipsum converso. Certe, ut doctissimi Michaëlis verbis utar[1]), digitus ille non Christi digitus fuit, sed interpretis pro opinione sua pugnantis.

225. — Inst. I. Christus non dicit: *Tu es petra,* sed: *Tu es Petrus.* Ergo pronomen *hanc* nequit referri ad Petrum.

Resp. neg. ant. Christus vere dixit: *Tu es Petra,* quippe Syriace locutus est: Tu es *Kepha,* aut *Kephas,* quod idem est ac petra. Patet ergo, vocabulum *Petrus* pro *petra* positum esse. Cur autem Latinus interpres non vertit: *Tu es petra,* ratio est, quia Latina versio non ex Syriaco, sed ex Graeco facta est, in quo legimus: σὺ εἶ πέτρος. Cum enim apud Graecos tam πέτρος quam πέτρα significet lapidem aut petram, visum est interpreti convenientius homini nomen masculinum, quam femininum tribuere. Idem respondendum ad illum locum Joan. I, 42.: *Tu es Simon, filius Jona, tu vocaberis Cephas, quod interpretatur Petrus.* Ibi evangelista vocem Syriacam *Cephas,* qualis a Christo pronuntiata fuerat, retinuit; sed, quoniam ipse Graece evangelium scripsit, explicationem vocis subjunxit: *Quod interpretatur Petrus,* πέτρος.

Nostram interpretationem solam veram et genuinam esse fatetur ipse Beza in hunc locum. „Dominus, ait, Syriace loquens nulla usus est agnominatione, sed utrobique dixit Kepha, quemadmodum et vernaculum nomen *Pierre* tam de proprio, quam de appellativo dicitur.“ Igitur si Gallice locutus fuisset Christus, dixisset: *Tu es Pierre, et sur cette pierre je batirai mon eglise.*

226. — Inst. II. S. *Augustinus* lib. I. retract. et alibi ait, haec verba: *Super hanc petram,* Christum ipsum significare; idque confirmat per verba Apostoli: *Petra autem erat Christus.*

Resp. neg. consect. S. Augustinus deceptus fuit ignoratione linguae Hebraicae et Syriacae, neque nostram sententiam reprobat; sed cum lib. cit. cap. XXI. et nostram et suam interpretationem attulisset, subdit: *Harum autem duarum sententiarum, quae sit probabilior, eligat lector.* Caeterum in nostram sententiam quasi uno ore conspirant omnes reliqui Patres, quos fuse citat *Bellarmin.* lib. I. de Rom. Pont. c. X. Quin ipse Augustinus ei suffragatur pluribus in locis; ut serm. XXIX. de Sanctis: *Solus* (Petrus) *inter Apostolos meruit audire: Amen dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam: dignus certe, qui aedificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.*

227. — Inst. III. Petrus Matth. XVI. fundamentum ecclesiae dicitur, quia primus Judaeis (Act. II.) et gentilibus (Act. X.) Christum annuntiavit, atque ita fundamenta jecit ecclesiae. Ergo non agitur de primatu. Ita *Blau* in histor. critica infallib. ecclesiae.

Resp. neg. ant. 1° Christus non ait, *per te,* sed *super te,* aedificabo ecclesiam. 2° Quae sequuntur: *Et portae inferi* etc. probant, de duratione ecclesiae agi, ejusque perpetua stabilitate, cui optime concordat comparatio cum fundamento durissimo et immobili. 3° Illi, qui primi per evangelii praedicationem ecclesias, vel societates fidelium instituunt, fundatores potius vel architecti dici possunt, quam fundamenta. Vide I Cor. III.

228. — Argum. III. Per petram intelligenda est fides vel fidei confessio;

1) Einleitung in das neue Testament. Th. I. §. 14.

ita ut sensus sit verborum Christi: *Tu es Petrus*, et super hanc fidem, quam modo professus es, aedificabo ecclesiam meam; ita Lutherus, Centuriatores aliique, qui interpretationem suam plurimorum Patrum, ut Basilii, Hilarii, Ambrosii, Chrysostomi testimonio aliorumque confirmant.

Resp. Petrae nomen juxta litteralem Christi sensum soli personae Petri convenire posse jam superius probatum est. Et si PP. interdum Christi verba aliter interpretantur, ea ad suum scopum accommodando, sensum nostrum, qui obvius, proprius et litteralis est, non excludunt, sed in aliis locis et ipsi adstruunt. Et bene observat Natalis Alexander [1]), expositionem, quam nos adstruimus, communi Patrum suffragio stabiliri; eam esse primitivam et perpetuam atque solam viguisse ante Arianae haeresis ortum; tum vero aliquos Patres contra Arianos disputantes, ut confessionis illius: *Tu es Christus filius Dei vivi*, dignitatem attollerent, hanc petram illam esse firmissimam dixerunt, super quam fundata sit ecclesia. Id autem dicendo personam Petri nullatenus excludunt, sed potius ipsam confessionem fundamentum appellant metonymice translato nomine effectus ad causam, quia Petrus propter illam confessionem constitutus fuerat fundamentum ecclesiae. Sic, cum dicimus felicem esse rempublicam, quando justitia sceptrum gerit, nemo justitiam intelliget in se spectatam, sed principes qui juste gubernant. Vide *Natalem* loco citato §. III. ad object. II.

Et certe fides absolute sumpta non potest proprie fundamentum dici; 1° quia ejusdem generis debent esse fundamentum et reliquum aedificium; atqui ecclesia est congregatio hominum quasi lapidum vivorum I Petr. II. Ergo etc. 2° Fides non vincit inferos, sed homines fide instructi. 3° Fundamentum ecclesiae non secus atque ipsa ecclesia debet esse aliquid visibile, fixum atque permanens. Sed fides non est aliquid visibile, et ipsa confessio fidei a Petro facta fuit actus transiens.

229. — Argum. IV. Teste Augustino et aliis Patribus, quando Matth. XVI. claves Petro datae sunt, ecclesiae datae sunt. Ergo nulla ibi praerogativa Petro data fuit.

Resp. Rem explicat S. August. loco cit.: *Cujus ecclesiae*, inquit, *Petrus Apostolus propter Apostolatus sui primatum gerebat personam.* Et tract. XX. in Joan.: *Ecclesiae Petrus Apostolus propter Apostolatus sui principatum gerebat figurata generalitate personam.*

230. — Argum. V. Haec verba Christi: *Pasce oves meas* Joan. XXI. de solis Judaeis intelligenda sunt; ergo primatum in universam ecclesiam non probant.

Prob. ant. 1° Christus dicendo *oves meas* Petro commisit curam ovium, ad quas ipse missus fuerat: atqui Matth. XV. expressis verbis ait, se non esse missum nisi ad oves quae perierunt domus Israël. 2° Apostolus ad Galat. II. docet, divisam sibi cum Petro potestatem fuisse, ita ut Petro attributus fuerit populus Judaeorum, Paulo autem gentium: *Creditum est mihi*, ait, *evangelium praeputii, sicut et Petro circumcisionis: qui enim operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est et mihi inter gentes.* Ergo etc.

Resp. ad I. Christus solis Judaeis evangelii et miraculorum gratiam exhibuit, apud ipsos solos corporali praesentia versatus est, atque hoc sensu vere dici potest, eum missum fuisse ad solas oves domus Israël. Verum ex hoc non sequitur, eum alias oves non habuisse; imo Joan. X. expresse ait: *Alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere.*

Ad. II. Ea certe Apostoli mens esse

1) Disp. IV. in I. eccles. saecul. §. I. n. 2.

non potuit, quod ipsi cum exclusione Petri aliorumque Apostolorum munus praedicandi gentibus evangelium commissum fuerit. An ergo Petrus et Apostoli non missi sunt docere omnes gentes? Matth. XXVIII. Sicut Apostolus non gentibus tantum evangelium annuntiavit, sed et Judaeis; sic Petrus non Judaeos tantum ad fidem adduxit, sed et gentiles [1]), et tanquam Romanae ecclesiae episcopus mortuus est. Sensus igitur verborum Apostoli alius esse non potest, quam quod ipse ad gentes *potissimum* missus fuerit: cum econtra Petrus magis Judaeorum conversioni esset intentus. Caeterum primatum Petri haec nullo modo attingunt.

231. — Argum. VI. Si Petrus a Christo ipso caput ecclesiae et collegii apostolici institutus fuisset, id scire debuisset Paulus, eumque idcirco tanquam primatum suum venerari; atqui contrarium probant scripturae. Ergo etc.

Prob. min. 1° Paulus Antiochiae in faciem ipsi restitit, Gal. II, 11. 2° Ibid. v. 9. Petro secundum tantum locum tribuit: *Cum cognovissent gratiam, quae data est mihi, Jacobus, Cephas et Joannes.* Imo I Cor. IX. eum tertio tantum loco nominat: *Numquid non habemus potestatem mulierem sororem circumducendi, sicut et ceteri Apostoli et fratres Domini et Cephas?*

Resp. ad I. Illa Petri reprehensio nihil aliud probat, quam quod inferiores subinde possint cum sancta libertate superiores redarguere, modo id res postulet, et debita reverentia servetur. S. Cyprianus ideo Petri humilitatem laudat [2]), quod a Paulo reprehensus non dixerit se primatum tenere, et sibi potius obtemperari a novellis et posteris oportere. Et S. Augustinus ad Hieron. scribit [3]): *Petrus, quod a Paulo fiebat utiliter libertate caritatis, sanctae ac benignae pietate humilitatis accepit.*

Ad II. Apostolus Jacobum primo loco ponere potuit, quia erat Jerosolymae episcopus, quo Paulus ad visendos Apostolos venerat. Deinde ostendit Mamachius, in antiquis codicibus, quibus usi sunt Chrysostomus, Ambrosius, Augustinus, Hieronymus et alii, Petrum primo loco poni. Idem de vetere Itala asserit Sabathier et de versione Alexandrina Grotius in hunc locum. Quod secundum locum attinet in probatione citatum, ex ipsa textus attenta lectione clarum est, postremum locum ibi Petro magis esse honorificum, magisque exinde dignitatem ejus elucere. Apertum enim est, crescere orationem, cum primum Apostoli generatim nominantur, deinde fratres domini, tanquam insigniores inter Apostolos, et demum Petrus ipse, tanquam omnium princeps.

232. — Argum. VII. In scripturis nonnulla de S. Petro referuntur, quae cum ejus primatu non videntur satis cohaerere. Ergo etc.

Prob. 1° Act. VIII. ab Apostolis mittitur Samariam. 2° Cum post Cornelii Centurionis conversionem Jerosolymam rediisset, accusatus est a fratribus, quod ingressus esset ad gentes; ipse autem purgare se et causam suam defendere coactus fuit. Act. XI. 3° In prima sua epistola, cum capite V. ad ecclesiae pastores sermonem dirigit, eos non alloquitur cum imperio quasi subditos, sed tanquam collegas et episcopos sibi aequales. Ergo etc.

Resp. ad I. Quidam putant hoc argumentum dilui posse, si dicatur Petrum a toto Apostolorum collegio missum fuisse, cujus et ipse membrum erat. Volunt igitur Petrum sub imperio fuisse totius collegii apostolici, quamvis singulis Apostolis esset superior. Verum vana et studio quaesita est haec interpretatio. Potius dicendum est, Petrum missum esse non tanquam

1) Vide *Actor.* X. et XV. v. 7. 2) Epist. ad Quintum. 3) Epist. LXXXII. ad Hieron. XXII.

inferiorem cui jubetur; sed tanquam caput et primatem, qui de communi Apostolorum consilio hoc iter tam sanctum et arduum ad Dei gloriam et religionis propagationem suscepit.

Ad II. et III. Utrumque probat dignitatem primatus nullum dominationis et superbiae fastum in S. Petro habuisse. In utroque se dignum Christi discipulum probat; non enim quae sua sunt, quaerit; sed quae Jesu Christi, paratus semper, sicut ipse docet [1]), ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quae in ipso est, spe et fide.

233. — Corollarium. *Forma regiminis a Christo ipso in ecclesia instituti recte vocatur aristocratico-monarchica.*

Probatur. Ecclesiae regimen recte monarchicum dicitur, quia tota ecclesia sub unius supremi capitis potestate continetur, ex Prop. I. et II. hujus paragraphi. Cum vero sacra potestas omnibus simul Apostolis concessa fuerit, et in eorum successoribus perduret (ex toto art. III.), manifestum est, aristocratiam esse cum monarchia conjunctam; quia episcopi singulas ecclesias, non tanquam vicarii summi Pontificis, sed tanquam proprii pastores et principes gubernant [2]).

1) I *Petri* III.

2) Non possumus in hoc satis admirari divinam Christi in instituenda ordinandaque ecclesia sapientiam, quae ita omnia attemperavit, ut neque confusio ordinum fieri possit; neque etiam sacrae potestatis partes ita fixis immotisque limitibus coarctarentur, ut non majorem aut minorem vim exerere possint pro rerum, locorum ac temporum opportunitate. Contigit enim in potestatis ecclesiasticae exercitio, quod in omni regimine mixto, ut sit aliquod quasi libramentum potestatum. Fieri potest ut persecutionibus nimis agitetur, aut internis dissidiis laboret principalis ecclesia; tunc episcoporum atque imprimis conciliorum auctoritas omnium oculos insigni fulgore perstringit; at mox rerum statu mutato

SCHOLION.

234. — Scio plures esse etiam inter catholicos, quibus haec *aristocratico-*

---

suprema ecclesiae sedes, quasi sol disjectis nebulis splendidior illucescit. Mihi ergo videtur parvi admodum ingenii indicium esse, si quis putet, potestatis sacrae plenitudinem posse inter diversos gradus quasi ad circinum rotundari; quod de potestate imprimis supremi capitis dictum volumus. Ita enim a Christo instituta est haec potestas, ut ubi ecclesiae bonum id postulat, libere possit sese explicare, atque in omnes ecclesiae partes ex indita sibi ubertate redundare. „Hujusmodi instruxit suae ecclesiae caput, ait *Thomassinus* (de veteri et nova eccles. discipl. Tom. I. respons. ad n. 12.), ejusmodi sibi vicarium suffecit Christus, in quo tota semper plenitudo potestatis resideat, etsi non totam semper exerceat.“ Et responsione ad notam 17.: „Unum addo, expresse me monuisse, etsi omnibus saeculis eadem fuerit in apostolica sede plenitudo potestatis spiritualis; non tamen illius exercitium idem fuisse. Facultates porro ejus aliquas, quae non explicuerunt se, nisi aliquantis post saeculis, in radice tamen primatus divino jure fundati implicitas semper fuisse.“ Liceat mihi quaedam hic addere ex recentiori opusculo, quod sub exiguo volumine multa continet acute et ingeniosissime dicta. *Comes de Maistre* (Essai sur le principe générateur des constitutions politiques chap. XVIII.) de regimine ecclesiastico scribit: „On n'a point oublié, qu'une bouche impure se fit cependant approuver de nos jours, lorsqu'elle dit, *que la France était géographiquement monarchique.* Il serait difficile en effet d'exprimer plus heureusement une vérité plus incontestable. Mais si l'étendue de la France seule repousse l'idée de tout autre gouvernement; à plus forte raison cette souveraineté, qui par l'essence même de sa constitution aura toujours des sujets sur tous les points du globe, ne pourrait être, que *monarchique.*“ Posset hic addi, ex eadem extensione ecclesiae, quae centrum commune exigit, id etiam colligi; quod, sicut plures admittendae sunt ecclesiae particulares in unam universalem coadunatae, ita quoque plures admitti debeant principes ecclesiae, qui particulares ecclesias regant sub auctoritate primatus supremi et universalis. Deinde verba faciens de famosa declaratione Cleri Gallicani anni 1682,

monarchica regiminis forma valde displicet. Putant enim viri isti, qui, ut hodie mos est, toti in vocabulis haerent, rem autem ipsam parum curant, voces illas, quae a dominatu et imperio civili mutuatae sunt, ad regimen ecclesiasticum non pertinere, quod totum ad mansuetudinis et caritatis leges compositum esse debet. Verum nemo nescit, hic non agi de modo, quo regimen sacram exerceri debeat, sed de forma, quam huic regimini dare voluerit divinus ecclesiae institutor; neque aliud rei nomen invenire hucusque potuerunt isti caritatis evangelicae intempestivi praedicatores. An malunt formam ecclesiae *Christocratiam* dicere? Sed dicunt, quod non quaeritur, quod autem volumus, non dicunt. Non quaeritur, quis ecclesiam instituerit, sed quae ejus, quam Christus instituit, ecclesiae forma sit; neque de capite ecclesiae invisibili agitur, sed de imperio sacro, quod Apostolis eorumque successoribus traditum est. At hoc ipsum imperium rectius forsan *Christiano-ecclesiasticum* vocant? Sed iterum ad quaestionem, de qua agitur nequaquam respondent. Nam dum regimen ecclesiae *Christianum* dicunt, ejus institutionem exprimunt; cum *ecclesiasticum*, illud in ecclesia existere ostendunt; verum cui, aut quibus competat suprema auctoritas, nullo modo indicant. Ergo semper redit quaestio: quaenam hujus regiminis Christiano-ecclesiastici forma sit? Miror mellifluos homines non et Christum ipsum arguere, qui saepe ecclesiam suam *regnum* appellavit; aut Apostolum, qui episcopos dicit positos ad *regendam* ecclesiam Dei; aut certe antiquissimos ecclesiae Patres, qui episcopos passim *principes ecclesiae*, *principes populi*, sedes autem episcopales *thronos* appellant. Vide *Bingham* orig. eccles. lib. II. Quam ridiculus hic zelus! Quis non crederet, brevi mutandam fore ecclesiae faciem, si nova vocabula prioribus substituantur? Ego fateor, me regimen aristocratico-monarchicum non reformidare, sed timere me vehementer pastores illos, qui seipsos non gregem pascunt; qui fastum hujus saeculi ambiunt, mundi potius quam Christi sectatores; ubi enim hoc malum in ecclesiam irrumpit, misera est illius etiam cum regimine Christiano-ecclesiastico facies.

prosequitur: „Elle est (cette déclaration) condamnable par un côté, qui n'a pas été remarqué, quoiqu'elle prête le flanc, plus que tout autre à une critique éclairée. La fameuse déclaration osa décider par écrit, et sans nécessité, même apparente (ce qui porte la faute à l'excès) une question, qui devait être constamment abandonnée à une certaine sagesse pratique, éclairée par la conscience universelle.“ Ibidem in nota adjicitur: „Je ne sais si les Anglais ont remarqué, que le plus docte et le plus fervent défenseur de la souveraineté du Pape intitule ainsi un de ses chapitres: *Que la monarchie mixte, temperée d'aristocratie et de démocratie, vaut mieux, que la monarchie pure.* Pas mal pour un fanatique!!!“

Auctor ille doctissimus simul et piisimus est Card. *Bellarminus*, qui ita inscripsit cap. III. lib. I. de summo Pontifice. In eo autem capite principium illud generale, *quod monarchia aristocratiae et democratiae admixta utilior sit in hac vita quam simplex monarchia*, ad ecclesiam catholicam applicat; quam tamen ideo tantum aliquid dicit ex democratia habere, quia nemo est ex omni Christiana multitudine, qui ad episcopatum vocari non possit, si dignus eo munere judicetur.

CONSECTARIA.

235. — Nunc paulo accuratius definire possumus ecclesiam, cujus hucusque naturam et proprietates investigavimus, et illam quaestionem *de membris* ecclesiae, quam theologi olim fuse prosecuti sunt, brevissime absolvere. Omnia siquidem ex iis, quae dicta sunt, tanquam consectaria fluunt, et veluti conclusio haberi possunt hujus capitis.

Consectarium I.

Ecclesia recte definitur, coetus hominum unius et ejusdem fidei Christianae professione et eorundem sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum pastorum ac praecipue supremi Pontificis, S. Petri in primatu successoris.

236. — Probat. Tria ad ecclesiam pertinere, ex praecedentibus dignoscuntur.

1° *Ejusdem fidei confessio*, quia vera Christi ecclesia ea tantum esse potest, quae veram Christi doctrinam habet; vera autem Christi doctrina non potest in diversis religionibus existere, quae inter se pugnant. Vide Prolus. §. I. prop. IV. Item art. I. prop. II. et art. II. prop. II.

2° Requiritur ut omnes *in eodem cultu* conveniant, aut iisdem sacramentis participent; haec scilicet magnam partem efficiunt illius religionis Christianae, quae necessario una est, et in plures dividi non potest. Quod ex iisdem propositionibus efficitur.

3° Cum Christus ipse ecclesiae suae certam corporis aut societatis externam conformationem dare voluerit, 1. instituendo potestatem sacram, quae Apostolis concessa fuit et in eorum successoribus perdurat (cf. totus art. III. et art. IV. §. I.), 2. instituendo primatum, qui S. Petro collatus est, et quem voluit ad successores transire (art. IV. §. 2.); ergo ad Christi ecclesiam pertinere non potest, qui obsequium detrectat *legitimis pastoribus*, aut cum *ecclesiae capite* non cohaeret. Ergo etc.

237. — Nota. Non agitur hic de definitione stricte philosophica. Sufficit, ut nihil in definitione contineatur, quod ad naturam ecclesiae non pertineat, et illi exprimantur characteres, qui rem ab omni alia ita distinguunt, ut facile internosci queat. Ceterum celebriores protestantium doctores a nostra ecclesiae definitione non tantum, quantum hodierni abhorrebant. Inter alios *Melanchthon* haec habet[1]): „Quae res sunt necessariae ad salutem? Consensus in fundamento, videlicet in doctrina evangelii incorrupta, et in usu sacramentorum legitimo, et obedientia debita ministerio juxta evangelium.“ Si huic definitioni adjicerentur illi, quibus juxta evangelium obedientia debetur, id est, episcopi et summus Pontifex, haberemus definitionem accuratam, quae dividat veram ecclesiam a quavis alia.

Consectarium II.

Tam haeretici quam schismatici extra ecclesiam sunt.

OBSERVANDA.

238. — I. Haeretici vocantur illi, qui ab ecclesiae fide recedunt et in perversa sententia spreta ecclesiae docentis auctoritate pertinaciter perseverant. Schismatici sunt, qui catholicae unitatis concordiam rumpunt; *qui*, ut Cyprianus ait[2]), *dum conventicula sibi diversa constituunt, veritatis caput atque originem relinquunt; qui Apostolis, episcopis et Dei sacerdotibus derelictis constituere audent altare et precem alteram illicitis vocibus facere.* Ex his intelligi potest, in quo differat schisma ab haeresi. *Inter haeresin et schisma hoc interesse arbitramur*, ait S. Hieronymus[3]), *quod haeresis perversum dogma habeat; schisma propter episcopalem dissensionem ab ecclesia pariter separet: quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest diversum. Ceterum nullum schisma non sibi aliquam confingit haeresin; ut recte ab ecclesia recessisse videatur.* Certum igitur est, nec haeresin esse posse sine separatione ab ecclesia, nec schisma facile reperiri sine perverso dogmate. Hinc Card. *Perronius* putat, accuratius inter haeresin et schisma distingui, si dicatur, haereticos esse, qui separantur ab ecclesia,

1) In exam. ord. de eccles. 2) Lib. de unit. eccles. cap. IV. 3) In epist. ad Tit. III.

postquam in iis, quae ad fidem spectant, ab ea dissenserunt; schismaticos, qui a separatione inchoantes perversa dogmata adjecerunt. In his haeresis ad separationem accedit, uti febris vulneri accedere solet; in illis haeresis separationem efficit.

239. — II. Constans semper omnium Patrum sententia fuit, haereticos omnes et schismaticos a vera Christi ecclesia esse exclusos. Nec unquam aliquis, cum credere se ecclesiam catholicam profitebatur, eam sectarum colluviem intelligebat, quae sese mutuo repellunt, quaeque nec veram ecclesiam pati possunt, nec ab ea tolerari. Neque unquam inter sectas, quae fundamenta fidei retinent, et eas, quae illa fundamenta subvertunt, ita distinxit ecclesia, ut illas diceret ad ecclesiam pertinere, has non item. Sic conc. Nicaen. I. can. VIII. jubet, impositione manuum recipi Novatianos, *ad ecclesiam catholicam redire cupientes.* An forte ad ecclesiam jam pertinebant, qui ad eam redire cupiebant? Aut an Novatiani aliquod fidei fundamentum subvertebant? Neque alia mens fuit secundi concilii oecumenici, cum haereticos omnes ea conditione admitti ad ecclesiam decernit, ut profiteantur, *se omnem detestari haeresin, quam sancta catholica et apostolica damnat ecclesia.* Idem manifestum erit omnes synodos tum generales, tum particulares percurrenti. Cf. *Walenburgici* de unit. eccles. lib. I.

Probatur consectarium.

240. — Ecclesia est coetus hominum unius et ejusdem fidei Christianae professione et eorundem sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum pastorum, ac praecipue summi Pontificis, S. Petri successoris. Ex consect. I. quod tanquam conclusio et corollarium haberi potest hujus capitis I.

Atqui haeretici falsis dogmatibus integritatem fidei corrumpunt; neque cum aliis ecclesiae membris uniuntur in ejusdem fidei professione. Schismatici autem, quamvis etiam sanam fidem profiteri videantur, tamen a fidelium societate separantur, aliud altare constituunt, ideoque eorundem sacramentorum communionem non tenent. Omnes dein tum haeretici, tum schismatici unitatem obedientiae dividunt, ecclesiam docentem non audiunt, a supremi capitis auctoritate se subducunt, aut certe ab iis separati sunt legitimis pastoribus, qui soli cum tota ecclesia ubique diffusa et cum capite communicant. Ergo neque haeretici neque schismatici ad Christi ecclesiam pertinent.

Consectarium III.

Nunquam licet a vera Christi ecclesia secessionem facere.

241. — Probatur. Non potest ecclesiae membrum esse, qui ab unitate separatur, ex consect. II. Qui autem extra ecclesiam est, extra Christum est, ut §. III. art. II. probatum est. Ergo se ipsos a salute excludunt, qui secessionem faciunt ab ecclesia Christi. Ergo, ut ait S. August.[1]), *praescindendae unitatis nulla potest esse justa necessitas.* Christus voluit, ut omnes in uno ovili congregarentur sub uno pastore, Joan. X. Ipse in mortem se tradidit, *ut filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in unum.* (Ibid. XI, 52.). Et in oratione post coenam, quando discipulos et omnes qui in ipsum crediturі essent, Patri commendavit, nihil ferventius efflagitavit, quam *ut omnes unum sint.* Haec Apostolorum, haec SS. Patrum unanimis vox est. Omnes constanter docuerunt, ne inquiri quidem oportere in causas divisionis; sed omnem omnino ab ecclesia separationem iniquam esse et nefariam: quod fieri non possit, ut membrum vivat a suo corpore separatum, ut ramus aut surculus crescat a

1) Lib. II. contra epist. Parmen.

trunco vel radice avulsus. *Quisquis ab ecclesia segregatus adulterae jungitur*, ait Cyprian. [1]), *a promissis ecclesiae separatur; alienus est, profanus est, hostis est; habere non potest Deum patrem, qui ecclesiam non habet matrem.*

Verum necesse non est, ut huic quaestioni longius immoremur. Quamdiu enim generatim tantum quaeritur: *Utrum licitum sit schisma facere?* negant omnes, illudque crimen esse atrocissimum fatentur. Quid de hac re sentiant, aut certe senserint protestantium theologi, videri potest in citato opere fratrum *Walenburg.* lib. I. cap. XVIII. et toto lib. II.

Consectarium IV.

Neque catechumeni neque excommunicati proprie ecclesiae membra sunt.

242. — Prob. 1⁰ Ecclesia est coetus hominum eorundem sacramentorum communione conjunctus; atqui catechumeni jus non habent ad sacramenta, quod per baptismum tantum acquiritur. Ergo etc. Porro membra ecclesiae esse non possunt, qui nondum membra Christi per baptisma effecti sunt; neque intra ecclesiam esse, ad quam aditus per baptisma aperitur.

2⁰ Excommunicatio est poena omnium gravissima, qua rebelles et contumaces potestate clavium a societate fidelium separantur, et bonis ecclesiae communibus privantur, ut suffragiis, sacrificiis, sacramentis etc. Atqui in ecclesia veram esse excommunicandi auctoritatem, ex prop. III. §. I. art. III. patet. Excommunicatum autem verum ecclesiae membrum non esse, ex ipsa ecclesiae definitione eruitur, quia cum caeteris fidelibus eorundem sacramentorum communione conjunctus non est.

Notandum tamen, catechumenos, sicut et injuste excommunicatos, imo et illos, qui licet juste excommunicati fuerint, tamen postmodum emendati et vere poenitentes, ut in sinum ecclesiae redire possint sincere exoptant, si fidem et caritatem habeant, ad animam ecclesiae pertinere, ad corpus autem affectu et desiderio.

Consectarium V.

Peccatores etiam manifesti, item haeretici et infideles occulti ad externam et visibilem Christi ecclesiam pertinent.

243. — Prob. I. pars. Peccatores cum reliquis fidelibus ejusdem fidei Christianae professione et eorundem sacramentorum communione conjuncti sunt, atque sub eodem tenentur regimine legitimorum pastorum. Ergo habent omnia, quae ad membrum ecclesiae requiruntur. Quod autem ecclesiae sanctitas in his terris cum hac peccatorum commixtione consistere possit, art. II. §. III. prob. II. probatum est.

Prob. II. pars. Illi ad ecclesiam externam ac visibilem pertinent, qui 1⁰ ab ecclesiae corpore separati non sunt; et 2⁰ omnia illa vincula retinent, quibus membra ecclesiae colligantur. Atqui haeretici et infideles occulti 1⁰ ab ecclesiae corpore non sunt separati, 2⁰ omnia unitatis externae vincula retinent. Ergo etc.

Probat. min. 1⁰ Duplex tantum datur ab ecclesiae communione separatio, quemadmodum a quacunque societate exteriori: altera voluntaria, qua aliquis sponte secedit; altera poenalis, qua propter delictum aliquis ejicitur. Atqui manifestum est, haereticos et infideles occultos nec sponte secedere, nec ab ecclesia ejici. Ergo etc. — 2⁰ Vincula, quibus membra ecclesiae nectuntur, sunt ejusdem fidei professio, sacramentorum participatio, et legitimis pastoribus subjectio; ut ex ecclesiae definitione patet. Atqui haec vincula haeretici et infideles occulti retinent. Ergo etc.

1) Lib. de unitate eccles.

Consectarium VI.

Ergo ecclesia non potest definiri societas praedestinatorum aut justorum.

244. — Prob. I. Ecclesia est societas visibilis, externis et visibilibus vinculis colligata (art. II. §. IV. prop. III.). Atqui justitia et praedestinatio sunt aliquid occultum, internum et invisibile. Ergo etc.

Prob. II. 1° Pradestinati nec omnes, nec soli ecclesiam efficiunt. Non omnes, multi enim sunt, aut saltem esse possunt praedestinati, qui ad tempus nec ad animam, nec ad corpus Christi pertinere possunt. Nam haereticos manifestos extra ecclesiam esse probavimus; sed inter haereticos non raro praedestinati reperiuntur, qui lumine gratiae illustrati, veram fidem et salutem in vera ecclesia reperiunt. Neque soli praedestinati ecclesiam efficiunt, ex consect. V. et prop. II. § III. art. II. Hoc sensu S. *August.* tract. XLV. in Joannem ait: *Secundum praescientiam Dei et praedestinationem, quam multae oves foris, quam multi lupi intus.*

2° Neque ecclesia recte societas justorum dicitur; quamvis enim justi in ecclesia sint, et partem ejus nobiliorem efficiant, tamen soli ecclesiam non constituunt, utpote quae peccatores etiam complectitur.

CAPUT SECUNDUM.

Quaenam ex diversis Christianorum societatibus sit vera Christi ecclesia.

245. — Habemus igitur ecclesiae a Christo institutae naturam et constitutionem non fortuito natam, aut ex mutabili hominum voluntate, sed ab ipso Christo exortam, qui religionem suam hoc splendidissimo apparatu sartam tectamque conservari voluit. Opus grande et magnificum, quod vel sola ratio, si non a Deo profectum agnosceret, certe Deo dignissimum judicaret! Fides pura servatur et integra per professionem externam, ac fidelium in eodem cultu communionem; communionis vincula adstringit sacri regiminis auctoritas; regiminis autem apex et commune centrum in una Petri cathedra collocatum est.

Haec a nobis hucusque ostensa fuerunt et probata; superest nunc, ut sciamus, quaenam sit illa Christi ecclesia, in qua una nobis est acquiescendum. Cum enim certum sit, ecclesiam Christi nunquam esse interituram; necesse est, eam in una Christianarum societatum reperiri. Verum ex his societatibus, quarum plures novimus, nulla est, quae non nomen sibi et praerogativam verae ecclesiae attribuat.

246. — In hac quaestione nunc diligentius versandum; maximi enim momenti est, et omnium gravissima, quamvis non adeo difficilis; non enim in abstrusa rerum altissimarum investigatione versatur, sed in rebus manifestis et quasi ante oculos positis. Simplex methodus est, plana indagandae veritatis via; aspiciendum primo ad exemplar, quod nobis hucusque monstratum est, ad illam ecclesiae imaginem, quae Christi ipsius digito delineata est. Tunc videndum, in qua societate ex iis, quae se Christianas dicunt, haec nobis imago occurrat; ubi hos characteres, has notas, haec lineamenta expressa reperiamus; atque ita pronum erit, veram Christi ecclesiam a falsis secernere. Ubi ergo probatum fuerit, in ecclesia catholica et in nulla alia Christianorum societate omnia illa reperiri, quae a Christo in ecclesia instituta sunt; in illa sola veram et genuinam illius ecclesiae, quam Christus fundavit, formam conspici posse; sequetur necessario haec conclusio: *Ergo ecclesia catholica est sola vera Christi ecclesia.*

247. — Quamvis haec pars tractationis in applicatione tantum eorum consistat, quae in priori capite dicta sunt, non tamen necessarium duximus, eidem omnino rerum ordini inhaerere. Primum quidem, quod hierarchiam attinet ac potestatem docendi,

ministrandi et regendi ecclesiam, res est tam manifesta, in ecclesia Romano-catholica ejusmodi hierarchiam et potestatem existere, ut illud probare necesse non sit. Quod autem in hac causa praecipuum est, nempe an in hac ecclesia legitima sit pastorum successio, an potestas, quam sibi arrogant, eadem ipsa sit, quam Christus Apostolis tradidit, hoc proprie ad illam notam ecclesiae pertinet, quam *Apostolicitatem* appellamus. Deinde satius duximus a pervulgata probandi ratione in hac parte non discedere, quae tam longo et communi omnium catholicorum usu consecrata est; ut scilicet quatuor verae ecclesiae notae statuantur, quas jam in symbolo Nicaeno expressas reperimus, et ex iis vera ecclesia a reliquis discernatur. Hanc methodum eo libentius amplectimur, quod in illis quatuor notis omnes ecclesiae proprietates contineantur, quas supra exposuimus.

248. — Unum excipimus primatum, qui tanti est momenti in hac causa, ut ex hoc solo charactere verae ecclesiae tota quaestio confici posset. Primum igitur investigabimus, ubi primatus ille resideat, quem Christus in ecclesia sua perdurare voluit; deinde notas verae ecclesiae in genere examinabimus; iisque stabilitis collationem faciemus illarum notarum ad ecclesias Christianas. Sic quatuor exsurgunt hujus capitis articuli. *Primus* ostendet, in sola Romana ecclesia perdurare primatum a Christo institutum. *Secundus* de notis ecclesiae in genere aget. *Tertius* probabit notas illas ecclesiae Romano-catholicae convenire. *Quartus* demum examinabit, an aliae quoque Christianorum societates verae ecclesiae notas habeant.

ARTICULUS I.

De primatu Romani pontificis.

OBSERVANDA.

249. — I. Quando Christus Petro primatum dedit in universam ecclesiam, non personalem illi praerogativam conferre voluit, sed ecclesiae suae unitati et incolumitati prospicere. Primatus igitur ad necessariam ecclesiae constitutionem pertinet, neque unquam poterit in ecclesia deficere. Vide art. IV. §. II. prop. I.

Jam frustra Petri successorem quaerimus in iis, qui a nobis separati sunt, Christianorum coetibus; frustra extra ecclesiam catholicam, quae Romanae sedi tanquam centro suo adhaeret, et in sedis hujus Antistite S. Petri successorem ac totius ecclesiae primatem veneratur. Hoc solo argumento, ut diximus, omnis controversia decidi posset; nam ubi semel probatum est primatum Petro collatum ad ecclesiae constitutionem pertinere; necessaria est consequentia, eam tantum ecclesiam veram esse et a Christo fundatam, in qua haec Petri cathedra conspicitur. Jam vero notum est, nullam unquam ecclesiam ausam fuisse, de hac praerogativa cum ecclesia catholica contendere.

250. — II. Theologi catholici omnes cum magna consensione docent, Romanum Pontificem tanquam legitimum D. Petri successorem ex divina institutione habere primatum, non honoris tantum, sed et jurisdictionis; verum in assignandis hujus potestatis limitibus unanimes non sunt; quod utique dolendum est quam maxime, quia non tantum veritati nihil proficiunt disceptationes ejusmodi et dissidia interna, sed magnum detrimentum afferunt causae catholicorum. Nihil enim ita erigit hostium animos, quam discordiae civium. Quamvis etiam directe non impugnentur ea, quae stricte ad fidem pertinere dignoscuntur, multa tamen sunt, quae ecclesiae judicio definita non sunt, nec definiri possunt, atque ideo locum dant disputandi turbulentis et ambitiosis ingeniis. Ecclesia quippe Christum sequitur, qui, cum caput supremum ecclesiae praefecit, noluit minutatim omnia ejus jura determi-

nare, et quasi lineis circumscribere illius potestatem; ne quid eam in tanto locorum et saeculorum spatio impediat, quominus movere se libere possit, et auxilium praebere, ubicunque illud ecclesiae necessitas posceret. Unde et nobis animus non est, in ea jura, quae primatui annexa sunt, singillatim inquirere, atque unde orta ea sint, aut quousque se extendant definire. Praeterquam enim, quod haec magis ad jus canonicum pertinere videantur, limites quoque, quos nobis in hoc opere praefigimus, non paterentur tam latas et litigiosas disputationes. Scimus utique plura esse inter summi Pontificatus jura, quae divelli ab eo nullo modo possunt; scimus et alia esse, quae labentibus saeculis Papae reservata sunt: verum et haec quoque, quando a supremo capite exercenter, censemus non precario jure exerceri, non *ministerialiter*, non quasi accepta ab inferiore, aut usurpata in inferiorem; sed tanquam devoluta in eum, qui spiritualium omnium potestatum supremus apex est. Demus posse aliquid communem Christianorum Patrem, quia Pater est: neque necessarium esse, ut probet jus agendi et praecipiendi, qui Patrem se esse probavit [1]).

1) Qui inter catholicos sunt probi et religiosi viri, causam sedis apostolicae ab illa ecclesiae nunquam distinxerunt, sciunt enim *catholicum* non esse, qui *Romanus* non est. Quapropter non sine vehementi animi dolore vident, inter suos (si tamen inter suos) homines reperiri in primam sedem male affectos, et quandoque in ea convellenda et conspuenda tam inverecundos, ut etiam acatholicis satietatem et fastidium generent. Nihil homines istos deterret, cum sint ad omne opus malum parati, dummodo spes affulgeat faciendae pecuniae, aut partos vili adulatione et malis artibus honores et reditus servandi vel augendi. Cum solenne illis sit ecclesiam Gallicanam appellare; utique operae pretium esset, hujus tam illustris ecclesiae doctrinam per omnia saecula prosequi. Verum nimis prolixum esset hoc opus; et ideo ad auctores remittimus, qui hac de re scripserunt, et testimonia collegerunt tum celeberrimorum virorum, quos haec ecclesia habuit, tum comitiorum ac conciliorum nationalium. Omnia plena sunt amoris et obsequii testificationibus, et ea, quam filii parentibus debent, religiosa observantia. Vide Zeugnisse aus allen Jahrhunderten. *Barruel* du Pape et de ses droits, tom. II. De l'autorité de deux puissances, tom. II. Le comte *de Maistre* liv. I. chap. VII. Pauca tantum hic apponimus. *Petrus de Marca*, quem Febronius *praestantissimum de Marca* vocat, lib. I. cap. II. de concordia sacerdotii et imperii ait: „Cum ecclesia Gallicana inter praecipua et illustria ecclesiae universalis membra censeatur, totius vero corporis caput in ecclesia Romana sit constitutum; fieri non potest, ut verae ecclesiae libertatibus fruatur, nisi capitis hujus communioni inserta sit; retineri autem communio illa non potest, nisi officiis illis caput excolatur, quae principatui apostolicae sedis nemo sanus unquam negaverit. Docendum itaque est, Gallos ab illis ecclesiae primordiis, usque ad nostram aetatem et communionis ecclesiasticam originem in cathedra Petri constituisse, et supremam ecclesiae auctoritatem huic sedi collatam semper coluisse, juxta varios illos gradus, quibus eam pro bono publicae disciplinae, temporis ratione habita, Pontifices Romani explicare consueverunt.“ *Bossuet* sermocinando de unitate ita disserit de sede Romana: „Qu'on ne pense point, que ce ministère de S. Pierre finisse avec lui: ce qui doit servir de soutien à une église éternelle, ne peut jamais avoir de fin. Pierre vivra dans ses successeurs; Pierre parlera toujours dans sa chaire. De là cette chaire de Rome tant célébrée par les pères où ils ont exalté, comme à l'envie, la principauté de la chaire apostolique: l'église mère, qui tient en sa main la conduite de toutes les autres églises, le chef de l'épiscopat, d'où part le rayon du gouvernement, la chaire principale, la chaire unique, en laquelle toutes gardent l'unité.“ Ibidem, postquam de clavibus Petro collatis locutus est: *„Tout est soumis à ses clefs, tout, mes frères, rois et peuples, pasteurs et troupeaux. Nous le publions avec joie: car nous aimons l'unité, et nous tenons à gloire notre obéissance.“*

251. — III. Ad institutum nostrum illud imprimis pertinet, ut ostendamus

Romanum Pontificem legitimum esse S. Petri successorem, atque haeredem illius primatus, quem scimus hunc Apostolum a Christo accepisse. Non enim sufficeret, ut veram Christi ecclesiam quaerentibus probaremus Christum centrum aliquod ecclesiae instituisse, aut pastorem supremum praefecisse universo gregi; nisi illam etiam ecclesiam monstrare possemus, in qua haec praerogativa perseverat. At monstramus eam. Omnium enim oculos perstringit ecclesia Romana, in qua Petri cathedram conspicimus omnium saeculorum laudibus celebratam. Haec est *principalis* illa *ecclesia, unde unitas sacerdotalis exorta est; ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam*[1]).

252. — IV. Fuerunt quidam ante reformationis tempora obscuri nominis haeretici, qui negare ausi sunt, quod per omnia Christianae ecclesiae saecula a toto orbe terrarum constantissime creditum fuerat; nimirum B. Petrum Romae fuisse, et ejus urbis episcopatum ad mortem usque gessisse. Hanc opinionem avide amplexi sunt saeculi XVI. novatores, alii tamen modestius, ut ait *Bellarminus*, alii impudentius hoc argumentum tractarunt. Quidam omnem verecundiam ita abjecerunt, ut negarent Petrum Romae fuisse, ibique mortem obiisse. Alii quamvis factum negare non auderent, quo vix aliud est in historia certius et illustrius; in eo tamen pertinaciter perstiterunt, ut dicerent, Petrum episcopatum urbis Romanae nunquam suscepisse, neque regendae illi ecclesiae immortuum esse. Sic ipse *Calvin.* lib. IV. institut. cap. VI. ait: „Propter scriptorum consensum non pugno, quin illic mortuus fuerit; sed episcopum fuisse, praesertim longo tempore, persuaderi nequeo.“ Similia habent *Magdeburgens.* Centur. I. lib. I. cap. X. Fuerunt demum et alii doctissimi viri, ut *Pearsonius*, *Blondellus* etc., qui rei evidentia convicti ingenue confessi sunt, Petrum Romae sedem episcopalem posuisse, et mortuum esse tanquam urbis illius episcopum. Hoc semel admisso, illud quoque admittere necesse est: *Romanos Pontifices S. Petri successores esse, et in episcopatu haeredes.* Imo suppositis iis, quae in priore capite probata sunt, scilicet Christum Petro primatum contulisse in totam ecclesiam, simulque voluisse ut in ejus successoribus perduraret, sequitur et hoc necessarium consectarium: *Romanos Pontifices S. Petri successores esse in primatu.* Negant

---

Fenelonium praeterire non possumus, cujus sinceram in Romanam sedem pietatem, ac conjunctam cum summis ingenii dotibus simplicem et ingenuum animi candorem nemo est, qui ignorare possit. Cum liber *Fenelonii* (Maximes des saints) cum XXIII. propositionibus ab Innocentio XII. damnatus fuisset, ipse mandatum episcopale promulgavit, in quo inter alia ait: „Omnes ex animo hortamur ad sinceram submissionem et intimam docilitatem, ne sensim marcescat illa erga sedem apostolicam obedientiae simplicitas, in qua praestanda, Deo misericorditer adjuvante, ad extremum usque spiritum vobis exemplo erimus. Absit ut aliquando nostri mentio fiat, nisi forte, ut meminerint fideles, pastorem infima gregis ove dociliorem se praebuisse, nullumque obedientiae limitem fuisse positum.“ Ein anderes Zeugniss dieses grossen und so allgemein verehrten Mannes will ich in deutscher Sprache hieher setzen, denen zu Liebe, die nicht *römisch-*, sondern *christ-katholisch* seyn wollen: „O römische Kirche, ruft *Fenelon* aus, o heilige Stadt, o theure und allgemeine Vaterstadt aller wahren Christen! In Jesu Christo ist weder Grieche, noch Scythe, noch Barbar; weder Jude, noch Heide. In deinem Schoose machen Alle nur ein Volk aus. Alle sind Mitbürger Roms, und jeder Katholik ist römisch. Allein woher kommt es, dass so viele ungerathene Kinder heute ihre Mutter verkennen, sich gegen sie erheben und selbe als eine Stiefmutter ansehen? Woher kommt es doch, dass ihnen ihr Ansehen so viel eitles Misstrauen verursacht?“

1) Irenaei adv. haeres. Lib. III. cap. III.

hoc vehementissime omnes, quotquot unquam ab ecclesia discesserunt haeretici, sed imprimis protestantes, quidquid de caetero de Petri adventu in urbem Romam, et collocata ibi episcopali cathedra sentiant. Nobis eo diligentius in hac quaestione versandum est, quo major est adversantium numerus et inveteratior ira; quamquam ita clara sint omnia et obvia, ut si vellent adversarii praeconceptas opiniones, quibus ab infantia imbuuntur, et partium studia deponere, in oculos irrueret veritas [1]).

1) Ultro et quidem libentissime fatemur, fuisse quovis tempore inter protestantes, qui cum de Romana ecclesia ageretur, viros se ostenderunt sinceri et moderati animi et magnae in judicando aequitatis. Neque ex communi eruditorum turba illi fuerunt, sed omnium longe doctissimi; dedignantur enim magna ingenia, et cum fastidio respuunt iniquas artes et convitia, et puerilem in lacessendo inverecundiam, quibus semidocti utuntur, ut et ipsi aliquid esse videantur. Vide quae ex *Grotio* supra citavimus nota pag. 318. Quibus illud addimus quod in annotatis ad consultationem *Cassandri* habetur p. 51.: „Est ecclesia corpus quoddam, et proinde juncturis quibusdam compaginatum. Hae juncturae sunt episcopi in parte minori; in majore metropolitae, in parte adhuc majore ἔξαρχοι sive primates, rursus in majore alia patriarchae, et in toto corpore is, qui *princeps est patriarcharum, episcopus Romanae urbis;* quae omnia conformata sunt ad exemplar principatus ejus, quem Petrus ex instituto Christi habuit in Apostolos. Unitas enim Antistitis optimum adversus schismata est remedium, quod et Christus monstravit, et comprobavit experientia. Hanc principatus in Romano episcopo utilitatem ingenue agnovere Melanchthon multis locis, Jacobus rex Britanniae, multique in protestantibus viri eruditi.“ Pergit deinde: „Non ob id (ob abusus potestatis) negari debet, quod a multis factum est, principatus illius utilitas, aut etiam obedientia subtrahenda in iis, quae canonibus congruunt, et statum non laedunt. *Hoc si cogitassent protestantium multi, ecclesiam jam haberemus, et individulsam et emendatiorem.*“ Cf. Zeugnisse aus allen Jahrhunderten. *Barruel du Pape* tom. I. part. II. chap. V. Ex *Leibnitio* unicum proferimus ex systemate theologico recens edito. Cum ea, quae in nota citata attulimus, de primatus divina institutione dixisset, ita pergit: „Cum Petrum Apostolum in principe orbis terrarum urbe Roma et ecclesiam gubernasse, et martyrium subiisse, et successorem sibi designasse constanter veteres tradunt, neque ullus alius episcopus unquam ea ratione venerit, *Romanum ceterorum principem* merito agnoscimus. Cujus vis eo porrigitur, ut quemadmodum juramentum servandum est in omnibus, quae cum salute animae servari possunt, ita et *Pontifici Magno tanquam uni visibili Dei vicario in terris sit obediendum in omnibus,* quae sine peccato salvaque conscientia fieri posse, ipsi nosmetipsos interrogantes judicamus, usque adeo, ut in dubio caeteris paribus, obedientia tutior sit censenda; idque faciendum est amore unitatis ecclesiae, et ut Deo in his, quos misit, obediamus. Quidvis enim libentius pati debemus, etiam cum magna jactura nostra, quam ut ab ecclesia divellamur, et schismati causam praebeamus.“

PROPOSITIO I.

Primatus Petro a Christo concessus in Romano Pontifice perseverat.

Argumentum I.

Ex primatus necessitate.

253. — Primatus divinae institutionis est, et in ecclesia nunquam deficere potest (ex art. IV. cap. I.); atqui in nullo alio reperitur primatus ille, quam in Romano Pontifice. Ergo etc.

Prob. min. Certum est, 1⁰ nullum alium in orbe Christiano episcopum praeter Romanum Pontificem unquam se Petri successorem dixisse; nullum unquam ut talem ab ecclesia fuisse agnitum. Quod pluribus probat *Petrus Constant.* Tom. I. epistolarum Rom. Pont. ad annum 440.

Constat 2⁰ omnes Pontifices Romanos a *Lino* usque ad *Pium* IX. per octodecim saecula se constanter pro successoribus S. Petri habuisse, atque ut tales ab orbe Christiano fuisse agnitos. Ergo cum probatum a nobis sit primatum ad eam ecclesiae con-

stitutionem pertinere, quam a Christo accepit, et ab ea divelli amplius non posse; manifestum autem sit, nullam unquam ecclesiam hanc sibi praerogativam arrogasse, praeter Romanam; neque aliam in Christiano orbe ab adversariis designari posse, in qua Petrus supremam, quam a Christo acceperat, potestatem deposuisset: necesse est, eam in Romano Pontifice perdurare.

Argumentum II.

Ex facto Petri et jure successionis.

254. — Ille habet primatum Petro concessum, qui est verus et legitimus Petri successor; atqui Romanus Pontifex legitimus Petri successor est. Ergo etc.

Prob. min. Juxta naturalem successionis legem in societate legali ibi successor quaeri debet, ubi antecessor moriens gradum suum dimisit; atqui Petrus Romae sedem suam habuit, nec inde alio unquam transtulit. Ergo etc.

Prob. min. 1° Quod adventum Petri Apostoli in urbem Romanam attinet et mortem gloriosam ibidem pro fide Christiana toleratam; superfluum existimamus multis argumentis probare, quod a nemine sanae et integrae mentis hodie in dubium vocari potest. „Nihil est, ait doctissimus *de Valois* [1]), in tota historia ecclesiastica illustrius, nihil certius, atque testatius.“ Consentientes habemus, ut jam observatum est, viros ex protestantium coetibus doctissimos. Inter alios *Grotius* comment. in primam S. Petri epist. ait: *Ubi* (Romae) *Petrum fuisse, nemo verus Christianus dubitavit.*

255. — 2° Sed et illud, quod in hac quaestione praecipuum est, scilicet Petrum sedem suam Romae collocasse, et ad mortem usque rexisse ecclesiam illam, non minus certum est, et omnium saeculorum suffragio testatum. Inde sane factum est, ut ecclesia Romana passim ab antiquis *sedes Petri, cathedra Petri* vocata sit. *Navigare audent ad Petri cathedram*, ait S. *Cyprian.* epist. 55. ad Cornel., *atque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est.* Et epist. ad Antonian.: *Factus est Cornelius episcopus, cum Fabiani locus, id est cum locus Petri et gradus cathedrae sacerdotalis vacaret.* Et *Hieronym.* ad Damasum: *Cum successore piscatoris et discipulo crucis loquor: Ego beatitudini tuae, id est cathedrae Petri communione consocior, super illam petram aedificatam ecclesiam scio.* S. *Optatus* lib. II. contra Parmenianum: *Negare non potes, scire te in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem collatam esse;* ibidem: *Sedit prior Petrus, cui successit Linus. Petrus Chrysologus* lib. adversus Eutycheten: *Petrus qui in propria sede vivit et praesidet, praestat quaerentibus fidei veritatem.* S. *August.* lib. II. contra litteras Petiliani Donatistae, cap. XV.: *Cathedra tibi quid fecit ecclesiae Romanae, in qua Petrus sedit?* et epist. 262.: *In Romana ecclesia semper apostolicae cathedrae viguit principatus.* Hinc S. *Prosper* ita canit in carmine de ingratis:

Sedes Roma Petri, quae pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid non possidet armis,
Religione tenet.

256. — Verum testes appellare possumus his antiquiores, ex omnibus Christiani orbis partibus: ex Galliis *Irenaeum*, ex Africa *Tertullianum*, ex Aegypto *Clementem Alexandrinum, Dionysium, Originem* etc., ex Asia *Eusebium;* et quod summi in hac causa ponderis est, Antiochenae ecclesiae praesules, qui ignorare non poterant, Petrum Antiochiae primum sedem posuisse. Nisi ergo perspectum habuissent, eam Romam postea translatam

1) Notae in *Euseb.*

fuisse, ibique jure successionis permansisse, non videtur cur sibi primatus praerogativam non attribuissent. Verum non tantum nullum reperitur alicujus contestationis vestigium; sed ubique Romanae ecclesiae primas deferunt, omnes eam tanquam Petri sedem summa devotione venerantur.

Eandem hanc ecclesiae universalis communem persuasionem et fidem in plenariis conciliis iisque antiquissimis expressam reperimus. In Ephesina synodo generali III. Philippus presbyter et S. sedis legatus actione tertia ad omnes concilii Patres dixit: *Nulli dubium, imo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus Apostolorum princeps et caput, fideique columna et ecclesiae catholicae fundamentum a Domino nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac redemptore claves regni accepit . . . qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus vivit et judicium exercet.* In concilio generali IV., quod anno 451. Chalcedone celebratum est, actione II. postquam lecta fuerat S. Leonis epistola: *Reverendissimi episcopi*, ut in actis dicitur, *clamarunt: Haec Patrum fides, haec Apostolorum fides, omnes ita credimus; orthodoxi ita credunt; anathema ei qui non ita credit! Petrus per Leonem locutus est, Apostoli ita docuerunt.*

Argumentum III.

Ex constanti et consentiente omnium saeculorum traditione circa Romanae ecclesiae praecellentiam, et in omnes alias ecclesias principaliorem potestatem.

257. — Prob. I. *Ex conciliis generalibus.* In concilio Ephesino anni 431 actione IV. Juvenalis Hierosolymitanus Patriarcha sic loquitur: *Oportebat quidem Joannem reverendissimum Antiochiae episcopum, hac sancta et magna et oecumenica synodo considerata, confestim, ut de iis, quae ipsi objiciuntur se purgaret, accurrere et ad apostolicam sedem magnae Romae nobiscum considentem, atque obedire et honorem deferre Apostolico Dei ecclesiae Hierosolymorum* (legendum *Romanorum*); *praesertim cum apud illam sedem Antiochenae ipsi sedi ex apostolico ordine et traditione mos sit dirigi et apud ipsam judicari.*

258. — *Concilium Chalcedonense* anni 451 plura nobis suppeditat primatus apostolici argumenta. Haec pauca sufficiant: 1° Paschasinus aliis legatis praesentibus dixit: *Beatissimi atque apostolici viri Papae urbis Romae, quae est caput omnium ecclesiarum, praecepta habemus prae manibus, quibus praecipere dignatus est ejus apostolatus, ut Dioscorus* (Alexandr. episcop.) *non sedeat in concilio.* Lucentius vicarius sedis apostolicae dixit: *Judicii sui necesse est eum* (Dioscorum) *dare rationem, quia cum personam judicandi non haberet, praesumsit et synodum ausus est facere sine auctoritate sedis apostolicae, quod nunquam licuit, nunquam factum est.* 2° Concilium ipsum actione I. II. et III. passim vocat Leonem *universalis ecclesiae Pontificem.* In relatione autem ad S. Leonem ait: *Rogamus igitus, et tuis decretis nostrum honora judicium; et sicut nos capiti in bonis adjecimus consonantiam, sic et summitas tua filiis quod decet adimpleat.* Multa non minus clara et cum summa omnium episcoporum consensione dicta in posterioribus conciliis reperiuntur, quae brevitatis causa omittimus. Instar omnium sit illud concilii Florentini decretum, quod consentientibus Graecis et Latinis editum est: *Definimus sanctam apostolicam sedem et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse B. Petri principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque ecclesiae caput et omnium Christianorum Patrem ac Doctorem existere, et ipsi in B. Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem ecclesiam a Domino nostro*

Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum conciliorum et in sacris canonibus continetur [1]).

259. — Prob. II. *Ex Patribus.* Ex quibus aliquos tantum et quidem illustriores et antiquiores citamus. S. *Irenaeus* lib. III. cap. III. Romanam ecclesiam vocat omnium *maximam et antiquissimam, a gloriosissimis duobus Apostolis Petro et Paulo fundatam. Ad hanc enim ecclesiam*, ait, *propter potentiorem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles; in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae ab Apostolis est, traditio.* Tertull. lib. I. de pudicitia ait de Romano Pontifice: *Audio esse edictum propositum, et quidem peremptorium; Pontifex maximus, quod est episcopus episcoporum edicit: Ego et moechiae et fornicationis delicta poenitentia functis dimitto.* Licet Tertullianus jam tum Montanista factus haec per ludibrium dixisse videatur, indicat tamen Romanum Pontificem jam tum a catholicis communi consensione ita vocatum fuisse. Aliud Tertulliani testimonium videri potest apud clarissimum D. *Hooke*, una cum hujus auctoris responsione ad *Moshemii* cavillationes contra Irenaei et Tertulliani loca. *Athanasius* in epistola ad Felicem Papam ait: *Ob id vos praedecessoresque vestros apostolicos videlicet praesules in summitatis arce constituit, omniumque ecclesiarum curam habere praecepit, ut nobis succuratis.* *Theodoretus* epist. ad Renatum presbyterum: *Tenet S. Romana sedes gubernationem regendarum cuncti orbis ecclesiarum.* SS. Cypriani, Hieronymi, Augustini etc. testimonia jam vidimus.

1) Quod concilium Florentinum in sua definitione nihil novi tribuerit Romano Pontifici, sed explicaverit tantum illam auctoritatem, quam omnis in eo agnovit ecclesia, constat ex declaratione concilii Basileensis, quod scimus non fuisse in sedem apostolicam justo largius. In responsione synodali ad orationem ab archiepiscopo Tarentino pro Eugenio IV. habitam ita loquuntur concilii Patres: *Late explicat* (orator) *jurisdictionem et potestatem summi Pontificis, quod caput sit, et Primas ecclesiae, vicarius Christi, et a Christo, non ab hominibus vel synodis aliis praelatus, et pastor Christianorum, et ei datae sint a Domino claves; et uni dictum sit: Tu es Petrus; et solus in plenitudinem potestatis vocatus sit; alii in partem sollicitudinis et multa hujusmodi, quae cum vulgatissima sint, minime necessarium erat recensere. Ista plane fatemur et credimus operamque in hoc sacro concilio dare intendimus, ut omnes eandem sententiam credant.*

Argumentum IV.

Ex eo, quod Romani Pontifices a primis statim saeculis sese gesserint tanquam supremos ecclesiae pastores et potestatem exercuerint in omnes ecclesias.

260. — Prob. Ex factis pene innumeris pauca seligimus, quae indicare tantum, aut succincte enarrare hic possumus. Habemus ex primo saeculo S. *Clementis* Rom. *potentissimas litteras*, ut S. *Irenaeus* ait [1]), ad Corinthios ob exortas in ea ecclesia dissensiones datas. Saeculo secundo *Victor* Papa magnam auctoritatem exseruit, in eo quod cum Asiaticis quartodecimanis habuit dissidio; magnam saeculo tertio *Stephanus*, in causa rebaptizantium. Eodem saeculo contigit, ut S. Dionysius Alexandrinus ob haeresis suspicionem a catholicis apud S. Dionysium Papam accusaretur, a quo *re diligenter perpensa*, ut S. Athanasius scribit [2]), *absolutus est Dionysius.* Sequentibus saeculis, cum, pace ecclesiae data, liberius tractari poterant negotia ecclesiastica, et internis dissidiis gravius quam unquam antea conflictabatur ecclesia, frequentiora etiam et illustriora occurrunt hujus supremae po-

1) Lib. III. advers. haeres. cap. III.
2) *Athanas.* apud Baron. ad annum 263.

testatis exempla[1]). Notum est, quid *Julius* Papa egerit in causa S. Athanasii, aliorumque episcoporum, qui ab Arianis depositi fuerant, quid *Liberius* in causa Eusthatii Sebasteni; et *Innocentius* I. in causa S. Joannis Chrysostomi, qui iniqua sententia damnatus, ad auctoritatem apostolicae sedis confugit. In prima epistola ad Innocentium data inter alia ait: *Scribite, precor, et auctoritate vestra decernite, hujusmodi inique gesta nobis absentibus et judicium non declinantibus, nullius esse roboris.* Plura videri possunt apud auctores, qui hanc materiam fusius tractarunt. Ceterum ne ipsi quidem protestantes inficiantur, quod a tempore imprimis Leonis Magni Romani Pontifices potissimam auctoritatem exercuerint in omnes Christiani orbis ecclesias.

261. — Corollarium I. *Ergo Romanus Pontifex non honoris tantum, sed et jurisdictionis primatum habet.*

Prob. I. Romanus Pontifex tanquam verus et legitimus Petri successor illum primatum habet, quem

1) Nihil potest ineptius cogitari, quam si argumentum contra Romanam sedem ex eo desumitur, quod in primis ecclesiae saeculis eum splendorem non habuerit, quem postmodum per totum Christianum orbem effudit. An idem potest esse solis orientis splendor, quam in meridie coruscantis? Idem puerilis aetatis vigor, quam maturae? An ergo ecclesia integra potestate se ipsam regendi et disciplinam ordinandi, quam a concilii Nicaeni tempore cum tanta auctoritate exercuit, primis illis saeculis destituta fuerat, quia paucissimae reperiuntur ecclesiasticae leges? Rationes hujus rei a Canonistis plures afferuntur. Dicunt, pauca superesse monumenta, plurima temporum injuria periisse; compressam et quasi constrictam fuisse ecclesiasticam potestatem inter saevissimas et fere continuas imperatorum persecutiones; recentem fuisse eorum, quae ab Apostolis constituta fuerant, memoriam; multo rariores fuisse tum in plebe tum in clero abusus, episcopos regendis ecclesiis indefesso zelo incubuisse etc. Verum quis non videt haec omnia nunquam magis valere, quam cum de primatus exercitio agitur? Unde, quisquis sincerus rerum aestimator est, potius mirabitur testimoniorum, quae in hanc rem afferuntur, abundantiam; cum in plerisque materiis, ad religionem Christianam quam maxime pertinentibus, tot ex illis saeculis argumenta non supersint. Sunt quoque non pauci inter hodiernos primorum ecclesiae saeculorum subdoli laudatores, qui Romanos Pontifices a prisca episcoporum simplicitate et Patrum institutis penitus recessisse clamant; hinc abusus undique irrepsisse. Sed noscimus homines, noscimus simulatores; non de abusibus ipsis cura est, quos versuto zelo exaggerant, aut non raro malitiose et criminando in sedem Romanam impingunt. Hinc quidam optime ait: Mirum nonnisi perditos homines fere reformatores agere! Hypocritae! Exultatis prae gaudio, si forte festucam deprehenditis in iis, quos summa veneratione colere vos jubet religio; at trabem in oculis vestris non videtis. Quid ergo tantopere vos offendit homines, quos manifestissimi abusus, ex quibus toti conflati estis, non offendunt? Abusus in ecclesia semper fuisse, et adhuc existere nemo unquam dubitavit, nec ego dubito; et si dubitassem, id utique vobis cognitis credetrem. — Je trouve sur cet objet d'excellentes réflexions dans l'ouvrage déjà cité de M. *le Comte de Maistre, Esprit générateur* etc. pag. 36 et suiv.: C'est une pitié, dit-il, de voir d'excellens esprits se tuer à prouver par l'enfance, que la virilité est un abus; tandis qu'une institution quelconque, adulte en naissant est une absurdité au premier chef, une véritable contradiction logique. Si les ennemis éclairés et généreux de cette puissance (du souverain Pontife) examinent la question sous ce point de vue, comme je les en prie avec amour, je ne doute pas, que toutes ces objections tirées de l'antiquité ne disparaissent à leurs yeux comme un léger brouillard. Quant aux abus . . . je dirai seulement, puisque ce sujet se rencontre sous ma plume qu'il y a bien à rabattre des déclamations que le dernier siècle nous a fait lire sur ce grand sujet. Un temps viendra, où les Papes, contre lesquels on s'est le plus recrié, tels que Grégoire VII., seront regardés dans tous les pays, comme les amis, les tuteurs, les sauveurs du genre humain, comme les véritables génies constituans de l'Europe.

S. Petrus a Christo accepit (ex propositione); atqui Petrus primatum accepit honoris et jurisdictionis, ut supra probatum est[1]). Ergo etc.

Prob. II. Quae in propositionis probationem attulimus argumenta evidenter evincunt, Patres primorum saeculorum, cum Romanae ecclesiae praecellentiam extollunt, non de tituli et honoris praerogativa locutos fuisse, sed de potentiore principalitate, et totius ecclesiae praefectura. Patet etiam ex iisdem argumentis Romanos Pontifices curam gessisse omnium ecclesiarum, et quae necessaria videbantur, cum suprema auctoritate constituisse: haereticos etiam aliarum ecclesiarum damnasse, episcopos exauctorasse, injuste dejectos sedibus restituisse, concilia coëgisse, leges pro universa ecclesia dedisse, aliaque exercuisse jura, quae veram et proprie dictam jurisdictionem probant: quae omnia in jure canonico fusius exposita et probata inveniuntur.

262. — Corollarium II. *Romanus Pontifex jure divino primatum obtinet.*

Probatur. Romanus Pontifex tanquam Petri successor illum habet primatum, quem Christus ipse S. Petro tradidit, et quem in legitimis illius successoribus voluit perdurare (ex propos.). Ergo jure successionis exercet primatum jure divino institutum. Ergo etc.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM

contra propositionem.

263. — Argument. In scripturis 1° nullibi legitur, quod Petrus sedem suam in urbe Romana collocaverit, et Romanum episcopum haeredem instituerit suae potestatis; contrarium potius ex pluribus scripturae locis colligi potest: nam Paulus ad Romanos scribens, et plurimos salutans altum silet de S. Petro. 2° Paulo Romam veniente obviam venerunt fratres (Actor. XXVIII.), de S. Petro autem nulla fit mentio. 3° Si Petrus aliquando Romae fuit, non potuit diu in illo loco consistere, neque ibi mortem obiit; nam paulo ante excessum ex hac vita in Babylone erat, quae est Chaldaeae metropolis. Sic enim scribit cap. V. primae epist. v. 13.: *Salutat vos ecclesia, quae est in Babylone collecta.* Ergo etc.

264. — Resp. 1° Ex scripturis certum est, Christum primatum instituisse, eumque perpetuum esse voluisse; exinde consequens est, aliquem Petro succedere in publico suo ministerio debuisse: illum autem esse Romanum Pontificem, habemus ex traditione constanti et uniformi. Adversus hanc positivam auctoritatem traditionis nulla est vis argumenti negativi. 2° Nihil etiam evincunt argumenta ex scripturis allata.

Ad I. Illud, quod Paulus Romam scribens nuspiam Petri mentionem faciat, cum tamen alios bene multos salutet, levissimum est. Variae enim hujus rei causae esse potuerunt, quas divinare nos in tanta temporum distantia non possumus. Idem Apostolus ad Ephesios scribens non salutat Timotheum, neque S. Jacobum in epistola ad Hebraeos directa. Forsan Petrus tunc temporis Romae non aderat; quamvis enim sedem sibi constituerat, saepius tamen excurrens alias aut fundavit, aut visitavit ecclesias. Constat autem ex eadem epistola ad Romanos, quae anno 58 Corinthi scripta fuit, jam tum Romae florentissimam ecclesiam fuisse ex Judaeis et gentibus congregatam. Paulus nondum in Urbem venerat (Rom. I, 13.); quis ergo hujus ecclesiae prima fundamenta jecit, nisi S. Petrus, quod unanimiter tota affirmat antiquitas?

265. — Ad II. Vel Petrus in Urbe non aderat, quando Paulus advenit:

1) Cap. I. art. IV. §. 2. prop. II.

vel, quod aetati illius ac dignitati quam maxime conveniebat, Apostolum Romae exspectabat, missis interim quibusdam ex fidelibus fratribus, qui eum in Urbem deducerent.

266. — Ad III. Ea, quae ex prima Petri epistola citantur, non tantum contraria non sunt sententiae nostrae, sed eam magis confirmant. Babylon illa, de qua S. Petrus loquitur, ipsa est Romulea civitas, seu Roma illa antiqua et gentilis, quae ut S. Leo ait[1]): *Cum omnibus dominaretur gentibus, omnium gentium serviebat erroribus.* Haec passim in Apocalypsi vocatur Babylon[2]), ut Tertullianus observat. Hanc etiam a S. Petro hoc nomine designari, testes sunt antiquissimi Patres; et ex recentioribus etiam inter protestantium interpretes doctissimi viri *Usserius*, *Blondellus*, *Casaubonus*, *Pearsonius*, *Grotius* etc. Inter alios *Grotius* ait[3]): *De Babylone dissident veteres et novi interpretes. Veteres Romam interpretantur, ubi Petrum fuisse nemo verus Christianus dubitabit.* Mirum quanta sit adversariorum nostrorum in judicando aequitas! In Roma ethnica omnis generis criminibus et superstitionibus foedata Babylonem non vident; quod Apostoli, quod Patres antiquissimi viderunt, non vident: at Romam Christianam, ab eo imprimis tempore, quo expulsis profanis et impuris ritibus tota supremi Dei cultui consecrata fuit, Babylonem vocare non cessant. Haec abominabilis bestia, haec meretrix magna, haec sedes Antichristi, in hac spurcitiis et daemonibus omnia plena.

267. — Instant. 1° Scriptores, qui Petrum Romam venisse, et martyrium ibi subiisse commemorant, mire inter se dissentiunt. Ergo fidem non merentur. 2° S. Paulus eodem jure dici posset Romanus episcopus ac S. Petrus: nam aeque in fundanda illa ecclesia laboravit, in ea quoque cursum Apostolatus illustri martyrio consummavit. Sed tamen duos esse non posse eodem tempore ejusdem urbis episcopos omnes consentiunt. Ergo neque illud certum est, S. Petrum proprium fuisse Romanorum episcopum.

Resp. ad I. Ex illa scriptorum discrepantia, tum circa annum, quo Petrus Romam venit, tum circa annum mortis ejus, nihil inferri potest contra facti substantiam. Quinimo res ipsa magis firmatur per illam in accidentalibus diversitatem. Solide observat *Bellarminus*[1]), quod sicut discordia signum falsitatis sit, quantum ad hanc vel illam circumstantiam, sic et unanimis, quantum ad factum ipsum, quod scilicet Petrus Romae sederit ibique obierit, concordia signum sit veritatis. Quis v. g. unquam dubitavit, Christum in Bethlehem natum fuisse et Jerosolymis mortem oppetiisse, quamvis circa annum, quo natus aut mortuus fuerit, diversae sint chronologorum sententiae? Quod Petrum attinet, vulgaris opinio est eum post episcopatum Antiochensis ecclesiae secundo Claudii anno Romam venisse, ut S. *Hieronymus* scribit[2]), ibique XXV annis cathedram sacerdotalem tenuisse usque ad ultimum Neronis annum, id est XIV. Hanc sententiam inter alios tuetur *Natalis Alexander* dissert. XIII. ad saecul. I. prop. III. Non desunt tamen inter eruditos, qui cum doctissimo *Pagio* contendunt Petrum undecim tantum annis Romae sedisse[3]).

268. — Ad II. Romana ecclesia semper Petrum et Paulum tanquam Patres suos et Pastores venerata est, quia utriusque laboribus fundata et amplificata est, utriusque sanguine quodammodo consecrata. Sed nemo unquam

1) Serm. I. de Natali Apostolor. 2) Apoc. XIV. XVI. XVII. XVIII. 3) Comment. in epist. I. Petri.

1) Lib. II. de Rom. Pont. cap. V. 2) Lib. de scriptorib. eccl. in Petro. 3) Vid. *Stolberg* VI. Bd. pag. 154 sq. 169 et al.

aestimavit, B. Paulum cum Petro episcopatum proprie dictum illius urbis divisisse. Quamvis ergo summi Pontifices successores se dicant Apostolorum Petri et Pauli, quamvis etiam in Romanae ecclesiae insignibus Paulus cum Petro semper conjunctus fuerit; nunquam tamen crediderunt, se episcopatum urbis Romae et primatum in tota ecclesia a S. Paulo habere. Roma fidem ab utroque Apostolo accepit, utriusque martyrio illustrata est, utriusque corpora ipsa possidet. Hanc amplissimam haereditatem ambo huic ecclesiae reliquerunt, at sedem episcopalem et principalem cathedram solus Petrus reliquit. Hinc Romana ecclesia non Pauli sedes aut cathedra dicitur, sed Petri, nec Paulo a Patribus id adscribitur, quod caput facta sit orbis.

Contra Corollarium I.

269. — Argum. 1° Ex eo, quod Romani Pontifices jurisdictionem exercuerint in alias ecclesias, nihil concludi potest; nam alii episcopi idem tentarunt. Quid non egit *Theophilus Alexandrinus* in causa Origenistarum, et in alia S. *Joannis Chrysostomi?* 2° In synodo Milevitana II. decretum est, nemini licere trans mare appellare, quod cum jurisdictione Romani Pontificis stare non potest. 3° Antiquissimi Patres Romanum Pontificem *fratrem* appellarunt; et *Cyprianus* in concilio Carthag. anno 256 habito in dominatum Romani episcopi ita invehitur: *Neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem collegas suos adegit.* 4° Si Romanus Pontifex jurisdictionem haberet in omnes et singulos orbis Christiani episcopos, merito dici posset *episcopus universalis.* Atqui talis dici non potest; nam S. *Gregorius* M. in variis epistolis [1]) *Joannem* Constantinopolitanum patriarcham graviter insectatur, quod illud nomen affectaret, illudque ait esse blasphemiae nomen, nefandum et profanum tumorem, nomen stultum et praesumptionem temerariam, qua turbaretur pax ecclesiae etc.

270. — Resp. ad I. Probavimus jurisdictionem RR. Pontificum in omnes ecclesias a primis saeculis exercitam et ab omnibus agnitam fuisse; quod de nullo orbis episcopo dici potest. *Theophilus* in synodo Alexandrina Origenistas damnavit, idque jure facere potuit. Quae autem in illo concilio decreta fuerant, cum synodica epistola misit ad *Anastasium* Papam. Aliter omnino sentiendum de iis, quae idem Theophilus in S. Joannem Chrysostom. contra omnes canonicas regulas molitus est. S. Chrysostomus a Theophili sententia ad *Innocentium* Papam appellavit, qui illam irritam declaravit et iniquam.

271. — Ad II. Jus appellationum ad Romanum Pontificem pertinere, in jure canonico probatur ex antiquissimo ecclesiae usu, imprimis ex decretis concilii Sardicensis anno 347 habiti. Hujus concilii decretis derogare nec potuisset, nec voluisset Milevitanum II., restringere tantum voluit jus appellationum, non autem legitimum ejus usum tollere.

272. — Ad III. Quamvis episcopi aliqui Romanum Pontificem *fratrem* appellaverint, eum nihilominus tanquam primatem suum venerati sunt. Christus dixit Petro [1]): *Confirma fratres tuos*, quamvis eum caput constituerit Apostolorum. Quinimo Christus ipse Apostolos *fratres* appellat [2]): *Ite, nuntiate fratribus meis, ut eant in Galilaeam.* Quod verba attinet ex S. Cypriano allata, respondemus, ea nihil probare contra jurisdictionem Romani

1) *Gregor.* M. ep. II. lib. V. alias XXXII. lib. IV. Item ep. XVIII. alias XXXVIII. epist. XLIII. alias XXXVI.

1) *Luc.* XXII, 32. 2) *Matth.* XXVIII, 10.

Pontificis, quam S. Doctor tam parum negavit, ut nullus fere antiquorum ecclesiae Patrum sit, qui eam clarius et expressius docuerit. S. Cyprianus falso sibi persuaserat, se in illa rebaptizantium causa veram tenere doctrinam et erroneam esse eam, quam sanctus Stephanus tuebatur. Unde aegre admodum ferebat, quod Stephanus dissentientes episcopos censuris ecclesiasticis ad obsequium compellere voluerit. Ceterum dissimulare non debemus, Cyprianum in hac controversia modum excessisse. *Illa, quae in Stephanum irritatus effudit Cyprianus, retractare nolo, ... ea praeterire melius* ait S. *Augustinus* [1]). Verum, ut ait idem S. Doctor [2]), si quid ab eo peccatum fuit *ad purgandum, gloriosa martyrii falce purgatum est.*

273. — Ad IV. S. Gregorius merito rejecit fastuosum *episcopi universalis* nomen; 1° quidem quia verba illa in eo sensu sumi poterant, ac si unus tantum esset proprie in orbe Christiano episcopus, ceteri autem omnes ejus tantum delegati essent et vicarii; qui sensus falsus est et absurdus. 2° Optime noverat S. Gregorius, quousque tandem patriarchas Constantinopolitanos propellere poterat inquieta illa sese erigendi ambitio. Jam enim illud effecerant in concilio Constantinopolitano primo, ut priores honoris partes post Romanum Pontificem haberent, quae dignitas frustra renitentibus sedis apostolicae legatis in concilio Chalcedonensi confirmata fuit, addita jurisdictione in dioeceses Ponticam, Asiaticam et Trasicam. His non contenti nomen quoque oecumenici episcopi assumserunt, quod audierant S. Leoni in concilio Chalcedon. a presbyteris et diaconis Alexandriae ecclesiae datum fuisse. Nemo sibi hunc honorem ambitiosius arrogavit, quam Joannes IV. cognomento *Jejunator*, quem ea de causa insecuti sunt Pelagius II. et S. Gregor. M. Timebant scilicet, ne novae Romae episcopi, pro suo ingenio ad schisma et defectionem converso, tandem ab obsequio primae sedis penitus discederent, et ceteros Orientis episcopos, in quos sub titulo *Patriarchae oecumenici* imperatoriam aliquomodo potestatem exercebant, secum in perniciem traherent. Inanem non fuisse tanti mali timorem postea comprobavit eventus. Haec igitur ratio erat, cur Romani Pontifices, ut ambitiosa aliorum consilia everterent, ipsi quoque a se abegerint fastuosum episcopi universalis nomen, quamvis illud sibi assumere potuissent legitimo sensu intellectum. Cf. *Bellarminus* de Rom. Pont. lib. II. cap. XXXI.

Contra Corollarium II.

274. — Argum. I. Romana ecclesia jure tantum ecclesiastico primatum habet. Ergo etc.

Prob. Ex celebri canone XXVIII. concilii Chalcedonensis, ubi dicitur: *Antiquo Romae throno, quod urbs illa imperaret, jure Patres privilegia contulerunt; et eadem consideratione moti CL Deo amantissimi episcopi novae Romae throno aequalia contulerunt privilegia, recte judicantes urbem, quae et imperio et senatu honorata sit, et aequalibus cum antiquissima Regina Roma privilegiis fruatur, etiam in rebus ecclesiasticis non secus atque illam extolli et magnifieri, secundam post illam existentem.* Id quoque confitetur Zosimus Papa ad Africanos scribens: *His accedit apostolicae Sedis auctoritas, cui in honorem S. Petri Patrum decreta peculiarem sanxerunt reverentiam.* Eodem modo loquuntur Valentinianus III. in Novella 100. et Justinianus Novella 151.

275. — Resp. I. Ex eo quod Romanae sedis auctoritas per Patrum decreta sancita fuerit, non sequitur, eam origine divinam non esse. Patres v. g.

1) Lib. I. contra Donatist. vid. etiam lib. V. de baptis. cap. XXV. 2) Epist. CVIII. alias CCLV.

saepe dicunt Verbi divinitatem Patrum Nicaenorum decreto esse sancitam, an igitur ad divinam Christi revelationem non pertinet?

276. — Resp. II. Canon ille concilii Chalcedonensis a Romana ecclesia, id est in toto Occidente nunquam receptus fuit. Quodsi nihilominus timetur, ne tot episcoporum auctoritas praejudicium inferat primatui Romanae ecclesiae; responderi potest, ibi non agi de primatu, quem Romanus Pontifex jure divino habet in totam ecclesiam, sed de jure, quod ipsi tanquam patriarchae competit in ecclesias occidentales. Hanc explicationem defendit *Dupinus*, de antiqua ecclesiae disciplina, dissert. IV. Et vero si de primatu actum fuisset in illo canone, non intelligitur, cur S. Leo, qui illum variis epistolis impugnat, nusquam tamen quereretur hanc concilii sanctionem sibi suoque primatui obesse. De eo tantum expostulat: *Quod secundi honoris privilegium sedes Alexandrina perdiderit, et Antiochena ecclesia proprietatem tertiae dignitatis amiserit.*

277. — Argum. II. Primatus Romani Pontificis fundatur in facto Petri, quod factum mere humanum est et voluntarium; si enim Petrus sedem Romae non fixisset, Romanus Pontifex non succederet. Ergo primatus Romani Pontificis juris divini esse non potest.

Resp. neg. conseq. Ergo juris divini non est, Romanum Pontificem Petro in primatu succedere, *conc.* Ergo primatus, quem Romanus Pontifex tanquam Petri successor habet, juris divini non est, *neg.* Audiamus doctissimum *Bellarminum* de hac materia accurate et solide disputantem [1]). „Successio ipsa (in primatum Petri) ex Christi instituto et jure divino est; quia Christus ipse instituit in Petro pontificatum duraturum usque ad finem mundi, et proinde quicunque Petro succedit, a Christo accipit pontificatum. At vero, quod episcopus Romanus, quia episcopus Romanus est, sit Petri successor, ex facto Petri ortum habuit, non ex prima Christi institutione. Nam potuisset Petrus nullam sedem particularem sibi unquam eligere, sicut fecit primis quinque annis; et tunc morienti Petro non episcopus Romanus neque Antiochenus successisset, sed is, quem ecclesia sibi elegisset; potuisset quoque semper manere Antiochiae, et tunc Antiochenus sine dubio successisset; quia vero Romae sedem fixit et tenuit usque ad mortem, inde factum est, ut Romanus Pontifex ei succedat."

278. — Instant I. Ex eo quod S. Petrus sedem episcopalem Romae tenuerit usque ad mortem, sequitur tantum Romanum Pontificem ei necessario succedere in episcopatu: verum nihil impedit, quominus primatus ab ecclesia Romana in aliam sedem transferatur. Ita Romanus Pontifex Petri quidem successor maneret in episcopatu; ille autem, qui Primas eligeretur, ei succederet in primatu. Ergo etc. [1]).

1) Lib. II. de Rom. Pontif. cap. XII.

1) Hanc sententiam inter alios defendit *Stephan. Rauttenstrauch,* ordinis S. Benedicti abbas, saeculo decimo octavo ad finem vergente Augustae Vindel., SS. Canonum professor, qui in institutionibus juris ecclesiastici Tom. I. sect. II. cap. I. §. 114. haec habet: „Quamdiu praeter merum illud Petri factum nihil profertur amplius, non satis nexus ille primatus cum sede Romana jure divino necessarius intelligitur, ut neque adeo sit, cur ecclesiae pro ea, qua pollet in administrando imperio sacro potestate, jus electionis liberae attribui isthic non debeat." Hanc sententiam multi hac aetate avide amplexi sunt, habet enim pro iis, qui libenter in superficie haerent, aliquam speciem veritatis, habet imprimis ex novitate commendationem; verum ii, quibus majus acumen est ingenii et mens recta, facile intelligunt latentem fallaciam, atque cum horrore repellunt systema, qua nova et infausta discordiarum semina in ecclesiam projicerentur. Duplex in hac senten-

Resp. neg. ant. Falsa est, et in odium Romanae sedis conficta nova haec et omni retro antiquitati inaudita sententia. In S. Petro apostolatus separari a primatu non potuit, quamdiu viveret; ergo neque post ejus mortem separari potest. De hac separatione nec Petrus unquam cogitavit, neque post eum ecclesia. In cathedra Romana sedit totus, et Apostolus et caput Apostolorum; in ea ergo ecclesia omnem illam potestatem reliquit, quam ipse habuit, et quae ex Christi instituto debuit in ecclesia perdurare. Quamvis igitur Christus ipse primatum nulli particulari ecclesiae annectere voluerit, aut saltem praecepti divini nullum certum habeatur testimonium; dubitari tamen non potest, eam Christi voluntatem fuisse, ut in illa ecclesia primatus permaneret, quam S. Petrus eligeret, et in qua ipse summi pontificatus apicem collocaret. Hic modus primatum in ecclesia conservandi in jure naturali successionis fundatur. Hunc solum sapientia Christi dignum judicamus; quia solus est fini primatus accommodatus. Pone enim, quod ex libera ecclesiae electione successio dependeret; an non illud, quod in bonum unitatis, pacis et ordinis a Christo institutum fuit, novum fieret in ecclesia discordiarum et schismatum seminarium?

279. — Praeterea, si ecclesiae potestas competeret primatum in aliam sedem transferendi, Romanus Pontifex praerogativam primatus jam non ex facto Petri haberet, sed ex consensu ecclesiae, quae voluit hucusque illum tanquam caput suum venerari, qui

---

tia error est; primus quod institutionem primatus in urbe Romana cum ejus duratione confundat. Equidem quod primatus a S. Petro Romae collocatus fuerit, ex facto Petri deducitur: quod autem ibi perduret, neque avelli amplius ab illa sede possit, ex naturali successionis jure eruitur. Secundus error est, quod S. Petri episcopalem dignitatem a primatu separet, quod nemini antea videtur in mentem venisse; ideoque totius ecclesiae constanti et uniformi doctrinae contradicit. Verum etiamsi Petrus de hac distinctione cogitasset, manifestum tamen est, eum non episcopatum tantum, sed et primatus auctoritatem Romanae ecclesiae reliquisse. Unde nihilominus sequeretur quod volumus: Romanum Pontificem Petro sicut in episcopatu, ita et Pontificatus praerogativa succedere. — Non exiguum iis, quae attulimus argumentis robur accedit ex eo, quod neminem sincere affectum, et recta intentione praeditum latere potest: protectionem nempe divinam ecclesiae Romanae speciali modo semper fuisse impensam; utpote quae inter continuas temporum vicissitudines, et imperiorum conversiones firma perstitit, quamvis paganorum furore, barbarorum incursionibus, omnium haereticorum machinationibus, Graecorum perfidia et aemulatione, ac non raro internis dissidiis iisque gravissimis dire vexata et dilacerata. Stetit inter medias procellas supra petram fundata arx summa ecclesiae; stetit immota inter continuos errorum turbines, veritatis et fidei magistra. Quidquid enim de infallibilitatis praerogativa sentiamus, illud tamen negare non possumus, quod omnium saeculorum experientia ad oculum demonstrat; scilicet nullam unquam haeresin ad hanc ecclesiam habuisse accessum, cum e contrario aliae patriarchales et apostolicae sedes, variis saepe erroribus contaminatae, omnimode demum ab ecclesiae unitate defecerint. De Romana ecclesia sic scribit Agatho Papa ad concilium generale VI., cui epistolae innumerabiles episcopi subscripserunt: *Hujus auctoritatem, utpote Apostolorum omnium principis, semper omnis catholica Christi ecclesia, et universales synodi fideliter amplectentes in cunctis secutae sunt: haec enim apostolica Christi ecclesia per Dei gratiam a tramite apostolicae traditionis nunquam errasse probabitur, nec haereticis novitatibus depravata succubuit.* Hoc quidem, etiamsi alia argumenta non adessent, jam violentissimam pro ecclesia Romana praesumptionem pareret morali certitudini aequivalentem, eam scilicet a tempore, quo B. Petrus primatus cathedram in ea posuit, fundamentum illud esse, illam petram, supra quam Christus aedificavit ecclesiam suam, contra quam portae inferi nunquam praevalebunt. Cf. D. *Brandmayer* introduct. in Theolog. §§. 234. et 235.

Petro in episcopatu Romano successerat. Verum hanc non fuisse antiquorum mentem ex omnibus eorum testimoniis patet, quae in propositionis probationem adduximus. Sed nec ipsi sedis Romanae infensissimi hostes de subtili hodiernorum quorundam canonistarum distinctione aliquid unquam suspicati sunt. Quid Graecis schismaticis facilius fuisset, quam dicere, se concilii oecumenici auctoritate primatum in sedem Constantinopolitanam transtulisse, ut ita patriarcha Constantinopolitanus verus Petri successor esset in primatu, licet ei in episcopatu non succederet? Verum haec separari non posse, tam certo illis persuasum erat, ut potius ad omnes alias quantumvis frivolas rationes confugerint. Ipse Photius, cujus subtile ingenium in texendis fraudibus exercitatissimum erat, modernam distinctiunculam prorsus videtur ignorasse. Quia ergo primatus Romani Pontificis legitime ex facto Petri deducitur, consequens est, eum a Romana sede avelli non posse, hac ipsa ratione, quod factum infectum fieri nequeat.

280. — Instant II. Primatus ab urbe Roma Avenionem translatus est a Clemente V. anno 1305, et nonnisi anno 1377 sub Gregorio XI. Romam rediit. Ergo a sede Romana divelli potest.

Resp. neg. ant. Romanus Pontifex Avenionem quidem secessit, ob rationes, quas hic examinare locus non est; sed primatus a sede Romana avulsus non est; Clemens V. ejusque successores urbis Romae episcopi erant, neque alio unquam titulo primatum exercuerunt. Urbs Avenionensis, quamvis Papa ibi resideret, proprium episcopum habuit; Roma autem, quamdiu Papa aberat, alium non habuit. Ideo vehementissime doluit se tanto tempore suis orbatam fuisse pastoribus. Imo omnes, qui Pontificem ad repetendam Urbem quam maxime hortabantur, summam in eo argumento vim ponebant, quod deberet in ea ecclesia, cujus episcopus esset, residere.

ARTICULUS II.

De notis verae ecclesiae in genere.

281. — Argumentum maximi ponderis exegimus contra protestantes, omnesque alias Christianorum societates a Romana ecclesia separatas. Christus primatum instituit, illum S. Petro tradidit ad successores propagandum: Petri successores praeter Romanos Pontifices nullos invenimus; ergo in his primatus perdurat a Christo institutus. Ergo ecclesia, quae hoc caput non habet, vera Christi ecclesia non est. Nunc ad alia pergimus, quae novam huic materiae lucem affundunt tam largam et copiosam, ut capi non possit hominum illorum coecitas, quae in tanta claritate non vident. Nobis interea, quos catholica ecclesia vix natos sinu suo excepit; quos non aluit tantum et enutrivit, sed et singulari benevolentia inter ministros suos cooptavit, nobis, inquam, non exiguum exinde solatium accedere debet et grati animi incitamentum, quod sciamus, non inane esse, quod gerimus Christianorum nomen, neque matrem nos habere, quae se sponsam Christi mentiatur, aut aliquam tantum cum hac similitudinem habeat; sed illam unicam veram sponsam, quam Christus sibi copulavit foedere sempiterno. Audivimus Christum praecipientem, ut ecclesiam audiremus (Matth. XVIII.); ne ergo credamus, eum nobis veram ecclesiam indagantibus deesse posse: ipse enim dixit: *Quaerite et invenietis;* et *qui quaerit, invenit.* Tantum purum habeamus a partium studiis animum et videbimus, omnes divinae originis notas in ecclesia Romano-catholica, nec in alia quacunque coruscare; videbimus coelos quasi apertos, et descendentem spiritum, et manentem su-

per eam, et audiemus vocem Christi de coelo: Haec est unica mea, dilecta mea, sponsa mea; ipsam audite. Cum nobis perspecta jam sit ecclesiae natura et indoles et necessaria, utpote ab ipso Christo determinata constitutio; facillimum erit, ex iis notas aliquas et characteres statuere, ex quibus tota haec quaestio decidenda est. De his igitur verae ecclesiae notis primum in genere inquirendum, ut postmodum, facta ad Christianas societates applicatione, manifestum fiat, quaenam ex illis vera Christi ecclesia appellari possit.

OBSERVANDA.

282. — I. Protestantes optime intelligunt, quantum ex hac quaestione ecclesiis suis periculum immineat, si recto tramite ad veritatem tenditur, et non potius effugia quaeruntur errori. Hinc statim in assignandis ecclesiae notis causae suae consulendum putarunt, eas statuendo, quae verae ecclesiae notae nec sunt, nec esse possunt; cum in rebus internis et invisibilibus consistant, et idipsum, quod notarum ope indagandum est, contineant. Ponunt nempe, verbi Dei sinceram praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem propria esse et sola signa verae ecclesiae, quibus duabus notis quidam addiderunt tertiam, nempe disciplinam ecclesiasticam recte administratam, seu professionem obedientiae erga legitimum ministerium. Ex his notis existimat quaelibet novatorum secta, invicte probari, apud se veram esse Christi ecclesiam.

283. — II. Inter catholicos alii plures, alii pauciores ecclesiae notas assignant, atque in iis assignandis non tam ipsam nudam ecclesiae essentiam spectant, quam ecclesiae proprietates et formam illam externam, qua videri et dignosci potest. S. *Hieronymus* adversus Luciferianos duas recenset, nempe, continuam ecclesiae ad nos usque durationem, et ipsam Christiani nominis appellationem. *Vincentius Lerinensis*, commonitorii cap. III. tres habet: *universalitatem*, *antiquitatem* et *consensionem*. Sex tradit St. *Augustinus* lib. contra epist. fundamenti cap. IV. Plures subinde additae sunt a recentioribus, praesertim a *Bellarmino*, qui lib. IV. de ecclesia cap. III. quindecim numerat. Communis tamen theologorum catholicorum sententia est, quatuor statuendas esse notas ecclesiae, illasque ipsas quas concilium Nicaeno-Constantinopolitanum expressit in Symbolo: Credo in *unam*, *sanctam*, *catholicam et apostolicam ecclesiam*.

§. I.

Quaeritur quae sint conditiones ad veram ecclesiae notam requisitae.

PROPOSITIO.

Ut aliquid tanquam ecclesiae nota haberi possit, debet 1° *ecclesiae ita inhaerere, ut ab ea divelli nulla ratione possit, id est debet ex originaria ecclesiae natura et constitutione fluere.* 2° *Debet omnes characteres habere signi distinctivi.*

284. — Prob. I. pars. Quando vera Christi ecclesia indagatur, procul dubio quaeritur, quaenam illa sit ecclesia, quam Christus fundavit. Haec autem ex illis tantum characteribus dignosci potest, quos Christus ipse ecclesiae impressit. Ergo etc.

Prob. II. pars. Signum id est, quod nos ducit in cognitionem alterius, atqui notae illae debent nos ducere in cognitionem verae ecclesiae; ergo notae illae debent habere omnes characteres signi distinctivi. Ergo debent 1° notiores esse re significata; 2° debent rei, quam significant, esse propriae; per id enim quod multis commune est, unum ab altero distingui non potest; 3° debent esse obviae, ut in rudium quoque oculos quodammodo incurrant.

§. II.

Admitti non possunt notae a novatoribus assignatae.

PROPOSITIO.

Pura evangelii praedicatio et legitima sacramentorum administratio non possunt esse notae verae ecclesiae.

285. — Prob. Ecclesiae notae debent esse 1^0 rei quam significant ita propriae, ut per eas ab omni alia re separari possit; 2^0 notiores re significata, atque 3^0 ita sensibiles et obviae, ut omnium hominum generi et conditioni sint accommodatae (ex §. 1.); atqui nullus ex his characteribus convenit notis a protestantibus assignatis. Ergo etc.

Prob. min. I. Nulla est, nec unquam fuit haereticorum secta, quae non contenderit se puram habere Christi doctrinam et ejus sacramenta. Quomodo autem tanquam propria verae ecclesiae nota haberi potest, quod omnes omnium religionum sectatores sibi vindicant; an non hoc ipsum est, de quo disputatur? An alia secta reperitur in qua, ut S. Augustinus ait [1]), *non personat haec veritatis pollicitatio?*

286. — II. Illae notae non sunt re significata notiores. Multo difficilius est scire, ubi sit vera fides et legitimus sacramentorum usus, quam veram invenire ecclesiam. Primum in rebus prorsus occultis et invisibilibus consistit; secundum externum est et visibile. Vera fides, vera sacramenta in ecclesia sunt veluti anima in corpore. Nemo autem hominem quaerens primum de anima sollicitus est, ut hac semel cognita in corporis etiam cognitionem perveniat; sed corpus quaerit, quod videri et distingui facillime potest; quo invento hominem habet, animam habet corpori insitam.

287. — III. Neque tertia conditio notis convenit a protestantibus assignatis: quippe sensibiles non sunt, nec obviae, nec hominum plebejorum et illiteratorum, qui partem longe maximam Christianorum efficiunt, captui accommodatae. Hi enim omnes discussionis et examinis doctrinae prorsus incapaces sunt; nec scripturas evolvere possunt, earumque sensum et legitimam interpretationem explorare; quod tamen necessarium esset, ut inter tot discrepantes sententias dignoscere possent, quaenam sit pura Christi doctrina, quaenam legitima sacramenta. Notum est, quanta sit inter protestantium ecclesias circa scripturae interpretationem discordia, nec ulla tamen est, quae non veram fidem se habere glorietur et legitimum sacramentorum usum. Ergo etc.

OPPONUNT ADVERSARII.

288. — Obj. Notae a protestantibus assignatae ex ipsa ecclesiae essentia desumtae sunt; nihil enim ecclesiae magis essentiale est, quam vera doctrina et legitimus sacramentorum usus. Ergo aliae, aut certiores assignari non possunt.

Resp. neg. conseq. Ad notam ecclesiae non sufficit, ut essentialem ecclesiae characterem exprimat; sed necesse est, ut rationem habeat signi. Igitur quando protestantes gloriantur, se rem ex intimis visceribus deducere, et viam ingredi omnium certissimam; (cum impossibile sit, rem aliquam ibi non esse, ubi ejus essentia reperitur), fucum tantum faciunt, et revera nihil probant. Non enim de definitione ecclesiae agitur, neque theoretice hic in ecclesiae naturam et essentiam inquirimus. Omnes in eo conveniunt, quod vera fides et vera sacramenta a vera ecclesia divelli non possint; ita quidem, ut recte concludi possit, ibi esse veram ecclesiam, ubi vera est doctrina et legitimus sacramentorum usus; sicut e contrario, ibi veram esse doctrinam, ubi est vera ecclesia.

Verum quorsum haec omnia? An nunc habemus notas, ex quibus certo

1) *August.* contra epist. fundamenti cap. IV.

dignosci possit, ubi sit vera ecclesia, ubi sit vera doctrina? Cum inter res existentes et externas secretio facienda est, non sufficit definitionem afferre. Hoc enim ipsum quaeritur, ubinam res illa sit, cui haec definitio conveniat. Siquis in magna hominum multitudine vellet regem sibi indicari, quem sciret adesse et responsum acciperet, illum regem esse, qui jus imperandi habet, et legitimam auctoritatem in subjectos sibi populos exercet; quid exinde disceret? Id quidem, reponeret, jamdudum scio; verum hoc ipsum quaero, quis in hac multitudine sit ille, qui jus habet imperandi. Vanum est ergo protestantium argumentum; et sola apud eos personat veritatis pollicitatio, ut ait *Augustinus*.

289. — Instant I. Scriptura, in qua verae fidei et sacramentorum doctrina continetur, notior est ecclesia; nam ecclesia per scripturam probatur. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Scriptura duplici sensu nobis innotescere potest: 1° Quando certum nobis efficitur, scripturas sacras existere, hunc vel illum librum ad scripturas pertinere. 2° Quando verum et genuinum scripturae sensum intelligimus; sed neutrum potest esse notius ecclesia. Nam primo scripturas ab ecclesia accipimus, quae veras ab apocryphis, divinas ab humanis secernit. Secundo etiam scripturae sensus, ex quo utique vera doctrina et sacramentorum usus eruendus est, nonnisi ex ecclesiae auctoritate determinari potest. Notum enim est, multa in scripturis occurrere intellectu difficilia, et ex tot Christianorum societatibus et nomine et doctrina multum inter se discrepantibus, nullam esse, quae non fidei suae articulos ex scripturis probet, et pro nota suae ecclesiae hoc afferat, quod apud se doceatur pura Christi doctrina.

290. — Instant II. Inter antiquos Patres plures sunt, qui ecclesiam ex scriptura tanquam notiore probandam esse docent. Ergo etc.

Prob. S. Augustinus epist. 105. alias 166., contra Donatistas disputans ait num. 14.: *In scripturis discimus Christum, in scripturis discimus ecclesiam.* S. Chrysostomas hom. XLIX. in cap. XXIV. Matth.: *Nunc autem nullo modo cognoscitur, volentibus cognoscere, quae sit vera ecclesia Christi, nisi tantummodo per scripturas.* Ergo etc.

Resp. nego consep. 1° S. Patres saepe contra haereticos ex scripturis pugnarunt tanquam ex principio utrinque recepto. 2° Ecclesiam optime dicunt ex scriptura esse discendam, quia ex scripturis scimus, quaenam sint, et esse debeant verae ecclesiae notae. Scilicet ad notam ecclesiae imprimis requiritur, ut ex originaria ecclesiae natura et constitutione fluat, quam utique ex scripturis cognoscimus. Unde clarum est nos revera Patrum sententiam sequi, quia nos ecclesiam in scripturis quaerimus. Protestantes autem non ecclesiam in iis quaerunt, sed doctrinam. Adde, quod opus illud in Matthaeum non sit S. Chrysostomi et multa contineat falsa. Quod S. Augustinum attinet, ejus in hac quaestione sententia dubia esse non potest. Nam ubique ecclesiae auctoritatem depraedicat; veram doctrinam per ecclesiam cognoscendam esse contendit; imo lib. contra epist. fund. cap. V. ait: *Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholicae ecclesiae commoveret auctoritas.*

§. III.

Quaenam sint notae illae, quibus vera ecclesia a falsis discerni possit.

OBSERVANDA.

291. — I. Notas, quae nos in verae ecclesiae cognitionem ducere debent, in ecclesia tantum visibili quaerendas esse, per se manifestum est. Nam quae notae, quae signa quaeri possunt in re invisibili? Aut quomodo invenire posset ejusmodi ecclesia, et ab aliis

discriminari? Patet ergo, quod *visibilitas* ad notas ecclesiae proprie non pertinet, sed jam supponatur adesse; cum sine hac proprietate omnis de notis ecclesiae quaestio supervacanea esset.

292. — II. Nunc quaenam genuinae verae ecclesiae notae sint, paucis dicendum. Catholici passim has quatuor assignant ex symbolo Constantinopolitano: *Unitatem, sanctitatem, catholicitatem et apostolicitatem.* Qui pauciores habent, iis certe in mente non erat, accurate notas omnes recensere; sed aliquas tantum et praecipuas, aut quas putabant ad suum institutum sufficere. Qui autem plures afferunt, ii fatentur, omnes ad illas quatuor revocari posse, quas nominavimus.

Unitas postulat omnium membrorum arctissimam conjunctionem in eadem fide, in eodem cultu, sub eodem regimine. Id est 1⁰ in professione ejusdem doctrinae (siquidem de nota, seu re externa hic agitur). 2⁰ In communione eorundem sacramentorum et rituum ad cultum necessario pertinentium. 3⁰ In unitate corporis, seu membrorum omnium mutua necessitudine et dependentia, quae quam maxime perspicua efficitur ex unitate regiminis, et pastorum omnium cum uno totius ecclesiae capite indivulsa cohaerentia.

Sanctitas tanquam ecclesiae nota considerata, duo complectitur: 1⁰ Quum ecclesia propter hominum salutem instituta sit, debet omnia ea habere, quae sanctitatem in membris producere, conservare et perficere possunt. 2⁰ Debet etiam nullo non tempore fructus sanctitatis producere.

Catholicitas sub triplici aspectu sumitur, ratione *doctrinae, loci* et *temporis.* 1⁰ Ratione *doctrinae*, qua ecclesia omnia docere debet, quae ad Christi doctrinam pertinent; idque a membris suis exigere, ut eam fidem teneant, quam omnis ubique Christi ecclesia tenet, quod proprie est *catholice* credere. 2⁰ Ratione *loci*, ut nihil in se habeat, quod ejus per orbem propagationem impediat, et revera in omnes nationes diffusa sit, et omnes haereticorum sectas superet praepotenti amplitudine. 3⁰ Ratione *temporis*, ut a primo suo exorsu nunquam desierit, nunquam interrupta fuerit, sed semper visibilem se ostenderit eminenti claritate.

Apostolicitas in eo consistit, ut originem suam ad Apostolos referat, eandum cum ipsis doctrinam profiteatur, et ab iis pastorum successionem habeat non interruptam.

293. — III. Haec quaestio magnam habet cum iis, quae toto cap. I. dicta sunt, connexionem, atque lucem exinde non exiguam mutuatur. Nunc imprimis applicatio facienda est eorum, quae ibi ostensa sunt. Quamvis enim una aliave esse possit ecclesiae proprietas, quae, cum non satis in oculos incurrat, ad notas pertinere non possit; nulla tamen ecclesiae nota cogitari potest, quae non ex aliqua ejus proprietate, aut primigenia ejus constitutione fluat, ut §. I. explicatum est.

PROPOSITIO I.

Vera Christi ecclesia debet esse perpetuo visibilis.

294. — Prob. Vera Christi ecclesia non potest esse alia ab ea, quam Christus ipse instituit: atqui Christus ecclesiam suam instituit perpetuo visibilem, ex prop. III. §. IV. art. II. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Notae verae et visibilis ecclesiae statui debent quatuor sequentes: Unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas.

295. — Prob. Quatuor notae in prop. expressae omnes habent conditiones, quae ad veras ecclesiae notas requiruntur. Ergo etc.

Prob. ant. Ad veras ecclesiae notas ex §. I. hujus art. requiritur, ut 1⁰ ex originaria et immutabili ecclesiae natura et constitutione fluant; ut 2⁰ om-

nes veri signi proprietates habeant: atqui quatuor notae etc. Ergo etc.

Prob. min. pars. I. per partes. *Prima* nota est *unitas*, et quidem unitas in professione doctrinae, in administratione cultus, in membrorum concretione, vel unitate regiminis et capitis: atqui haec necessario fluunt ex proprietate unitatis, quam Christum ecclesiae suae indidisse probavimus §. I. art. II. et ex illa ecclesiae constitutione, quae exposita est art. III. et IV., imprimis articuli IV. §. II., ubi de primatu in ecclesia instituto egimus.

Secunda nota est *sanctitas*. Hanc autem esse necessariam ecclesiae a Christo institutae proprietatem §. III. art. II. prioris cap. ostensum est.

296. — *Tertia* nota est *catholicitas* doctrinae, loci, temporis. Hanc notam ex ipsa ecclesiae Christianae natura desumtam esse, cuilibet obvium est. Quod doctrinam attinet, probavimus in prolusionibus ad revelationem Christianam omnia illa pertinere, quae a Christo hominibus tradita sunt; neque admitti posse distinctionem in fundamentales et non fundamentales articulos. Quoniam autem ecclesia propter religionem instituta est (cap. I. art. I.), et ideo promissiones accepit perpetuae durationis et specialis Spiritus S. assistentiae, ut in ea integra servetur Christi doctrina (art. I. §. II.); sequitur hanc notam catholicitatis, quae universitatem dogmatum revelatorum complectitur, ex demonstratis in primo capite principiis et ecclesiae proprietatibus fluere. *Catholica vocatur ecclesia*, ait Cyrillus Hierosolym.[1]), *quia docet catholice, hoc est universaliter et sine ullo defectu vel differentia omnia dogmata*. Catholicitas loci et temporis necessario sequitur ex duplici ecclesiae proprietate, universalitate et perpetuitate, quam utramque ecclesiae a Christo ipso inditam fuisse ex §. I. et II. art. II. prioris cap. patet.

1) Cateches. XVIII.

Quarta nota, *apostolicitas* tum originis et doctrinae, tum successionis necessario fluit ex iis, quae de ecclesiae constitutione diximus. Nam Christus ecclesiam suam super fundamentum Apostolorum aedificavit, iis solis immediate omnem docendi, ministrandi, regendi potestatem concessit: ab ipsis originem habet vera Christi ecclesia et legitimus ordo pastorum. Quod toto art. III. et IV. prioris capitis monstratum est.

297. — Prob. II. pars. Quatuor ecclesiae characteres, quos recensuimus, omnes habent proprietates veri signi distinctivi. Ergo etc.

Probat. anteced. I. *Sunt re significata notiores;* nam facili negotio deprehenduntur, imo in omnium oculos, nisi obstinate occludantur, sponte incurrunt. Quid enim notius esse potest, quam id quod omnia societatis membra publice profitentur, quod publice agunt? quid notius quam regiminis publici forma, pastorum successio, societatis amplitudo et duratio?

II. *Rei, quae significatur, proprii sunt;* nam ad naturam et originariam ecclesiae constitutionem pertinent, et nulla potest esse societas extra veram ecclesiam, quae iis insignita sit.

III. *Obvii sunt et sensibiles:* nam in rebus externis consistunt, quae vel oculis conspiciuntur, vel pervulgatae sunt apud omnes, vel ex actis publicis et historiae monumentis sine operoso examine intelliguntur. Quod genus probationis, ut jam saepius dictum est, cum non in philosophicis discussionibus, sed in factorum et rerum externarum cognitione consistat, quam maxime perspicuum est, et omnium hominum ingenio accommodatum. Ergo etc.

OBJICIUNT ADVERSARII.

298. — Argum. I. Notae, quas catholici statuunt, 1° rudium captui non sunt accommodatae; omnes enim Christianorum sectae prius examinandae

essent, antequam innotescere posset, cuinam ex illis hae notae conveniant. 2° In antiqua ecclesia non omnes conspiciuntur, ergo non sunt ex ecclesiae natura desumtae.

Resp. ad I. neg. anteced. Notae, quas statuimus, ex rebus obviis et pervulgatis desumtae sunt. Sine laborioso examine partim ex quotidiano commercio cum aliarum ecclesiarum asseclis facile est cuilibet judicare, an in illis societatibus sit unitas in doctrina, in regimine, in capite: an catholice doceat, an ab Apostolis non interrupta successione descendat etc.

299. — Ad II. dist. ant. Quaedam in antiqua ecclesia non eandem habebant vim probandi et persuadendi, *conc.* Quaedam ecclesiae tum temporis non conveniebant, *neg.* Omnes illae notae, quae in propositione numerantur, ecclesiae a prima sua institutione inesse debuerunt; quamvis non omnes ab initio statim in tam clara luce apparuerint. Ecclesia successive per gentes et regna imperii sui fines protulit, et illa perpetua stabilitas, quam ab ortu suo habuit divinis promissis firmatam, primo statim nascentis ecclesiae saeculo tam splendida esse non potuit, ac nostris temporibus post devictos octodecim saeculorum assultus. Verum hunc defectum tunc multa alia compensarunt, quibus ecclesiae incunabula mire illustrata sunt: ut, Christianorum fere omnium admirabilis sanctimonia et rerum terrenarum contemptus, crebra miracula et Spiritus S. charismata, non Christianis tantum, sed et gentilibus conspicua.

300. — Instant. Notae illae non omnes ita propriae sunt verae ecclesiae, ut non possint etiam in falsis ecclesiis reperiri: sic sanctitas doctrinae per schisma non tollitur, nec quacunque in dogmate dissensione: sic ecclesiae Graecae omnes apostolicitatem sibi vindicant. Ergo etc.

Resp. Quamvis infirmari facillime possent, quae in antecedente dicuntur; nolumus tamen de his nunc diutius disputare; nihil enim juvant causam adversariorum. Itaque

301. — Nego consequent. Notae ecclesiae vel *negative* sumi possunt, vel *positive*. Negative quaelibet probat singillatim sumta, positive non item. Falsum ex parte, verum ex integro. Unde bene observat *Bellarminus de* argumento agens ex apostolicitate, seu legitima successione deducto[1]), „illud adferri praecipue ad probandum, non esse ecclesiam, ubi non est haec successio; quod quidem evidens est. Ex quo tamen (ut ibid. ait) non colligitur necessario, ibi esse ecclesiam, ubi est successio. Itaque hoc argumento probamus evidenter non esse veram ecclesiam apud Lutheranos.“ Idem de argumento dici potest, quod ex doctrinae sanctitate desumsimus: in quantum negativum est, invicte probat, quia evidens est, quod ecclesia, quae doctrinam tradit a sanis morum principiis abhorrentem, ac corruptioni et perversitati hominum patrocinantem, vera Christi ecclesia esse non possit: si vero tanquam positivum spectatur, necesse est illud cum aliis ecclesiae notis conjungere. Si quis hominem quaereret, consignatas habens notas, quibus potissimum possit ab aliis distingui; an non rideretur si imprudenter in obvium quemque incurreret, in quo unum aliudve signum reperiret? Non ex uno lineamento cognoscitur homo, sed ex tota corporis et vultus conformatione. Exceptio tamen tunc facienda est, quando inter notas illas una esset ita rei alicui propria, ut certum esset illam in nulla alia reperiri. Sic solo primatu, legitima et continua successione a S. Petro deducto, vera Christi ecclesia ab omnibus aliis sufficienter distinguitur; sola quippe est haec praerogativa et ita ecclesiae Romano-catholicae propria,

1) De notis eccles. lib. IV. cap. VIII.

ut nulla alia ecclesia eam habeat, aut habere possit.

302. — Argum. II. Nec fidei, nec capitis visibilis unitas tanquam ecclesiae nota haberi potest; nam 1° fides est aliquid intrinsecum et latens; 2° ecclesia capite visibili non indiget, quia tota continetur sub invisibili capite, quod est Christus. Ergo etc.

Resp. ad I. dist. ant. Unitas fidei internae nota ecclesiae esse non potest, *conc.* Unius ejusdemque fidei professio, *nego.* Fides in quantum interna est, ad animam ecclesiae pertinet, professio autem fidei ad ecclesiam visibilem, de qua hic nobis sermo est. Haec unitas in eo consistit, quod ecclesia docens ubique eandem doctrinam tradat fidelibus, et omnes ubique fideles eandem profiteantur.

Ad II. neg. ant. Ecclesia est corpus visibile; ergo requiritur, ut habeat aliquod caput visibile, cui adhaereant, et consocientur singula ecclesiae membra. Praeterea probavimus Christum caput visibile instituisse, ex quo necessario sequitur, ecclesiam, quae hoc caput non habet, Christi ecclesiam non esse.

303. — Argum. III. Sanctitas ecclesiae vel in doctrina, vel in membris spectatur; atqui in neutro nota ecclesiae esse potest. Ergo etc.

Probat. min. 1° An doctrina sancta sit vel non, ex scripturis dijudicari debet; ergo haec potius tanquam ecclesiae nota habenda est. 2° Quod autem membrorum sanctitatem attinet, ea soli Deo nota esse potest. Ergo etc.

Resp. ad I. Doctrinae sanctitas, in quantum nota est verae ecclesiae, non potest ex scripturis probari, sed ex sensu morali hominis et rectae rationis dictamine. Eandem tenuimus viam, quando religionis Christianae divinam originem probavimus ex doctrinae sanctitate (vid. Demonst. Christ.).

Ad II. Morum externa difformitas et turpitudo cum interna sanctitate constare non potest; quod autem sub mentita vitae probitate foeda animi corruptio latere possit, non negamus. Verum, quis sibi persuadeat, omnes illos, qui constanter omnium virtutum formam prae se ferunt, simulatores esse pietatis, eorumque sanctitatem manifestis saepe miraculis comprobatam meram esse hypocrisin? Nemo ita judicare potest, nisi ex eorum numero sit, qui male vivendo, et cum malis vivendo, eo tandem perveniunt, ut sibi persuadeant recte vivi non posse.

304. — Argum. IV. Vera ecclesia ex *catholicitate* cognosci et distingui non potest. Ergo etc.

Prob. ant. 1° Dici non potest in quo proprie illa catholicitas consistat, neque quanta requiratur per orbem diffusio, ut ecclesia possit dici catholica. 2° Ecclesia, quae tempore Arianorum verbi divinitatem profitebatur, procul dubio vera Christi ecclesia erat; atqui haec ecclesia tunc non erat catholica: nam, ut S. *Hieronymus* ait, adversus Luciferianos de lapsu Patrum Ariminensium scribens: *Tunc Nicaenae fidei damnatio conclamata est; ingemuit totus orbis et se Arianum miratus est.* Eadem fere habet S. *Hilarius*, lib. de synodis adversus Arianos, n. 27. Ergo etc.

Resp. ad I. In quo consistat *catholicitatis* nota, in observationibus dictum est. Non potest mathematice determinari, quanta debeat esse ecclesiae diffusio, ut possit catholica dici: recte tamen ita vocatur, quando diffusa est in regionibus fere omnibus. Praeterea notandum est, non hic agi de illis characteribus, quibus Christiana religio a falsis secerni possit, hoc scilicet in Demonstratione Christiana confecimus; agitur de discernenda vera Christi ecclesia ab aliis societatibus, quae etiam Christianas se dicunt. Ut autem catholica dici possit haec vera Christi ecclesia, sufficit ut semper fuerit per orbem latissime diffusa, et magis dif-

fusa, quam alia quaecunque Christianorum societas.

Ad II. Tempore Arianorum et post Patrum Ariminensium lapsum vera Christi ecclesia catholica esse non desiit. Multo major erat catholicorum quam Arianorum numerus, ut ex certis temporum illorum monumentis patet. Vide *Theodoretum* hist. lib. II. c. XXII. et lib. IV. cap. IV. S. *Hieronymus* rem stylo oratorio et hyperbolico exprimit; fidem Nicaenam conclamatam ait a *Valente* et *Ursacio*, aliisque Arianorum ducibus, qui catholicos doctrinae suae accessisse gloriabantur, quamvis ita nequaquam fuerit. Verum de facto Ariminensis concilii fusius postea et ex professo dicturi sumus.

305. — Argum. V. *Contra notam apostolicitatis.* 1° Ecclesia ideo apostolica dicitur, quia doctrinam suam ab Apostolis habet; verum hanc se habere omnes ecclesiae gloriantur. 2° Apostoli nullos in apostolatu suo successores habuerunt; nullis sedibus affixi erant, nullibi cathedram posuerunt, in qua successores habere potuissent. Ergo etc.

Resp. ad I. Non sufficit, ut ecclesia aliqua contendat se doctrinam tenere Apostolorum; hoc ipsum est, quod in quaestione versatur, et cujus ipsi probatio incumbit. Quomodo autem probabit se fidei suae depositum ab Apostolis accepisse, illudque servasse integrum, nisi probet, se eandem illam ecclesiam esse, quam Apostoli fundarunt, et cui magistri doctrinam et promissa reliquerunt?

Ad II. Successio localis ad apostolicam successionem non requiritur. Apostoli ubique in ecclesiis constituerunt episcopos, et sic deinceps futurae successionis regulam tradiderunt, ut ait S. Clemens in sua ad Corinth. epist. Hoc modo omnis successionis ordo ab Apostolis inchoatur.

ARTICULUS III.

An ecclesia Romano-catholica omnibus verae ecclesiae notis insignita sit.

306. — Scimus nunc, quaenam notae illae sint, ad quas attendere necesse est quaerentibus Christi ecclesiam. Illam quaerimus, quae cap. I. fuit delineata, et quam vidimus vivam et gloriosam ex Christi auctoris sui et creatoris manibus prodiisse; omnes fere ejus proprietates, tota ejus constitutio, et hierarchia et quidquid ipsi ab auctore suo datum est, commode ad quatuor illa capita reduci possunt quae superiore articulo indicavimus, et quae vulgo notae ecclesiae vocantur. Ut igitur ostendamus, ecclesiam Romano-catholicam veram Christi ecclesiam esse, probandum est, omnes verae ecclesiae notas in ea conspici; quae res sicut magni momenti, sic exigui laboris est, et nullius difficultatis; difficile enim non est ea investigare, quae omnium oculos insigni claritate percellunt. Jam vero, ubi semel monstratum fuerit, omnes verae ecclesiae notas in catholicorum ecclesia insigni quodam modo semper fuisse, et adhuc esse conspicuas; necessario consequitur, eam semper fuisse eminenter visibilem. Quoniam porro inter proprietates, quae vidimus a Christo ecclesiae fuisse inditas, non omnes ad notas pertinere possunt, quia nullo exteriori signo se manifestant; puta, quod in docendo infallibilis sit, quod eam ingrediendi incumbat necessitas; etiam has licebit, inventa semel vera ecclesia notarum indicio, ex praemissis tanquam consectaria deducere. Ubi enim vera ecclesia est, ibi nihil eorum abesse potest, quae divinae institutionis sunt, et illius promissis firmata, qui dicere potuit: *Coelum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt.*

Erunt ergo hujus articuli paragraphi quinque. Quatuor paragraphis ostendemus, ecclesiam Romano-catholicam omnibus verae ecclesiae notis esse

insignitam, paragraphus quintus consectaria quaedam continebit ex prioribus deducta. Id porro observamus, promiscue a nobis sumi ecclesiae *Romanae*, aut *catholicae*, aut *Romano-catholicae* vocabula.

§. I.

PROPOSITIO.

Ecclesia catholicorum habet notam unitatis.

307. — Prob. I. In ecclesia catholica, quamvis diffusione sua omnes mundi partes pervadat, mira conspicitur membrorum omnium consensio in una fide et eadem cultus sacramentorum administratione. Nunquam ab ea, quam Christus docuit, doctrina discessit; nunquam in iis, quae a Christo instituta sunt, quidquam immutavit; nunquam tempus aut locum assignare potuerunt adversarii, quo novum dogma in hanc ecclesiam irrepsisset: omnes econtra, qui sectas introduxerunt ab antiqua fide dissentientes ab ea damnati et ejecti sunt, tanquam avitae religionis corruptores. Hinc nulla doctrinae catholicae pars est, quae non continua omnium saeculorum traditione probetur; quae non consentientes habeat, quotquot per orbem reperias catholicos. Ubique eadem sacramenta, idem sacrificium, dogmata eadem. Quod autem omnes in unam eandemque fidem conspirent, neque unquam scindi possint in diversas sententias, ratio est, quia omnes principium hoc unitatis tenent, certum et necessarium: *Ab ecclesia docente accipiendam esse fidem, hanc a Christo institutam infallibilem veritatis magistram.*

308. — II. Sicut fidei et cultus externi, sic et corporis unitas ita est in ecclesia catholica conspicua, ut nihil possit esse manifestius. Quam arcta fidelium cum suo pastore cohaerentia! Quanta pastorum cum suo episcopo necessitudo! Quantis inter se nexibus cohaerent episcopi! Omnes, quamvis per orbem universum dispersi, unum tantum efficiunt collegium, et quasi permanens concilium. Sed nullibi evidentius se ostendit hujus ecclesiae unitas, quam in supremo illo capite, quod omnibus praeest, omnes in se colligit, omnibus invigilat et prospicit. In hoc centro unitatis, in hac principali cathedra necesse est omnem convenire ecclesiam, ut ait Irenaeus[1]); tanto fulgore haec suprema sedes per totam ecclesiam coruscat, ut simplex quisque catholicus haeretico respondere possit, quae S. Optatus Milevit. ad Parmenianum dixit: *Negare non potes, in urbe Roma Petro primo cathedram episcopalem esse collatam, in qua una cathedra unitas ab omnibus servaretur.*

ARGUMENTA CONTRARIA.

309. — Argum. I. Nulla est inter catholicos fidei unitas, nam eorum theologi in diversas partes scinduntur, et non raro sese mutuo violatae fidei integritatis accusant. Quin et ipsi ecclesiae Patres diversa et inter se pugnantia docuerunt. Ergo etc.

Reg. neg. conseq. Scholarum opiniones, quas in varias partes agitari permittit ecclesia, extra fidei dominium sunt. In illis refellere quisque sine pertinacia, et refelli sine iracundia paratus esse debet. Juxta illud tam pervulgatum S. August.: *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus caritas.* Ecclesia nunquam probavit theologos illos, qui propter opiniones scholae contrarias mutuo se erroris aut haeresis incusarunt. Non ita res se habet cum fidei dogmatibus, quae non ex privatis Doctorum placitis aestimari debent, sed ex publicis symbolis et ecclesiae decretis. Unde si disputare licuit ante ecclesiae judicium, hoc cognito omnis controversia tollitur; et qui *resistunt contumaciter*,

---

1) Lib. III. cap. III.

ut ait August.[1]), *suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, haeretici fiunt, et foras exeuntes habentur in exercitibus inimici*[2]). Quod nonnullos veterum Patrum errores attinet, nihil exinde aliud sequitur, quam eos, si singuli spectentur, non esse infallibiles, et aliquos eorum in errorem lapsos, antequam veritas ab ecclesia fuerit solemni judicio definita.

310. — Instant. Ecclesia orientalis Graeca vel eandem cum Romana fidem profitetur vel diversam. Si primum, unitatem tenet, et catholica est; si secundum, ergo potest esse in una ecclesia fides diversa. Nam cum neminem lateat, ecclesiam Graecam ab antiqua fide nunquam discessisse sequeretur, illam etiam eo tempore, quo cum Romana unita fuerat, diversam ab ea doctrinam tenuisse. Ergo etc.

Resp. Multa in hoc argumento falsa sunt. Supponit unitatem ecclesiae ex doctrinae tantum unitate repetendam esse, quod falsum est; nam requiritur insuper unitas communionis et societatis, unitas regiminis et imprimis unitas capitis. Disruptis his vinculis fit schisma, fit separatio. Verum, quod probe notandum est, non in ecclesia, sed ab ecclesia fit separatio. Ecclesia una manet; scinduntur hi ab unitate, non scindunt unitatem. Praeterea falsum est, Graecos a Patrum fide nunquam discessisse. Patres eorum cum toto orbe Christiano Petri cathedram tanquam sedem principalem venerati sunt, et ultro se subjecerunt auctoritati, quam sciebant ab ipsa Christi institutione descendere. Novam quoque esse Graecorum circa processionem Spiritus S. doctrinam, et ei, qui antiquiores hujus ecclesiae Patres tenuerant, contrariam, non semel a catholicis probatum est.

311. — Argum. II. Non est cur unitatem regiminis tantopere praedicent catholici; nam 1⁰ plurimi apud eos habentur religiosi ordines, qui propriam hierarchiam habent, et cum legitimis ecclesiae pastoribus non cohaerent. 2⁰ Circa Romani Pontificis auctoritatem tanta est inter ipsos catholicos opinionum diversitas, ut simplex Christianus, quid de illa sentire debeat, non inveniat. Ergo etc.

Resp. ad I. Virorum religiosorum ordines non adversantur unitati regiminis: quia toti sub auctoritate ecclesiae sunt, cui serviunt tanquam auxiliares copiae, aut certe ornamenti plurimum afferunt evangelicae perfectionis studio. Si non in omnibus epi-

1) De civit. Dei lib. VIII. cap. 51.

2) Non possumus hic praeterire insignem locum *Hugonis Grotii*, qui in responsione ad Rivetum art. VII. haec habet: „Quae est causa, cur qui opinionibus dissident inter catholicos, maneant in eodem corpore, non rupta communione? Contra vero, qui inter protestantes dissident, idem facere nequeant, utcunque multum de dilectione fraterna loquuntur? Hoc qui recte expenderit, inveniet quanta sit vis papatus.“ In fine responsionis ait: „Restitutionem Christianorum in unum idemque corpus semper optatam a Grotio sciunt, qui eum norunt: existimavit autem aliquando incipi posse a protestantium inter se conjunctione, postea vidit id plane fieri nequire, quia praeterquam quod Calvinistarum ingenia fere omnium ab omni pace sint alienissima; protestantes nullo inter se communi regimine sociantur. Quare nunc plane ita censet Grotius et multi cum ipso, non posse protestantes inter se jungi, nisi simul jungantur cum eis, qui sedi Romanae cohaerent, sine qua nullum sperari in ecclesiis commune regimen potest.“ Der gute *Grotius!* der gute *Leibnitz!* diese Männer, die *zu ihrer Zeit* (!) auch etwas zu sein schienen, waren noch in dem dummen Wahn, man müsse, um die Menschen in eine Kirche zusammen zu bringen, sie zuerst in *ein* Glaubenssystem vereinigen. *Den* glücklichen Gedanken hatten sie noch nicht, dass man eine Kirche *ohne Glauben* haben könne; ja eine Kirche, in der als Hauptprinzip aufgestellt wird: *Glaube, was du willst;* in welcher Lutheraner und Calvinisten, Socinianer und Pietisten, Deisten und Atheisten, wie in einem Marktschiffe zusammentreffen, ohne dass man Jemanden wegen seines Glaubens befrage.

scoporum potestati subjiciuntur, id fit approbante ecclesia. Neque hic periculum est schismatis, nam ab illis episcopis non scinduntur; sed eos tanquam veros et solos legitimos dioecesis pastores venerantur.

Ad II. Difficile non est catholico ea nosse, quae circa Romani Pontificis auctoritatem credere debet, et quae toto art. I. a nobis exposita sunt. Quod vero in hac quaestione potissimum est, latere non potest etiam infimum ex populo, se per suum legitimum pastorem cum episcopo cohaerere, qui toti dioecesi praeest, hunc autem in communione esse cum Romano pontifice, qui omnium per orbem episcoporum caput est; sicque partem se esse magnae illius et vastissimae arboris, quae unico trunco innixa per totum orbem ramos diffundit.

§. II.

PROPOSITIO.

Ecclesia Romano-catholica notam habet sanctitatis.

312. — Prob. Nihil est ad hanc sanctitatis notam pertinens, quod conspicuum non sit in ecclesia catholicorum.

1° Habet sanctitatem originis, quia alium auctorem non habet, quam Christum, qui illam aedificavit super fundamentum Apostolorum et praesertim supra solidissimam petram, sedem Petri: vel dicant adversarii, quo tempore alio, quibus auctoribus aliis constituta fuerit haec ecclesia.

213. — 2° Habet sanctitatem doctrinae. Qui brevem illam religionis Christianae expositionem perlegerit, quam in Demonstratione Christiana tanquam divinae originis notam attulimus, in ea fidelem inveniet, licet imperfectum illius doctrinae complexum, quam semper docuit et adhuc docet catholica ecclesia. Id enim constanter agit pia haec fidelium mater, ut ignorantiae humanae medeatur divinae religionis institutis; ut procul a se abigat magistros mendacii, qui introducunt sectas perditionis; ut sanctissimis praeceptis, saluberrimis remediis animam cupiditatibus sauciatam sanet, sensus pietatis excitet, fructusque producat bonorum operum. Nullibi tanta habetur cultui divino reverentia, nullibi tot patent fidelibus gratiarum fontes, nullibi tot sunt et tam potentia virtutis incitamenta, nullibi tantus vitae virginali et illi, quam animalis sapientia blasphemat, sanctae et divinae sapientiae honos est.

314. — 3° Habet sanctitatem membrorum. Sic enim veram Dei ecclesiam se probat, quia tanquam vera Christi sponsa sterilis esse non potest; sed semper sanctos producit, et fovet in sinu suo. Nunquam desunt in ea exempla heroicarum virtutum, atque in omni hominum conditione vitae sanctitas primitivae ecclesiae non impar, quam Deus non raro manifestis signis testatam voluit. Si necesse esset eorum, quae diximus exempla afferre, evolvenda nobis non essent veteris historiae monumenta, nam fidenter appellare possemus ad ea, quae vivimus tempora. Sicut enim in iis gravissimis tempestatibus, quibus aetate nostra jactata est catholica ecclesia, tota se ostendit novae philosophiae execrabilis facies, et quid haec sapientia possit, tunc patuit; sic etiam ex impiorum odio novum splendorem accepit catholica fides; sic etiam quid haec coelestis et divina sapientia possit, tunc patuit. Non raro haec agnoverunt ipsi protestantes et quae imitari nollent, non possunt tamen non laudare et admirari.

ARGUMENTA CONTRARIA.

315. — Argum. I. 1° Ecclesia catholica scatet erroribus et superstitionibus prope infinitis, quibus antiquam fidem corrupit, et cultum contaminavit. Ejusmodi sunt adoratio hostiae, honos, qui sanctis eorumque reliquiis et imaginibus exhibetur, et multa alia

ridicula et informia, quae omnem religionis et verae pietatis sensum extingunt.

2° Si ecclesiae sanctitas ex sanctitate membrorum probari debet, hac nota non admodum gloriari potest ecclesia catholica, utpote quae malorum hominum ingentem multitudinem in sinu suo complectitur, et inter pastores suos atque ipsos Romanos pontifices perditissimos homines numerat. Ergo etc.

316. — Resp. ad I. Multa nobis a protestantibus objiciuntur, tanquam superstitionis et impietatis plena, quae vel superstitiosa et impia non sunt, aut certe vitio dari non possunt ecclesiae. Adoratio sacrae hostiae ex doctrina Christiana necessario fluit, ut alio loco dicetur. Cultus sanctorum et imaginum, si intra justos et ab ecclesia praefixos limites contineatur, non tantum reprehensionem nullam meretur, sed plenus est religionis et pietatis. Insulsi autem ritus et opiniones superstitiosae, si quae in populum Christianum irrepserunt, ad ecclesiae doctrinam et cultum non pertinent; haec enim curam omnem et diligentiam adhibet, ut quidquid inordinatum et superstitiosum est, eliminetur. Habemus in hac parte, sicut in multis aliis ecclesiae defensorem virum inter protestantes celeberrimum *Leibnitium* in systemate theologiae pag. 116 et seqq. Vide etiam abbatis *Molani* cogitationes privatas de methodo reunionis [1]) etc. Porro quam immerito haec nobis a protestantibus objiciantur, vel ex eo patet, quod ipsi, cum in attenuando et enervando cultu tantam operam posuerunt, pietatem quidem sustulerint, superstitioni autem viam minime praecluserint. A multis jam observatum est, in regionibus protestanticis multo magis, quam apud catholicos omne genus superstitionis grassari; et ideo illis applicari posse, quae Apostolus ad Athenienses dixit Act. XVII.: *Viri Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video.*

317. — Ad II. Mores depravati Christianorum ecclesiae sanctitati nocere non possunt, ut jam alio loco probatum est [1]). Huc quoque ea pertinent, quae in Demonstratione Christiana dicta sunt, cum incredulorum in Christianam religionem criminationes depulimus [2]). Valent ea quam maxime de catholicorum societate, quam nos solam intelligi cupimus, cum de religione Christiana agitur; sola enim veram Christi doctrinam habet, sola Christo tanquam invisibili capiti adhaeret indivisibili nexu. Merito igitur protestantibus respondemus, quod suo tempore ecclesiae hostibus respondit Augustinus [3]): *Nunc vos illud admoneo, ut aliquando ecclesiae catholicae maledicere desinatis, vituperando mores hominum, quos et ipsa condemnat, et quos quotidie tanquam malos filios corrigere studet. Vos interea quid saevitis, quid excoecamini studio partium? Quid tanti erroris longa defensione implicamini? Fruges in agro, frumenta in area quaerite, apparebunt facile, seseque offerent ipsa quaerentibus.* Et alibi [4]): *Quapropter etsi contristamur de aliquibus purgamentis, consolamur etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam, qua oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, unde apothecae dominicae fructu olei luminosioris implentur.* Ut sanctimonia nota sit visibilis ecclesiae, non requiritur, ut fideles aut doctores sancte et pie vivant: nam in ecclesia bonos et malos futuros Christus nos admonuit. Sed bonorum sanctitas ecclesiae veritatem, ut vitae indicia in nonnullis membris totius corporis vitam demonstrant.

1) Oper. *Bossuet.* tom. XXV. pag. 304.

1) Cap. I. art. II. §. III. 2) De relig. Christ. praest. obj. IV. Item de stupendis relig. Christ. effectibus. Obj. II. 3) De morib. eccles. cap. 34 et 35. 4) Ad clerum et plebem Hippon. epist. LXVIII.

318. — Ceterum nemo nescit, protestantes plerumque sicut et incredulos, cum de catholica ecclesia agitur, iniquos prorsus judices esse, in augendis et exaggerandis malis eloquentiores, ad criminandum faciliores, quam par est. Et cum illis crebro contingat, ut mala videant, quae non sunt; ita quoque evenit, ut bona quamplurima quae adsunt, aut non videant, aut videre nolint, aut quo pretio aestimanda sint nesciant; quia non percipiunt ea, quae spiritus sunt. Quae diximus, tunc potissimum valent, quando de ecclesiae pastoribus fertur judicium. Hunc pastorum ordinem in quavis ecclesiae aetate magnorum virorum feracissimum fuisse, nullus aequus rerum aestimator inficiabitur. Atque, ut cetera praetermittam, si in Romanam ecclesiam oculos conjicimus, quanta se nobis offert magnorum virorum copia, qui singulari vitae sanctitate, et praeclaris ingenii dotibus, et zelo religionis, et invicta animi constantia ecclesiam illustrarunt! Quam exiguus in tam longa serie malorum numerus, quos plerumque inter civiles tumultus praepotens factio in sedem intrusit, et quos ecclesia aegre tulit; at tulit tamen propter majoris mali periculum.

319. — Argum. II. Si ecclesia tam foecunda sanctorum mater est, non intelligitur, cur nulli nunc sancti existant; cur nulla amplius fiant miracula aut a viris sanctis hanc terram incolentibus, aut ad defunctorum sanctitatem testandam. Ergo etc.

Resp. I. Etiamsi posteriora haec ecclesia saecula nullos protulissent sanctos, an ideo sanctos extitisse negari posset? Et si nulla nunc miracula ederentur, an falsa diceremus ea, quibus prima ecclesiae saecula illustrata sunt? An non illa miracula nostra sunt? An non nostri sunt innumeri illi martyrum, et pastorum, et virginum et sanctorum virorum ac mulierum chori, quos foecunda sanctorum parens peperit ecclesia catholica? Nos ab illa ecclesia non discessimus; nos ab ea doctrina non defecimus, quae tot signis confirmata fuit, tot sanctos protulit. Si protestantes probare possent aliquem in eorum coetu usque ad finem perseverantem ad sanctitatem pervenisse, aut Deum vel uno tantum miraculo factam a Romana ecclesia separationem probasse, non possemus eorum ecclesiae sanctitatem denegare.

320. — Resp. II. Illud imprimis insigne veritatis argumentum est, quod illa doctrinae Christianae efficacia, quam proximiora Apostolis saecula mirata sunt, in ecclesia Romano-catholica nunquam defecerit. Illa sola primitivae ecclesiae aemula est. In illa sola etiam post luctuosum schisma novatorum semper homines extiterunt eximia sanctitate illustres, primorum saeculorum dignissimi. Cogitemus S. *Carolum Borrom.*, *S. Franciscum Sales.*, *S. Franciscum Xaver.*, *S. Vincentium a Paulo*, multaque alia ecclesiae lumina et ornamenta. Cogitemus viros apostolicos, qui ardentissimo annuntiandi evangelii studio incensi in extremis Indiae partibus ecclesias fundarunt, aut fundatas sudore et sanguine suo irrigarunt. Cogitemus tot insignes Christi athletas, qui in saevissima, quae hac adhuc aetate ecclesiam invasit tempestate, magnum certamen sustinuerunt passionum, qui opprobriis et tribulationibus spectaculum facti sunt, et rapinam bonorum cum gaudio susceperunt; alii quidem ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres; alii in solitudinibus errantes, egentes, angustiati, afflicti; alii immania tormenta et mortem laeto et alacri animo tolerantes praeclarum Christo testimonium reddiderunt. Qui tantam animi magnitudinem, tantam gratiae efficaciam non miratur, aut illius forsan ne sensum quidem habet, miserandus potius, quam refellendus est [1]).

---

1) Innumera ex omnibus regni Gallici

321. — Si autem nullum ecclesiae saeculum fuit, quod non viros protulit sanctitate insignes; sic nullum fuit, quod non novis fuerit miraculis illustratum. Constat enim neminem ab ecclesia in Sanctorum catalogo inscribi sine miraculis, in his autem explorandis tantam adhiberi diligentiam, ut nihil ultra desiderari possit. Unde si protestantes miracula quaecunque tanquam falsa et conficta repudiant; respondemus, aeque stultum esse sine ratione negare, quam sine fundamento credere; et facilius esse sine examine rejicere, quam an vera sint diligentius inquirere. Nos ad ea miracula non appellamus, quae pia fraus peperit, aut pia credulitas suscepit: de illis loquimur, quae ita sunt testata et publicis testimoniis et rerum eventis ita comprobata, ut prout S. August. observat [1]), si liceret ea pro libitu negare, rueret fides omnium librorum, historiarum atque scriptorum. Hujus generis sunt, quae leguntur in actis sinceris martyrum; miracula S. *Gregorii Thaumaturgi* apud S. Basil. [2]), et S. Gregor. Nyssen. [3]); miracula S. *Antonii*, *Hilarii*, *Martini* etc., apud Athanasium, Hieronymum, Sulpitium; plurima quae S. August. in insigni opere de civitate Dei [4]), suo tempore contigisse refert, et quorum ipse adeo testis fuerat. Addi possunt miracula saeculo XII. a S. *Bernardo*, saeculo XVI. a S. *Francisco Xaverio* patrata; et quae propiora nobis tempora viderunt, ut ex actis et processibus canonisationum patet. Illa imprimis quae Deus per S. *Franciscum Xaverium* in Japonia et India edidit tam multa fuerunt, et tam splendida, ut ne ab haereticis quidem in dubium revocari potuerint.

---

partibus colligi possent incredibilis virtutis et constantiae exempla, quae omnium ordinum omnisque sexus homines ediderunt. Magnam illorum partem ex commentariis authenticis collectam quatuor tomis in publicam lucem protulit vir summe venerandus D. *Carron*, multis jam iisque utilissimis tum excellentis ingenii, tum religiosissimi animi monumentis insignis. Libri titulus est: *Les Confesseurs de la foi dans l'église gallicane à la fin du dixhuitième siècle, ouvrage rédigé sur des mémoires authentiques par M. l'Abbé Carron.* 4. Vol. in 8. Edita est in eandem materiam brevior et compendiaria narratio, quae in Germanicam linguam translata est, et Moguntiae prostat: Die christlichen Helden. Ein Band. — Sanctitati ecclesiae catholicae insigne testimonium reddit *Leibnitius* in systemate theol., quod operae pretium est integrum apponere. „Neque id (homines habere asceticos et contemplativos, et in aliorum necessitates unice intentos) ex minimis eorum est, quae ecclesiam illam commendant, *quae una catholicae nomen et insignia retinuit; in qua sola videmus excellentium virtutum, asceticaeque vitae eminentia exempla passim edi atque curari.* Itaque fateor, mihi semper religiosos ordines, piasque confraternitates, ac societates, aliaque hujusmodi laudabilia instituta mire probata fuisse; sunt enim quasi coelestis quaedam militia in terris, si modo remotis depravationibus et abusibus, secundum instituta fundatorum regantur, et a summo Pontifice in usum universalis ecclesiae temperentur. Quid enim praeclarius esse potest, quam lucem veritatis per maria et ignes et gladios ad remotas gentes ferre, solamque animarum salutem negotiari; interdicere sibi variis illecebris, atque ipsa jucunditate coloquii convictusque, ut contemplationi abstrusarum veritatum, ac divinae meditationi vacetur; dedicare se educationi juventutis ad spem doctrinae ac virtutis; miseris, desperatis, perditis, captivis, damnatis, aegrotis, in squalore, in vinculis, in remotis terris auxilium ferre atque adesse, ac ne pestis quidem metu ab infusae charitatis officio deterreri: quicunque haec ignorant, aut spernunt, hi nihil nisi plebejum et vulgare de virtutibus sapiunt, et hominum obligationem erga Deum solemnium qualicunque obitione et frigida illa consuetudine vivendi, quae vulgo sine zelo, sine spiritu in animis regnat, inepte metiuntur."

1) Lib. X. de civit. Dei cap. XVIII. 2) Lib. de Spirit. S. cap. XXIX. 3) In vita S. Greg. Th. 4) Lib. XXII. de civit. Dei cap. VIII.

§. III.
PROPOSITIO.
Ecclesia Romana habet notam catholicitatis.

322. — Probat. Illa societas vere catholica est, quae, praeter doctrinae et fidei universitatem, habet etiam diffusionem in omnia tempora et loca, seu quae universalis est doctrina, tempore et loco: atqui talis est ecclesia Romana. Ergo etc.

Major certa est ex art. I.

Prob. minor. I. Doctrinae universitatem habet ecclesia Romana, quia omnes reprobat errores tum veterum tum recentiorum haereticorum, ad id constanter intenta, ut totam et integram servet traditam sibi fidem. Haec quidem per totius theologiae decursum evidentius patebunt, cum de religionis dogmatibus singillatim agetur. Nunc autem illud adnotasse sufficiat, hanc ecclesiam tanquam fixam certamque regulam semper habuisse, nihil posse in religione immutari, neque ad ecclesiam pertinere posse, qui fidem Christi integram non teneret. Nullam illa admittit in doctrina novitatem, nullam dogmatum diversitatem, sed ut optime observat Vincentius Lerinensis Commonitorii cap. III., magnopere curat, *ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est: hoc est enim vere proprieque catholicum; . . sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque, si in ipsa vetustate omnium, vel certe pene omnium, sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.*

323. — II. Ecclesia Romana ratione temporis catholica est; haec enim ab initio stetit, nec aliud habuit initium, quam ipsa Christianae religionis incunabula. Ab eo autem tempore perpetua serie decurrunt ejus annales, nec ullum tempus assignari potest, quo esse desierit, aut quo non fuerit per totum orbem conspicua. Haec sola petram illam habet, quam Christus tanquam fundamentum posuit ecclesiae suae et de qua dictum est: *Portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Ipsa *contra omnes haereses pugnat*, ut ait S. August.[1]), *expugnari non potest; haereses omnes de illa exierunt, ipsa autem manet in radice sua.* Non enim nascuntur haereses ex gentibus, sed ex catholica prodeunt ecclesia, quae immota quasi rupes in medio mari videt commotas tempestatibus aquas, venientes et decurrentes fluctus. *Multae haereses jam emortuae sunt, cucurrerunt in rivis suis, quantum potuerunt; decurrerunt, siccati sunt rivi, vix eorum memoria reperitur.* S. August. in haec Psalm. LXXVII. verba: *Ad nihilum devenient tanquam aqua decurrens.*

324. — III. Haec eadem ecclesia Romano-catholica adhuc, etiam facta a protestantibus secessione, vere catholica est non duratione tantum sed et diffusione. Inter omnes enim societates, quae nunc existunt sub Christiano nomine nulla est, quae tam late diffundatur et tanta laetetur filiorum multitudine. Imo huic ecclesiae ipsi haeretici census suos deferunt, cum illi, velint, nolint, catholicae nomen et praerogativam attribuunt, ut observat S. August. lib. de vera religione cap. VII.: *Velint enim nolintve, ipsi quoque haeretici et schismatum alumni, quando non cum suis sed extraneis loquuntur, catholicam nihil aliud, quam catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur.*

---

1) Lib. I. de symbolo ad catech.

ARGUMENTA CONTRARIA.

325. — Argum. I. 1° Notum est ecclesiam Apostolorum tempore Christiano tantum nomine fuisse ab aliis societatibus secretam; imo probabile est, ut *Vossius* observat, vocem *catholicam* tertio tantum ecclesiae saeculo symbolo fuisse additam. Ergo nova est haec ecclesiae nota. 2° Nomen illud nunquam Romanae ecclesiae proprium fuit; nam quemadmodum aliae etiam societates illud sibi attribuerunt, sic Romanae ecclesiae abjudicarunt, aliis eam nominibus distinguentes. A protestantibus ii, qui ecclesiae Romanae additi sunt, passim *Papistae* vocantur, *Pontificii* aut *Romanenses*. Ergo etc.

326. — Resp. ad I. Praecipuum in hac materia est scire, an ecclesia Romana semper catholica fuerit, non autem an hoc nomen a primis incunabulis habuerit. Facile concedimus, illud, antequam haereses orirentur, usitatum non fuisse; satis enim superque fideles a Judaeis et ethnicis Christiano nomine distincti erant. Verum post exortas haereses et schismata hoc nomen inductum fuit, si non ab ipsis Apostolis, saltem iis temporibus, quae Apostolis viciniora erant. Cum enim mortuis Apostolis intrarent lupi rapaces, non parcentes gregi, ut Paulus praedixerat [1]), atque omnes illi novarum religionum seminatores et sectatores se Christi cultores aut Christianos vocarent, necessarium visum est, huic Christiano nomini aliud addere, quo trunci ipsius in sua radice stantis integritas a ramis huc illud sparsis distingui posset. Recte ergo *Valesius* [2]) observat, hoc cognomen ecclesiae inditum esse circa primam Apostolorum successionem. Reperitur enim in *Smyrnaeorum epistola* de martyrio B. Polycarpi apud Eusebium [3]); imo ante Polycarpum S. *Ignatius* idem cognomentum ecclesiae Dei diserte tribuit, in epistola ad Smyrnaeos: *Ubi fuerit Jesus Christus* (inquit), *ibi est catholica ecclesia.*

327. — Ad II. Quamvis etiam haeretici catholicum nomen quandoque usurpent, nunquam tamen potuerunt illud sibi proprium facere, neque hoc nomine ab aliis distingui. *Tenenda est nobis Christiana religio*, ait Augustinus [1]), *et ejus ecclesiae communicatio, quae catholica est, et catholica nominatur, non solum a suis, verum etiam ab omnibus inimicis.* Quamvis autem haeretici ecclesiam catholicam variis nominibus infamare conati sint, non potuerunt tamen auferre illud, quo solo ab omnibus aliis sectis secerni poterat, *catholicae* nomen, quo constanter, et ubique, et ab omnibus cognoscebatur. Imo plerumque novo nomine ipsi ecclesiae catholicae census suos deferunt, nam quae in nos conjiciunt vocabula, non designant sectam certi alicujus auctoris aut loci; sed fidei, aut ecclesiae demonstrant integritatem. Quid v. g. ajunt protestantes, cum nos hostili utique animo *Papistas*, aut *Pontificios*, aut *Romanenses* appellant, nisi unam et universalem ecclesiam nos habere, quae cum Petri successore conjuncta est? Una est eademque *Romana* et *catholica* ecclesia; ergo unum idemque catholicum esse et Romanum.

328. — Argum. II. Diffusio illa per totum orbem, quae a Prophetis fuit praenuntiata, et quae verae ecclesiae nota esse dicitur, non potest ecclesiae Romanae convenire; constat enim Christianorum sectas, quae ab hac ecclesia separatae sunt, eam diffusione et amplitudine longe superare, praesertim cum protestantium secessione magnam passa sit imminutionem. Ergo etc.

1) *Act.* XX, 29. 2) In notis in lib. VII. histor. Eusebii cap. X. 3) Hist. lib. IV. cap. XX.

1) De vera relig. cap. VII.

Resp. neg. ant. Quaenam debeat esse ecclesiae per orbem diffusio, ut non nomine tantum, sed re ipsa catholica sit, et quae sit illa tam singularis et splendida claritudo novi illius et amplissimi regni, quod Prophetarum oracula praedixerunt, jam supra [1]) dictum est. Hoc tantum hic addimus, et S. Augustini tempore multas extitisse sectas et haereses, quod tamen non obstitit, quominus ab Augustino aliisque Patribus ecclesia diceretur catholica; quia scilicet tam late extendebatur, ut quamlibet aliam societatem sua diffusione facile vinceret. Propter eandem causam nunc quoque catholica dici potest. Si protestantium secessione imminutionem passa est, ea abunde compensata fuit, cum novae vastissimaeque Orientis regiones, et in Occidente pars orbis integra lumine fidei collustratae sunt. Sed neque in illis Europae regionibus, quas nova haereticarum opinionum lues quam maxime pervasit, ita latet catholicorum ecclesia, ut non facile cuique attendenti sit conspicua; non enim necesse est, ut prospera pace fruatur, quo catholica esse et dici possit; in adversis plerumque magis splendet, cum omni humana ope destituitur, et Dei unius stat praesidio.

329. — Argum. III. Probari non potest ecclesiam, quae primis saeculis per orbem propagata fuit, eandem esse cum illa, quae Romana dicitur, et a qua secessionem fecerunt protestantes saeculo XVI. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Ecclesiam, quae primis non quatuor aut quinque tantum, sed novem saeculis et re et nomine catholica fuit, unam eandemque cum *Romana* fuisse, argumenta jam a nobis allata evidenter probant [2]), hanc honorabilem et augustam cathedram, ex qua unitas sacerdotalis exorta est, suspexerunt omnes antiqui Patres tum Graeci tum Latini, hujus communionem tanquam verae et orthodoxae fidei tesseram tenuerunt tum Orientales, tum Occidentales ecclesiae; per novem priora saecula omnia oecumenica concilia in Oriente habita sunt auctoritate Romani Pontificis, eoque per legatos praesidente. Postmodum ecclesia Orientalis Graecorum a sede Romana scissa est; sed simul pars esse desiit catholicae et universalis ecclesiae, quae ex Christi institutione una esse debet, unumque corpus sub uno capite constituere.

Porro, edicant protestantes, quaenam tempore inchoatae suae reformationis fuerit ecclesia vere catholica, quae cum Romana ecclesia non communicavit? Sive talis aliqua fuerit, sive non; nunquam a crimine schismatis purgare se poterunt. Si nulla adfuit catholica praeter Romanam; ergo haec vera fuit ecclesia universalis et perpetua, a Christo fundata, quam deserere sine grandi piaculo non poterant. Si autem aliqua alia adfuit, illi utique post separationem se adjungere debuissent.

§. IV.

PROPOSITIO.

Ecclesia Romana - catholica notam habet apostolicitatis.

330. — Probat. Ecclesia Romano-catholica 1⁰ suam originem et doctrinam ab Apostolis habet. 2⁰ Haeres est apostolicae potestatis per legitimam missionem et successionem pastorum, ab Apostolis non interrupta serie descendentium. Ergo jure optimo apostolica vocatur.

Prob. ant. pars. I. Ecclesia Romana eadem est cum ecclesia primorum saeculorum, quam vere apostolicam fuisse non diffitentur adversarii. Sub eodem capite continetur, idem habet centrum communionis, quod ab initio constitutum est, idem est ovile Petro ejusque successoribus concreditum, idem grex pastori suo adunatus. Res

1) Cap. I. art. II. §. I. 2) Vide propos. art. I. hujus cap.

in aperto est, cum nihil clarius emineat, quam haereticorum omnium novitas et ecclesiae Romanae antiquitas. Si enim apostolica non est haec ecclesia, dicant adversarii, quo auctore, quo duce orta sit; quo tempore primum facta sit discessio ab antiqua ecclesia; quae fuerit defectionis causa, quibus accessibus successive creverit nova societas; an interierit, aut ubi lateat illa apostolica ecclesia, a qua discessum fuit. — Vide *Bellarm.* de not. eccles. cap. V. Sicut origo, sic doctrina nostra apostolica est. Non potest unum ab alio dividi; verum de his jam diximus, cum de unitate doctrinae ageretur et ecclesiae catholicitate. Quod nostra ecclesia omnia et sola illa doctrinae capita teneat, quae vetus et apostolica ecclesia docuit, cuilibet manifestum fiet, tum ex eo quod nullam nobis hucusque in fide mutationem probare potuerint adversarii; tum ex comparatione doctrinae veteris ecclesiae cum nostra. Egregiam in hac re operam navavit clariss. D. *Wiest* tom. III. operis maj. pag. 641 et seqq.

331. — Prob. ant. pars II. Ecclesia catholica Romana habet successionem ministerii ab Apostolis incipientem, et ad haec usque tempora deductam. Ergo habet veros pastores legitime missos et institutos, atque illius potestatis, quae Apostolis tradita est, haeredes. Id imprimis ex serie Romanorum pontificum a S. Petro usque ad Pium IX. sine interruptione decurrente apertum est. Ex hac prima orbis Christiani ecclesia tanquam a communi matre omnes per Occidentem ecclesiae prognatae sunt; atque ita episcoporum ordines ab hac ecclesia exorti S. Petri successione quasi rami communi trunco inseruntur. Ergo recte quivis catholicus cum S. Augustino[1]) concludit: *Multa sunt, quae in ejus (ecclesiae) gremio me justissime tenent. Tenet consensio populorum atque gentium; tenet auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, vetustate firmata; tenet ab ipsa sede Petri Apostoli, cui pascendas oves suas post resurrectionem Dominus commendavit, usque ad praesentem episcopatum successio sacerdotum; tenet postremo catholicae nomen etc.* Et alio loco[1]): *Dubitamus nos in ejus ecclesiae condere gremio, quae ab apostolica sede per successiones episcoporum, frustra haereticis circumlatrantibus, culmen auctoritatis obtinuit?*

1) Lib. contra epist. fundamenti cap. IV.

ARGUMENTA CONTRARIA.

332. — Argum. I. Catholici certi esse non possunt, ecclesiam Romanam hodiernam integram habere et incorruptam Apostolorum doctrinam; nam ab aevo Apostolorum ab hac ecclesia varie mutata et labefactata est antiqua fides: jam vero, ubi semel periit sana doctrina, incassum ad legitimam successionem appellatur. Ergo etc.

Resp. Nego, quod catholici certi non sint, se Apostolorum doctrinam tenere; contrarium ex dictis patet. Cum autem protestantes dicunt, frustra legitimam successionem quaeri, ubi sana doctrina periit; vere quidem dicunt, sed falsam hypothesin statuunt, scilicet fieri posse, ut sana doctrina a legitima successione separetur; in ipsa enim necessario includitur, et ex legitima successione concludi debet ad doctrinae veritatem. Cum enim Deus ecclesiae suae deesse non possit, et ad doctrinae conservationem magisterium authenticum institutum sit, quod nonnisi ex legitimis pastoribus constare potest; sequitur, ibi necessario veram Christi doctrinam quaerendam esse, ubi est legitima pastorum successio.

333. — Argum. II. Successio illa legitima et non interrupta, in qua catholici praecipuum causae suae fundamentum ponunt, probari non potest. Ergo etc.

1) Lib. de utilitate credendi cap. XVII.

Prob. ant. 1° Dubia valde est et incerta Romanorum pontificum post S. Petri mortem successio; consequentibus autem saeculis non raro interruptus est successionis ordo, quando mali homines vi et armis in illam sedem intrusi sunt, vel cum in partes scissa est ecclesia, aut translatus in alias sedes Pontificatus. 2° In aliis quoque ecclesiis series episcoporum non raro interrupta fuit; nulla fere in Occidente ecclesia est, quae ad Apostolorum tempora ascendat. 3° Cum ad sacramenti valorem requiratur intentio, haec autem aliquid internum sit et occultum, nunquam certi esse possumus, an episcopi cum intentione requisita fuerint baptizati, confirmati et ordinati. Ergo neque de legitima successione certi esse possumus.

334. — Resp. ad I. Quamvis in recensendis primis Petri successoribus aliqua reperiatur auctorum diversitas, omnes tamen consentiunt, successionem nunquam fuisse interruptam. Ad praesentem quaestionem parum refert, an v. g. *Cletus* et *Anacletus* duas, aut unam tantum personam designent, an S. *Clemens* primus S. Petri successor fuerit, an *Linus*, qui *Cletum* et *Clementem* successores habuit. Plures existimant Linum et Cletum vivente adhuc Petro ordinatos, hujusque Apostoli in administranda Romana ecclesia fuisse adjutores; Clementem autem, quem successorem suum designaverat, noluisse episcopale munus suscipere, quamdiu illi S. Petri coadjutores superessent. Ita, agente imprimis S. Clemente, factum fuisse, ut mortuo Petro *Linus* in episcopum eligeretur, cui successor datus est *Cletus* seu *Anacletus*, quem demum S. *Clemens* excepit. Vide *Natal. Alex. in primum ecclesiae saecul.* Diss. XIV. Schismata autem et violentae in primam cathedram irruptiones aliaque hujus generis mala, quae Romanam ecclesiam gravissime exagitarunt, successionis ordinem ita perturbare non poterant, ut series legitimorum Pontificum abrumperetur; quemadmodum non tollitur legitima regum successio, cum alieni aut rebelles subditi in jura imperii invadunt.

335. — Ad II. Non est necesse, ut particulares omnes ecclesiae seriem episcoporum habeant non interruptam, neque ut ad Apostolorum tempora adscendat haec successio. Sufficit ut primus sedis illius episcopus a Romana sede vel mediate, vel immediate fuerit institutus; sufficit ut successores cum unitatis centro cohaereant; sic enim particulares ecclesiae ipsi Romanorum Pontificum successioni inseruntur. Atque hanc ob causam in una Romana sede sistebant veteres episcopi; de illa principali successione solliciti magis, quam de sua. Hinc nec *Irenaeus* Lugdunenses Praesules, nec *Eusebius* Caesareenses, nec *Epiphanius* Salaminenses, nec *Optatus* Milevitanos, nec *Augustinus* Hipponenses in medium adducunt; sed communi consensu in uno solo Romanorum Antistitum albo inscribendo conspirant. Satis illis erat ecclesiae illius principalis, cujus se membra esse gloriabantur, et unde unitas sacerdotalis exorta est, continuam successionem enumerare.

336. — Ad III. Illa Matthaei *Pfaffii* objectio, quod de intentione baptizantis aut ordinantis certitudinem nullam habeamus, nemini metum injicere potest. Haec suppositio non est in hominum moribus fundata: neque permittere id potest illius, qui se ecclesiae semper affuturum praedixit, providentia.

§. V.
CONSECTARIA.

I.

Visibilitas, quae verae Christi ecclesiae propria esse debet, convenit societati catholicorum.

337. — Prob. Visibilitas, quam cap. I. probavimus verae Christi ecclesiae esse necessariam (art. II. §. 4.), debet

esse perspicua et permanens. Atqui haec convenit societati catholicorum. Ergo etc.

Prob. min. Ecclesia catholica semper fuit visibilis et quidem modo insigni et eminenti in publica et constanti ejusdem fidei confessione, ejusdemque cultus administratione, in illa admirabili connexione omnium partium in unitate regiminis et capitis; in diversis ministrorum gradibus, in Romanis pontificibus, in conciliis tum generalibus, tum particularibus; in pastorum continua successione ab Apostolorum tempore sine interruptione decurrente; in illo tuendae verae religionis indefesso studio, aliisque omnibus verae ecclesiae notis, quas ex hac antiquissima ecclesia semper catholica semperque apostolica nullo non tempore effulsisse probavimus. Ergo etc.

SCHOLION.

338. — Argumenta, quae contra perpetuam ecclesiae catholicae visibilitatem objici possunt, partim cap. I. hujus tractationis refutata sunt, ubi de ecclesiae visibilitate in genere actum est; partim ex iis, quae hoc articulo III. jam dicta sunt, dilui possunt. Id probe adnotandum est, ecclesiae visibilitatem non in opum abundantia et honorum ornamentis, non in saeculari pompa, non in regum et principum obsequio aut aliis ejusmodi consistere, quibus carere potest sponsa Christi, quin ideo splendore illo exuatur, quem a Christo auctore suo habet, et quem nulla potuerunt saecula delere; nam *Christus se ipsum tradidit pro ea, ut exhiberet ipse sibi gloriosam ecclesiam.* Nunquam illa vim suam et divinam, qua pollet virtutem magis exerit, quam cum irruentibus undique fluctibus concutitur. Neque tunc visibilis esse desinit, cum non tantum ipsa manifestam se faciat insignibus notis, sed et tyrannorum edicta, et tormentorum apparatus, et districti in eam enses et incensi rogi toti mundo eam annuntient, nec sinant esse occultam. Hanc ecclesiae perpetuam visibilitatem, etiam inter saevissimas persecutionum procellas, miris modis extollunt SS. Patres. Sic inter alios S. *Chrysostomus* ait[1]): *Jactatur navis, at non mergitur. Poterat quidem et in tranquillo navigare, verum non passus est gubernator, quo simul et navigantium perspicias tolerantiam et gubernatoris prudentiam plenius cognoscas. A quam multis oppugnata est ecclesia, nec tamen victa? Quot tyranni, quot duces, quot imperatores?* Et S. *Hilarius*[2]): *Magna vis est veritatis, quae cum per se intelligi possit, per ea tamen ipsa, quae ei adversantur, elucet. Hoc enim ecclesiae proprium est, ut tunc vincat, cum laeditur, tunc intelligatur, cum arguitur, tunc obtineat, cum deseritur.*

Consectarium II.

Ecclesia Romano-catholica est vera Christi ecclesia.

339. — Prob. Illa est vera Christi ecclesia, quae omnes verae ecclesiae notas habet; atqui ecclesia Romano-catholica omnes has notas habet. Ergo etc.

Consectarium III.

Infallibilitas, quam Christus ecclesiae suae pastoribus promisit, in ecclesia Romano-catholica quaerenda est.

340. — Prob. In illa ecclesia quaerenda est infallibilitatis praerogativa, quae certis argumentis probat, se veram Christi ecclesiam esse, cum utique Christus docendi potestatem *suae* ecclesiae dederit, non alienae; perpetuum praesidium *suae* promiserit ecclesiae, non alienae. Atqui ecclesia catholica Romana omnes verae ecclesiae notas habet, certisque argumentis probat, se veram esse Christi ecclesiam. Ergo etc.

---

1) Hom. de eo, quod scripsit Isaias: Factum est anno, quo mortuus est Ozias.
2) Lib. VII. de Trinit. n. 4.

Consectarium IV.

Extra ecclesiam catholicam Romanam non est salus.

341. — Prob. Extra veram Christi ecclesiam non est salus (ex cap. I. art. II. §. 4. prop. II.), atqui ecclesia catholica Romana est vera Christi ecclesia ex consect. II. Ergo etc.

SCHOLION I.

342. — Quo sensu intelligenda sit haec propositio, et quae circa hanc materiam sit catholicorum doctrina, jam supra ostensum est cap. I. art. II. §. IV. imprimis in responsionibus ad argumenta adversariorum, quae hic repetere superfluum judicamus.

SCHOLION II.

343. — Hic locus non est ea refutare, quae de catholicorum intolerantia civili et politica toties ab intolerantissimis hominibus dicta et repetita sunt. Facta ex historia undique congerunt, exaggerant, adulterant hostili et infesto in catholicos animo; aut certe inique in catholicam religionem conjiciunt, quaecunque catholici contra religionis praescriptum moliti sunt; quae ambitio et religionis nomine tecta dominandi libido pepererunt. Illud imprimis omnibus haereticis usitatum semper fuit, ut, cum ipsi pacem ecclesiae turbarunt, in catholicorum jura et possessiones invaserunt, nocentes quantumcunque poterant, et occultis insidiis, et apertis violentiis: postmodum in crimen vocaverint catholicos, quod lacessiti et exasperati vim opposuerint injuste aggredientibus, atque etiam, conjectis semel in mutua odia animis, modum excesserint vindictae libidine abrepti.

344. — Magis ad rem nostram faciunt ea, quae religiosam et theologicam tolerantiam spectant. Ad praecipua adversariorum argumenta jam responsum est (vide Scholion I.); ergo vix superest, quod moneamus. Ut autem appareat, quid de catholicorum religione et salute senserint protestantes non XVI., sed XVIII. saeculi, hoc unum sufficiat, quod ex Diario theologico (unschuldige Nachrichten) refert D. *Wiest*[1]). Cum *Joan. Fabricius* insignis protestantium theologus aperte docuerit, in religione catholica salutem obtineri posse, de hac sententia ita loquuntur auctores illius Diarii: *Gott wehre doch diesem Unheil und lasse das gegebene grosse Aergerniss nicht weiter kommen.* Vide ibidem alterius protestantici auctoris dicta.

345. — Ceterum ad ea redimus, quae jam alio loco diximus; solam a nobis dependere civilem tolerantiam et quidem privatam. Hanc libenter omnibus concedimus, qui civilibus nobiscum vinculis sociantur, neque morem sequimur illorum, qui tolerantiam simulantes libentissime nobis dant quae non habent, ut eo facilius, quae nos habemus, auferant. Nos ergo pacem damus ex animo; operam damus et obsequia, humanitatem damus et amorem; haec dare possumus. Salutem dare nostrum non est. Aliam quoque a protestantibus tolerantiam non petimus. Quid ipsi credant, an salvari nos posse dicant, an non, parum curamus; securi sumus. Dent et illi nobis, quod dare ipsorum est — non verba — non dulces sermones; sed fraternum amorem factis comprobatum: *Filioli, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* (I Joan. III, 18.).

346. — Verum ita in catholicos hac etiam aetate affecti sunt plurimi ex DD. protestantibus, ut ne verbis quidem occulere possint intolerantem animum, nec desinant ecclesiae catholicae maledicere, veteres criminationes toties jam dilutas recoquere, atque imprimis calumnias et convitia spargere in eos, qui ex eorum medio ad sacra catholica transeunt. Mirum utique videri debet viros, qui salutis portam

1) Op. Maj. tom. III. p. 414.

omnibus apertam esse clamant, ita excandescere, si quis veritatem sincero animo quaerens, ac de religionis catholicae veritate convictus, ad eam tanquam ad salutis portum confugit. Ut clamant! ut convitiantur! ut furunt! Abjiciat ille omnem revelationis fidem, conspuat ille divinae religionis sanctissima praecepta, in Deum ipsum insurgat, parum est; tanquam fratri dexteram porrigunt, dummodo catholicus non sit. Unde haec tam iniqua agendi ratio? Si quis in animo haeret religionis amor, cur paternae religionis desertores, si ad castra atheorum transeunt, libenter patiuntur; si ad catholicos accedunt, non patiuntur? An non apertum est, non esse apud eos religionis, sed partium studium? Nihil illi curant hominum salutem, dummodo stent in protestantium partibus, et eorum non religionem, sed partes tueantur[1]).

1) Man sehe *Theoduls* Gastmahl S. 47. 56. und 121., wo es unter anderm heisst: *„Anfangs predigten ihre Aufklärer Toleranz, und priesen sie so dringend an, bis Toleranz das allgemeine Feldgeschrei ward; so dass Niemand es merkte, was sie damit beabsichtigten. Als sie nämlich die Toleranz für sich erlangt hatten, wurden sie intolerant, und verschrieen und verfolgten alle Diejenigen, die sie durch ihre Toleranzpredigten zum Stillschweigen gebracht hatten.“* So las ich in einem französischen Werkchen die giftige Anrede an einen Mann, der ganz nach der neu-philosophischen Manier den Toleranzprediger machte: „Oui, Monsieur, il est temps de vous dire, que l'on n'est pas la dupe de votre langage hypocrite, démenti par toute votre conduite. On connait le jargon philosophique, que vous affectez dans vos discours. Vous prêchez la paix, tandis que votre coeur distille le fiel: l'union est dans vos paroles, tandis que vous semez la discorde. Vous prêchez la tolérance, pour pouvoir persécuter vous seul; vos invoquez le silence, pour pouvoir parler vous seul; vous parlez de fraternité et d'humanité en écrasant ceux, qui ne pensent pas comme vous.“

ARTICULUS IV.

An acatholicorum, imprimis protestantium societates verae ecclesiae notas habeant.

347. — Quae nunc a nobis tractanda suscipiuntur, possent aliquo modo superflua videri; cum ex iis, quae probata sunt, tota quaestio tanquam finita et confecta haberi debeat. Et certe, si, quod multis argumentis hucusque demonstratum est, ecclesia Romano-catholica vera Christi ecclesia est; hoc ipso omnes aliae falsitatis convincuntur. Christus unam tantum ecclesiam instituit; neque fieri potest, ut tot societates Christianorum, quae a catholica ecclesia doctrina et communione differunt, veram tamen una cum ea Christi ecclesiam efficiant. Si ecclesia catholica illa ecclesia est, quam Christus instituit et audire praecepit; ergo veram habet Christi doctrinam, legitimos pastores, ad quos potestas Apostolis concessa haereditario jure pervenit; ergo qui hanc non audit, hujus potestati se non subjicit, extraneus est, ethnicus et publicanus est. Ergo falsae sunt omnes aliae ecclesiae, neque vere Christianae dici possunt, quamvis hoc nomine glorientur.

348. — Sed haec theologo sufficere non debent, in quo requiritur erudita religionis cognitio; quae et veritatis probationem et falsitatis confutationem complectitur. Imprimis illas Christianorum ecclesias propius nosse oportet, quae inter nos et permixtim nobiscum vivunt; ut perspecta earum origine, doctrina, cultu, constitutione dijudicare possimus, an verae ecclesiae characteres referant, an non. Nulla re evidentius videri potest, quanta sit inter catholicam ecclesiam et protestantium societates dissimilitudo; et sicut in pictura magis eminent partes luminosae adjecta umbra, sic clarius emicat ecclesiae catholicae dignitas ex ejus cum aliis ecclesiis collatione. Quemadmodum ex una parte omnes verae ecclesiae notae in catholica ec-

clesia ita conspicuae sunt, ut omnium statim oculos percellant; ita ex altera parte in protestantium societatibus frustra quaeruntur; neque longiori examine opus est, ut alios omnino et contrarios characteres in iis deprehendamus.

Quoniam autem abundantior se offert materiarum seges ex historia tum veteris tum recentioris protestantismi, neque etiam alias ecclesias praeterire possumus; hunc articulum in quinque paragraphos distribuimus. Quatuor priores examen continebunt protestantium ecclesiarum, earum praecipue, quae magis inter nos diffusae sunt et tanquam matres haberi possunt aliarum. Quintus de Orientali ecclesia aget.

§. I.

De nota unitatis.

OBSERVANDA.

349. — I. Si ecclesiae catholicae historiam, ab ejus origine incipientes per omnia saecula prosequimur; idem semper videbimus retinendae unitatis studium. Hoc ipsi fixum semper erat et sacrosanctum, integram servare avitam religionem; omnes e sinu suo ejicere, qui revelata dogmata convellere auderent et transgredi terminos antiquos, quos Patres posuerunt; neque unquam aliquod erroris cum veritate consortium pati. Hanc inexpugnabilem constantiam a Christo fundatore suo accepit, nec aliud ejus fundamentum assignari potest, quam illae Salvatoris promissiones: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

II. Contrarium omnino deprehenditur in omnibus novatorum societatibus; nam quia promissa Christi non habent, nec Spiritus sancti praesidio reguntur, sed spiritus privati, erroris et vertiginis foetus sunt, hanc suam naturam nunquam exuunt. Ex eo natae, quod antiquam Patrum doctrinam mutaverint, cum semel coeperunt, immutare non desinunt. *Cum omnis haeresis ex novitate orta sit*, ait S. *Hilarius* ad Constantium Augustum, *ut hoc se titulo dignam ostendat, nunquam ab innovando desistit.*

350. — Argumenta hujus rei plurima et evidentissima in ipso *Luthero* primo omnis pseudo-reformationis auctore conspicimus; qui nunquam cum aliis novatoribus, nec cum seipso consentire potuit. Postquam ab initio controversiarum Romani pontificis primatum agnovisset, his verbis scribens ad Leonem X.: *Vocem tuam vocem Christi in te praesidentis et loquentis agnoscam;* postquam anno adhuc 1519 in resolutione super propositione sua XIII. de potestate Papae dixerat: *Quod me movet, Romanorum Pontificem esse aliis omnibus, quos saltem noverimus se Pontifices gerere, superiorem, est voluntas Dei.* (Vid. Zeugnisse aus allen Jahrhunderten S. 308.) — postmodum, cum se damnatum videret, in convitiando omnem modum excessit, et in disputatione anno 1540 edita Papam vocat monstrum illud, de quo Daniel ait, quod adversetur Deo. Frequentia illi sunt, cum de Romano pontifice loquitur, lupi, suis, antichristi, diaboli nomina, et quidquid effutire potest scurra improbissimus. In omnibus eadem fluctuatio. Quam parum veritatis amore ductus fuerit; quam praeceps contra fuerit et sui impotens, quam temere et turbulente in rebus gravissimis egerit, nullo consilio, sed ferocis tantum animi impetu actus, hoc unum probabit, ut multa alia omittamus, quod circa communionem sub utraque specie scripsit Tom. II. *Oper. de formula Missae* etc.: *Si quo casu concilium propria auctoritate id statueret, aut permitteret, tunc minime omnium nos velle utraque specie potiri; imo tunc primum in despectum tam concilii, quam statuti sui vellemus, aut alterutra aut neutra et nequàquam utraque potiri.* Hinc novus protestantium

scriptor *Sartorius* ait: *Luther kannte den Weg nicht, den er laufen sollte, darum stiessen ihm immer Dinge auf, die er nicht erwartet hatte. Einen Plan mit einem umfassenden Geist entworfen, und mit Festigkeit ausgeführt, hat er gar nicht gekannt.* Moderatior quidem Melanchthon, et a dura et imperiosa Lutheri indole valde remotus; in doctrina autem magis quam ille anxius, suspensus, dubii semper et incerti consilii. Ejus variationes, incertitudines mentisque agitationes depingit *Bossuetius* lib. V. variat.

351. — Verum nihil evidentius probat, nunquam in reformatorum ecclesia fixum aliquid et certum in doctrina fuisse, quam eorum libri symbolici et totius cusae et recusae fidei professiones. Confessio Augustana ex Lutheri quidem placitis confecta est; sed a Melanchthone varie versa et immutata, ita ut multis jam in ortu suo displicuerit, cumque catholici quaererent a protestantibus, an hanc doctrinae normam sequi vellent et constanter retinere, hi responderunt, nolle se libertatem sibi adimere, quae vellent in posterum immutandi. Haec ipsa confessio Augustana in libro concordiae vocatur *sui temporis symbolum*. Porro dissensiones et controversias cum reformatione incepisse, et ex ipsa ejus indole et constitutione prodiisse, ex historia certum est. Lutheri sectatores omnes, qui alicujus nominis fuerunt, a magistri doctrina abierunt, ne ipso quidem Melanchthone excepto, qui ideo Crypto-Calvinista appellatus est

352. — III. Calvinus, qui viginti prope annis post exorta in Germania religionis dissidia scripsit, systema aliquod doctrinae habuisse videtur statim ab ortu haeresis; verumtamen, ut sectae suae consuleret, ita versari sermonem suum et flectere ad tempus scivit astutus simulator, ut modo Lutheranorum doctrinae favere, mox cum Zwinglianis sentire videretur, mox cum de SS. Eucharistia loqueretur, vix non catholice se exprimeret. Vid. *Bossuetium* hist. variat. lib. IX. Calvinianis idem, quod omnibus aliis sectis contigit, ut nempe ab ecclesiae unitate divisi, ipsi in varias partes misere scinderentur, atque intestinis dissidiis sese mutuo impeterent. *Variant inter se*, ait Tertull. de haereticis sui temporis loquens [1]), *dum unusquisque proinde suo arbitrio modulatur, quae accepit, quam de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. An non idem licuit. Valentinianis, quod et Valentino, idem Marcionitis, quod Marcioni, de arbitrio fidem innovare?* Prodierunt ex hac schola *Anglo-Calviniani, Puritani, Independentes*, aliaeque fanaticae sectae quam plurimae in Anglia; *Reformati* in Palatinatu aliisque Germaniae regionibus; *Piscatoriani*, *Arminiani* etc. Cf. *Natal. Alexand.* hist. eccl. saec. XV. et XVI. [2]) et D. *Wiest*, de veritate religionis Christiano-cathol. partem historicam. Has continuas in doctrina variationes et vicissitudines illust. *Bossuetius* libro citato non ex privatis quorundam auctorum opinionibus sed ex publicis documentis, ex fidei confessionibus auctoritate publica editis, docte et copiose prosecutus est, usus ad hoc praecipue libro an. 1654. Genevae impresso sub titulo: *Syntagma confessionum fidei.* Totus hic liber chaos est informe diversarum et inter se discrepantium opinionum, et veritatis atque unitatis defectum ad oculum demonstrat.

353. — IV. Si posteriorum protestantium varietates, minorum aut recentiorum sectarum doctrinam, ac demum, quae ultimis temporibus invaluit, omnium opinionum confusionem et effraenam religionem sibi ex arbitrio fingendi licentiam accuratius prosequi vellemus, integra conscribenda essent volumina; sed hunc nunc esse ecclesiarum suarum statum protestantes ipsi fatentur.

---

1) De praescriptione cap. XLII. 2) Edit. Bing. Tom. XVIII. pag. 237 et seq.

Librorum symbolicorum auctoritatem palam aspernantur; quos volunt libros ex scripturarum catalogo expungunt, aut potius scripturam ipsam vilipendunt; quae possunt, ad sua systemata quoquo modo trahunt, et quae cum novis opinionibus non concordant, cum explosione abjiciunt. Jam an. 1750 celeberrimus *Laurentius a Mosheim* teste *Christophoro de Einem* publice docuit: *Es hat sich die Verfassung der evangelischen Kirche im jetzigen Jahrhundert umgesetzt, und diese Veränderung geht immer weiter. Die innerliche Einigkeit derselben ward vorher durch das Ansehen der symbolischen Bücher erhalten. Selbes bleibt zwar noch in vielen Provinzen der evangelischen Kirche; allein es erstreckt sich nur auf die Geistlichen; die Uebrigen können denken, lehren, schreiben und glauben, was sie wollen. In vielen Ländern unserer Kirche ist es so weit gekommen, dass auch die Geistlichen nicht mehr an die symbolischen Bücher gebunden sind; sondern Dinge frei vortragen können, die offenbar mit denselben streiten, und das gehet immer weiter.* Quis nescit viros inter protestantes celebratissimos *Barthium*, *Semlerum*, *Bassedovium*, *Steinbartum*, *Tellerum*, *Büschingium* multosque alios, qui videri possunt apud D. *Wiest* loco citato, et in opere Germanico *Theoduls Gastmahl*, omnem pudorem excussisse, et sacrarum scripturarum auctoritatem, et sanctissimae religionis dogmata proterve conculcare? Ex quo in dies magis confirmatur illud *Joann. Gottlieb Toellner* protestantici theologi dictum: *Man muss eines von beiden wählen, entweder das Papstthum, oder keine Glaubenseinigkeit.* Idem est omnibus ubique novatorum status. Quilibet in suo sensu abundat, neque sciunt, quid credere debeant, aut velint. De Calvinistis ait *Rousseau* lett. de la Montagne: *Les ministres protestans ne savent plus ce qu'ils veulent, ni ce qu'ils disent. On leur demande, si Jésus-Christ est Dieu? ils n'osent répondre. On leur demande quels mystères ils admettent; ils n'osent répondre; on ne sait ce qu'ils croyent, ni ce qu'ils ne croyent pas; on ne sait pas même ce qu'ils font semblant de croire. Leur seule manière d'établir leur foi est celle d'attaquer celle des autres.* Ecclesiae Anglicanae statum ita describit clarissimus *Christianus de Einem*, Versuch einer vollständigen Kirchengesch. des achtzehnten Jahrhunderts, 6. Bd., S. 436.: *Es herrscht in dieser Kirche zu unsern Zeiten eine völlige Lehrfreiheit. Wer nur kein offenbarer Socinianer und Papist ist, der kann die Lehre erklären, wie er will. Der Arminianismus nimmt in ihr überhand, und Calvins System hat sehr viel Ansehen verloren. Auch wird man Calvins Lehre von dem heiligen Abendmahle immer untreuer, und tritt auf Zwingli's und Anderer Seite.* Mirum igitur videri non debet, si in tanta sententiarum varietate et incertitudine, multi ex omnibus novatorum societatibus in indifferentismum prolapsi sint. *Wiest*, hist. indifferentistarum. Op. Maj. Tom. III. pag. 104.

An nos veram Christi ecclesiam dicemus, aut ecclesiae tantum Christianae nomine dignabimur illam hominum societatem, quae nullo religionis et fidei vinculo colligatur? in qua illud unum est omnibus commune, de religione nihil curare; illud commune vinculum, in ecclesiam catholicam conjunctis viribus impetum facere? Partes sunt, ut jam dictum est, non ecclesia. De fide, de cultu, de religione non quaerunt; cum illis sunt, non qui eandem cum illis doctrinam, sed qui illorum partes sequuntur.

PROPOSITIO.

Ecclesiae protestantium notam unitatis nec habent, nec habere possunt.

354. — Prob. I. pars. 1° Nulla protestantium societas constans in sua doctrina fuit; neque uno eodemque

tempore eandem fidem ubique tenuit, idque tum ex operibus Lutheri, Melanchthonis aliorumque novatorum, tum ex fidei symbolis, aliisque documentis publicis tam apertum est, ut ipsi protestantes illud inficiari non possint. Ideo ad articulos suos fundamentales confugiunt, quos qui tenent, omnes ad Christi ecclesiam pertinere dicuntur. Verum hos fundamentales articulos determinare nunquam potuerunt; imo per summam contradictionem volunt, omnes illas Christianorum societates veram Christi ecclesiam constituere, quae in fundamentalibus conveniunt; ut fundamentalia autem ea habenda esse, in quibus omnes Christianae societates conveniunt.

2⁰ Nulla est apud protestantes membrorum conjunctio in unum corpus, in unam societatem. Omnes in partes secti sunt prope infinitas et quamvis plures Ecclesiae nomen aliquod commune sibi imponant, nulla tamen mutua necessitudine et dependentia uniuntur, neque unum corpus efficiunt per unam eandemque membrorum connexionem; quia regimen commune et caput visibile non habent. Ergo etc.

355.—Prob. II. pars. 1⁰ Protestantes nullum habent unitatis principium; rejiciunt unanimi voce perfectissimam unitatis formam ortam ex communione cum supremo capite. Universi de facto rejiciunt omnem regiminis unitatem. Quomodo autem consensionem haberent in doctrina, qui certam non habent fidei suae regulam? Abjecta enim ecclesiae auctoritate, spiritu suo privato circumferuntur in varias et oppositas sententias. Sicut enim infallibilis ecclesiae auctoritas columna est et firmamentum veritatis; sic spiritus privatus necessario varietatem generat opinionum et interminabiles controversias.

2⁰ Omnis unitatis inimicum est commune inter protestantes principium *perfectibilitatis;* quo semel posito non solum fieri potest mutatio in doctrina, sed et fieri debet. Semper enim perfici debet, eamque perficiendi jus denegari nemini potest. Ceterum non nova est haec sententia, sed cum Lutheranismo nata. Eam in epistolis Melanchthonis expressam reperimus. Cf. quae in prolusionibus dicta sunt, pag. 243—245. Item adnotat. pag. 254.

§. II.

De nota sanctitatis.

OBSERVANDA.

356. — I. Quocunque modo spectentur novatorum societates, nihil in iis conspicitur, quod aliquam sanctitatis notam prae se ferat. Sive vitam eorum, qui auctores fuerunt reformationis; sive eorum, qui novum evangelium receperunt, mores inspiciamus; sive doctrinam ipsam, a novis et discolis hominibus tanquam puram, coelestemque veritatem venditatam; omnia a vera pietate et Christianarum virtutum exemplis quam maxime abhorrent. Si Lutheri aliorumque qui illum secuti sunt novatorum mores depingere animus esset, necesse non haberemus ad catholicorum scripta confugere, libenter enim fatemur, in primo concertationum aestu plurima fuisse immoderatius dicta. At cujus spiritus fuerint, satis eorum scripta et facta testantur, et quae ipsi in se mutuo vibrarunt jacula. Quicunque rem attentius considerat, facillime sibi persuadebit, longe abfuisse viros illos ab omni veritatis studio, longe ab evangelicis praeceptis, longe a Christi et Apostolorum exemplis; nullum in tota eorum agendi ratione ex illis fructibus Spiritus S. deprehendet, quos Apostolus ad Galatas (cap. V. v. 22.) enumerat; bene autem illa opera carnis ibidem expressa: *Impudicitia, luxuria, inimicitiae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, ebrietates, commessationes et his similia.* Lutherus et plerique novi evangelii sectatores abjecto monachali

habitu, solemnium votorum immemores sacrilega connubia inierunt. Et cum ipsi semel omne jugum, omnem pudorem excusserant; nihil intentatum reliquerunt, ut quam plurimos in partes suas traherent. Hinc bona ecclesiastica principibus diripienda tradiderunt, clericos discolos et libidinosos monachos spe nuptiarum pellexerunt, populis autem fraena laxarunt, libertatem ipsis promittentes, cum ipsi servi fuerint corruptionis [1]). Quae mens veri honestique amans ferre poterit illud Lutheri plenum rusticae et popinalis jactantiae cum Carlstadio colloquium; ejusdem cum diabolo disputationem; tum innumeras spurcitias, scurrilitates, convitia, quae in Papam, episcopos, reges et principes pleno ore effudit? O coenum! o portentum! Neque silentio hic praeterire possumus celebrem consultationem, qua novi Apostoli Lutherus, Melanchthon, Bucerus etc. Hassiae Landgravio praecipuo sectae fautori permittunt, ut vivente adhuc prima uxore, nec repudiata, secundam duceret *juxta evangelium*. Inauditum facinus! sic quippe sancta omnia conculcare, et evangelium ludibrio habere non erubuerunt homines improbi, qui evangelium semper in ore habebant, seque per excellentiam *evangelicos* nominari volebant [1]).

357. — II. Quae de Luthero ejusque sectatoribus dicta sunt, Calvino quoque aliisque haereticis attribui possunt; idem ubique spiritus, iidem homines, quos Apostolus praevidit in novissimis diebus ecclesiam vastaturos [2]). Mirum quam bene sese mutuo noverint omnes illi novi evangelii satores. Inde tituli illi honorifici et pleni urbanitate, quibus se mutuo prosequebantur. Lutherus epistola ad Francofurtenses Zwinglium, et qui ejus doctrinam secuti sunt, sacramentarios vocat, archidiabolos, blasphemos adversus Deum, sectam damnatam, mendaces maledictos. Bucerus Calvinum, cum quo amicitia conjunctus erat, vocat canem rabidum, scriptorem maledicum, qui judicaret de hominibus prout amaret vel odisset. Econtra Hospinianus sacramentariorum theologus de Propheta Luthero ait, eum furiosum hominem fuisse, solitum impugnare veritatem, non tantum contra jus, sed etiam propriam conscientiam; et in confessione Germanorum an. 1544 a Calvinistis edita asseritur Lutheri scripta plena esse daemoniis, plena immodestis cavillis, abundare ira et furore. Cf. Seitenstück zu Dr. Luthers Weisheit. Discussion amicale tom. I. pag. 67—87. [3]).

1) II *Petr.* II, 19. — Jedermann kennet das aufrichtige Geständniss eines protestantischen Gelehrten (Brochmann pastor Haffniensis, in examine politico conf. Aug. pag. 163.): *„Dr. Luther gab den Fürsten die Stifter, den Priestern gab er die Weiber, dem gemeinen Manne die Freiheit, und das thät viel zur Sache.“* Eben so urtheilte Friedrich der Grosse von dem schnellen Fortgange der Reformation. *„Si on veut réduire les causes du progrès de la réforme à des principes simples, on verra qu'en Allemagne ce fut l'ouvrage de l'intérêt, en Angleterre celui de l'amour et en France celui de la nouveauté. Il ne faut pas croire, que Jean Hus, Luther et Calvin fussent det génies supérieurs. Depuis que dans les pays protestans les ecclésiastiques n'ont plus rien à perdre; les chefs des nouvelles sectes n'ont plus rien à gagner.“*

1) Cf. *Bossuet.* histoire de var. lib. VI.
2) II *Timoth.* III.
3) *Rousseau* a dit entre autres de Calvin: „Quel homme fut jamais plus tranchant, plus impérieux, plus décisif, plus divinement infaillible à son gré? La moindre opposition, la moindre objection, qu'on osait lui faire, était toujours une oeuvre de Satan, un crime digne du feu.“ Wenn von der Heiligkeit einer Kirche die Rede ist, so muss man sich hüten Pietismus und Schwärmerei mit wahrer Tugend und Heiligkeit zu vermengen. Der Mensch fühlt überhaupt ein gewisses Bedürfniss, nach dem Uebersinnlichen zu streben; er fühlt sich zu etwas Höherem bestimmt, als ein

358. — III. Nemo nunc mirabitur, quod a novis ecclesiae reformatoribus non tantum malis ecclesiae medela allata non sit, sed quod omnia in summam confusionem abierint et morum perditissimam licentiam. Tam manifesta erat haec morum per novum evangelium in deterius immutatio, ut ipsi protestantes illam negare non potuerint. Frequentes sunt Melanchthonis acerbissimae querelae. Inter alia haec habet lib. IV. epist. 742.: *Nostri, id est docentium mores movent multos, ut qualemcunque statum auream aetatem fore prae hac confusione sperent.* Epist. 836.: *Nunc δημαγωγοι ὀχλοκοπουντες (demagogi turbas sollicitantes) indocti, nec quaerentes doctrinae fontes, nec disciplinam, nec vera pietatis exercitia curantes dominantur . . . De licentia vulgi amplificanda excitabant κρολοδοσυβους (plausus). Haec tristissima confusio ecclesiae tantum mihi dolorem affert, ut libenter ex hac vita discessurus sim; ac video me non procul a meta abesse. Perferuntur ad me etiam atroces sermones magnatum quorundam, qui etsi a sycophantis incenduntur, tamen suo fortasse etiam odio ardent.*

359. — Hinc merito Erasmus in ipso Zwinglii et Lutheranorum initio, cum novatores obtenderent morum corruptionem in ecclesia, eos ita retundit in epistola ad pseudo-evangelicos. „Apostolorum praedicationi fidem adstruebat perpetuus dogmatum consensus et miracula; quum vos non solum dissentiatis inter vos, sed iidem subinde novetis ritus pariter et dogmata; altera parte sitis omnino destituti. . . .“ „Quid interim nobis profertis melius et evangelio dignius, ut ab assuetis recedamus? Circumspice populum istum evangelicum et observa, num minus illic indulgeatur luxui, libidini et pecuniae, quam faciunt ii, quos detestamini. Profer mihi, quem istud evangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. Nunquam illorum ecclesias sum ingressus: sed aliquando vidi redeuntes a concione, veluti malo spiritu adflatos, vultibus omnium iracundiam ac ferociam miram prae se ferentibus.“ Et iterum: „Circumspice mihi sodalitatem evangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot decoctores, quot aliis vitiis infames? Et hos quidem habent etiam in deliciis, tantum abest, ut vitent.“ Item: „Dices, nihil tam felix unquam fuit in rebus humanis, quin malorum admixtu vitiaretur; ad bonos verte oculos. Fieri potest, ut mea sit infelicitas; mihi adhuc neminem contigit nosse, qui non seipso videtur factus deterior.“

Si voluptatem capere possemus in enarrandis adversariorum vitiis, am-

---

bloser Sinnenmensch zu seyn; überlässt er sich nun diesem Triebe, ohne die wahre Religion als Führerin zur Seite zu haben, so verirrt er sich nothwendig in den leeren und unsicheren Sphären eines falschen Mystizismus. Anstatt das Uebersinnliche da zu suchen, wo es einheimisch ist, erkünstelt er sich selbst neue Welten, die nur das Werk einer erhitzten Phantasie sind. Nur da, wo Wahrheit ist, kann auch wahre Veredlung gedacht werden, die den Menschen gleich weit von Thierheit und Schwärmeréi entfernt hält; nur der Geist Gottes kann das Göttliche mit dem Irdischen in Einklang bringen. Wo dieser Geist wirkt, dort ist tiefreligiöser Sinn; dort ist jenes Streben nach dem Ueberirdischen, das sich auch mit dem gemeinen Menschenleben verwebt und den Menschen nicht aus seiner Sphäre hinauswirft; das den Mann in seiner Familie liebreicher, gegen seine Gattin zärtlicher, für seine Kinder sorgfältiger, in seiner Verwaltung getreuer, gegen Freunde und Mitbürger aufrichtiger, selbst zu einem angenehmeren Gesellschafter macht. Hier ist Gottes Geist, Licht und Leben aus Gott; hier also die wahre Andacht: denn diese lässt sich nicht erkünsteln, ist nicht da, wo der Kopf warm, und das Herz kalt ist.

plissimus nobis campus pateret in Gallia, Anglia et omnibus illis regionibus, in quibus fautores et discipulos nacti sunt novarum religionum architecti. Eosdem ubique fructus tulit pseudoreformatio. Quod Calvinistas attinet consuli potest illust. *Bossuetii* histor. variat. Et liber D. *Nicole*, qui inscribitur: *Préjugés légitimes contre les protestans.*

360. — IV. Protestantes omnes uno ore clamarunt, se evangelicam veritatem a multis jam saeculis penitus obscuratam revocare in lucem. Haec omnium semper haereticorum vox fuit. Respondet Erasmus [1]): *In his, quae vos convellitis, quid obsecro vel absurdum, vel ridiculum? Aut quis unquam Prophetes praedixit hoc futurum, ut totus orbis ignoraret Christum ab Apostolis praedicatum, ac pro Deo coleret idola, tum quotquot in Apostolorum vicem successerant, excaecati nihil viderent in sacris litteris; deinde post mille trecentos annos a nescio quibus novis Evangelistis ad cognitionem revocaretur?* Revera non antiquam Apostolorum doctrinam in lucem vocarunt, sed antiquos veterum haereticorum errores jam pridem ab ecclesia proscriptos, et plura cum sancta morum disciplina, et vera pietate adversa fronte pugnantia dogmata; quod centies jam ab ecclesiae catholicae defensoribus probatum est. Vide *Tournel.* de eccl. tom. I. pag. 160. *Bossuet.* passim in hist. variat. et datis ad protestantes admonitionibus.

PROPOSITIO.

Protestantium societates sanctitatis notam non habent.

361. — Prob. Illa societas sanctitatis notam non habet, quae nec origine sancta est, nec doctrina; quae nulla Christianarum virtutum praeclara exhibet exempla, imo virtutes eminenter Christianas et a primis ecclesiae saeculis summa laude celebratas irridet; quae demum interioris sanctitatis membrorum suorum nulla proferre valet externa argumenta. Atqui etc. Ergo etc.

Prob. min. I. Quales fuerint ecclesiarum protestantium auctores in praenotatis indicavimus; viri, qui non tantum nullis signis probare potuerunt, se fuisse ad reformandam ecclesiam divinitus vocatos, sed potius impuri et fanatici spiritus multa dederunt argumenta, in moribus suis, in studiis, in actibus, in fructibus reformationis praetensae.

362. — II. Nova protestantium dogmata ad nihil aliud apta fuerunt, quam ad morum licentiam inducendam, omnesque pietatis sensus penitus suffocandos. Ejusmodi erat impia de absoluta praedestinatione doctrina, de perdita per peccatum libertate, de justificatione per fidem sine operibus, de justitiae inamisibilitate per peccatum; adde quod novatores, ut multos in partes suas traherent et pellicerent animas instabiles, omnia sustulerint virtutum adminicula; confessionem peccatorum, poenitentiae opera, jejunia, carnis macerationes, quae omnia ad morum licentiam refraenandam aptissima sunt.

363. — III. Antiquissimi Patres nullum illustrius esse judicarunt argumentum veritatis religionis Christianae et coelestis ejus originis, quam illum rerum temporalium contemptum, illam virtutem continentiae, quae in magno numero virginum et asceticorum conspicua erat; ex his ita eluxit coelestis evangelii efficacia, ut etiam paganis admirationem injecerit. Verum hoc ipsum, quod pagani, si imitari non potuerunt, saltem naturali aliquo sensu tanquam egregium aliquid et heroicum admirati sunt, hoc praetensae reformationis praecones riserunt, vituperarunt, damnarunt; atque cum ea tantum praedicarent, quae gulae et libidini et animali homini blandiuntur,

1) In epist. citata.

reformatam a se ecclesiam fuisse jactitarunt.

IV. Quod autem argumenta attinet externa, quibus Deus saepius servorum suorum sanctitatem in ecclesia catholica testari voluit; nunquam aliquid ejusmodi attribuere sibi ausi sunt protestantes, et hujus gloriae nequidem aemuli videri volunt.

§. III.

De nota catholicitatis.

OBSERVANDA.

364. — I. Quando novatores initio saeculi XVI. ecclesiam turbare coeperunt, omnes fere Europae populi cum Romana ecclesia communicabant; omnes ad eandem pertinebant Christianorum societatem, quae tum propter antiquitatem suam, tum propter latissimam propagationem catholica dicta est, quod nomen a primis incunabilis religionis Christianae semper habuit, et post exortas haereses non amisit; nam nulla ex novatorum societatibus ecclesiae catholicae nomen sibi attribuere ausa est.

365. — II. Protestantes, ut suam ab ecclesia catholica secessionem legitimam declararent, eam de apostasiae et idololatriae crimine accusarunt; quamvis ex alia parte pressi, ut quo loco vera Christi ecclesia constitisset, ostenderent, iterum fassi sint veram Christi doctrinam, qua salutem consequi oporteret, in Romana ecclesia nunquam defecisse. Lutherus ipse inter alia haec habet[1]): „Illa vera ecclesia Christi fundamentum et columna veritatis, est locus sacrosanctus, in quo stat abominatio. In hac ecclesia Deus miraculose et potenter servavit baptismum etc.“ Postquam plurima alia enumeravit, quae in ecclesia Romana servata sunt, addit: „Ubicunque fuerunt illae verae, sanctae et sanctorum reliquiae, ibi fuit et est vera sancta Christi ecclesia, ibi manserunt sancti; haec enim omnes sunt ordinationes et fructus Christi, excepta altera specie rapta per vim et erepta Christianis. Ideo in hac ecclesia Christus certo fuit praesens et spiritus Christi, ac conservavit veram cognitionem, veramque fidem in his suis electis.“ Melanchthon in litteris ad Campegium legatum apostolicum scribit: „Dogma nullum habemus diversum a Romana ecclesia. Parati sumus obedire Romanae ecclesiae, modo ut illa pro sua clementia, qua semper erga omnes homines usa est, parva quaedam vel dissimulet vel relaxet. Ad haec Rom. Pontificis auctoritatem et universam politiam ecclesiasticam reverenter colimus; modo non abjiciat nos Rom. Pontifex.“ Qua ratione cum his conciliari possint tot jacta in Rom. ecclesiam convitia, tot gravissimae criminationes, nostrum non est explicare. Communis haec illorum sors est, qui a veritate desciscunt: quocunque se vertant, in laqueos incurrunt, atque semper propria se confessione jugulant. Lutherum ipsum audiamus[1]): „Mendacia certius dignoscere non potes, nisi quando semetipsis contraria sunt; a Deo enim ita ordinatum est, ut impii semper semetipsos confundant, et quod mendacia non consonent, sed semper contra seipsa testantur.“ Cfr. *Theoduls* Gastmahl S. 54. Hirtenbrief von *Klemens Wenzeslaus*, Kurfürst zu Trier, S. 83. etc.

366. — III. Manet ergo hoc gravissimum argumentum, quo expedire se nunquam poterunt protestantes: si ecclesia Romano-catholica ante Lutherum talis fuit, ut necessarium fuerit secessionem facere; si, quod toties a novatoribus decantatum est, adultera fuit, meretrix magna, bestia illa quam Apocalypsis depingit, si idololatra, si mater abominationum, si synagoga Sa-

1) De missa priv. Tom. VII. Operum, edit. Wittenb. an. 1555.

1) Lib. de votis monast.

tanae; dicant, quaeso, ubi tunc fuerit vera Christi ecclesia. Si autem haec Romana ecclesia tempore, quo novatores tumultuari coeperunt, adhuc sponsa Christi erat, seu vera ecclesia; ergo juxta protestantes debuit habere puram evangelii praedicationem et legitimam sacramentorum administrationem, cum haec fatentibus ipsis ad verae ecclesiae essentiam requirantur. Ergo, cum ipsi ab hac fide discesserint, cum haec sacramenta deseruerint, nec puram evangelii praedicationem habere possunt, nec legitima sacramenta.

367. — IV. In hac non levi causae suae implicatione quidam ad systema confugerunt ecclesiae invisibilis; et quoniam negare non poterant, Lutheranorum aut aliorum novatorum societates, quae hodie inter nos conspiciuntur, ante Lutherum non extitisse, ecclesiam aliquam finxerunt, quae ecclesia non esset; societatem sine societate, illius doctrinae, quam postea Lutherus publice docuit, occultos sectatores per orbem dispersos, nemini cognitos. Ridiculum hoc commentum jam alio loco explosimus.

368. — V. Aliam omnino viam ingressi sunt illi, qui ecclesiam visibilem admittunt; et ideo, ut notam novitatis suae tegant, originem suam, quam longissime possint, ab obscuris et vetustioribus sectis repetunt; ac veluti homines in angustia positi, manus extendunt ad omnes fere, qui ante illos fuerunt haereticos. Hos tanquam patres suos venerantur, dummodo unum aliumve errorem cum illis communem habuerint, aut certe adversus Romanum Pontificem infestum verterint stylum. Audiunt *Vigilantium* sanctorum et reliquiarum cultum, et virginalis vitae praecellentiam impugnasse: sufficit, ut patrem venerantur suum. Audiunt, *Iconoclastas* ecclesiam catholicam idololatriae postulasse; nihil ultra exigunt: tanquam fratribus dexteram porrigunt. Eadem est *Berengarii*, *Wicleffi*, *Joannis Hus* aliorumque causa.

PROPOSITIO.

Nulli ex protestantium ecclesiis convenit nota catholicitatis, neque convenire potest.

369. — Prob. pars. I. Quod ecclesiae protestantium universitatem doctrinae non habeant, ex theologia speciali evidentius patebit. Unum illud notare sufficiat, quod multa dogmata respuant, quae catholica ecclesia fide divina credit et constanter tenuit, omnes autem eorum articuli a nostris diversi a primitiva ecclesia jam damnati sint in veteribus haereticis. Quid porro necesse fuisset ad systema articulorum fundamentalium confugere, si probare possent, aut persuasum haberent, se totam Christi doctrinam tenere?

II. Non habent universalitatem temporis, cum novitatem ipso nomine praeferant. Nam nulli ante Lutherum Lutherani fuerunt, nulli Calvinistae ante Calvinum. Valet igitur et hic illud S. Hieronymi adversus Luciferianos: *Hoc ipso, quod postea instituti sunt, eos se esse indicant, quos futuros Apostolus praenuntiavit. Nec sibi blandiantur, si de scripturarum capitulis videntur sibi affirmare, quod dicunt, cum et diabolus de scripturis aliqua sit locutus et scripturae non in legendo consistant, sed in intelligendo.*

III. Non habent universalitatem loci. Nam certum est, latius per orbem propagatam esse ecclesiam Romanocatholicam, quam societatem quamcunque acatholicorum seorsim sumtam. Praesertim cum novatorum ecclesiae, etiam quando nomen commune assumunt, tamen coetus tantum particulares efficiant, universalem autem ecclesiam nec constituant, nec constituere possint: ut parte II. probatur.

370. — Prob. II. pars. Ecclesiam protestantium non tantum unam non esse, sed nec esse posse ex §. I. con-

stat. Atqui ubi non potest esse unitas, ibi non potest esse universalitas.

1° Non potest esse *universalitas doctrinae*, quia nullum adest hujus universalitatis principium. Catholici universitati credunt, protestantes sibi: spiritum privatum, privata consilia sequuntur, et fidem sibi quilibet pro libitu componit. Qui rigidiores inter illos sunt, fidem tantum exigunt fundamentalium articulorum; verum, cum pauci admodum sint illi articuli, neque adhuc determinati, licet in omnibus fere etiam revelatis doctrinae punctis in diversas sententias abire.

2° Non potest esse *universalitas communionis*. Siquidem vel ecclesiam aliquam invisibilem fingunt, quae nulla externa communione colligari potest; vel ecclesiam componunt ex omnibus Christianorum sectis, iis etiam, qui in cultu non communicant, imo sese mutuo excludunt; demum sicut nullum habent quoad doctrinam universalitatis principium, ita nec quoad cultum habere possunt.

3° Non potest esse *universalitas societatis*, cum nulla possit esse unitas corporis, nulla inter ecclesias particulares compages, nullum caput commune, nulla vincula, quibus ex omnibus una fieret universalis ecclesia.

OBJICIUNT ADVERSARII.

371. — Illa ecclesia, quae deinde protestantium dicta est, diu ante Lutheri tempora visibili modo extitit in coetibus Christianorum multo vetustioribus, pluribusque eximiis veritatis praeconibus, qui puram evangelii doctrinam secuti sunt, et summi Pontificis et ecclesiae Romanae obedientiam detrectarunt. Difficile ergo non esset protestantibus, continuam antecessorum seriem exhibere, quae usque ad Lutheri tempora pertingeret, atque ita continuam et non interruptam protestanticae ecclesiae a primis saeculis durationem probare. Perspicuum enim est puram evangelii doctrinam per hanc successionem ad *Husitas* demum pervenisse, quorum reliquiae in *fratribus Bohemicis* existentes tempore Lutheri ecclesiae reformatorum sese adjunxerunt.

Resp. Antequam hoc argumentum diluamus, et ne vim ejus aliquo modo infringere videamur; necessarium ducimus, in gratiam candidatorum succinctam illius illustris genealogiae notitiam praemittere, quam sibi protestantes ex praecedentium saeculorum haereticis conscripserunt.

372. — *Saeculo IV. Aërius* presbyter Arianus distinctionem inter episcopos et presbyteros sustulit; docuit praeterea vanum esse orare pro mortuis et statuta ab ecclesia jejunia observare. Eodem *saeculo quarto* et initio *quinti* surrexerunt impuri quidam homines, ut *Helvidius* et *Jovinianus*, qui castitatem coli superstitiosum dicebant, nuptias econtra impense commendabant. His erroribus alios addidit *Vigilantius* circa sanctorum et reliquiarum cultum.

Saeculo VIII. orta est *Iconoclastarum* haeresis, quae imperatorum auctoritate suffulta sacris imaginibus et sanctorum reliquiis publice bellum indixit. Neque Occidens plane ab illa peste immunis fuit, nam celebre adhuc est apud protestantes *Claudii Taurinensis* nomen, qui impio furore actus imagines sanctorum confregit, aut igni tradidit una cum eorum reliquiis, et contra sanctorum cultum debacchatus est.

Saeculo XI. Berengarius apud Andegavenses archidiaconus errores contra S. Eucharistiae sacramentum sparsit, discipulos non reliquit.

Ex *XII. saeculo* noti sunt *Petrobrusiani*, *Henriciani* et *Arnoldi Brixiensis* discipuli.

373. — Eodem adhuc saeculo initium sumserunt *Waldenses*, ita appellati a *Petro Waldo* mercatore Lugdunensi, qui sectae auctor fuit. Hic subita morte amici perculsus bona sua

pauperibus distribuit multosque ex vulgo sibi sociavit, quibus in sectae exordiis praeter affectatam ostentationem, atque otiosam et inertem paupertatem nihil objiciebatur. Sed brevi post tempore sibi aliisque laicis praedicandi evangelium et sacramenta administrandi copiam fecerunt; et cum episcopi et Romanus Pontifex eos ab hoc ministerio repellerent, Papam et episcopos, et omnem clerum maledictis incesserunt.

Cum Waldensibus minime confundi debet nefaria et impiisima *Albigensium* haeresis. Reformatores libenter utramque sectam in unam confundunt; et cum Albigenses tanquam infensissimos sedis apostolicae hostes dignos habeant, quos sibi tanquam patronos et patres adsciscant; caetera eorum horrenda dogmata occultare solent eosque depingunt, tanquam homines innocuos, mira vitae simplicitate commendandos, et ideo tantum a Romanis Pontificibus crudeliter vexatos, quod ab insanis temporum illorum superstitionibus abhorrerent. Verum Albigenses secta Manichaeos fuisse tam certum est, quam quod maxime. Ab initio *Bulgari* dicti sunt, quia ex Bulgaria emergentes totam pene Europam pervaserunt, Italiam primum, deinde Galliam et Germaniam. Postmodum, cum Albigensium potissimum et Tolosatum regionem XII. et XIII. saeculo infestarent, vocati sunt *Albigenses*, ab Albiga provinciae Narbonensis metropoli.

Quod *Wicleffitas* et *Husitas* attinet, et *fratres Bohemos*, vide quae initio hujus Demonst. dicta sunt pag. 239. et seq.

Quibus praemissis respondemus ad argumentum.

374. — I. Quam praeclara haec novatorum prosapia sit, nemo non videt. Verum quidquid agant, et si omnes illos, quos recensuimus, priorum temporum haereticos in majorum et patrum suorum numero collocent, nunquam tamen seriem successionis non interruptam habebunt. Aërii secta in primo suo ortu compressa et extincta est. Joviniani, Helvidii, Vigilantii errores cum eorum auctoribus evanuerunt. Nullus ergo existere poterat successionis ordo, quando post trium saeculorum spatium exorti sunt iconoclastae. Berengarius nihil cum iconoclastis commune habuit; ipse vero discipulos non reliquit. Sicut Waldenses et Albigenses a se ipsis initium duxerunt; sic et Wicleffitate et Husitae alios praeter Wicleffum et Husium patres non habuerunt. Igitur inter omnes illas haereticorum sectas, ex quibus genealogiam sibi colligere vellent protestantes, nulla unquam successio deprehendi poterit; nulla aliam peperit, nulla priorem tanquam matrem agnovit; et quando saeculo XVI. novi reformatores nova dogmata spargere coeperunt, nihil ipsis cum aliis sectis commune erat. Ex ecclesia catholica exierunt; ex nulla alia stirpe progeniti, sed fracti ex communi arbore rami. Nata jam erat nova ecclesia et grandior effecta, quando fratres e Bohemia a Ferdinando ejecti in Poloniam se receperunt, ubi cum Lutheranis et Zwinglianis anno 1570 convenere.

375. — II. Inter omnes illas sectas, a quibus protestantes genus suum repetunt, nulla est, quae cum ipsis in doctrina consentiat. Multa siquidem rejecerunt, quae putant protestantes ad genuinam Christi doctrinam pertinere; multa item quae a protestantibus repudiantur, ab iis in numero Christianorum dogmatum habebantur.

Husitae cum ecclesia Romana admittebant sanctorum merita et intercessionem, imaginum cultum, indulgentias, coelibatum, jejunia, septem sacramenta, missae sacrificium etc. *Wicleffus* docuit adorandam esse Eucharistiam, matrimonium sacramentum esse, esse purgatorium, sanctos invocandos esse, et honorandas eorum ima-

gines, haec aliaque plura ex ecclesiae doctrina retinuit. Alia autem ejus dogmata ex Waldensium faece eruta nec ipsis protestantibus probantur; ejusmodi sunt, quod nullus in peccato mortali existens sacramenta administrare possit; quod praelatis, quin et dominis civilibus mortali peccato omnis imperandi auctoritas adimatur; quod clerici possessiones habentes haeretici sint hoc ipso, quod possessiones habeant. *Waldenses* ministris suis coelibatum imponebant, non duo, sed quatuor admittebant sacramenta, nec secretam peccatorum confessionem repudiabant, sed utilem esse fatebantur. At plura etiam habebant a protestantium aeque ac catholicorum doctrina abhorrentia; illud imprimis, quod vim sacramentorum ex ministrorum pietate suspenderent, quod eorum administrationem cuilibet ex suis, etiam laicis et mulieribus permitterent; quod omne prohiberent jusjurandum etc. *Albigenses* praeter id, quod Romanam sedem exosam habuerint, et cultum S. Crucis, Sanctorum invocationem, oblationes pro mortuis sustulerint; multa tamen docebant, quae protestantibus minime probantur: nam baptismum rejiciebant, conjugium et carnis usum condemnabant, resurrectionem mortuorum negabant, incarnationem et Christi carnem instar phantasmatis habebant, a sacramento corporis et sanguinis Christi abhorrebant, de sua religione interrogati non solum mentiri, sed et pejerare licitum esse docebant. Haec aliaque nefaria dogmata probant eos veterum Manichaeorum propaginem fuisse; unde mirum non est, quod cum tanta doctrinae impietate summam conjunxerint morum dissolutionem, et ad omne flagitiorum genus effusam cordis perversitatem. Atque haec utique causa fuit, quod non Pontifices tantum, sed et principes saeculares vi et armis exterminandam putaverint sectam non ecclesiae tantum, sed et honestati publicae et humanae societati quam maxime exitialem. Jam necessarium non est de quibusdam obscurioribus sectis plura dicere, quorum vix nomina supersunt. Iconoclastae multos quidem et graves tumultus excitarunt; verum ii praeter insanum in sacras imagines furorem, in nullo capite ab ecclesia catholica dissentiebant.

376. — III. Etiamsi verum esset, haereticos XIV. et XV. saeculi patres fuisse protestantium, quod tamen falsum est; etiamsi verum esset, illos haereticos propaginem fuisse Waldensium, quod iterum falsum est; etiamsi verum esset, Albigenses idem cum Waldensibus sensisse, quod denuo falsum est; etiamsi his adjicerentur ex octavo saeculo Iconoclastae, ex quarto et quinto Aërius, Jovinianus, Vigilantius etc., atque, quod omnium falsissimum est, inter hos omnes continuus successionis ordo admitteretur; quid exinde utilitatis caperent protestantes? An ideo universalitatem temporis probare possent? An non omnis ecclesia, quae tempora Apostolorum non attingit, nova est? Quae quarto saeculo ortae sunt haereses, non minus novitatis condemnatae sunt, quam reformatorum societates.

Vide eminentiss. Card. *Gotti* de vera Christi ecclesia. Illustriss. *Bossuetium* histoire des variat. lib. XI.

§. IV.

De nota apostolicitatis.

377. — I. Ut ecclesia possit dici apostolica, requiritur, ut doctrinae et cathedrae successionem ab Apostolis habeat. Utrumque quam maxime urgent antiqui Patres adversus haereticos tanquam genuinum apostolicae ecclesiae characterem. *Omne genus ad originem suam censeatur necesse est*, ait Tertull. [1]). Quare omnis societas eo ipso non est apostolica, quod

1) De praescript. cap. XX.

sit nova; quia illam doctrinae successionem non habet, quae ab Apostolis ad nos usque serie quadam minime interrupta permanavit. Dicitur: *minime interrupta;* si enim semel in ecclesia interrupta fingitur haec tum doctrinae, tum pastorum successio, periit ejus apostolicitas, et quae post eam exsurgit ecclesia, nova est; posset quidem illi antiquae et apostolicae ecclesiae similis esse, at non esset eadem. *Ita ex ipso ordine manifestatur,* ut Tertull. ibid. ait[1]), *id esse dominicum et verum, quod sit prius traditum; id autem extraneum et falsum, quod sit posterius immissum. Ea sententia manebit adversus posteriores quasque haereses, quibus nulla constantia competit ad defendendam sibi veritatem.*

378. — II. Nemo non videt, hanc quaestionem affinitatem magnam habere cum iis, quae in priore paragrapho dicta sunt. Discrimen tamen in eo est, quod hucusque de perpetua tantum ecclesiae duratione, ejusque in eadem fide perseverantia locuti simus, nunc autem ipsum doctrinae hujus fontem inquiramus ac primam sacerdotalis successionis originem. Quaecunque enim esset ecclesiae nostrae antiquitas, nisi ab Apostolis esset, Christiana non esset, ad hanc divinam arborem pertinere non potest, quidquid ex ejus radicibus non oritur. Ostendant igitur adversarii se doctrinam illam tenere, quam Apostoli ecclesiis tradiderunt, quam Patres ab Apostolis acceptam tanquam idonei testes pradicarunt, quae ad nostra usque tempora continua successione conservata, ad eos demum fuisset perducta. Ostendant imprimis se habere apostolicitatem ministerii, nam cum ecclesia apostolica illa sit, quae ab Apostolis originem ducit; requiritur, ut probent continuam et nunquam interruptam ordinariam missionem; requiritur, ut cathedram et ministerium occupantes ostendere possint, qua auctoritate illam occupent, a quo missi sint, cui succedant, qua ratione aedificati sint super fundamentum Apostolorum. Qui extra hanc successionem positus sacrum ministerium sibi arrogat, fur est et latro, ut ait Christus Joan. X., aut necesse est, ut extraordinariam missionem probet. Cum enim novum incipiat rerum ordinem, novam successionem contra eam, quae ab initio Christi auctoritate constituta est, jure exigitur, ut hanc suam missionem iis probet argumentis, quibus Deus solet legatorum suorum auctoritatem comprobare.

379. — III. Novatores primum extraordinariam vocationem obtendebant. Dicebant enim placuisse Deo extraordinarium reformationis opus adhibere, uti olim cum Prophetas misit, qui corruptos Judaeorum mores et collapsum ordinem restituerunt. Hoc saepius populis inculcabant; neque erubuerunt sese inter pocula et lascivas epulas Apostolos vocare et evangelistas. Verum hoc omnibus haereticis commune erat, ut se praecones veritatis jactarent, omnes ea voce utebantur: *Ait Dominus, cum Dominus non miserit eos et perseveraverunt confirmare sermonem.* Ezech. X. Primum quidem multos hac impia divinae auctoritatis usurpatione seduxerunt; verum cum ab ipsis argumenta quaererentur novi apostolatus, non habuerunt, quid responderent; negare enim non poterant iis, qui se extraordinarie vocatos contendunt, vocationem idoneis argumentis et signis esse comprobandam. Lutherus ipse hoc argumento utitur contra discipulos suos, qui propria auctoritate (eadem utique qua Lutherus) nova moliebantur. Sic Carlstadium insectatur, quod Wittenbergae sacras imagines confregisset, realem Christi in Eucharistia praesentiam impugnasset, nulla accepta divinitus missione, atque in eum haec verba scripturae vertit: *Non mittebam Pro-*

1) De praescript. cap. XXXIX.

phetas et ipsi currebant [1]). Cum ejectus e Saxoniae finibus Münzerus oberraret, ita narrat *Sleidanus* lib. V. ad ann. 1526, et rumor increpuisset, eum cogitare Mühlhusium, Lutherus ea re cognita, datis ad senatum litteris, graviter monet, ne recipiant. „Recte facturum senatum, si roget ex illo, quis docendi munus ipsi commiserit? quis evocarit? et si Deum nominet auctorem, tum jubeant hanc suam vocationem aliquo evidenti signo comprobare, quod si repraesentare non possit, ut tum repudietur; hoc enim esse Deo proprium ac familiare, ut quoties formulam consuetam et rationem ordinariam velit immutare, ut tum voluntatem suam aliquo signo declaret.“ Verba Lutheri inter alia haec sunt: *Wenn er (Müntzer) denn saget, Gott und sein Geist habe jn gesand, wie die Apostel, so lasst jn dasselb beweisen, mit Zeichen und Wunder, oder wehret jm das Predigen. Denn wo Gott die ordentliche Weise wil endern, so thut er allweg Wunderzeichen dabey.* Siehe, trewe Warnungschrift des Dr. M. Luther an ein erbarn Rath und ganze Gemeine der Stad Mühlhausen, sich für Thomas Müntzer zu hüten an. 1524.

Non alia Calvini sententia fuit; docet enim passim extinctam fuisse in ecclesia ordinariam vocationem, et adhibitam divinitus extraordinariam. Epist. 190. ait: *Papae tyrannide abrupta fuit vera ordinationis series; novo subsidio nunc opus est ad ecclesiae instaurationem. Omnino extraordinarium fuit hoc munus, quod Deus injunxit nobis, dum opera nostra ad colligendas ecclesias usus est.* Item habet in Tract. de vera eccl. reform. Huic doctrinae consentiunt Calviniani art. XXXI. Gallicanae confessionis: *Interdum, ut nostris temporibus, interrupto ecclesiae statu necesse fuit nonnullos extra ordinem divinitus excitari, qui ecclesiae collapsae ruinas instaurarent.*

380. — IV. Jam ostendant reformatores apostolatus sui signa; ostendant miracula, prophetias, aut alia divinae auctoritatis testimonia, quibus se a Deo missos fidem faciant. Verum hic opus, hic labor. Quidam manifestum vident divinae missionis argumentum in felicissimo et stupendo novi evangelii successu. Hoc argumentum Lutherus non semel dederat extraordinariae missionis; ad illud saepius provocant Lutherani et Calvinistae. Verum hoc argumentum jam alio loco dilutum est. Quis in eo miraculum aut divinae voluntatis sigillum invenire poterit, quod homines innumeri ex malis pejores facti sint, et libertatis pollicitatione illecti ad eas partes transierint, quo eos habendi cupiditas et novitatis illecebrae, et solutioris vitae desiderium vocabant? Igitur non satis fidit huic miraculo Mornaeus inter Calvini sectatores celeberrimus, qui aliud prodigium in subsidium vocat, quod ipsos Pharisaeos signum e coelo petentes convincere posse existimat; nempe tempore, quo per totam Galliam strages ederentur, fulgere e coelo coepit novum sydus, quo non aliud simile a mundi creatione visum fuerat. Hoc sidus omnium oculis per annos tres subjectum fuit. Et quid aliud nobis portendit, ut Mornaeus observat, nisi renascentem in mundo verbi praedicatione Christum? Verum hoc quamvis splendidissimum sidus nihil aliud nobis manifestat, quam miserrimam reformatorum inopiam, qui in tanta miraculorum necessitate ne unicum quidem factum producere valent; imo ne quidem aliquid vero miraculo simile.

Praedicta stella non apparuit ante annum 1572 seu 55 annis post Lutheri ab ecclesia discessum. Sed, ait Mornaeus, eo tempore apparuit, quo strages in Gallia ederentur. Sit ergo, ut portenderit novae reformationis effec-

1) *Jerem.* XXIII, 21.

tus, sicut cometae, si vulgo fides, publicas calamitates portendunt. Vide *fratres Walenburgicos* de missione protestant. cap. XL.

Successu temporis protestantes, cum nulla potuerint missionis extraordinariae signa afferre, in varias sententias abierunt. Alii ordinariam statuunt in Romana ecclesia acceptam, et hi negare solent interruptum fuisse ecclesiae statum. Alii volunt vocationem priorum reformatorum partim ordinariam fuisse, partim extraordinariam.

381. — V. Verum sicut nulla afferre possunt extraordinariae missionis signa, ita neque ordinariam probare possunt; quod quidem ex hoc ipso manifestum est, quod tam leves sint et instabiles in ea definienda. Quidam, ut diximus, suae sectae principes ab ecclesia Romana ordinatos fuisse dicunt, atque ita in ipsa hac, quam deseruerunt Romana ecclesia caput missionis suae repetunt. At illa constanter affirmat, se nihil eis dedisse, et siquid dederit, id omne transfugis abstulisse. Deinde et illud iterum occurrit; si vera erat ecclesia Romana, quae reformationis auctores ante factam secessionem ordinaverat, cur ergo ab ea defecerunt? Si falsa fuit et adultera, atque in idololatriam demersa, quomodo ab ea acceperunt divinam missionem? Sed haec aliquorum tantum sententia est. Plurimis enim grave nimis esset, missionis suae fontem a meretrice Babylonica repetere. Hinc alii recurrunt ad ordinationem magistratuum et populorum; alii praetexunt casum necessitatis et necessitatem non habere legem; alii omnibus Christianis jus sacerdotale attribuunt. Alii denique rotunde negant ullam missionem esse necessariam: *Non indigemus*, inquit Huttenus, *missione ideoque non volumus.* Harum vanissimarum opinionum expositionem et confutationem videre licet apud *Walenburgicos* tract. de missione protest. Ibidem refutatur Conringius, qui cum ad catholicorum argumenta respondere non posset, ausus est contendere, primos reformatores nunquam sibi missionem extraordinariam attribuisse.

PROPOSITIO.

Nota apostolicitatis ecclesiis protestantium non convenit.

382. — Prob. I. Ecclesiae protestantium apostolicae esse non possunt ratione doctrinae; nam nova illa dogmata, quae sic dicti reformatores saeculo demum XVI. contra communem omnium Christianorum fidem invexerunt, ab Apostolis accipere non potuerunt. Aut dicant nobis, qua ratione haec doctrina ab Apostolis ad eos pervenerit? An per scripturam? Sed scripturas obtendunt Sociniani, Anabaptistae et, ut jam ex Tertulliano discimus, haeretici omnes: et si doctrina, quam Apostoli tradiderunt, postquam per multa saecula extincta fuerat, a Luthero demum et Zwinglio iterum suscitata est, unde jam sciunt novatores se habere apostolicas scripturas et quod praecipuum est, se habere genuinum sensum scripturarum, illum sensum, quem Apostoli habebant et quem ab Apostolis didicerat vetus ecclesia?

Aut dicentne protestantes, se doctrinam ab Apostolis per traditionem habere? Verum qua via ad eos pervenerit, ostendant, cum nulla ante illos ecclesia eam tenuerit. Ceterum non tantum traditionem ipsi aspernantur; sed etiam concedere nobis solent, eam doctrinam, quam catholici contra eos defendunt, antiquissimam in ecclesia esse. Sic *Calvin.* lib. III. institut. cap. XL. scribit: „Omnes fere veteres, quorum libri existunt, ubi de satisfactione agitur, aut in hac parte lapsi sunt, aut nimis aspere et dure locuti.“ Et ibid. cap. V., ante mille et trecentos annos usu receptum fuisse ait, ut precationes fierent pro defunctis, sed in errorem lapsos fuisse veteres. Idem fatetur circa coelibatum sacerdotum, jejunium

quadragesimale etc. Quis vero sibi persuadeat doctrinam, quae veterum Patrum doctrinae contraria est, apostolicam esse?

383. — II. Ecclesiae protestantium non habent successionem ministerii; omnes verbis illis compellare possumus, quae *Tertull.* ad temporis sui haereticos direxit[1]: *Edant origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successiones ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex Apostolis, vel apostolicis viris, qui tamen cum Apostolis perseveraverit, habuerit auctorem et antecessorem.* Et vero, vel integer tum erat status ecclesiae, quando novae haereses ebullire coeperunt, vel interruptus, ita ut extraordinario modo fuisset instaurandus. Si primum, missione ordinaria instructi esse debuissent reformationis auctores. Unde autem hanc habuerunt, aut habere potuerunt viri in ecclesiam rebelles, qui nequidem ad pastorum ordinem pertinebant? Si secundum admittitur, probanda ipsis fuisset missio extraordinaria, quam probare nunquam potuerunt. *Ostendant, ex qua auctoritate prodierunt,* ait Tertullianus[2]) quibusdam haereticis, *ostendant, se novos Apostolos esse. Volo igitur eorum virtutes proferri; sic enim Deus Apostolos solet facere, dando illis virtutem eadem signa edendi, quae et ipse.*

§. V.

De Orientis ecclesiis ab ecclesia Romana separatis.

384. — I. Ecclesiae acatholicae, quamvis inter se multis partibus differant, omnes tamen a Christi institutione defecerunt. In protestantium coetibus vix aliquid ex primaeva Christi ecclesia, praeter nomen, remansit. Econtra Orientales ecclesiae multa adhuc habent pristinae nobilitatis lineamenta, quae nulla temporum diuturnitas delere potuit.

Protestantes ab initio reformationis suae communionem cum Orientalibus omnibus modis tentarunt, sed frustra; nam ecclesia Graeca omnem doctrinae aut fraternitatis consociationem constanter rejecit. Primum quidem Melanchthon hac de re scripsit ad Patriarcham Constantinop., et ad eum misit confessionem Augustanam graece redditam; sed ne responsione quidem dignum Patriarcha judicavit. Ab anno deinde 1576 ad annum 1581 Tubingenses theologi idipsum tentarunt apud *Jeremiam* Constantinop. Patriarcham. „Natae sunt, ut ipse *Moshemius* narrat[1]), ex hoc consilio epistolae quaedam Jeremiae, satis quidem humaniter et amice scriptae, sed ejus simul argumenti, ut facile intelligi posset, Graecos a majorum institutis et opinionibus divellere velle, rem esse nimis arduam, et humanis viribus, ut nunc res gentis sunt, superiorem.“ Respondit autem Patriarcha novatoribus inter alia, sperare se eos „nihil sanae et rectae doctrinae antelaturos, neque instituta et sanctiones plane novas, et quasi ex diametro cum evangelica Jesu Christi philosophia pugnantes amplexuros; neque consuetas et praejudicatas opiniones suas cum omni recta ratione pugnantes potius, quam id, quod verum est et sincerum, secuturos.“ Atque demum ne novis semper sollicitationibus fatigaretur, ait: „Rogamus vos, ne posthac nobis negotium facessatis, neque de iis rebus quidquam amplius scribatis.“

385. — Calvinistae aliam inierunt rationem. Nam *Cyrillum* quemdam *Lucarem*, ex Candiae insula ortum, qui studiorum causa in Italiam venerat, ac Germania, Batavia, Helvetia peragratis et veneno infectus Calvinianae haeresis in Graeciam redierat,

1) De praescript. cap. XXXII.
2) Ibid. cap. XXX.

1) Institut. hist. eccles. saeculo XVI. sect. III. part. I. cap. II.

magna pecuniae vi anno 1621 in sedem Constantinop. instruserunt; *virum perditis moribus et turbulentum;* ut in synodica epistola dicitur, quae synodo a Parthenio Patriarcha postmodum coactae annexa est. Eadem epistola ita porro rei ordinem narrat: „Fit igitur clandestina quaedam inter eos factio, ut Calvinistae quidam peregrini homines et advenae pecuniam Cyrillo numerarent; hic vero, postquam esset Pontifex constitutus, promissum vicissim suum exsolveret; fuit autem illud hujusmodi, Cyrillum Calvini deliramenta omnia et pervagatam apud emptores illos haeresin tum secuturum ipsum, ac professurum, tum Orientales ecclesias, vel omnes vel quam plurimas in eandem communionem attracturum." Nihil quidem omisit Cyrillus, ut illud, quod promiserat, efficeret; verum irriti fuerunt ejus conatus; nam e sede dejectus, cum in exilium pergeret, flagitantibus Graecis jussu imperatoris laqueo interemptus est anno 1636. Ejus autem fidei confessio, quam ad Calvinianorum placita confectam ediderat, a duobus ejus successoribus, alio *Cyrillo* et *Parthenio* in conciliis Constantinopoli habitis damnata est.

386. — II. Quo magis autem Orientales ecclesiae a protestantium doctrina et institutis abhorrent, quo magis econtra ad eum hierarchiae ordinem, ad eam apostolicae traditionis et veteris fidei normam accedunt, quam ecclesia Romana tenet; eo diligentius curandum nobis est, ne specie veri decipiamur, ne pro vera Christi sponsa habeatur, quae aliquam tantum cum ea similitudinem habet. Manent semper plures et tam apertae falsitatis notae, ut nemo nisi volens in errorem induci possit. Loquimur autem, cum de ecclesiis Orientis agitur, de illis tantum Christianorum societatibus, quae cum ecclesia catholica Romana unitae non sunt; et quae dividuntur in haereticas et schismaticas. Ad primam classem pertinent omnes illae ecclesiae, quae ex Nestoriana et Eutychiana haeresi prodierunt; ad secundam vero 1⁰ ecclesia Constantinopolitana, cui veluti capiti suo subditae sunt Antiochena, Alexandrina et Jerosolymitana. 2⁰ Ecclesia Rhutenorum, quae ex quatuor metropolitis, viginti episcopis et presbyteris quam plurimis constat, et a synodo dirigitur, cujus caput est imperator. Vide quae ab initio hujus libri dicta sunt pag. 238 et seq.

PROPOSITIO.

Ex omnibus Orientis ecclesiis a Romana ecclesia separatis nulla est, quae omnes verae ecclesiae notas habeat.

387. — Probatur. 1⁰ Omnes illae haereticorum societates, quae diu ante Graecorum schisma initium sumserunt et adhuc hodie per Orientem diffusae sunt, nec Christi ecclesiam efficere, nec partes esse possunt illius ecclesiae, quam Christus instituit; jam enim ante flebile Graecorum schisma ab universali ecclesia expulsae fuerant et tanquam haereticae damnatae in conciliis oecumenicis ex ecclesia tum orientali, tum occidentali congregatis. Nullam fidei et communionis unitatem habent nec inter se, nec cum schismatica Graecorum ecclesia. Unde et hoc apertum est, eas nec catholicas dici posse nec apostolicas; certis limitibus circumscriptae sunt et diu post Apostolos natae; auctores sectarum noscimus, tempus et locum assignare possumus, quo primum incoeperunt.

2⁰ Ecclesia Graecorum major, quae se catholicam et apostolicam vocat, supra petram fundata non est, cum capite ecclesiae non cohaeret; ergo una non est, quia illam cathedram non habet, unde unitas sacerdotalis exorta est. Tempus, quo infelici schismate ab ecclesia Romana scissa est, assignari potest. Scimus quibus auctoribus facta sit separatio, quibus artibus propagata. Antiquorum Patrum communis erat

sententia, praescindendae unitatis nullam esse justam necessitatem; at hi fraudulenti et ambitiosi homines ex vanissimis rationibus secessionem fecerunt ab ea ecclesia, quam tanquam principalem ecclesiam coluerunt Patres eorum. Unde non tantum sancta et catholica esse desiit haec ecclesia; sed etiam apostolicam successionem et legitimam vocationem amisit. Episcopus Constantinopolitanus cum ex prorege (per comparationem loquimur), excusso legitimi principis jugo, ipse princeps factus est, novum instituit successionis ordinem, non ab aliis descendentem, sed ab ipso incipientem. Ceterum fidei quoque integritatem haec ecclesia non servavit, cum processionem sancti Spiritus a filio neget et primatum S. Petro ejusque successoribus collatum non agnoscat.

388. — 3° Ruthenorum ecclesia praeter id, quod iisdem vitiis laboret ac Graecorum ecclesia, illud proprium habet, quod necessario et ex sua constitutione nationalis tantum sit et in solo Russico imperio inclusa. Quamvis enim cum ecclesia Constantinopol. et aliis Graecorum societatibus magnam habet in doctrina, in ritibus affinitatem, cum illis tamen unum corpus non efficit, nulli extero Patriarchae subjecta est, sed in se ipsa consistit, ab omni alia jurisdictione independens. Ergo etc.

Conclusio.

389. — Ergo ex omnibus ac catholicorum ecclesiis nulla est, quae characteres habeat verae ecclesiae; ergo ecclesia Romana sola est, quae totam illam formam, omnia illa lineamenta referat, quae Christus ecclesiae suae indidit. Scimus nunc, ubi sit illa ecclesia, quam Christus audire nos jussit [1]), quam ipse *suam ecclesiam* vocavit [2]). Scimus ubi sit illud *unum ovile*, cujus Christus ipse supremus pastor est [1]); illa ecclesia, quae est corpus ejus et plenitudo ejus [2]); illa aedificatio constructa super fundamentum Apostolorum et Prophetarum [3]). *Sola ecclesia catholica est*, ait Lactantius [4]), *quae verum cultum retinet; hic est fons veritatis; hoc domicilium fidei, hoc templum Dei, quo siquis non intraverit, vel a quo siquis exiverit, a spe vitae et salutis aeternae alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri; agitur enim de vita et salute, cui nisi caute ac diligenter consulatur, amissa et extincta erit.*

1) *Matth.* XVIII. 2) *Matth.* XVI.

1) *Joan.* X. 2) *Ephes.* I, 23. 3) *Ephes.* II, 20. 4) Lib. IV. §. 30.

PARS SECUNDA.

De regula fidei seu de mediis, quibus Christus religionem suam voluit in sua ecclesia servari.

390. — Nullum jam dubium superesse potest, non tantum factam fuisse a Christo revelationem, sed etiam institutam ecclesiam, in qua tanquam in arce inexpugnabili religionem suam deponere voluit et ab omnibus humanarum opinionum commentis tutari. Hanc suam ecclesiam supra solidissimam petram fundavit; huic se perpetuo affuturum promisit; hujus adeo formam et constitutionem ipse determinavit. Nemo ergo hanc Christi ecclesiam quaerens diu in dubio haerere potest, cum omnes illi characteres, quos Christus ecclesiae suae inesse voluit, in catholicorum societate tam singulari et eminenti claritate conspicui sint, ut impossibile sit in ea non agnoscere illam ecclesiam, quam Prophetae viderunt in vertice montium positam et elevatam super omnes colles; quae tanquam columna et firmamentum veritatis una semper manet et incorrupta, perpetuo invigilans traditae sibi fidei et bonum depositum servans in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma justitiae a dextris et a sinistris.

391. — Operae pretium est nunc intelligere, quibus mediis haec ecclesia a fundatore suo instructa fuerit, ut magistra veritatis esse possit omnibus gentibus et veram religionem integram sartamque servare usque ad consummationem saeculi. Qui revelationi se subjicit, scire debet, cui se credat et quaenam sint illa, quae credi ab hominibus et servari voluit Christus: seu requiruntur criteria certa et infallibilia, quibus ea, quae tanquam divina credenda et servanda sunt, ab omnibus aliis aut falsis, aut dubiis, aut certe humanis tantum doctrinis secerni possint. Parum nobis prodesset scire, quod facta fuerit aliquando revelatio; nisi regulam quoque haberemus, quae nos in credendo infallibiliter dirigat et ab omni errore securos reddat.

Igitur necessarium esse duximus, antequam ecclesiae catholicae doctrinam particulatim evolvamus, principia illa inquirere, ex quibus dogmata deduci et probari debent; vel examinare, quaenam media aut criteria haec ecclesia habeat, ex quibus certo et infallibiliter dijudicari possit, quid ad veram catholicam fidem pertineat, quid non. Haec criteria regulam fidei efficiunt, quam clarissimus *Veronius* in insigni opusculo, quod *regula fidei* inscribitur, paucis verbis ita exprimit:

Illud omne et solum est de fide catholica, quod est revelatum in verbo Dei et propositum omnibus ab ecclesia catholica fide divina credendum.

392. — In duas partes resolvitur haec regula. *Prima* complectitur verbum Dei, in quo tota revelatio tanquam in suo fonte continetur; *secunda* auctoritatem ecclesiae, quae revelationem ex verbo Dei eruit et hominibus proponit. „Duo ergo debent conjunctim adesse, ut ait *Veronius*[1]), quo doctrina aliqua sit fidei catholicae. Primum, ut sit revelata a Deo per Prophetas et Apostolos, seu auctores canonicos; omnis enim revelatio postmodum facta ad fidem catholicam non pertinet. Secundum, ut sit proposita ab ecclesia. Si utrumque adsit alicui doctrinae, illa fide divina catholica est credenda: si alterum desit, seu revelatio, seu propositio ecclesiae, non est fide divina catholica credenda. Sed secundum adesse non potest, quin primum reperiatur; quia cum Christus ecclesiae promiserit assistentiam Spiritus sancti, qui doceat eam ducatque in omnem veritatem; haec nunquam, stante Dei promissione, quae semper obtinet, docet aliquid esse revelatum, quod revelatum non sit. Potest tamen aliquid esse revelatum a Deo, etiam in verbo, obscure scilicet, quod nondum sit propositum ab ecclesia: quia revelatum quidem est in verbo divino, sed quod interprete egeat, et necdum ecclesia sensum verbi Dei seu scripti, seu traditi aperuerit, sicque nondum definierit, et proinde nondum proposuerit, hoc vel illud esse fide credendum."

393. — Jam facile quisque intelliget, nos, cum ecclesiae auctoritatem adstruimus, de verbi divini auctoritate nihil detrahere. Ecclesia nova dogmata non cudit, nihil ex suo profert, sed quae in verbo Dei revelato continentur, docet, eaque tanquam fidelis fidei custos et magistra credenda proponit. Ergo inconcussa manent, quae jam cap. III. Prolegomenorum §. IV. dicta sunt; ultimum omnis revelatae theologiae principium esse Dei revelantis auctoritatem. Ecclesia verbum divinum habet, ex verbo divino dogmata sua eruit; et nos, cum ecclesiam audimus, certi sumus nos verbo divino credere, eamque tenere doctrinam, quam Christus revelavit, quam Apostoli nobis aut scriptam aut ore traditam reliquerunt.

Hanc Demonstrationis catholicae partem possemus iterum commode in duo capita partiri, ac primum de verbo

1) Cap. I. §. II.

Dei agere, tum de ecclesiae docentis auctoritate. Verum cum de verbo Dei tractantibus maxima sese offerat rerum copia; liceat nobis a strictae divisionis regulis aliquo modo discedere et facta statim in verbum Dei scriptum et traditum distinctione, tractare I. de sacra scriptura, seu verbo Dei scripto; II. de traditione, seu verbo Dei tradito; III. de controversarium judice, seu de ecclesiae in tradenda vera Christi doctrina auctoritate. His in fine appendicis loco pauca subjiciemus de rationis usu in fidei quaestionibus. Nam et huic jura sua adimere animus non est.

CAPUT PRIMUM.

De sacra scriptura.

OBSERVANDA.

394. — I. Verbum Dei revelatum, cui tota fides nostra innititur, est illa ipsa coelestis doctrina, quae per legatos et internuntios a Deo ad nos delata est. Duplex distinguitur: verbum scriptum et non scriptum, seu traditum; prout nempe viri sancti et legati Dei, quae a Deo acceperunt, litteris consignarunt, aut ore tradiderunt. Utrumque ecclesiae custodiae commissum est, et in ea tanquam in suo proprio domicilio collocatum.

II. Scriptura sacra est complexus librorum veteris et novi testamenti; seu verbum Dei ab auctoribus hagiographis afflante Spiritu S. scriptum. Dicitur, *scriptum*, ut distinguatur a verbo Dei tradito; dicitur, *scriptum afflante Spiritu S.*, et sic discrepat ab ecclesiae definitionibus, quae dirigente quidem Spiritu S. eduntur, non vero ex Dei inspiratione. Additur: *ab auctoribus hagiographis* seu *canonicis*, ut ostendatur fidei regulam non esse ea omnia, quae innotescere nobis possunt ex revelationibus factis post tempora Apostolorum; item ad verbum Dei scriptum non pertinere, quae sancti viri et antiquissimi Patres tanquam ab Apostolis accepta litteris consignarunt. Ejusmodi scripta inter libros canonicos non numerantur; sed traditioni comprobandae plurimum inserviunt.

De librorum V. et N. T. authentia, integritate et summa ad faciendam fidem auctoritate, actum est in Demonstratione Christiana: nunc necesse est, ut disseramus 1^0 de scripturae sacrae inspiratione; 2^0 de sacrarum scripturarum canone; 3^0 de multiplici scripturae sensu; 4^0 de scripturae sacrae versionibus.

ARTICULUS I.

De scripturarum inspiratione.

OBSERVANDA.

395. — I. Agitur in hac quaestione de praecipuo revelationis fonte, agitur de divina scripturarum auctoritate, quam hodie non ii tantum infeste aggrediuntur, qui alieni sunt a Christiano nomine; sed inter eos etiam quam plurimi, qui se Christianos et evangelicos vocant, et scripturam semper in ore et in manibus habent. Quo gravior autem haec quaestio est, eo diligentius curandum, ut theologiae candidati rem, de qua agitur, rite intelligant, neque confundant ea, quae accuratius discernenda sunt. Potest enim sensus quaestionis diversimode sumi. 1^0 Quaeri potest, an scriptura argumentum divinum contineat. 2^0 An ipsa scriptura auctoritatem divinam habeat in rebus ad religionem pertinentibus. 3^0 An scriptura integra originem divinam habeat, ita ut vocari possit et revera sit verbum Dei.

Quod primum attinet, nihil hic nobis adjiciendum est ad ea, quae in Demonstratione Christiana diffusius exposita sunt. Argumentum librorum tum V. tum N. T. est ipsa supernaturalis Dei pro hominum salute oeconomia. Ex illis hujus universi et imprimis generis humani ortum discimus, et inductam per peccatum primaevae felicitatis ruinam, et religionem a Deo

hominibus datam et varia mundi fata; tum factas Patriarchis promissiones et legem Mosaicam speciali Dei providentia per plura saecula una cum populo, cui concredita erat, conservatam; et praedictiones melioris religionis; denique absolutionem et perfectionem operis per legem Christi et Apostolorum praedicationem. Sed haec omnia a Deo esse profecta; ipsum auctorem esse tum patriarchalis, tum Mosaicae, tum Christianae religionis jam probavimus. Constat ergo argumentum librorum V. et N. T. esse divinum.

396. — II. Secunda quaestio divinam scripturae originem propius quidem attingit, sed eam nondum proprie exprimit. Nam divina illa auctoritas, quae in hac hypothesi scripturis in rebus ad religionem pertinentibus attribuitur, ex ipso divino charactere sequitur, quo Moyses et Prophetae in veteri, Apostoli in nova lege insigniti fuerunt. Ea, quae Apostoli et Evangelistae scriptis consignarunt, utique aliena non erant ab ea, quam publice annuntiabant, doctrina. Ex quo sequitur, divinam, quae ipsis docentibus competebat, auctoritatem etiam scribentibus non defuisse.

397. — III. Haec tamen non sufficiunt, neque sufficere possunt illis, qui scripturarum divinam auctoritatem non ex religionis, quae in iis continetur divinitate, neque ex divino eorum, qui illas ediderunt, aut approbarunt, charactere repetunt, sed ex ipsa earum divina origine et inspiratione, qua proprie verbum Dei efficiuntur. Quod ut recte intelligatur, adnotandum est, triplicem distingui modum, quo Spiritus S. dici possit scriptori sacro adfuisse. Primus *revelatio* dicitur, quae in strictiori sensu sumta, est ignotae prius veritatis facta divinitus manifestatio: improprie tamen et latiore significatu adhibetur, quando Deus suggerit homini veritatem jam cognitam. Secundus proprie vocatur *inspiratio*, et consistit tum in motione voluntatis, seu incitatione interna, qua Deus aliquem efficaciter movet ad scribendum, veritatique firmiter adhaerendum; tum in mentis illustratione, qua Deus scriptori ea suggerit, quae vult, ut ab eo scribantur. Tertius demum est *assistentia aliqua* aut *specialis directio*, qua loquens aut scribens ex proprio delectu, ita tamen a Deo dirigitur, ut in errorem labi non sinatur. Revelante Deo *Isaias* cap. XIV. praedixit, Cyrum ducentos post annos captivitatem Babylonicam soluturum. Inspirante Deo exarata est omnis scriptura. Assistente aut dirigente Deo concilia oecumenica suas definitiones conscribunt.

Vocum istarum significationem non satis figentes quidam in Belgio theologi negarunt, inspirationem ad omnia et singula scripturae loca esse necessariam, putantes in multis sufficere specialem Spiritus sancti assistentiam: inspirationis scilicet nomine illud intelligebant, quod nos revelationem dicimus; per assistentiam autem, quod nos inspirationis nomine designamus.

Examinabimus 1^0 an scriptura origine divina sit, seu an sit proprio sensu verbum Dei; 2^0 qua ratione ipsi divina haec origo competat[1]).

---

1) Protestantes ab initio reformationis toti erant in asserenda scripturae divina auctoritate, ideoque conceptum inspirationis ad singula verba extendebant. Nec mirum, id a viris factum esse, qui nullam praeter scripturas fidei regulam agnoscebant, seque a Deo excitatos jactabant, ut suum libris sacris honorem, suam dignitatem vindicarent. Verum vix dici potest, quantum ab hac religiosa patrum suorum veneratione recesserint recentiores protestantium doctores. Primum Arminianorum et Socinianorum principiis imbuti docuerunt, scripturam ea tantum ratione divinam esse, quod in genere divinum argumentum contineat, religionem scilicet, Dei nomine et auctoritate hominibus revelatam. At mox omni fraeno excusso, abjecta omni verecundia in libros sacros irruerunt, mactantes, perdentes, exsibilantes, conspuentes quidquid irreligiosae menti non arridet. Cf. apud *Dobmayer*

§. I.

De scripturae sacrae divina origine.

398. — I. Ut divina dici possit scripturarum origo, non sufficit, ut Deus remote tantum et mediate ad earum existentiam concurrat; puta, cum auctores in iis, quae ad religionem pertinent, vel per se vel per alios instruit; aut speciali providentia ita rerum eventus ordinat, ut magis fiant ad scribendum idonei; aut etiam cum ipsius jussu id agunt: requiritur insuper, ut auctor hagiographus in actu scriptionis influxu divino dirigatur, et Deus immediate conceptus scribentis determinet; hac solum ratione Deus auctor scripturae II. ad Timoth. III, 16. exprimitur per vocem θεόπνευστος, a Deo inspiratus; inde vox θεοπνευστία — inspiratio divina. Vide *Dobmayer* append. ad tom. IV. pag. 20.

399. — II. Si quaestio movetur circa hujus inspirationis possibilitatem, eadem responderi debent, quae de revelationis possibilitate diximus [1]). Nihil est in conceptu inspirationis, quod repugnat. Neque ex parte Dei, neque ex parte hominum aliquid obstat, quominus Deus talem concursum praestare, et homo eum recipere possit. An autem Deo dignum sit, ejusmodi medio uti ad hominis instructionem, an illud homini exoptandum, quis dubitet? Quid enim Deo dignius, quam homini credendi normam tribuere tutissimam et ab omni erroris periculo remotam? Quid homini optabilius, quam scire, fontem illum revelationis, ex quo potissimum haurit ecclesia, prorsus divinum esse, et nulla erroris admixtione contaminatum? Unde etiam ferri non potest illa quorundam Christianorum sententia, Apostolos et Prophetas Spiritus sancti afflatu aliquando fuisse destitutos, et ex proprio ingenio scripsisse, imprimis cum historias conscriberent et res ad religionem proprie non pertinentes; ideoque errori fuisse subinde obnoxios; aut in referendis ex V. T. testimoniis memoria lapsos. Ita quondam docebant *Anomaei* et alii haeretici a S. Hieronymo refutati; et inter recentiores *Erasmus*, *Episcopius*, *Salmasius*, *Spinoza* etc.

---

system. theologiae cath. tom. IV. Append. pag. 18., quae *Semler*, *Töllner*, *Tieftrunk*, *Eckermann*, *Hänlein*, *Plank* de hac quaestione docuerint. — Item *Theoduls* Gastmahl S. 86. 92. seq.

1) Demonst. Christ. part. I. cap. I. §. I.

PROPOSITIO I.

Scriptura sacra divinitus inspirata est.

Argumentum I.

400. — Scripturas Deum habere auctorem, eoque afflante et inspirante fuisse conscriptas negari non potest, si scriptura ipsa id testetur; atqui id testatur. Ergo etc.

Probat. major. Ubi de religionis Christianae divinitate disputatum est, probavimus, sacros codices genuinos esse et authenticos, et qui eos scripserunt, viros fuisse fide dignissimos: ergo audiendi sunt, cum palam profitentur se a Deo motos fuisse ad scribendum, aut cum divinam originem aliis scripturae libris attribuunt, quorum ipsi auctores non fuerunt.

Probat. min. I. *Quoad vetus testamentum.* Testimonia, quae a theologis passim afferuntur, deprompta sunt vel ex veteri, vel ex novo testamento. 1° Auctores sacri veteris testamenti non raro ipsi testantur, se Deo imperante et inspirante scribere. Daniel XII. filius ille hominis, qui Prophetae apparuerat, ait v. 4.: *Tu autem Daniel claude sermones et signa librum.* Ezech. XXIV. factum est verbum Domini ad Prophetam dicens: *Fili hominis scribe tibi nomen diei hujus. Et dices: Haec dicit Dominus Deus etc.* Habacuc II. dicit Dominus: *Scribe visum et explana eum super tabulas.* Similia leguntur Exod. XVII, 14. — Deuter. XXXI, 19. — Jeremiae XXX. ubi Dominus ad Prophetam ait v. 2.: *Scribe tibi omnia verba, quae locutus sum ad te,*

in libro. Hic adjici possunt loca illa, in quibus libri scripti dicuntur a Prophetis, seu viris inspiratis, ut I Paralip. XXIX, 29. II Paralip. XXVI, 22. Aut ubi auctores sacri dicunt, se nomine Dei verba proferre, spiritum Dei per eos locutum etc., de quo quidem argumento plura postea dicentur.

Fatendum quidem est, allata testimonia partes tantum spectare V. T.; verum, quae de quibusdam scripturae partibus dicuntur, ea merito ad libros omnes canonicos extendimus; quia vetus synagoga nullum unquam discrimen librorum admisit; omnes sub generali librorum sacrorum nomine comprehenduntur lib. I. Machab. XII, 9., ubi Jonathas ad Spartianos scribit, se solatio habere scripturas sacras, τὰ βίβλια ἅγια; omnes divinos esse seu a Deo inspiratos, communis erat Judaeorum sententia, ut ex Philone et Josepho discimus. Hanc porro Judaeorum persuasionem Christus et Apostoli adeo non rejecerunt, ut potius approbaverint; ut ex sequentibus patebit.

401. — 2° Clariora sunt quae ex N. T. eruuntur testimonia et ut plurimum ad omnes V. T. libros pertinentia. Christus non tantum veteris testamenti allegatione dicta sua confirmat, sed etiam ad scripturas in genere provocat, quales tunc in manibus erant Judaeorum. *Scrutamini scripturas*, ait Joan. V, 39., *illae testimonium perhibent de me. Incipiens a Moyse et omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quae de ipso erant.* Luc. XXIV, 27. — vid. v. 44. — Illarum autem scripturarum auctoritatem expresse adstruit tum Matth. V, 18.: *Jota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant...* tum Joan. X, 35.: *Non potest solvi scriptura.*

Apostoli ad exemplum magistri non tantum ad vetus testamentum frequenter provocant, sed theopneustiam scripturarum V. T. in genere pluribus in locis adstruunt. Sic Apostolus II. ad Timoth. III, 16. de omnibus V. T. libris loquens ait: *Omnis scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum etc.* In Graeco: πᾶσα γραφὴ θεόπνευστος. Quid autem sit γραφὴ θεόπνευστος, clarius exponit S. Petrus II. epist. cap. I, 20. 21.: *Omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit: non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines* .... ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι.

402. — II. *Quoad novum testamentum.* Pauca sese hic offerunt testimonia ex scriptura, neque ejus generis ea sunt, ut tanquam certa et decretoria haberi possint. Nihil esse in V. T. quod ad hanc materiam pertineat, per se patet. In N. T. legimus quidem Christum ad scripturas appellasse; sed nullae praeter V. T. scripturae tunc habebantur. Neque Apostolus II. ad Timoth. de aliis, quam V. T. libris intelligi potest; agit enim de sacris litteris, quas Timotheus ab infantia didicerat: Petrus quoque in citato loco aperte de scripturis loquitur apud Judaeos sacris. Nullus ex scriptoribus N. T. clare edicit, se ex inspiratione divina scribere; solus Apocalypseos auctor affirmat, se mandatum a Christo accepisse scribendi. — Unum adducimus ex II. Petri epistola testimonium, ubi hic Apostolus (cap. III, 15. 16.) de Pauli epistolis agens, eas caeteris scripturis accenset: *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant,* sicut et ceteras scripturas, *ad suam ipsorum perditionem.* — Fatendum igitur est, librorum N. T. inspirationem ex scripturae ipsius testimoniis *directe* probari non posse, aut saltem infirma esse, quae ex iis deducuntur argumenta; maximum igitur pondus in sequentibus argumentis ponendum est. Primum testimonia complectitur scripturae, quae quamvis *indirecta* sint,

ad convincendum tamen sincerum animum quam maxime valent; alterum ex constanti et universali ecclesiae sensu desumitur. — Veteris scripturae auctoritatem praecipue ex N. T. colligimus; at huic nulla alia scriptura potest testimonium reddere. Id vero agit constans omnium saeculorum traditio.

Argumentum II.

403. — Auctores scripturae a Deo fuisse ad salutem populi excitatos, atque non tantum Dei nomine, sed et Spiritu S. afflante locutos, multis V. et N. T. testimoniis probari potest: ergo admittendum est, eos etiam in scribendo divina inspiratione fuisse adjutos.

Prob. I. ant. 1° *Circa vetus testamentum.* Moyses non semel testatur, se non tantum Dei nomine loqui, sed et verba loqui Dei ipsius. Cum jussu Dei ad populum pergeret, ait Dominus ad illum Exod. IV, 12.: *Ego ero in ore tuo, doceboque te, quid loquaris.* Lib. II. Reg. cap. XXIII. de Davide dicitur: *Dixit David filius Isai: Spiritus Domini locutus est per me et sermo ejus per linguam meam,* et Psal. XLIV, 2.: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.* Prophetae frequenter his aut similibus verbis utuntur: *Haec dicit dominus: factus est sermo Domini ad me dicens.* Sic Isaiae I.: *Audite, quia Dominus locutus est.* Jerem. I.: *Ego dedi verba mea in ore tuo.* Similia leguntur in novo testamento Luc. I, 70.: *Sicut locutus est per os Sanctorum, qui a saeculo sunt, Prophetarum ejus;* ad Hebr. I, 1.: *Multifariam multisque modis olim loquens Deus patribus in Prophetis.* Rom. III, 2. de Judaeis dicitur: *Credita sunt illis eloquia Dei.*

404. — 2° *Circa novum testamentum.* Apostolos a Christo ad annuntiandum evangelium missos Spiritu Dei plenos fuisse, ex pluribus novi testamenti textibus notum est. Joan. XIV. Christus ait v. 17.: *Vos cognoscetis eum (Spiritum veritatis), quia in vobis erit et in vobis manebit,* v. 26.: *Paracletus Spiritus S., quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, et suggeret vobis omnia.* Matth. X, 19 et 20.: *Dabitur vobis in illa hora quid loquamini; non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Apostolus, qui tunc cum Jesu non erat, quando hae factae sunt promissiones, tamen de evangelio, quod ipse praedicabat, ait ad Galat. I, 11 et 12.: *Notum vobis facio evangelium, quod evangelizatum est a me; quia non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, neque didici, sed per revelationem Jesu Christi.* Et II Cor. XIII.: *An experimentum quaeritis ejus, qui in me loquitur Christus?* I Thessal. II, 13.: *Gratias agimus Deo sine intermissione, quoniam cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud, non ut verbum hominis, sed, sicut est vere, verbum Dei.* I Cor. II, 13.: *Loquimur non in doctis humanae sapientiae verbis, sed in doctrina spiritus.*

405. — Prob. II. consequentia. Si Spiritus S. inspirati locuti sunt sancti Dei homines; si Paracletus a Christo promissus apud Apostolos manebat et in ipsis erat, quando evangelium ore annuntiabant; quis sibi persuadeat, eos divino afflatu destitutos fuisse, quando doctrinam suam scriptis tradiderunt? An non ex eo, quod Spiritus S. eos inspiraverit loquentes, a potiori concludendum est, eos in scribendo eodem fuisse auxilio adjutos? Facilius errata corriguntur, quae loquentibus excidunt, quam quae scriptis consignata sunt. Et Christus optime sciverat, Apostolorum scripta omnibus futuris saeculis normam fore credendi et quasi continuam evangelii praedicationem per omnes generationes perdurantem, usque dum veniat consummatio.

Argumentum III.

Ex publico et universali ecclesiae sensu.

406. — Ecclesia Christiana a tempore Apostolorum semper et ubique docuit, scripturam sacram divinitus esse inspiratam: ergo nullum remanere potest circa hanc materiam dubium.

Prob. ant. 1⁰ *Ex universali et continua praxi ecclesiae;* quae scripturam semper tanquam librum divinum adhibuit, tum ad instituendos fideles in vera Christi religione, tum ad refutandos haereticos; quae omnem scripturarum corruptionem semper ut haeresin et injuriam Spiritui S. illatam abhorruit, quae constanter negavit, ullam proprie dictam antilogiam in ea reperiri.

2⁰ *Ex testimoniis SS. Patrum. Clemens. Rom.* primi saeculi scriptor ad Cor. ait: *Contentiosi estis fratres, rerum quae ad salutem minime pertinent zelo accensi; scripturas diligenter inspicite, quae Spiritus S. sunt oracula, in illis nihil injustum, neque fictum, aut simulatum contineri discite.* Saeculo II. *Justinus martyr* admonitione ad gentes num. 8. ait, scriptores sacros ad conscribenda sua volumina nihil aliud necesse habuisse, nisi *puros seipsos divini Spiritus operationi praebere.* Saeculo III. *Origenes* lib. V. contra Celsum affirmat, Judaeos et Christianos in hoc convenire, quod sancti libri divino Spiritu sint conscripti. Haec pauca sufficiant, quia impossibile esset in tanta nube testium omnia et singula testimonia proferre. Caeterum neque protestantes, neque increduli hanc consensionem negare unquam potuerunt. Inter alios *Toellnerus* et *Michaëlis* eruditissimi inter protestantes viri concedunt ecclesiae universae semper fuisse persuasum, sacras scripturas divinitus fuisse scriptas, seu divinam habere originem; id tantum ex principiis suis asserunt, ex hac persuasione non certitudinem, sed magnam tantum verisimilitudinem enasci.

407. — Prob. consequentia. Decretorium est hoc universae ecclesiae testimonium; nam 1⁰ certi sumus, ecclesiam in iis, quae ad religionem pertinent, ex Christi promissione infallibilem esse (parte I. cap. I. art. III.) §. II.); nihil autem magis ad religionem pertinet, quam scire quid sentiendum sit de fonte primario revelationis. 2⁰ Haec ecclesiae persuasio, quae non successive et post operosas perquisitiones orta est, sed semper cum summa consensione viguit, aliunde oriri non potuit, quam ex traditione Apostolorum. Valet enim hic regula Vincentii Lerinensis: *Quod semper, quod ab omnibus, quod ubique tenetur, ut indubitatum habendum esse.*

Hanc universalem et perpetuam ecclesiae doctrinam secutum est concilium Trid. cum sess. IV. in decreto de canonicis scripturis ait: *Sacro-sancta et oecumenica synodus orthodoxorum Patrum exempla secuta omnes libros tam veteris quam novi testamenti, cum utriusque unus sit Deus auctor, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur.* Et addito librorum sacrorum canone prosequitur: *Siquis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri Vulgata editione Latina habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit.*

PROPOSITIO II.

Scriptura sacra quoad omnes et singulas partes divinitus inspirata est.

408. — Prob. I. Argumenta fere omnia, quae scripturae inspirationem probant generalia sunt et ad totum scripturae contextum pertinent. Certum est, Judaeos tempore Christi de libris V. T. hanc tenuisse sententiam, nihil posse in scripturis falsi inesse; Deumque divino prorsus modo in omnia influxisse, quae in ipsis continentur. Hanc autem opinionem ut veram assumsit Christus Joan. X, 34. — II. Tim. III. expresse dicitur: *Omnis scriptura divinitus inspirata:* πᾶσα γραφὴ.

Quod argumentum attinet omnium maxime decretorium ex universali ecclesiae sensu, nemo dubitare potest, illud ad totam scripturam pertinere sine discrimine inter substantiam et accidentalia. S. *Clemens. Rom.* expresse ait: *In illis nihil injustum, neque fictum, aut simulatum contineri.* Et quae ibi affert exempla non ad religionis substantiam pertinent, sed ad historiam Judaeorum; loquitur enim de Danielis, trium puerorum, Machabaeorum etc. historia. Patres scripturas sine discrimine vocant divinas, oracula, effata Dei; et scriptores organa, instrumenta, plectra Dei etc. Adde decretum concilii Trid. jam citatum.

409. — Prob. II. Si tum veteris tum novi testamenti libri non essent quoad singulas partes inspirante Deo conscripti, fine suo fraudaretur inspiratio. Ergo etc.

Prob. ant. Ideo facta est inspiratio, ut certo nobis innotescat Dei voluntas; atqui hic finis non obtineretur, si in quibusdam deficere posset inspiratio. Nam, si in sacro quovis libro unaquaelibet falsitas reperitur, totius libri certitudo interit, ut observat *Augustinus*[1]). — Facile enim esset cuique res vel gravis, vel leves pro suo arbitrio ingenioque aestimare; et fluctuaret passim et legentium et audientium fides, dum ignorarent, quonam spiritu, an hominis, an Dei quaelibet libri particula fuisset scripta: aut Deus debuisset ipse medium aliquod dare certum et infallibile partes inspiratas ab aliis secernendi, quod ab illo factum fuisse nullibi legimus. „Fateamur igitur, ait *Melchior Canus*[2]), singula quaeque sive magna sive parva a sacris auctoribus Spiritu S. dictante esse edita. Id a Patribus accepimus, id fidelium animis inditum et quasi insculptum est; id itaque et nos ecclesia praesertim ipsa magistra et duce retinere debemus."

1) De consens. evangel. lib. II. cap. XII.
2) De locis theol. lib. II. cap. XVII.

CONFUTATIO CONTRARIORUM.

410. — Objicitur I. Non datur conceptus inspirationis; ergo res est absurda, et merito a sana philosophia repellitur.

Resp. dist. ant. Non datur conceptus clarus et distinctus, *conc.* Non datur conceptus obscurus, qualis in hac materia sufficit, *nego.* Cum inspiratio sit modus agendi in facultates humanas, a communi et naturali rerum ordine remotus, adeoque verum miraculum psychologiae, non potest nobis, nil tale expertis, non esse obscura. Verum si haec argumentandi ratio valeret, sequeretur, omnem quoque revelationem esse repudiandam; omnis enim revelatio, etiam ea, quae relate ad nos *mediata* dicitur, primum immediate fieri debuit iis, quos Deus tanquam legatos suos ad homines misit. Porro dicant nobis incredulli, quem ipsi conceptum habeant rerum naturalium? An vel unius tantum substantiae in hoc universo existentis datur conceptus clarus et distinctus? Quanta non ipsi, et quam praeclara, suo saltem judicio, disserunt de mentis humanae operationibus, de memoria, de modo colligendi ideas et judicia, de libertate, de animi affectionibus; quamvis de his et aliis pene multis distinctam notitiam non habeant? Deum posse per influxum supernaturalem et immediatum ad scripturas concurrere, nulla unquam sana philosophia negavit; quamvis modum quo id fiat, et quae Dei, quae hagiographi in hoc negotio partes sint, accurate definire non possit.

411. — Inst. I. Conceptus theopneustiae ad infantiam generis humani pertinet, quo tempore homines simplices et inculti, quidquid a communi et quotidiano usu abhorrebat, e coelo descendere, et immediate a Deo exire credebant. Haec superstitiosa opinio

inter Judaeos et gentiles conservata, postmodum ad Christianos transiit; ergo nulli solido fundamento innititur.

Resp. Explicent increduli, unde oriri potuerit haec generis humani persuasio, si nullum unquam extitit Dei cum hominibus commercium; si nulli unquam fuerunt sancti Dei homines, ut ait S. Petrus, qui Spiritu S. acti locuti sunt? Plures sunt scripturae textus, qui specialem divini numinis influxum clare exprimunt; et quantacunque sit neologorum in contorquendo et evertendo scripturae sensu peritia, nunquam tamen propheticum, aut apostolicum munus ex causis naturalibus explicabunt. Aperta est Spiritus S. promissio a Christo Apostolis facta; apertum, Christum et Apostolos eandem scripturis originem et auctoritatem tribuisse, quam ipsis attribuit synagoga. Sed fortassis Christus et Apostoli usi sunt argumento ad hominem? Verum quis non videt ejusmodi agendi rationem Christi et Apostolorum characteri repugnare? Nam constanter adhibuissent principium demonstrationis falsum; Judaeos in falsa opinione confirmassent, omnesque, qui per eos instituti sunt Christianos in eandem persuasionem auctoritate sua traxissent. Adde, quod Paulus eadem argumentandi ratione utatur, ad gentiles scribens, qui tamen antequam Christiani fierent, vetus testamentum tanquam fidei regulam non agnoverant; item quod Christus cum diabolo disputans scripturae testimonia attulerit. An tunc forte argumento ad hominem usus est?

412. — Inst. II. Inspiratio, qualis ab orthodoxis admittitur, scripturas hominum doctorum ludibrio exponit, et in offensionem inducit excultae rationis, quae concursum Dei supernaturalem non admittit, ubi vires naturales sufficiunt.

Resp. Nos illos omnes, quos scripturarum divina auctoritas offendit, non credimus sapientes doctosque nuncupandos esse, sed Dei et religionis contemptores. Scimus equidem Deum absque sapientissima causa media supernaturalia non adhibere; verum determinare velle, quandonam Deus ea adhibere possit, summae audaciae esset. Licet ratio nostra inspirationis absolutam necessitatem non satis agnoscat; ejus tamen cum perfectionibus divinis convenientiam, et summam utilitatem nonnisi caeca et obstinata impietas negare potest.

413. — Inst. III. Quaestio, an scriptura sit divinitus inspirata, res facti est, quam necesse esset historicis argumentis probare; atqui ejusmodi argumenta satis firma et authentica nulla habentur. Ergo etc.

Prob. min. Neque Judaeorum, neque Christianorum testimonia quidquam valere possunt: nam Judaeos scimus avide omnia arripuisse, quae gentis et legis ac scripturarum suarum gloriam augere poterant. Idem postmodum a Christianis factum, qui tanquam homines in arte critica imperiti, et per plura saecula circa numerum canonicarum scripturarum incerti, idonei in hac quaestione testes esse non possunt. Ergo etc.

Resp. Factum inspirationis excussimus eo modo, quo facta excuti debent. Quis fuerit Judaeorum de scripturarum inspiratione sensus, et unde ille originem habuerit, examinare necesse non est. Christiani et imprimis catholici Christi, Apostolorum et ecclesiae auctoritati innituntur. Primos Christianos, cum de scripturae sacrae libris agebatur, regulas critices non neglexisse, hoc ipso probatur, quod aliquorum inspiratio non fuerit ubique et ab omnibus agnita. Caeterum ecclesiae omnes regulam sequebantur infallibilem, quam etiam nobis reliquerunt; id scilicet tanquam certum tenendum esse, quod ab Apostolis traditum est. Ex Apostolorum omnium unanimi doctrina ortus est sensus ille generalis to-

tius ecclesiae, quem criterium esse infallibile veritatis part. I. hujus Demonst. probatum est.

414. — Objicitur II. Plurima apud auctores sacros occurrunt minuta, et ad naturales tantum hujus vitae necessitates pertinentia; ut manifestum sit, plura ab ipsis fuisse humanitus scripta, sine divina inspiratione. Rei hujus exempla afferri possunt ex Tob. XI, 9. Ex epist. Apost. ad Timoth. II.: *Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, affer tecum, et libros, maxime autem membranas.* Et alia hujusmodi, quae passim in epistolis Pauli reperiuntur.

Resp. Minima quaeque in scriptura, ait S. Hieronymus in prooemio super epistolam ad Philem., sunt Deo tribuenda; ejusdem Dei parva sunt, cujus et magna; neque alius est vermium, alius Angelorum conditor. Quae nobis videntur vilia, utilitate non carent. Vel enim rem pingunt vividius, et nativam quandam sermoni aspergunt simplicitatem; vel juvant ad morum institutionem, cum mutuam fidelium charitatem nobis exhibeant, et Apostoli exemplo paupertatem et sacrarum litterarum studium commendent in ministerio eodem laborantibus.

415. — Inst. I. Frequentes in Psalmis aliisque scripturae libris leguntur imprecationes, et viri, qui a Deo inspirati dicuntur, maledictis onerant et diris devovent hostes suos. Sed haec divino numini adscribere summa impietas est. Ergo etc.

Resp. Quae adversarii nobis objiciunt, non sunt imprecationes aut maledicta proprie sumta, sed vel admonitiones et increpationes vehementiores, ex zelo et caritate ad malorum emendationem prolatae, quales etiam in evangeliis reperiuntur (Matth. XXIII.); vel impendentium malorum praedictiones. Ita *Hieronymus* in Psalm. I., *August.* in XLVIII., *Basilius* in XXVII., *Gregor. M.* lib. XIV. moralium. Hebraeis familiare erat, ut imperativo vel optativo modo uterentur pro futuro tempore et vicissim. Cf. *Bossuetium* dissert. de Psalm n. 14. Tom. I. operum. *Bible d'Avig.* Tom. VI. préface sur les psaumes n. V. *Bergier*, diction. théol. voce *imprécation*. *Cramers* poëtische Uebersetzung der Ps. II. Band. III. Abh.

416. — Inst. II. Deus non potuit inspirare, quae a Juditha Holopherni narrata sunt et Assyriis; quia falsa erant et ad fallendum composita. Ergo etc.

Resp. Non dicimus Judithan inspiratam fuisse, cum Holopherni loqueretur, sed inspiratum fuisse auctorem, cum ea, quae facta et dicta sunt, scriberet.

417. — Inst. III. Evangelistae non raro in errores lapsi sunt, quos a Deo inspiratos fuisse nemo dixerit. Ergo etc.

Prob. ant. 1° S. Matthaeus cap. II. 23. ait, Jesum habitasse in civitate Nazareth, *ut adimpleretur, quod dictum est per Prophetas; quoniam Nazaraeus vocabitur.* Verum nullibi illud apud Prophetas legitur. 2° Idem Evangelista cap. XXVII, 9. pro Zacharia Jeremiam posuit. 3° Marcus quoque in Isaia scriptum affirmat, quod in Malachia legitur. Ergo etc.

Resp. ad I. S. Hieronymus observat, Evangelistam plurali numero uti: *per Prophetas;* quia verba quidem ista: *quoniam Nazaraeus vocabitur* in nullo Prophetarum volumine reperiuntur; at res ipsa per haec verba expressa passim a Prophetis fuit praenuntiata: nam vox *Nazaraeus, Nazir* potest significare vel hominem ab omni inquinamento segregatum, vel hominem a fratribus rejectum, vel salvatorem hominum. Vide Is. II, 1. et LIII.

Ad II. Verosimile est, Matthaeum pro more suo dixisse: *Quod dictum est per Prophetam*, et scribam aliquem attexuisse Jeremiae nomen. Haec conjectura magnam vim ex eo acquirit, quod plurima exemplaria

Graeca, Latina, Syriaca et Arabica Jeremiae nomen non habeant. Vid *Aug.* lib. III. de consensu Evangelistarum capite VII. Doctiss. *Millium*, *Jansenium* in evangelia etc. *Eusebius*[1]) et *Hieronymus*[2]) putant, errore scriptoris pro Zacharia Jeremiam esse suppositum.

Ad III. Illud, quod ex Marco objicitur, frivolum videri solet his, qui Latinam editionem passim ad Graeca exemplaria expendunt, in quibus legitur: ὡς γέγραπται ἐν τοῖς προφήταις. Verum probatissimi interpretes, et ipse Erasmus nostram lectionem probant, et Graecam asserunt a Graecis fuisse immutatam. Ubi non possum novitios istos interpretes non ridere, ait *Melchior Canus*[3]), qui tanta facilitate et confidentia e pravis Graecis emendant Latina non prava. Igitur praeferenda videtur illorum sententia, qui dicunt Marcum duorum quidem Prophetarum, Malachiae et Isaiae vaticinia attulisse, sed unum tantum Isaiam tanquam illustriorem nominasse, quod eo facilius fieri potuit, quia Malachiae vaticinium in eo Isaiae quoad sensum continetur.

418. — Inst. IV. Quadam in scripturis haesitanter dicuntur; ideoque a Deo esse non possunt: alia inspirationem expressis verbis excludunt. Ergo etc.

Prob. ant. Ad primum pertinent haec, aut similia apud Prophetas: *Si forte audiant* etc. Ps. II.: *Ne quando irascatur Dominus.* Actor. VIII, 12.: *Si forte remittitur* etc.: aut cum particulae *quasi, circiter* adhibentur. Jesus erat incipiens quasi annorum triginta etc. Ad secundum illud Pauli I. ad Corinth. VII.; *Ceteris ego dico, non Dominus* ... et ad Corinth. XI.: *Quod loquor, non loquor secundum Deum, sed quasi in insipientia.* Ergo etc.

1) Lib. X. Demonst. evangelicae. 2) In Psalm. LXXVII. 3) De locis theol. lib. II. cap. XVIII.

Resp. ad I. Probaret quidem argumentum, si auctores sacri ex humana ignorantia ita dubitanter loquerentur, verum hoc ipsum contigit volente Spiritu S.; ubi particulae *quasi, circiter* adhibentur, signum est Deum non voluisse rem tam stricte determinare, quam determinari posset. Ceterum hunc canonem statuit Bonfrerius[1]): „Dubitationum particulis utitur Deus in scriptura, non quod dubitet vel ignoret, quid futurum sit; sed vel ad indicandam humani arbitrii libertatem, quae ex se est indeterminata et potest alterutrum facere; vel ad indicandam paucitatem eorum, qui rem de qua agitur, facturi sunt." Verba Psal. II.: *Nequando irascatur*, idem sunt, quod *ne irascatur*, aut, *alioquin irascetur* (in Hebr. פֶּן pen.).

Ad II. Plures et optimae notae interpretes putant, haec vers. 12. verba: *ceteris ego dico, non Dominus*, ad praecedentia pertinere, non ad ea, quae sequuntur; ceteris, ait Apostolus, de quibus dixi vobis, id est non nuptis et viduis, Dominus quidem non praecipit ut sic permaneant; at ego consilium do. Porro quod consilium suum Paulus Spiritus sancti consilium existimaverit, satis ipse indicat dicens ibid. v. 40.: *Beatior erit, si sic permanserit, secundum meum consilium; puto autem, quod et ego Spiritum Dei habeam.*

In epist. ad Cor. ait quidem Apostolus, se quasi in insipientia loqui, sed ibid. cap. XII. mox subjungit: *Et si voluero gloriari, non ero insipiens.* Quid ergo sapiens et insipiens? Nempe sapiens revera, et quasi insipiens. Nam haec quae stultitia esse videbatur (laudare quippe se insipientis hominis nota est), revera Dei erat sapientia, quia non ex vanitate, sed ex charitate gloriabatur.

419. — Obj. III. Si scriptura esset

1) Can. XIV. Vide Menoch. suppl. Tom. III. edit. Venet. pag. 56.

quoad omnes suas partes divina; ergo et divina essent omnia, quae in ea continentur praecepta, neque solvi possent quacunque humana auctoritate: atqui ecclesia plures ejusmodi leges ab Apostolis in scripturis latas aut abrogavit omnino, aut solvit frequenter per dispensationem. Ergo etc.

Resp. neg. maj. Praeceptum ideo divinum non est, quia inspirante Deo scriptum fuit, quemadmodum et alia multa, quia in scripturis leguntur, ideo Deo tribui non possunt, quia movente Deo scriptis fuerunt consignata; narrantur enim a sacris auctoribus plurima impiorum hominum dicta et facta, quae certe in Deum refundi non possunt. Quod praecepta attinet Apostolorum, quae in sacris litteris scripta sunt, discrimen faciendum est inter ea, quae a Christo ipsi acceperunt inter gentes evulganda, juxta illud, *baptizate omnes gentes, docentes eos servare omnia quaecunque mandavi vobis:* et ea quae ab Apostolis ecclesiam gubernantibus edita sunt. Haec proprie humana sunt et ecclesiastica, et quamvis maximae semper in ecclesia auctoritatis fuerint, mutationem tamen aut exceptionem patiuntur. Sic lex illa apostolica de abstinendo a sanguine et suffocato per ecclesiae potestatem abrogata fuit.

420. — Obj. IV. 1° Auctores sacri non afflatu divino ad scribendum excitati sunt, sed aliunde: nam S. Marcus a fidelibus temporis sui ad illud inductus est; S. Joannes ab Asiae episcopis; et S. Lucas aliorum, qui ante ipsum scripserant, exemplo. 2° Si inscribendo fuissent divina inspiratione adjuti, nullus ipsis fuisset in scribendo labor: atqui ingenue fatetur auctor lib. II. Machab. se negotium assumsisse *plenum vigiliarum et sudoris.* Ergo etc.

Resp. ad I. Divinam operationem non excludunt piae fidelium postulationes. Potest enim Spiritus S. ejusmodi vota in cordibus fidelium excitare, aut ipsi scriptori motiva suggerere, quibus potenter ad scribendum impellitur. Utrumque conjungit Clemens Alexandrinus apud Euseb.[1]), cum de Joanne scribit: *Ipse divino Spiritu afflatus evangelium familiarium suorum rogatu conscripsit.*

Ad II. neg. maj. Sicut gratia humanos conatus non excludit, ita nec inspiratio studium et laborem. Videbimus paragrapho sequente verborum delectum et structuram plerumque scriptorum sacrorum, imprimis historicorum industriae fuisse permissum.

SCHOLION.

421. — Etiamsi quaedam in scripturae codicibus hodiernis reperirentur, quae vix, aut ne vix quidem conciliari possent; nihil exinde probaretur contra divinam scripturarum originem. Non diffitemur, potuisse in sacros codices in levioribus quibusdam, quae ad fidem et salutem non pertinent, menda quaedam irrepere, ex amanuensium oscitantia, vel imperitia, quod et auctoribus profanis contingit, quin exinde operum auctoritas labefactetur. Illud jam pridem a S. *Augustino*[2]) observatum fuit: *Ibi* (in scripturis) ait, *si quid velut absurdum moverit, non licet dicere: auctor hujus libri non tenuit veritatem; sed aut codex mendosus, aut interpres erravit, aut tu non intelligis.*

§. II.

Qua ratione scriptura dici possit origine divina.

OBSERVANDA.

422. — I. Jam confutata est a nobis illa interpretum quorundam sententia, quae docet auctores sacros interdum lumine supernaturali fuisse destitutos, et spiritu humano scripsisse; ex quo illud quoque sequeretur,

1) Lib. VI. Histor. cap. XIV. 2) Lib. II. cont. Faustum. cap. V.

falsa quaedam in scripturis reperiri posse, et auctores aut fallere potuisse in quibusdam aut falli. Catholici ab hac opinione passim abhorrent, qua optime vident omnem scripturae vim minui et elevari auctoritatem. Verum quamvis in hoc consentientes sint, quod omnes scripturae partes divinas esse dicant, non eandem tamen habent sententiam circa hanc divinam scripturarum auctoritatem. Sunt qui docent, non tantum res et sententias, sed etiam singula verba, imo et apices verborum, stylum et sermonis texturam a Spiritu S. esse. Ita theologi Lovanienses et Duacenses in censuris anno 1588 contra Lessium aliosque editis. Protestantes, qui nullum fidei fundamentum praeter scripturam admittunt, olim passim in ea opinione fuerunt, singula quaeque verba a Spiritu S. dictata esse. Quid Sociniani et Arminiani, quid hodie protestantes sentiant, et quam longe a patrum suorum doctrina recesserint, jam ad §. I. notatum est.

423. — II. Anno 1586 Lessius et Hamelius e societate Jesu theologi sequentes propositiones propugnarunt: 1° Ut aliquid sit scriptura sacra, non est necessarium, singula ejus verba esse inspirata. 2° Non est necessarium, ut singulae veritates et sententiae sint immediate a Spiritu S. ipsi scriptori inspiratae. 3° Liber aliquis (qualis forte est Lib. II. Machabaeorum), humana industria sine assistentia Spiritu S. scriptus, si Spiritus S. postea testetur, ibi nihil esse falsum, efficitur scriptura sacra.

Hae propositiones a Duacensi et Lovaniensi academia damnatae sunt, quae tamen censura, utpote ex privatis affectibus nata, ab aliis universitatibus imprimis Parisiensi rejecta est. Duae priores propositiones, eo sensu intellectae, quo a Lessio expositae sunt, et sublata aequivocatione, nihil habent, quod non cum catholica doctrina optime cohaereat. Eandem sententiam, etiam post latam censuram propugnarunt celeberrimi inter catholicos interpretes *Bellarminus*, *Cornelius a Lapide*, *Bonfrerius*, *Calmetus*, *Amort*, *Holdenus* aliique, ita ut nostra aetate communis effecta sit. Quod autem postremam propositionem spectat, certum est, eam etiam deleta parenthesi, quae est de II. lib. Machab. defendi non posse, unde neque patronos invenit inter theologos catholicos.

424. — III. Ut autem ea, quae ad hanc quaestionem pertinent, probe intelligantur, observandum est, diversos distingui influxus divini gradus. Tribus praecipue modis potest concipi Spiritum S. sese cum sacris scriptoribus habere; *antecedenter* videlicet, quando sacer scriptor nihil de suo addit, sed, quae a Spiritu S. inspirata aut revelata sunt, scribit, ad eum modum, quo discipulus magistro dictante excipit, quae ab eo proferuntur: *concomitanter*, quando Deus modo quidem supernaturali ad scribendum concurrit, ita tamen ut nonnulla naturalibus scriptoris viribus relinquat. *Consequenter* se haberet Spiritus S., si illud, quod naturali prorsus ratione, absque Spiritus S. ope conscriptum esset, postmodum Spiritus S. approbaret nihilque in eo falsi contineri testaretur. Gradum inspirationis, qualis in quolibet auctore sacro fuerit, aut in qualibet scripturae parte, determinare non possumus; neque accurate definire, quid requiratur, et sufficiat, ut Spiritus S. possit dici auctor primarius scripturarum. *Antecedens* ille influxus, de quo diximus, non videtur ubique adfuisse, neque requiritur ad id, ut scriptura origine divina sit; *consequens* non sufficit; *concomitans* autem videtur et requiri, et sufficere. Verum in eo explicando non una mihi videtur theologorum sententia fuisse. *Bonfrerius* ait, Spiritum S. se habere *concomitanter* cum scriptore sacro, quando eum dirigit eo modo, quo quis alterum scribentem oculo dirigeret, ne in re

quapiam erraret. Hanc rationem quidam vocant *inspirationem directivam.* Melius *assistentiam directivam* dicerent; inspiratio enim adesse non potest, ubi scriptor sua tantum cogitata litteris consignat, nec quidquam aliud Spiritui S. relinquitur, quam ut scribenti invigilet, et eum non patiatur in scribendo errare. Hinc alii ad hanc inspirationem pertinere asserunt, ut Spiritus S. excitet auctorem ad scribendum, et in scribendo ei suggerat, ut haec potius scribat, quam illa, hunc potius sensum eligat quam illum.

PROPOSITIO I.

Scriptura sacra vere et proprie inspirata est.

425. — Prob. I. Illa in scripturis admittenda est inspiratio, sine qua non essent verbum Dei; atqui verbum Dei dici non possent, sine vera et proprie dicta inspiratione; id est, nisi Deus auctores sacros ad scribendum impulisset, eisque suggessisset, quid scriberent. Ergo etc.

Prob. II. Iisdem argumentis, quae priori paragrapho attulimus. II ad Timoth. III. expresse dicitur, omnem scripturam esse inspiratam, vel esse a Spiritu Dei. Ad Romanos III. scripturae vocantur *eloquia* Dei. Spiritus S. dicitur locutus per auctores sacros. Act. I, 16.: *Oportet impleri scripturam, quam praedixit Spiritus S. per os David.* Porro certum est Spiritum S. Apostolis promissum fuisse, ut eos *doceret omnia*, ut eis *suggereret omnia:* illis a Christo dictum Matth. X.: *Non vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Ex quo, ut supra ostendimus, necessaria consecutione deducitur, Apostolis etiam scribentibus ita adfuisse Spiritum S., ut illis suggereret, quae scriberent. — Haec omnia egregie evolvit et probat *Melchior Canus* lib. II. cap. XVIII.: „Ille docebit vos omnia, ait Christus, et suggeret vobis omnia, quaecunque dixero vobis; non supernaturalia modo, sed et naturalia suggeret, quae alias humano more scriberentur; *omnia*, inquit, *quaecunque dixi vobis.*“ Et paulo post: „Cum in secunda ad Corinth. epistola quaedam dixisset Apostolus, quae humano more ab ecclesiae praefecto dici possent, subjicit protinus: *an experimentum ejus quaeritis, qui in me loquitur Christus?*“ Circa veteris ecclesiae sensum nemini dubium manere poterit, qui antiquorum Patrum testimonia obtiter tantum perlegerit. Aliter enim, quam de vera et proprie dicta inspiratione intelligi non possunt. Vid. argum. III. prop. I. prioris paragraphi. *Schaeffer*, institut. scripturisticae, pag. 27. et seqq.

426. — Corollarium I. *Ergo scriptura non eo tantum sensu inspirata fuit, quod Spiritus S. auctores sacros inter scribendum direxerit, ne errarent.*

Prob. Haec sententia non admittit ubique proprie dictam inspirationem. Si Spiritus S. auctores sacros tantum ab errore immunes servasset; scriptura protegente quidem, sed non afflante Deo scripta esset et verba humana contineret, non divina; neque superioris esset ordinis, quam ecclesiae circa fidem definitiones: atqui tamen fatentur adversarii, ecclesiae circa fidem decreta non esse verbum Dei, ergo nec scriptura in hac sententia proprie verbum Dei vocari posset.

427. — Corollarium II. *Ad scripturam sacram non sufficit, ut postquam humano spiritu scripta fuit, Deus eam approbaverit.*

Prob. Juxta hanc sententiam scriptura non esset verbum Dei; ut enim aliquid verbum Dei dici possit, a Deo originem habeat necesse est; atqui scriptura, quam Deus tantummodo approbat tanquam erroris expertem, ab eo non proficiscitur et nonnisi humanae industriae opus est, ut per se patet. Ergo etc.

PROPOSITIO II.

Non omnia in scriptura sunt revelante Spiritu S. scripta; nec admittenda est inspiratio proprie dicta ad singula verba et styli modum.

428. — Prob. I. pars. 1° Revelatio stricte sumta est veritatis prius ignotae facta divinitus manifestatio: atqui haec scriptoribus sacris non semper fuit necessaria; quis enim dixerit, Moysi v. g. necessariam fuisse novam divinitusque factam manifestationem, dum refert Aegyptiacam servitutem, populi liberationem, prodigia etc., cum ipse testis oculatus et pars maxima horum fuerit?

2° Ipsi auctores sacri, ut sibi fidem concilient, non semper ad novam rerum revelationem confugiunt; sed alias assignant vias, quibus illa, quae scriberent, didicerunt. Sic S. Joannes epist. I. cap. I. ait: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus et manus nostrae contrectaverunt de verbo vitae, testamur et annuntiamus vobis.* S. Lucas in evangelii sui prooemio: *Sicut tradiderunt nobis qui ab initio ipsi viderunt et ministri fuerunt sermonis etc.* Auctor libri II Mach. cap. II.: *A Jasone Cyraenae quinque libris comprehensa tentavimus nos uno volumine breviare.* Ergo etc.

429. — Prob. II. pars. 1° Si verba singula essent a Spiritu S. inspirata et quasi dictata auctoribus sacris, cur auctor libri II. Mach. se excusat, si minus digne fuerit locutus? 2° Idem auctor sacer rem eandem alio hinc inde ordine narrat; ita Moyses decalogum Exod. XX. et Deuter. V. 3° Evangelistae illud, quod unico modo protulit Christus, varie referunt. Sic Matthaeus et Marcus habent: *Hic est sanguis meus novi testamenti;* Lucas et Paulus: *Hic calix novum testamentum est in meo sanguine.* 4° Eadem SS. Patrum sententia fuit. Sufficiat S. Augustinus, qui lib. II. de consensu evangeliorum cap. XXVIII. affirmat, in diversitate verborum, quibus usi sunt Evangelistae non aliud, quam sententiam loquentis esse requirendam, ne miseri aucupes verborum, apicibus quodammodo litterarum putemus ligandam esse veritatem.

Nota. Quamvis ad singula verba et verborum texturam necessaria non fuerit proprie dicta inspiratio; admittenda tamen est in his etiam specialis Spiritus S. assistentia, in quantum nempe necesse erat cavere, ne sacri scriptores vocibus uterentur sensui exprimendo minus aptis, et ne ineptarum vocum delectus rebus ac sententiis officeret.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

430. — Argum. I. Si Deus testatur, in aliquo libro, qui humano tantum spiritu conscriptus fuerat, nihil inesse falsi, ejusmodi scriptum merito habetur ut verbum Dei. Ergo haec consequens approbatio sufficit.

Resp. neg. ant. Ad summum esset verbum Dei improprie et quasi per adoptionem; non autem proprie, quales esse scripturas semper judicavit ecclesia. Certum tunc esset ex Dei testimonio, librum ejusmodi nihil nisi veri continere, sed liber ipse verbum Dei non esset.

431. — Argum. II. Auctoribus sacris ad omnia necessaria fuit revelatio. Ergo etc.

Prob. ant. 1° Omnia, quae in sacris litteris continentur, sunt objectum fidei; atqui nihil de fide esse potest, nisi sit revelatum. Ergo etc.

2° Auctores hagiographi semota revelatione discernere non potuissent ex pluribus factis, quaenam seligenda, et ex variis facti adjunctis, quaenam scribenda; ergo indirecta saltem revelatio ad omnia necessaria fuit.

Resp. ad I. dist. min. Nihil de fide esse potest, nisi sit revelatum aliquo modo, seu in sensu lato, *conc.* Nisi sit stricte revelatum, *neg.* Ut aliquid sit fide credendum, requiritur, ut sit

divinae auctoritati innixum; verum ad hoc sufficit inspiratio, quae sine aliqua revelatione cogitari non potest.

Ad II. Si illum Dei influxum alicui revelationem indirectam vocare placet, non repugnamus; neque enim de nomine litigandi animus est.

432. — Argum. III. Scripturae et Patres non patiuntur, stylum et vocum ordinem auctoribus attribui. Ergo etc.

Prob. ant. 1° Psal. XLIV. legitur: *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis.* Jerem. XXXVI. Baruch ait de Jeremia: *Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me sermones omnes istos, et ego scribebam.* 2° SS. Patres expressis verbis asserunt, unamquamque scripturae syllabam reconditos habere thesauros, sacros scriptores fuisse veluti Dei calamos, aut mera Dei instrumenta. Ita loquuntur *Chrysost.* hom. XVIII. in Gen., S. *Basilius* lib. de Spiritu S., *August.*, *Gregor. M.* aliique.

Resp. ad I. Etiamsi textus ex scriptura citati eum haberent sensum, quem adversarii volunt; nihil aliud sequeretur, quam Prophetis plerumque et res et verba a Spiritu S. fuisse revelata, quod nos quoque asserimus.

Ad II. Vel SS. Patres loquuntur de illis scripturae locis, in quibus prophetiae, vel mysteria, vel profundiores quaedam sententiae exprimuntur; aut voces considerant, non quoad sonum, sed quoad significationem. Cum autem dicunt scriptores sacros veluti calamos fuisse in manu Dei, nihil aliud significare volunt, quam eos omnia inspirante Deo scripsisse. Si Deus hominibus utitur tanquam instrumentis, id fit modo, qui naturae creaturarum rationalium convenit. Non cessat usus facultatum naturalium, sed speciali Dei influxu dirigitur ad finem a Deo intentum.

433. — Inst. Testibus Josepho et Philone constans fuit Judaeorum tum veterum, tum recentiorum traditio, quod singula scripturae verba a Deo fuerint inspirata. Ergo etc.

Resp. Veterum Judaeorum traditionem certo scire non possumus; nam quando dicitur, voces omnes inspiratas esse, saepe nihil aliud exprimitur, quam omnia esse inspirata, quae vocibus exprimuntur. Judaeorum recentiorum ineptias nihil moramur, qui etiam distortos calami ductus in suis codicibus ut divinos venerantur. Nec pluris facimus nugas Cabbalistarum, qui in singulis apicibus mysteria recondita rimantur.

ARTICULUS II.

De sacrarum scripturarum canone.

OBSERVANDA.

434. — I. *Canon* idem est ac regula. Quando de scripturis agitur, per canonem intelligitur collectio et catalogus librorum, qui tanquam sacri, et divinitus inspirati habentur. Dicitur *canon*, tum quia sacri codices fidei morumque regula sunt; tum quia ejusmodi catalogus auctoritate legitima confectus fidelibus tanquam regula dabatur, qua libros sacros ab aliis secernere poterant. Notandum est, quod liber aliquis sacer et divinus esse possit, quin sit canonicus. Ad primum sufficit, ut Deum auctorem habeat; ad secundum requiritur insuper, ut ab ecclesia proponatur tanquam a Deo inspiratus. Sic libri quidam tum V. tum N. T., quos deutero-canonicos vocamus, semper quidem divini fuerunt; at ut canonici non habebantur, nisi postquam ab ecclesia in canonem relati sunt.

435. — Nota est librorum sacrorum in *proto-canonicos* et *deutero-canonicos* distinctio; quinam libri tum V. tum N. T. ad primam, aut secundam classem pertineant, in Demonstratione Christiana dictum est. *Eusebius* eos partitur in ὁμολογουμένους *(sine controversia admissos)* et ἀντιλεγομένους *(in controversiam vocatos)*. Alia adhuc notanda est distinctio inter libros *canonicos*, *ecclesiasticos* et *apocryphos*. *Canonici* passim a Patribus vocabantur

illi, qui in canonem divinorum scriptorum relati erant; *ecclesiastici*, qui auctoritate ecclesiae in conventibus publice legebantur, etsi divini non essent, aut nondum in canone scripturarum dedicati. Vox *apocryphus* non eundem semper et apud omnes sensum habuit; ἀπόκρυφος idem est ac *occultus*, *absconditus*, ἀπὸ τοῦ ἀποκρύπτειν, quod est abscondere, celare. Hinc apocryphi primum vocabantur illi libri, qui occultam sapientiam continebant; Patres deinde hoc nomen saepe illis tribuerunt, quos tanquam suppositios habebant, et quos ecclesia, quia ab haereticis fabricati erant, et res falsas, aut saltem incertas et dubias continebant, a publicis usibus arcebat. Hinc *Ruffinus* in symbolo libros, qui in ecclesia legebantur, etsi in canone non essent, non tamen censet inter apocryphos. Alii tamen non raro sub apocryphorum nomine omnia illa comprehendunt, quae publicam ecclesiae auctoritatem non habebant, quia divina illorum origo propter aliquorum dissensionem adhuc quibusdam quasi tenebris tegebatur.

436. — III. Canon ecclesiae catholicae omnes libros tum *proto-* tum *deutero-canonicos* complectitur. Horum librorum indicem confecit concil. Trid. sess. IV. in decreto de canonicis scripturis. Concilium solemne hoc decretum emisit, non ut catholicorum dissidia conciliaret, aut anxios adhuc et dubios animos firmaret; unus tantum erat fixusque omnium ecclesiarum canon, sed ut antiquam et generalem totius ecclesiae doctrinam contra novatores stabiliret. Igitur adscripto librorum sacrorum indice sic concludit: *Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in ecclesia catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, anathema sit.*

437. — IV. Canon acatholicorum diversus est pro sectarum et temporum diversitate. Protestantes omnes libros deutero-canonicos V. T. e canone expungunt. Lutherus ejusque asseclae omnes quoque libros deutero-canonicos N. T. repudiant, nimirum epistolam ad Hebraeos, epistolas Jacobi et Judae, secundam Petri, secundam et tertiam Joannis et Apocalypsin. Contra vero Calvinistae hos omnes libros admittunt. Id tamen non omittendum, fixam non esse inter protestantes circa scripturarum canonem sententiam. Recentiores, qui inter ipsos orthodoxi vocantur, plerosque deutero-canonicos N. T. admittunt. Alii autem, quos heterodoxos merito appellant, plures etiam proto-canonicos rejiciunt. En quam male consultum sit religionis unitati in haereticorum coetibus! Non cessant illi scripturas appellare, tanquam unicam fidei regulam; at ex scripturis expungendum decernunt pro libitu, quaecunque cum eorum erroribus non consentiunt, aut quae fastidit carnalis et superba sapientia. Neque mirum videri debet id ab hominibus fieri, qui ecclesiae auctoritatem respuunt, et, sicut in aliis doctrinae punctis, sic etiam in statuendo scripturarum canone nihil certi fixique habent [1]).

---

1) Cf. D. *Wiest*, qui in opere maj. Tom. III. §§. 23 et 24. ostendit non dari inter protestantes uniformem de canone librorum sacrorum doctrinam; idque adductis testimoniis probat. In fine §. 24. haec verba leguntur protestantici auctoris *Bullingeri* (in lib. *fundamentum firmum.* Part. I. cap. I.): *Commovet vehemens et implacabilis dissensio non paucos, adeo ut animum veluti despondentes dicant, se posthac nihil amplius nisi quod ipsos libeat, crediturus.* En paucis verbis totum protestanticae religionis symbolum! En conclusionem ultimam, non temere effusam, sed ex protestantium principiis recte deductam! *Semleri* principium est, ex argumento libri dijudicandum esse, an divinus haberi possit, an non; neque divinam auctoritatem alicui libro attribui posse, cujus argumentum communem utilitatem non haberet, aut non esset omnibus intellectu facillimum. Haec

His nunc brevis annectenda est canonis historia.

Canon Judaeorum.

438. — Antiquissima erat apud Judaeos et ad ipsa reipublicae incunabula pertingens, illa sacrorum librorum collectio, quae *Pentateuchus* ideo vocabatur, quia quinque Moysis volumina continebat. An alius ante solutam captivitatem Babylonicam scripturarum canon confectus fuerit, valde incertum; permansit tamen in synagoga constans traditio, qua Judaei edocebantur, quinam inter libros illos, qui post Pentateuchum scripti fuerunt, ut divini habendi essent.

Statim post captivitatem Babylonicam sacros libros collectos, et in indice aliquo conscriptos fuisse, constans fert Judaeorum et Christianorum consensio. Communis quoque sententia est, Esdram hujus collectionis auctorem fuisse. Narrat enim Josephus lib. I. contra Appionem: „Hunc esse gentilium suorum morem, ut, si quae ingruant bella, pace demum composita veteres scripturae a superstitibus sacerdotibus recognoscantur, relegantur, et renoventur; nec unicuique de rebus sacris scripta in vulgus edere fas esse, sed Prophetis solum, qui Dei instinctu et praeterita et praesentia sciunt. Hinc duo solum et viginti sacra volumina, et ea sibi usquequaque consentanea gentem suam usurpare, veterem omnem anteacti temporis memoriam complexa, a Moysis usque temporibus, ad Artaxerxis Longimani aetatem scripta; ab hac vero aetate singula fuisse relata in litteras, sed eandem quam superiora fidem minime esse consecuta.“ Ex his liquet, tempore Artaxerxis editum fuisse canonem. Porro nemo occurrit, cui potiori jure hic canon adscribi debeat, quam Esdras, vir patriae antiquitatis, et sacrarum scripturarum longe peritissimus. *Scriba velox in lege Moysi*, ut Esdrae ipsius verbis utamur [1]); *scriba eruditus in sermonibus et praeceptis Domini et caeremoniis ejus in Israël.* Et ut in epistola compellatur ab Artaxerxe [2]): *Scriba legis Dei coeli doctissimus.* Hic ad instaurandum templum Domini ab Artaxerxe Jerosolymam missus est, atque ipse in numero est sacrorum auctorum. Ita tamen in hoc magno et difficili opere Esdram versatum fuisse credimus, ut omnia jussu et auctoritate magnae synagogae facta fuerint, quae conquirendorum et instaurandorum librorum sacrorum provinciam Esdrae demandaverat, et peracto labore, expensum opus comprobavit, et publico usui consecravit. Vid. *Huetii* propos. IV. de canone librorum sacrorum.

439. — Certum est, ut ait S. Hieronymus in prologo galeato, Esdram primum Chaldaicos characteres pro universa scriptura adhibuisse, cum usque ad id tempus iidem Samaritanorum et Hebraeorum characteres fuerint; et quomodo viginti duo elementa sunt, per quae scribimus hebraice, ita quoque scripturam in viginti duo volumina distinxisse. Quinam autem illi viginti duo libri fuerint, accurate definiri non potest. Josephus summatim tantum libros numerat; scilicet V. libros Moysis, XIII. Prophetas et IV. libros morales. *Melito Sardensis*, saeculi II. scriptor, *Origenes* et S. *Hieronymus* in prologo eosdem libros recensent, qui in nostris bibliis Hebraicis continentur, et quos *proto-canonicos* antiqui foederis appellamus; pro hac sententia stant etiam versiones Graecae LXX *Interpretum*, *Aquilae*, *Theo-*

regula, quae regula non est, cum rem cujuslibet arbitrio et intelligentiae permittat, mire tamen videtur ad protestantium systema accommodata; nam cum illi scripturam claram esse dicant, et intellectu facillimam, non video quid contra objici possit, si omne illud, quod communem utilitatem et obviam intelligentiam non habet, scriptura non sit.

1) I *Esdr.* VII, 6. 11. 2) Ibid. v. 12.

dotionis et Symmachi. Notandum tamen, quod Melito librum *Esther* omiserit. Origenes XII minores Prophetas praeteriit quidem; verum illud incogitanter factum fuisse ex eo liquet, quod ipse, antequam libros canonicos enumeret, viginti duos esse dicat; cum tamen omisso illo XII Prophetarum volumine nonnisi viginti et unus sint.

440. — Quaeritur nunc, quam ergo auctoritatem in antiqua synagoga habuerint libri, qui deutero-canonici dicuntur? Fatemur, eos in Judaeorum Palaestinorum canone nunquam fuisse. Hi siquidem religioni sibi duxerunt in canonem ab Esdra et magna synagoga divulgatum manus inferre, neque illis viginti duobus voluminibus aut addere aliquid, aut demere ausi sunt. Verum de his plura in responsionibus ad objecta. An Judaei Hellenistae eos in canonem suum retulerint, disputatur. Doctissimus *Turneminius* solidis argumentis probat *Hellenistas* et *Alexandrinos*, qui per totum late Orientem diffusi erant, omnes illos V. T. libros, quos catholici admittunt, sine discrimine pro canonicis habuisse.

Canon Christianorum.

441. — *Vetus testamentum.* Primi Christiani canonem librorum V. T. a Christo et Apostolis acceperunt, nec alium quam Judaei Hellenistae habebant, qui libros etiam deutero-canonicos inter hagiographos numerabant. Ex hoc Jesu Christi et Apostolorum testimonio orta est constans ecclesiae traditio, quae quidem aliquo tempore quasi obnubilata videbatur; sed mox disjectis tenebris per totum orbem clarior effulsit, per unaninem ecclesiarum consensum. Si qua inter Patres primorum saeculorum dissensio reperitur, ea exinde videtur ortum habuisse, quod nonnulli a primaeva Apostolorum traditione recedentes canonem illum secuti fuerint, quem Hebraei in Palaestina servabant, cujus rei fuit hujusmodi origo.

442. — *Melito* Sardensis episcopus, qui labente secundo ecclesiae saeculo floruit, primus discrimen posuit inter libros, qui in Christianorum conventibus legebantur. Nam cum scripturarum canonem debuisset ab ecclesia repetere, ipse in Palaestinam profectus Judaeos consuluit novumque librorum sacrorum canonem edidit, ad Hebraeorum canonem compositum; quamvis ne hunc quidem integrum adhibuerit, quia librum *Esther*, etsi a Judaeis receptum, plane omisit. Fecit Melitonis auctoritas, ut circa libros, quos ille catalogo suo haudquaquam adscripserat, controversiae nascerentur, et ansa praeberetur quibusdam dubitandi, an pro canonicis eos habere oporteret. Id tamen non obstitit, quominus illi ipsi libri, quos Melito omiserat, etiam in Orientis ecclesiis ut antea legerentur; hoc unum novo suo canone effecit, ut aliquid deinceps discriminis statueretur inter libros in canone Judaeorum contentos, et illos, qui ab eo aberant. Priores nempe, quorum divina origo nunquam in controversiam deducta, imo constanti et unanimi tum synagogae, tum ecclesiae auctoritate comprobata erat, praecaeteris aptiores habiti sunt, ad Judaeos, incredulos et haereticos revincendos.

443. — *Novum testamentum.* Ecclesia ab initio canonem librorum N. T. non habuit. Inde factum, ut aliquorum divino origo fuerit in dubium vocata. Verum quum pace ecclesiae reddita institui potuit diligentior disquisitio antiquae traditionis, quae in plerisque ecclesiis, imprimis in apostolicis vigebat, canon confectus est, qui praeter libros homologumenos etiam antilegomenos utriusque foederis complectebatur, et quem tanquam communi ecclesiarum traditioni consentaneum omnes receperunt ecclesiae.

444. — Eusebius hist. eccl. lib. III. cap. XXV. triplicis generis libros N. T. distinguit. Prima classis eos complec-

titur, quorum divina origo nunquam in dubium vocata fuit. Secunda illos, qui eundem ecclesiarum consensum non habebant, atque hi iterum duplicis generis erant. Alii, quorum auctoritas, quae aliquo tempore vacillare videbatur, postea totius ecclesiae consensu et auctoritate confirmata est; hique illi ipsi libri sunt, quos *deutero-canonicos* vocamus. Alii, qui quamvis a Patribus quibusdam ut divini citati, et a bonis auctoribus editi fuerint, et utilitatem etiam afferre possint legentibus, tamen inspecta propius traditionis regula, a canone exclusi sunt. Tales sunt *liber pastoris*, epist. S. *Barnabae*, epistolae duae S. *Clementis*. Tertia classis libros continet falsos, ab haereticis aut Rabbinis compositos, ac nomine scripturarum theopneustarum editos. Ad hanc classem pertinent plurima evangelia falsa, quae olim circumferebantur, acta Apostolorum nominibus inscripta, Apocalypses etc. Primum nunc agemus de canone in genere, tunc de libris deutero-canonicis veteris et novi testamenti.

§. I.

De canone in genere.

PROPOSITIO.

Canon catholicorum, sive concilii Tridentini legitimus est, et omnes, qui in illo continentur, libri, omnesque librorum partes ad sacras et divinas scripturas pertinent.

445. — Prob. I. Tota haec quaestio ecclesiae judicio decisa est; cumque in decursu judicii hujus infallibilitatem, etiam non considerata librorum deutero-canonicorum auctoritate, probabimus; nihil contra hunc argumentandi modum inferre possent protestantes. Attamen ne a stricto ordine, quem nobis proposuimus, aliquo modo discedamus, ita argumentum instituimus:

Concilium Trid. in texendo canone, orthodoxorum Patrum exempla secutum, nihil aliud decrevit, quam quod ex perpetua et communi traditione tota tenebat ecclesia. Ergo ejus judicium irreformabile est et nulli errori obnoxium. Ergo etc.

446. — Prob. I. ant. 1° Eosdem libros, quos canon Tridentinus habet, anno 397 in canonem suum retulit concilium Carthaginense III. ex 44 episcopis congregatum, cui etiam S. *Augustinus* interfuit. Canone XLVII. ita loquitur concilium: *Placuit, ut praeter scripturas canonicas nihil legatur sub nomine divinarum scripturarum; sunt autem canonicae scripturae etc.* Recensitis deinde sacris libris eodem ordine quo in nostra Vulgata habentur, ut ostendat se eam doctrinam ex traditione hausisse addit: *A Patribus ista accepimus, in ecclesia legenda.*

2° Cum ex votis Carthaginensis concilii index ad Occidentales episcopos delatus esset, ut ab illis, praecipue a Romano Pontifice confirmaretur; *Innocentius* I. eum suo et sedis apostolicae, imo et totius Occidentalis ecclesiae nomine approbavit, in epistola ad Exuperium episc. Tolosanum an 405. data, atque similiter doctrinam hanc ex traditione se hausisse ait. Quis autem dubitet, Romanam ecclesiam, cujus incorruptam in docendo puritatem et constantiam antiquissimi Patres agnoverunt, quae in hoc maximi momenti articulo tam constanter docuit, a SS. Petro et Paulo accepisse?

3° Eum librorum canonem recenset concilium Romanum anno 494. sub Gelasio Papa celebratum.

447. — 4° S. *August.* lib. XXII. de doctrina Christiana cap. VIII. positis ante regulis ad discernendas scripturas sacras, canonem subnectit, qui eosdem nec plures, nec pauciores libros complectitur, quam in concilio Trid. numerati sunt.

5° Quam generalis fuerit a primis saeculis ecclesiarum consensus circa libros deutero-canonicos, probatur ex antiqua versione Itala, quae Apostolorum fere temporibus confecta credi-

tur et a Latinis ecclesiis universaliter fuit usurpata. In illa versione omnes libri deutero-canonici inter divinas scripturas numerantur.

6⁰ Magnam his argumentis pondus accedit ex consensu ecclesiarum Orientalium, quae omnes eundem, ac concilium Trid., scripturarum canonem admittunt; quamvis inter eas reperiantur, quae a quinto jam saeculo ab ecclesia catholica scissae sunt; quales sunt Nestorianorum, Jacobitarum vel Eutychianorum sectae. In concilio, quod anno 692. Constantinopoli in Trullo habitum est, et cui quatuor Patriarchae cum plusquam CC episcopis Orientis adfuerunt, in numerum canonum Orientalis ecclesiae recepti quoque sunt canones conciliorum Carthaginensium, inter quos et ille continetur, quem superius citavimus. Quod autem ecclesia Orientalis in hac doctrina constanter permanserit, patet ex illa responsione, quam synodus Jerosolymitana anno 1672 sub Dositheo Patriarcha celebrata protestantibus dedit, qui Graecos ad partes suas trahere tentarunt. Numeratis scripturae libris iisdem, quos in Tridentini decreto legimus, addit synodus: *Hos omnes judicamus esse canonicos et sacram scripturam confitemur, quoniam eos tradidit antiqua consuetudo, seu magis ecclesia catholica.*

448. — Prob. II. consequentia. Principium, quod ecclesia in texendo scripturarum canone secuta est, certum est et infallibile. Nam cum ecclesia indefectibilis sit et imprimis ecclesia docens infallibilitatis praerogativa insignita fuerit a Christo, ut in parte prima probatum est; cumque certum sit, ecclesiam universam ante novatorum tempora circa librorum sacrorum canonem nihil aliud docuisse, quam quod a concilio Tridentino postmodum solemni decreto stabilitum est, sequitur canonem Tridentinum tanquam certam et infallibilem fidei regulam habendum.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

449. — Objiciunt I. *Contra argumenta in probationem allata.* 1⁰ Canon ex concilio Carthag. III. citatus illius concilii non est; nam in fine canonis ita legitur: *Hoc etiam fratri et consacerdoti nostro Bonifacio vel aliis earum partium episcopis innotescat.* At *Bonifacius* tempore illius concilii ecclesiae Romanae episcopus non fuit, sed *Siricius*. 2⁰ Decretum sub Gelasio in concilio Romano editum multis spurium videtur. 3⁰ Epist. Innocentii I. ad Exuperium dubiae est auctoritatis. Ergo etc.

Resp. ad I. Quae in objectione citantur, ad canonem 47. concilii Carthag. III. non pertinent; idque ex sequenti canone 48. manifeste colligitur, ubi consulendus dicitur *Siricius*, qui eo tempore Romae Pontifex erat. Notandum autem, canonem, quem in probationem adduximus, in illa collectione canonum Carthaginensium contineri, quae facta est a synodo Carthag. VI. anno 419. sub *Bonifacio* I. celebrata, cui S. Augustinus pariter interfuit. Hanc deinde collectionem non Occidens tantum, sed et Orientalis ecclesia recepit. Hinc probabile admodum est, additamentum illud concilii Carthaginensis VI. esse, et postmodum scriptoris vitio canoni concilii III. fuisse annexum.

Ad II. Decretum Gelasii Papae spurium esse, nemo unquam asserere ausus est. Objicit *Cavaeus*, illud a nonnullis Damaso attribui; sit ita: tanto erit antiquius et dignius veneratione.

Ad III. Celeberrima Innocentii I. epistola ad Exuperium in collectione Dionysii exigui, qui saeculi VI. scriptor fuit, continetur; et omnium eruditorum judicio genuina est.

450. — Inst. Nec canon concilii Carthaginensis, nec decretum Gelasii cum canone Trid. consentiunt; canon enim concilii Carthag. omittit librum *Baruch;* Gelasii canon unum tantum

Machabaeorum librum continet, omisso quoque libro *Baruch*. Ergo etc.

Resp. 1° Notum est, librum *Baruch* prioribus saeculis, sub nomine Jeremiae citatum fuisse; id inter alios testatur S. August. 2° Gelasius in decreto unum commemorat librum Machabaeorum, sicut unum librum Esdrae. Hunc morem Judaei in canone suo secuti sunt; ut videri potest in prologo galeato S. Hieronymi, qui cum libros hagiographos recenset, de libris Esdrae ita loquitur: *Octavus Esdras, qui et ipse similiter apud Graecos et Latinos in duos libros divisus est.*

451. — Obj. II. Antiquissimi Patres et scriptores ecclesiastici illos tantum libros tanquam divinos et canonicos habebant, qui in canone Esdrino descripti erant. Ergo etc.

Prob. 1° *Melito* episc. Sardensis, doctissimus saeculi II. scriptor, qui primus inter Patres catalogum librorum V. T. texuit, libros tantum protocanonicos recenset. 2° SS. Patres libris in Esdrae canone contentis passim majorem, ac caeteris auctoritatem attribuunt. 3° S. *Hieronymus* in prologo galeato ait, quidquid extra hos libros est in canone Esdrae contentos, *inter apocrypha esse ponendum.* Ergo etc.

Resp. ad I. *Nego consequent.* Melito scripturarum V. T. canonem a Judaeis accepit in Palaestina degentibus; ipse autem fatetur, suum scripturarum indicem ab Asiaticarum ecclesiarum traditione discrepare. Ergo Melito traditionis ecclesiasticae limites transiliit immoderatae critices licentia fecitque auctoritate sua, ut in Orientis ecclesiis dubia quaedam circa libros in canone Hebraeorum non contentos orirentur. Qua in re major sane, quam decuisset, ratio illius habita est; num quamvis doctrinae laude floruerit multumque scripserit, in errores tamen etiam non leves lapsus est; atque in ipso canone, quem texuit, novum errorem deprehendimus; quia librum Esther integrum omisit, quamvis in veteri canone contentum.

452. — Ad II. *Disting. anteced.* Majorem attribuunt auctoritatem externam, imprimis quando ipsis cum haereticis et Judaeis res erat; *conc.* Majorem attribuunt auctoritatem internam, et quando cum catholicis agebant; *nego.* Si Patres discrimen aliquod ponunt inter libros in canone Judaeorum adscriptos, et illos quos deutero-canonicos appellamus; hisque minorem prae illis auctoritatem attribuunt; non loquuntur de divina librorum origine, quam deutero-canonicis non abjudicabant, sed de illa auctoritate externa, quam scripturae ab ecclesia recipiunt; nam, uti jam observatum est, potest liber aliquis in se divinam habere auctoritatem, quamvis eam nondum habeat quoad nos; quia nondum aliquid certi ab ecclesia constitutum est. Ceterum, quod Patres cum Judaeis et haereticis disputantes libentius ad libros proto-canonicos appellaverint, id mirum videri non debet; an non idem et nobis accidit, quando cum protestantibus congrediendum est? Libentius enim argumenta ex illis libris desumimus, quorum divinam originem et ipsi admittunt. Quis ex eo concludet, minorem esse apud nos librorum deutero-canonicorum auctoritatem?

Ad III. Vox apocrypha, ut in praenotatis dictum est, saepe nihil aliud significat, quam opus, cujus canonicitas nondum extra omne dubium posita est. Quod S. Hieronymus scripturas V. T. etiam in canone Esdrino non contentas ut sacras habuerit, ex aliis ejus libris dignoscitur. Sic de libro Judith epist. LX. haec habet: *Ruth, Esther, Judith tantae gloriae sunt, ut sacris voluminibus nomina indiderint.* Librum Tobiae ex Hebraeo in Latinum vertit, et in praefatione ad eundem librum *Pharisaeos* vocare non dubitat, qui illum rejiciunt.

453. — Inst. Canon Apostolorum

84. in catalogo librorum sacrorum omittit libros *Tobiae*, *Judith* et *Ecclesiastici*. Iidem libri desunt in canone 60. concilii *Laodicensis* an. 370. celebrati, quod insuper libros Sapientiae, Baruch, Machabaeorum et Apocalypsin rejicit.

Resp. ad I. Quid de canonibus Apostolorum censendum sit, in historia juris can. dicitur. In decreto concilii Rom. sub Gelasio legitur: *Liber canonum Apostolorum apocryphus*. De canonis illius auctoritate ex eo judicare licet, quod tres libros Machabaeorum recenseat, et Clementis epistolas duas et ordinationes divinis libris accenseat.

Ad II. Concilium Laodicenum, quamvis excellentes de disciplina canones condiderit, tantae tamen auctoritatis non est, ut ecclesiae Romanae, imo et universalis ecclesiae traditioni officere possit. Provinciale tantum erat ex 22. Patribus constans. Cur omnes fere libros deutero-canonicos in catalogo omiserit nescimus. Verum id falso omnino asseritur, libros illos a concilio fuisse rejectos. Atque hoc in genere notandum est, argumenta adversariorum negativa tantum esse, nostra autem positiva. Nullibi dicitur, libros deutero-canonicos ad scripturas non pertinere; nullibi divinitas horum librorum impugnatur; mancus tantum erat quorundam Patrum, aut ecclesiarum particularium catalogus. Quod utique mirum videri non debet; difficillimum enim fuit, saeviente persecutione scripturae libros omnes per totam ecclesiam divulgare, aut ante artis typographicae inventionem numerum exemplariorum augere; neque tum scriptura integra in unum volumen compacta prodierat, sed sparsa erant singula volumina et separatim edita.

454. — Obj. III. Si primi fideles ex Apostolorum traditione sciverunt, libros deutero-canonicos V. T. divinae esse auctoritatis; si adeo consentientes in hoc habuerunt Judaeos, imprimis synagogas Graecas late per orbem diffusas; non intelligitur, cur illi libri non ubique et constanter tanquam divini habiti fuerint. Ergo etc.

Resp. I. neg. conseq. Plurima ejusmodi sunt, quae licet primitus revelata fuerint, et in traditione fundata, nihilominus postea a quibusdam Patribus vel ecclesiis in dubium vocata sunt, quin ejus rei ratio dari possit. Pauca iis imprimis saeculis scriptis consignata sunt; quae autem scripta fuerant, ut plurimum temporum injuria interierunt. Protestantes nobiscum admittunt doctrinam de valore baptismi ab haereticis collati, tanquam in revelatione fundatam; tamen plures doctissimi Patres eam impugnarunt.

Resp. II. nego antec. Quod libros attinet V. T., quos deutero-canonicos appellamus, notandum est, Judaeos sibi semper religioni duxisse in canonem ab Esdra divulgatum manus inferre. Quando itaque, evulgato jam hoc canone, detecti sunt libri *Baruch*, *Tobiae*, *Judith* et ampliores *Danielis* et *Estheris* codices; quando postmodum *Sapientiae* liber in lucem prodiit, et *Jesus filius Sirach* suum *Ecclesiasticum* scripsit, et auctores *librorum Machabaeoram* suos singuli libros ediderunt; magna quidem his scriptis exhibita est reverentia, attamen in canonem relati non sunt. Cujus rei ratio alia non fuit, quam quod, ut Josephus ait[1]), continua non fuerit Prophetarum successio; nam Prophetam expectabant Judaei, qui de librorum istorum divinitate decideret, eosque canoni divinorum librorum insereret. Quod autem Judaei nullo Prophetarum oraculo discere potuerunt, quia nullus ab eo tempore Propheta surrexit, id Christiani a Christo et Apostolis acceperunt, quorum testimonio librorum illorum divina origo extra omne dubium collata est. Unde postmodum leviores

1) Lib. I. contra Appionem.

illae controversiae ortae sint, quae apostolicam traditionem aliquo tempore in Oriente obnubilarunt, jam ostensum est.

455. — Inst. Si libri deutero-canonici N. T. genuinus essent Apostolorum foetus, eos ab his accepisset ecclesia; et nunquam potuisset esse dubio locus. Ergo etc.

Resp. Si libri deutero-canonici Apostolorum foetus non sunt, non intelligitur, quomodo potuerint in plurimis et insignioribus ecclesiis tanquam apostolici servari, tantamque sibi conciliare auctoritatem, ut tandem ab ecclesia universa in numero divinorum librorum collocarentur. Certe antiquissimorum Patrum testimonia et multarum ecclesiarum, imprimis Romanae, constans traditio argumentum positivum sunt, quod levibus quibusdam et negativis argumentis dilui non potest; praecipue cum rationes plures afferri possint, cur nutare aliquo tempore visa sit librorum istorum auctoritas. 1° Inter epistolas deutero-canonicas aliae breviores erant, et ad privatas tantum personas directae; inde factum est, ut multis particularibus ecclesiis diu ignotae manserint; aliae eo ipso, quod ad omnes ecclesias directae fuerint, ad nullam specialius pertinebant, ideo autographum diu delitescere potuit, vel etiam omnino interire. 2° Forsan Patres aliqui ideo anxii haerebant et dubii, quod in illis libris quaedam nimis obscura reperiebant, quae vel aliis canonicis scripturis repugnare videbantur, vel ab haereticis in malum sensum detorquebantur. 3° Hic quoque valent, quae supra diximus de modo evulgandi scripta ante typographiae inventionem. Neque collecti tunc habebantur libri etiam N. T., sed separatim editi. 4° In illa colluvie falsarum scripturarum, quae haeretici per omnes ecclesias spargebant, necessarium visum est Patribus, summam in secernendis sacris libris diligentiam adhibere; maluerunt enim dubitare de veris, quam periculo se exponere, falsa et ab haereticis conficta in locum assumere sacrarum scripturarum.

§. II.

De libris deutero-canonicis veteris testamenti.

PROPOSITIO.

Omnes libri V. T., qui deutero-canonici vocantur, divinae originis sunt.

456. — Prob. I. Omnes libri aut librorum partes, prout in nostra Vulgata editione habentur, pertinent ad canonem librorum sacrorum a concilio Tridentino promulgatum: atqui ille canon legitimus est et tanquam fidei regula admittendus, ut ex prop. praeced. patet. Ergo etc.

Prob. II. Certum est, libros V. T., quos deutero-canonicos appellamus, ante Christi et Apostolorum tempora a Judaeis in magno honore habitos fuisse; atque ideo tantum non eandem cum caeteris habuisse auctoritatem, quia Judaei Prophetarum judicium in re tanti momenti expectabant. Quod autem Judaei a Prophetis discere non poterant, quia ipsis fatentibus series Prophetarum defecerat, id ecclesia Christiana a Christo et Apostolis accepit; quod probatur tum ex eo, quod illi libri non secus ac protocanonici in evangeliis et scriptis apostolicis frequenter citentur; tum ex Patrum testimoniis, qui illos laudant tanquam sacros et divinos; tum ex traditione omnium fere ecclesiarum, imprimis Romanae, ac totius Occidentis, quae in accepta semel ab Apostolis doctrina nunquam titubarunt. Quantum autem haec Romanae ecclesiae traditio a primis saeculis pondus habuerit, ex testimonio constat antiquissimorum Patrum. Inter alios S. Irenaeus lib. III. scribit: *Traditione Romana ab Apostolis accepta et ad nos usque per Apostolorum traditionem continuata, omnes illos confundimus, qui conventus*

spurios et illegitimos celebrant. Ergo etc. Conf. *Huetium* in demonst. evangel. propos. IV. *Bellarm.* de verbo Dei lib. I. cap. VIII. et seq. Praeloquia *Bonfrerii* cap. III. tom. III. Menochii edit. Venet. pag. 5. etc. *Turneminii* dissertationem de libris deuterocan. V. T., eod. tom. III. Menoch. pag. 58. Opus maj. D. *Wiest.* tom. III. §. 313. etc.

457. — Nota. Aperta est etiam in hac parte mala fides protestantium, qui libros deutero-canonicos V. T. rejiciunt, quia in antiqua canone Judaeorum non reperiuntur, cui tamen inseri non poterant, quia vel scripti non erant, vel tum primum detecti, quando clausus erat canon et quasi sigillo magnae synagogae obsignatus. An non ridendos se aliquo modo praebent, cum veteri synagogae majorem in hoc genere auctoritatem tribuunt, quam ecclesiae a Christo institutae, cui scimus peculiarem Spiritus S. assistentiam a divino institutore promissam? Concilium Tridentinum, cum suum de canonicis scripturis decretum condidit, morem secutum est omnium, quae antea fuerant, conciliorum; ut nempe explorata fide totius per orbem dispersae ecclesiae, id retinendum et fide catholica credendum decerneret, quod jam a multis saeculis omnes ubique ecclesiae cum summa consensione tenebant.

Constituta nunc generatim canonis nostri auctoritate, opus non esset, de libris, qui in controversiam adducuntur, singillatim agere, ac quae contra singulos ab adversariis opponuntur discutere. Verum cum haec ad eruditionem sacram quam maxime pertineant, neque aliena sint ab instituto theologiae dogmaticae, non putavimus ab hac tractatione omnino abstinendum: sunt enim inter hos libros quidam, quos protestantes in odium magis catholici dogmatis, quam veritatis studio respuunt. Hic nempe quovis tempore extitit haereticorum genius, ut quidquid contrarium suo dogmati viderant, vel eraderent, vel etiam integre repudiarent.

ARGUMENTA CONTRARIA.

Liber Tobiae.

458. — Argum. I. Liber Tobiae ante Esdram scriptus est, ergo in canonem procul dubio relatus fuisset, si Esdras et synagoga divinam illi originem attribuissent.

Resp. neg. conseq. Ideo in canonem relatus non est, quia in remotissimis oris conscriptus in ea temporum calamitate Esdrae adhuc ignotus erat. Hunc librum S. Hieronymus ait[1]), a Judaeis inter hagiographa numeratum fuisse. Ipse eum ex Chaldaeo sermone in Latinum transtulit: *Melius esse judicans Pharisaeorum displicere judicio, et episcoporum jussionibus deservire.*

459. — Argum. II. Liber Tobiae multa continet, quae Spiritum S. auctorem habere non possunt, quia aut inter se, aut cum populi Israëlitici historia pugnant, aut aperte Asiaticas fabulas redolent. Huc imprimis pertinent, quae de Asmodaeo daemone narrantur, et de monstro illo aquatili, quod exivit ad devorandum Tobiam, et de singulari virtute, quae felli hujusce piscis et fumo cordis ejus attribuitur.

Resp. I. Sacra auctoritas hujus libri iis constat testimoniis, ut vix intelligatur, quomodo possit in dubium revocari. Ubi autem de hac divina auctoritate ex certis argumentis constat, ea difficultatibus quibusdam ex ipso libro petitis labefactari minime potest. Hinc contemni possent omnes adversariorum obtrectationes, quin veritas exinde quidquam pateretur. Advertant, quaeso, protestantes iisdem objectionibus ceteros quoque peti scripturae libros, de quorum auctori-

1) Praefat. in Tobiam.

tate inter omnes convenit Christianos, ne ipsis quidem evangeliis exceptis. Aut an haec forsan consecutio eos non deterret? Si ita res est, jam superfluum erit, ut de canone librorum sacrorum cum eis disputemus, cum ne proto-canonicorum quidem auctoritas sat firma illis sit et sacra.

460. — Resp. II. Diversas vias inierunt interpretes, ut ab his difficultatibus se expedirent. Quidam dicunt, omnia speciali et supernaturali providentia contigisse, neque quaerendam esse solutionem, ubi patet, Deum intervenisse omnipotenti auxilio. Alii, imprimis inter recentiores interpretes totam narrationem parabolam esse censent; vel historiam quidem quoad substantiam admittunt, librum autem, qualem nunc habemus, a recentiore Judaeo Hellenista ex commentariis ab utroque Tobia conscriptis exaratum dicunt, et fictionibus quibusdam pro temporum illorum genio exornatum. Ultro concedimus, ad prodigia recurrendum non esse, ubi alia argumenta suppetunt; neque prodigiorum obtentu omnem in enodandis difficultatibus laborem abjiciendum. Verum neque id diffitemur, liberiorem recentiorum quorundam interpretandi rationem nobis videri ab ecclesiae sensu valde discrepare, neque satis consulere scripturarum dignitati. Sed ista in genere dicta sufficiant. Argumenta adversariorum singillatim excussa et confutata habentur in optimis doctissimisque catholicorum interpretibus. Consulantur auctores jam citati, aliique maturioris et solidioris ingenii viri, qui sancta sancte tractare consueverunt. *Calmet*, in hunc librum. *Bible d'Avignon* tom. V. Préface sur le livre de Tobie. *Goldhagen* tom. II. introd. in script. pag. 135. *Bible vengée* tom. IV. pag. 276. etc.

Liber Judith.

461. — Objiciunt. Liber Judith dubiae admodum fidei fuit apud Judaeos et in vetere ecclesia. Praeterea quae in hoc libro gesta narrantur, cum temporum illorum historia conciliari non possunt. Ergo etc.

Resp. ad I. Quemadmodum ea, quae libri hujus auctoritatem impugnare videntur, eadem propemodum sunt, quae libro Tobiae objiciuntur; sic etiam iisdem fulcitur argumentis. Hieronymus in praefatione in hunc librum ait, eum apud Judaeos inter hagiographa legi. SS. Patres antiquissimi Juditham summis laudibus celebrant; imo ex S. Hieronymo discimus loco citato, synodum Nicaenam illum in numero sacrarum scripturarum computasse.

Resp. ad II. Non negamus, quosdam falsis, quae proposuere systematibus ansam dedisse adversariis, librum hunc impugnandi; verum hoc non libri, sed interpretum illorum vitium est. Si Bethuliae liberationem in annum 28. regis Manassis conjicimus, qui decimus tertius fuit Assaradonis, quem auctor libri Judith Nabuchodonosorem vocat; difficultates omnes evanescunt. Plura videri possunt apud interpretes. Si opponitur, in Graeco codice addi cap. V., quod eo tempore templum fuerit solo aequatum; id autem ante captivitatem Babylonicam non contigisse; respondetur 1° haec verba in Vulgata non legi. 2° Graecam phrasin: ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος, *templum Dei ipsorum factum est in solum*, vel *in pavimentum*, nihil aliud significare, quam templum fuisse profanatum, seu gentilium et impiorum pedibus conculcatum quasi commune solum. Ita habet versio Syriaca. Hoc autem non semel factum est, etiam templo non destructo (vid. lib. I. Machab.), atque imprimis tum quando Manasses captus est ab Assyriis et Babylonem deductus.

Liber Esther.

462. — Observ. Hujus quoque libri et auctor et scriptionis tempus in con-

troversiam veniunt, at multo magis dissentiunt eruditi in fingendo tempore rerum gestarum, quae in hoc libro narrantur. Octo ad minimum sententiae numerabantur, quas omnes examinare et discutere nimis longum esset. Tres tamen nobis videntur aliis et rationibus et auctoritatibus antecellere. 1. *Assuerum* Estheris alium non esse existimat, quam *Darium* Hystaspis filium, qui anno 3483 thronum Persarum conscendit; hanc sententiam inter alios defendit *Calmetus*, eique favet *Bossuetius*. 2. *Astyagen* nominat, proximum Cyri Persarum regis decessorem, qui a Xenophonte Cyaxares, a Daniele *Darius Medus* vocatur, et anno mundi 3468 mortuus creditur. Ita Turneminius in appendice ad praeloquia *Bonfrerii*. Vide *Goldhagen* introductionem in scripturam S. tom. II. pag. 188. 3. Quae magis videtur recentioribus interpretibus probari, historiam in tempora collocat *Xerxis Magni*, qui *Darii* filius fuit, et pater *Artaxerxis* Longimani. Hunc eundem esse contendit cum *Assuero* Estheris. Cf. *Janssens* hermeneutica sacra vol. I. *Dereser* heil. Schrift des alten Test. 2ten Theils 3ter Band.

463. — Objicitur. Septem postrema Estheris capita 1° in Hebraeo codice desunt. 2° Cum capitibus hujus libri hebraice extantibus pugnant. Ergo merito inter apocrypha ponuntur.

Resp. ad I. Probabile omnino est capita illa, quae nunc in Vulgata leguntur, ex Graeco translata, non secus atque alia Hebraico sermone fuisse exarata; textum autem Hebraicum casu aliquo interiisse. Haec certe *Origenis* sententia fuit[1]) viri rerum harum consultissimi. Idem ex *Josepho* colligitur, qui lib. X. cap. XII. Antiq. profitetur, libros a se ex Hebraico in Graecum tranferri nulla additione facta, aut diminutione; et tamen historiae suae intexuit ea, quae in Estheris appendice narrantur. Illa capita Theodotion in Graecum vertit, ergo in Hebraeis codicibus reperit. Patres porro tum Graeci tum Latini, qui Estheris volumen citarunt, nullum agnoverunt discrimen inter capita canonica et non canonica. Omnes veluti divinam scripturam habuerunt Estheris librum, qualis extabat in Graecis et Latinis bibliis, quae in ecclesiis legebantur.

Resp. ad II. neg. anteced. S. Hieronymus ad finem libri rejecit, quidquid in Hebraeo codice non legebatur. Verum tum in Graecis codicibus, tum in vetere Latina, quam S. Hieronymus Vulgatam appellat, omnia suo ordine collocata sunt, prout illud series historiae postulat; alia siquidem ad initium pertinent, alia in medio, alia in fine ponenda sunt, atque sic nulla erit in rerum narratione confusio. Ceterum, historicas et chronologicas tricas, quas adversarii contra septem ultima capita in medium afferunt, dissolvere sacrae scripturae interpretibus relinquimus. Id tantum hic protestantibus observandum putamus, virum inter ipsos doctissimum *Drusium*, hanc de librorum sacrorum auctoritate disputandi rationem valde improbare, et occasione quarundam in haec ipsa Estheris capita objectionum, sapientissimam hanc regulam statuere: „Quum a tempore, quo hi libri scripti sunt, distemus maxime, neque historiae tam remotorum saeculorum notitiam habeamus nisi obscurissimam, non licet nobis absque temeritate ob historicas aut chronologicas conjecturas illud rejicere, quod ab auctoribus, qui nobis proximiores fuere temporibus illis, receptum novimus, quin iis, quae nos morantur, difficultatibus deterrerentur."

Liber Sapientiae.

464. — Dicunt: Liber Sapientiae nec in Judaeorum canone habetur, neque in antiquissimis Christianorum catalo-

1) Epistola ad Julium Africanum.

gis. Incerti auctoris est, et, ut S. Hieronymus observat[1]), Graecam eloquentiam redolet; nihilominus auctor regem se nominat, multaque profert, quae Salomoni, nec ulli praeterea conveniunt. Atqui haec omnia cum divina libri origine conciliari non possunt. Ergo etc.

Resp. neg. min. Libri auctorem incertum esse ultro fatemur, neque quo tempore scriptus fuerit, accurate definiri potest. Id certum, auctorem Esdra recentiorem fuisse; hinc manifesta est ratio, cur in canone Esdrae non reperiatur. Auctor, qui forsan unus fuit ex LXX. interpretibus, stylum tantum operi contulisse videtur et phrasin Hellenisticam, librum autem ex Salomonis scriptionibus contexuisse; ita, ut compositio quidem et dictionis color esset Graeci auctoris, doctrina autem et sententiae Salomonis. Inde factum est, ut apud Graecos *Sapientia Salomonis* (σοφία Σολομώντος) inscriberetur, quem titulum olim etiam in ecclesia Latina habuit.

Quod dicitur, hunc librum in quibusdam Christianorum catalogis inscriptum non reperiri, nullius est momenti; scimus enim, unde error ille, aut suspensio Patrum aliquorum orta sit; neque paucorum catalogorum silentium probare quidquam potest contra universalem et perpetuam ecclesiae traditionem. Auctores N. T. plures ex hoc libro sententias usurparunt, et antiquissimi Patres eo tanquam divino usi sunt, non tantum, ut putat Hieronymus[2]), ad aedificationem fidelium, sed etiam ad auctoritatem ecclesiasticorum dogmatum; imo in ipso *Melitonis* catalogo tanti a protestantibus aestimato legitur, et ab *Eusebio* inter libros refertur omnium consensione firmatos. Cf. *Goldhagen* tom. II. N.° 169. et 170. Hieronymo praeclaras orbis ecclesias et multos alios magni nominis et antiquitatis Patres opponimus, imprimis S. Augustinum, cujus inter alia haec verba ex lib. de praedestinat. SS. cap. XIV. referunt *Bellarminus*[1]) et *Bossuetius*[2]): *Non debuit repudiari*, ait S. Doctor, *sententia libri Sapientiae, qui meruit in ecclesia Christi in gradu lectorum tam longa annositate recitari, atque ab omnibus Christianis, ab episcopis usque ad extremos laicos, fideles, poenitentes, catechumenos, cum veneratione divinae auctoritatis audiri.* Ac postea: *Oportet ut librum istum Sapientiae omnibus tractatoribus anteponant, quoniam eum sibi anteposuerunt, etiam temporibus proximis Apostolorum, egregii tractatores, qui eum testem adhibentes, nihil se adhibere, nisi divinum testimonium, crediderunt.*

1) Praef. in lib. Salom. 2) Praefat. citata.

Liber Ecclesiasticus.

465. — Nihil habent protestantes, quod divinae libri hujus auctoritati opponant, praeter ea, quae generatim contra libros deutero-canonicos objiciuntur. Ex prologo libri (qui tamen canonicam auctoritatem non habet) apparet, quod hebraice scriptus fuerit a Jesu filio Sirach seniore et ab alio Jesu, qui pariter filius Sirach dicitur, et prioris nepos, in Graecum translatus. Hebraeum suo adhuc tempore viderat S. *Hieronymus*, ut ex ejus in libros Salomonis praefatione discimus. „Latina nostra interpretatio, ut ait *Bossuetius*[3]), multum ab hodierno Graeco discrepat, atque omnino necesse est, alium interpreti lectum esse Graecum codicem, ac eum, quem nunc habemus. Graecus quidem codex simplicior et brevior, multi tamen loci sunt, in quibus haud dubie Vulgatae nostrae lectio sanior et ordinatior."

1) De verbo Dei lib. I. cap. XII. 2) Praefat. in lib. Sapient. edit. de Lebel tom. II. 3) Praefat. in Ecclesiast. tom. II. cit.

Ecclesiastici nomen Petrus *Annatus* [1]) ex eo derivat, quod libri, qui extra canonem versabantur, communi vocabulo Ecclesiastici vocati fuerint. Hoc deinde nomen, ait, libro filii Sirach mansisse, cum aliud speciale nomen non habuerit. Ab Hieronymo appellatur *Panaretos Jesu filii Sirach;* quo elogio passim a Graecis insignitur. Apud eosdem inscribitur: *Sapientia Jesu filii Sirach.*

Liber Baruch.

466. — Objiciunt. 1° S. Hieronym. praefat. in Jeremiam de hoc libro ait: *Librum Baruch notarii ejus* (Jeremiae), *qui apud Hebraeos nec legitur, nec habetur, praetermisimus.* Ob hanc etiam causam, cum reliquos omnes Prophetas suis commentariis illustrasset, in hunc nihil prorsus commentatus est. 2° Illum libellum nec Augustinus, nec Innocentius, nec Gelasius, nec concilium Carthaginense in numero librorum canonicorum supputarunt. Ergo etc.

Resp. ad I. Hieronymi sententia non potest praevalere contra totius ecclesiae auctoritatem. Fatetur ipse, prophetiam Baruch cum epistola Jeremiae ex LXX. interpretum editione legi in omnibus fere Graecis bibliis sui temporis. Si quid igitur durius scripsisse videtur, id ex ipsius Apologia II. in *Rufinum* benigne est interpretandum; ita enim ait: *Qui me criminatur stultum* (propter quaedam a me quasi suggillata) *se sycophantem probat: non enim, quid ipse sentirem, sed quid illi* (Hebraei) *contra nos dicere soleant, explicavi.*

Ad II. Jam observatum est, prophetiam Baruch tanquam partem Jeremiae fuisse a veteribus computatam; quod probatum multisque testimoniis antiquitatis roboratum invenies apud *Melchiorem Canum*, lib. II. de locis theol. cap. XI.

1) In apparat. lib. II. act. IV.

Partes Danielis deutero-canonicae.
Cap. XIII et XIV. cum oratione Azariae et trium puerorum cap. III.

467. — Objiciunt. Hymnus trium puerorum Daniel. III. hujusque lib. capita XIII. XIV. nullius apud Judaeos auctoritatis sunt, neque repugnat huic sententiae S. Hieron., uti videri potest in ejus praefat. in Daniel. et commentariis in hunc Prophetam. Ergo etc.

Respond. Quamvis partes illae Danielis, de quibus hic agitur, jam S. Hieronymi tempore in Hebraeo desiderarentur; dubitari tamen non potest, eos ad Danielis prophetiam pertinere, atque olim in Hebraeo extitisse. Unde enim eos accepissent LXX interpretes? Unde Aquila et Theodotion? Hujus interpretationem adoptavit ecclesia prae illa τῶν LXX, utpote melius ex Hebraico versam. Quod S. Hieronymum attinet, fatemur eum, cum de libris deutero-can. V. T. ageretur, durius subinde locutum esse. Humanum id est, et omnibus fere illis commune, qui Hebraicae linguae studia sua consecrant. Augent enim quantum possunt Hebraici textus et Hebraicorum codicum auctoritatem, ad studiorum ac laborum suorum commendationem. Caeterum attendendum est ad ea, quae de hoc Patre superius dicta sunt; neque illud praetermittendum, quod *Bellarminus* observat, S. Hieronymum ita scripsisse, quia nondum generale concilium de libris deutero-can. aliquid statuerat, excepto libro Judith, quem etiam postea recepit [1]).

Libri Machabaeorum.

468. — Observ. Eadem conciliorum et Pontificum decreta, idem ecclesiarum tum Graecae, tum Latinae consensus, quibus libri illi, de quibus hucusque egimus, nobis tanquam sacri designantur, etiam librorum duorum Machabaeicorum auctoritatem confirmant. Hos libros ut scripturam divi-

1) De verbo Dei lib. I. cap. X.

nam citant antiquissimi Patres, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Origenes*, *Ambrosius* quoque et *Hilarius* aliique plurimi; quin et ipse *Hieronymus* pluribus in locis. Vid. *Goldhagen* tom II. pag. 558. *Augustinus* lib. XVIII. de civitate Dei cap. XXXVI. ait: *Libros Machabaeorum non Judaei, sed ecclesia pro canonicis habet.* Protestantes multos enumerant errores et antilogias, quae in hisce libris, et praesertim in secundo detexisse sibi visi sunt. „In istum librum exasperati, verba sunt doctissimi *Turneminii* [1]), propter ea, quae de oratione pro mortuis in eo leguntur, nihil omisere, quo demerent ei auctoritatem suis erroribus infensissimam. Ne primus quidem eorum criticam effugit amarulentam. Eorum tamen disquisitiones nihil protulere, quod catholicis negotium facesseret; imo doctus quidam de protestantium numero *Albericus Gentilis*, infirmitatem ostendit argumentorum, quae suae sectae homines majori proponebant ostentatione."

§. III.

De libris deutero-canonicis novi testamenti.

PROPOSITIO.

Omnes libri deutero-canonici N. T. divinae originis sunt.

469. — Prob. I. *Argumento generali.* Omnes ii libri et partes librorum continentur in canone a concilio Trid. promúlgato; atqui canon ille legitimus est et certae atque infallibilis auctoritatis, ut §. I. probatum est. Ergo etc.

Probatur II. speciatim.

470. — I. *De epistola ad Hebraeos.* Canonicam hujus epistolae auctoritatem probat Patrum testimonium et unanimis ecclesiae consensus. Ac primum quidem, quod Graecos Patres attinet et totam Orientalem ecclesiam, res apud omnes in confesso est. *Illud dicendum est*, ait *Hieronymus* ad Dardanum, *hanc epistolam, quae inscribitur ad Hebraeos, non solum ab ecclesiis Orientalibus, sed ab omnibus retro ecclesiis et Graeci sermonis scriptoribus quasi Pauli Apostoli suscipi.* Quod ecclesiam Latinam attinet, non diffitemur, quorundam animos fuisse aliquamdiu suspensos; verum multo plures eam inter divinas scripturas computarunt et quidem ex antiquissimis Patribus, ut *Clemens Rom.* in epistola ad Corinth., quam Eusebius lib. III. hist. refert; S. *Irenaeus* cujus testimonium apud eundem Eusebium lib. V. legitur, *Tertullianus* in pluribus locis; quamvis eam videatur Barnabae attribuisse. His a IV. et V. saeculo adjungendi sunt *Hilarius*, *Ambrosius*, *Augustinus.* Illam inspecta proprius antiqua ecclesiae Romanae traditione in canonem retulit *Innocentius* I. et post eum *Gelasius.* Quinimo in conciliis oecumenicis *Ephesino* et *Chalcedonensi* approbati sunt anathematismi S. *Cyrilli Alexandrini*, quorum X. haec habet: *Pontificem et Apostolum confessionis nostrae factum esse Christum, divina scriptura commemorat.* Quae verba ex epistola ad Hebraeos desumta sunt. Omitto, quod Petrus in secunda epistola, quam ad Hebraeos direxit, hujus S. Pauli epistolae mentionem faciat cap. III. v. 15.: *Sicut et carissimus frater noster Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Hinc merito *Melchior Canus* concludit [1]), haereticum esse, epistolam ad Hebraeos inter canonicas non reponere; quoniam, qui ita sentit, adversatur definitioni omnium Pontificum et conciliorum sacros libros annumerantium.

II. *De epistolis Jacobi, Judae, secunda Petri, secunda et tertia Joannis.*

471. — De his epistolis quosdam olim dubitasse, an revera apostolicae

1) Tom. III. Menochii pag. 63.

1) Lib. II. cap. IX. concl. III.

essent, testis est Eusebius[1]), et D. Hieronymus[2]). Nobis certum est eas esse apostolicas et divinas; habent enim in divinae suae originis testimonium non tantum argumenta ea generalia quae §. I. produximus; sed alia plura, quae vel unam aliamve, vel omnes simul concernunt. — Vid. *Bellarm.* de verbo Dei lib. I. cap. XVIII. — Item Opus maj. D. *Wiest* Tom. III. pag. 588 etc. *Origenis* et S. *Hieronymi* testimonia mox videbimus.

III. *De Apocalypsi sancti Joannis.*

472. — *Apocalypsin* inter divinas scripturas numerant antiquissimi Patres *Justinus, Irenaeus, Melito* apud *Eusebium, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, Clemens Alexand.;* et siqui ea de re aliquamdiu dubitarunt, quia regno millenario Christi favere videbatur, omnis tamen brevi cessavit fluctuatio, neque a fine saeculi IV. quisquam reperitur dissensus inter ecclesias. Quamvis veterum Doctorum testimonia ad comprobandam librorum deutero-canonicorum auctoritatem, expressis verbis referre non patiatur hujus operis compendiaria brevitas; illud tamen Origenis, viri in scripturarum studio omnium versatissimi praetermittere non possumus, qui libros omnes deutero-canonicos N. T. ab Apostolis scriptos et divinos esse statuit. Huic aliud subjiciemus S. Hieronymi, ex ejus ad Paulinum epistola desumtum. — *Origenes* homil. VII. in Josue haec habet: *Sacerdotali tuba primus in suo evangelio Matthaeus increpuit: Marcus quoque et Lucas tubis suis sacerdotalibus cecinerunt. Petrus etiam duabus epistolarum suarum personuit tubis. Jacobus quoque et Judas. Addit nihilominus adhuc et Joannes tuba canere per epistolas suas et Apocalypsin, et Lucas Apostolorum gesta describens. Novissime autem et ille veniens, qui dixit: puto autem nos Deus novissimos Apostolos ostendit, et in XIV. epistolarum suarum fulminans tubis, muros Jericho et omnes idololatriae machinas et philosophorum dogmata usque ad fundamenta dejecit.* S. Hieronymi verba haec sunt: *Jacobus, Petrus, Joannes, Judas septem epistolas ediderunt, tam mysticas, quam succinctas et breves pariter ac longas: breves in verbis, longas in sententiis, ut rarus sit, qui non in earum lectione caecutiat. Apocalypsis Joannis tot habet sacramenta, quot verba etc.*

IV. *De partibus librorum deutero-canonicis.*

483. — I. Ultimum caput S. Marci aut saltem periocham illam capitis XVI. a versu 9. usque ad finem, partem esse evangelii a S. Marco scripti omnes fere manuscripti codices Graeci et Latini probant; omnes item versiones Orientales, Syriaca, Arabica etc. Illam agnoscunt *Irenaeus, Eusebius, Athanasius, Augustinus* aliique ex antiquissimis Patribus. Accedit usus ecclesiae, quae jam a multo tempore diebus festis resurrectionis et ascensionis ex hoc capite evangelium missae legit. Doctissimus D. *Millius* Anglus partis hujus authentiam solide vindicat ex Graecis codicibus.

II. Historia de sudore sanguineo Christi et Angeli apparitione, quae Luc. XXII. legitur, quamvis a quibusdam in dubium vocata fuerit, quia in aliquibus exemplaribus desiderabatur; tamen a praecipuis Patribus tanquam pars sacrae scripturae agnita fuit, atque ut talis semper habita ab ecclesia catholica.

III. Initium capitis VIII. Joan., quod historiam refert mulieris adulterae, tanquam genuinum S. Joannis opus et scripturam divinam habuerunt Patres antiquissimi, *Ammonius, Tatianus* in harmonia, *Athanasius* in synopsi, *Hieronymus, Ambrosius, Augustinus.* Reperitur in multis codicibus Graecis

1) Lib. III. hist. cap. 125.
2) Lib. de viris illustribus.

antiquissimis et melioris notae, quos *Millius* allegat. *Beza* ipse in adnotationibus ait: Ex vetustis nostris codicibus septemdecim, unus dumtaxat illam non habet. Plura apud interpretes et theologos jam citatos.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

474. — Objiciunt *contra epistolam ad Hebraeos.* 1⁰ Hieronymus ambigit, an haec ad Hebraeos epistola sit canonica; imo asserit, eam non recipi a Latinis. Id patet ex commentariis in Isaiam et Jeremiam; ex libro de viris illustribus in Cajo; ex ejus ad Paulinum epistola de sacrae scripturae studio, ubi haec habet: *Paulus Apostolus ad septem scripsit ecclesias; octava enim ad Hebraeos a plerisque extra numerum ponitur.* 2⁰ Haec epistola patrocinatur erroribus Montanistarum et Novatianorum, cap. VI. et X. 3⁰ Auctor ejusdem epistolae adstruit in arca fuisse urnam auream manna continentem, virgam Aaron et tabulas; at lib. III. Reg. cap. VIII. expresse dicitur, in arca nonnisi tabulas fuisse. Ergo etc.

475. — Resp. ad I. Etiamsi *Hieronymus* dubitasset, ait *Melchior Canus*[1]), non proinde nostram hanc certam indubitatamque fidem ambiguam efficere posset; sed negamus eum ancipitem id hoc habere sententiam. Nam ut innumera loca silentio praetereamus, quibus refert Hieronymus ex hac epistola nomine Pauli testimonia, ille profecto locus, quem in probatione citavimus ex epistola ad Dardanum de ejus sententia dubitare non sinit; cui et illud ipsum adjici potest, quod in catalogo de viris illustribus in *Paulo* ait. Tam parum ibi adversariis favet, ut potius nostram sententiam confirmet.

Ad II. Multi putant, hanc esse causam, cur epistola ad Hebraeos apud nonnullos Latinorum tertio et quarto saeculo in suspicionem venerit; quia Montanistae et Novatiani illis locis ad erroris sui patrocinium abutebantur. Sed facilis est responsio; 1⁰ de baptismo intelligi possunt, quae Apostolus habet in utroque loco; ita primum interpretatur S. *Ambros.* lib. II. de poenitentia, secundum S. *August.* in expos. inchoata epistolae ad Romanos. Vid. *Natal. Alexan.* saecul. III. dissert. 22. obj. 2. 2⁰ Vox ἀδύνατον per *valde difficile* reddi debet, quod et δύσκολον appellatur. *Richardus Simon* meminit antiquissimi codicis, qui Hieronymi aetatem superat in quo ἀδύνατον per *difficile* redditur.

Ad III. Apostolus scribere potuit urnam et virgam in arca fuisse, quia juxta arcam erant, vel cum arca in tabernaculo. Mos iste loquendi scripturae sacrae inusitatus non est. Rursum dici potest, illa post Salomonis tempora a sacerdotibus intra arcam cum tabulis posita fuisse, ut in secretiori essent tutiorique custodia; Paulus hujus rei non erat inscius, sicut nos sumus, qui Hebraeorum traditiones ignoramus. *Theophylactus* asserit, ita opinatos esse temporis sui Judaeos.

476. — Inst. I. Nisi haec epistola sit S. Pauli, non potest haberi ut canonica; atqui plurima probant eam S. Pauli non esse. Ergo etc.

Resp. I. neg. maj. Non interest, quis epistolae auctor sit, cum ex traditione et auctoritate ecclesiae constet eam esse canonicam. Plures sunt scripturae libri, quorum incerti sunt auctores. „Moleste fero, ait *Melchior Canus*[1]), quosdam in tam novam, ne dicam levem sententiam incidisse, ut epistolam ad Hebraeos esse Apostoli Pauli negaverint: sed id multo molestius, ut si Pauli non sit, protinus non sit canonica. Nam auctore incerto poterit epistola certo esse canonica.“

Resp. II. neg. min. Omnia pene monumenta antiquitatis, quae epistolae

1) De locis theolog. lib. II. cap. XI.

1) Loco citato.

canonicam auctoritatem probant, etiam probant eam esse Paulinam. Sed haec diffusius explicare nimis longum esset. Conf. *Natal. Alexand.* saecul. I. de lib. can. N. T. §. III. num. 16. obj. ult. et *Melchior Canus* lib. II. de locis theol. cap. XI.

477. — Inst. II. 1° Stylus hujus epistolae ab illo, quo aliae Pauli epistolae conscriptae sunt, longe diversus est. 2° Haec epistola Pauli nomen non refert, sicut caeterae ejus epistolae. 3° Cap. XIII. loquitur de Timothei liberatione, ad quem tamen secundam epistolam dederat, paucis ante obitum suum diebus, quin aliquam de ipsius captivitate mentionem faciat. Ergo etc.

Resp. ad I. Quod stylus hujus epistolae multo sit ornatior, quam aliarum S. Pauli epistolarum, ratio est, quia Paulus Hebraeus, Hebraeis hebraice scripsit, id est, eloquio suo disertissime. Origenes quidem apud Eusebium putat, *Lucam* aut *Clementem* exceptas a Paulo sententias graece scripsisse, sicque epistolam Graeco sermone fuisse compositam. Observant item critici, epistolam S. *Clementis* ad Corinthios cum hac ad Hebraeos et stylo et sensu valde consentire. Verum haec satis gravia non sunt, ut a communi sententia abeamus, quae hanc epistolam ait hebraice scriptam, et mox a *Luca*, vel si id magis placet, a S. *Clemente* Graeco idiomate eleganter expressam. Ita *Clemens Alexand.* et ipse *Eusebius* lib. VI. historiae opinantur. Neque id movere debet, quod textus V. T. secundum versionem LXX. interpretum citentur; nam *Clemens* aut alius quisque interpres, qui Graecis graece scripsit, potuit ex Graeco exemplari loca illa exscribere, quae Paulus Hebraeis scribens ex Hebraeo codice citaverat.

478. — Ad II. Conclude igitur, eam nullius esse; quia nullum auctoris nomen praefert. Causam hujus omissionis assignare nostrum non est; persuasum autem habemus Paulum id absque gravi ratione non egisse. Rationem S. *Hieronymus* in catalogo scriptorum ecclesiasticorum in *Paulo* affert: *Quia Paulus scribebat ad Hebraeos, propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputaverat.* Verum an non ex epistolae ejus initio tam grandi et magnifico legentibus statim apparet, Apostolum rerum, quas tractabat, magnitudine abreptum, omnes exordii aut tituli ambages transiliisse?

Ad III. Epistola ad Hebraeos communi calculo scripta est ante primam et secundam ad Timotheum. Ergo liberatio Timothei a vinculis contingere debuit, antequam Apostolus primam ad eum epistolam dedisset; quod illa quoque primae epistolae verba indicare videntur: *Certa bonum certamen fidei, apprehende vitam aeternam, in quam vocatus es, et confessus bonam confessionem coram multis testibus.*

479. — Objiciunt *contra epistolas Jacobi et Judae.* 1° Eusebius lib. II. hist. de Jacobi et Judae epistolis ait: *Sciendum est, quod a nonnullis non recipiantur.* 2° Auctor illius epistolae, quae Jacobi inscribitur, non videtur de numero Apostolorum fuisse; nam Apostolum se non nominat, et contra aliorum Apostolorum morem salutatione utitur mere profana: *Jacobus, Dei et D. N. J. C. servus, duodecim tribubus, quae sunt in dispersione, salutem.* 3° Auctor epistolae eo maxime spectasse videtur, ut ea, quae Paulus ad Romanos III. et alibi de fidei excellentia docuerat, confutaret. Ergo etc.

Resp. ad I. Eusebius ibidem subjicit: *Nos tamen scimus, etiam istas cum caeteris ab omnibus pene ecclesiis recipi.*

Ad II. Neque Paulus in epistolis ad Thessalonicenses, Philippenses et Philemonem se Apostolum nominat; neque Joannes in suis epistolis. Necesse igitur non est, tres admittere Jacobos; scilicet 1° *Jacobum Zebedaei,*

fratrem S. Joannis, qui major appellatur et cujus mors narratur Actor. XII. 2⁰ *Jacobum Alphaei*, qui et minor dicitur; et 3⁰ *Jacobum fratrem Domini*, Jerosolymorum episcopum cognomine Justum, qui auctor esset epistolae catholicae. Quamvis haec sententia *de tribus Jacobis* canonicam epistolae auctoritatem non tolleret, merito tamen ut minus bene fundata rejicitur. Vide *Goldhagen* tom. III. pag. 448.

Ad III. Epistolae scopus nullatenus est, contra Apostoli doctrinam pugnare, sed falsis interpretationibus occurrere eosque confutare, qui ea, quae Paulus de operibus legis dixerat, ad opera bona et pietatis ac charitatis exercitia extendebant. Idem sibi in epistolis suis proposuisse videntur SS. Petrus, Joannes et Judas.

480. — Objiciunt *contra epist. II. Petri.* 1⁰ Secundam Petri epistolam dubiae auctoritatis habuerunt *Origenes* apud Eusebium lib. VI. hist., et Eusebius ipse lib. III. cap. III. ubi ait: *Quae vero secunda appellatur, eam quidam inter sacros N. T. libros censitam non esse a majoribus accepimus.* 2⁰ Stylus ab illo primae epistolae multum differt. Ergo etc.

Resp. ad I. *Origenes* ibid. ait: *Unam epistolam reliquit* (S. Petrus), *de qua nemo dubitat; sed et secundam recipito.* Quibus verbis sententiam suam clare et imperative exprimit. Vide quae in prob. citata sunt. Eusebius ea quae refert, nullo argumento probat. Caeterum ipse sententiam suam satis clare exponit lib. III. c. XXV.; distinguit enim, ut jam observatum est, inter libros universim receptos, et illos, quibus contradicitur, et quos ideo *antilegomenos* vocat; et demum spurios. De secunda Petri epistola ait, eam ad spurios non pertinere, sed ad *antilegomenos*, id est eos, quibus divina auctoritas competit, licet ad tempus a quibusdam fuerit dubitatum.

Ad II. Argumentum hoc valde infirmum est. An tanta sit, ut quibusdam placet, styli differentia, nondum in confesso est, nec leviter credendum levissimis eruditorum conjectionibus. Caeterum nihil impedit, quominus illud concedamus adversariis, quod volunt, duas scilicet epistolas stylo inter se et charactere discrepare: verum an non eundem auctorem saepe contingit, non aliam modo, sed eandem quoque sententiam stylo scribere differenti? Aut an non cum S. Hieronymo concludere possumus, S. Petrum pro necessitate rerum diversis usum interpretibus?

481. — Objicitur *contra S. Judae epist.* Epistola *Judae* testimonium ~~re~~ refert ex libro Enoch apocrypho; item luctam Michaëlis Archangeli cum diabolo de Moysis corpore, quod ex alio libro spurio desumtum est. Ergo non potest esse a Deo inspirata.

Resp. nego consequent. Fatemur hanc epistolam, quam *Clemens Alexand., Origenes, Tertull.* aliique vetustissimi Patres magnis laudibus extulerunt, ab aliis tamen probatam non fuisse, *quia*, ut Hieronymus ait[1]), *de libro Henoch qui apocryphus est, assumit testimonium*, sed addit idem S. Doctor: *Tamen auctoritatem vetustate jam et usu meruit, ut inter scripturas sacras computetur.* Neque auctoritati hujus epistolae obesse possunt, quae ab ejus oppugnatoribus objiciuntur. Nam 1⁰ S. Judas prophetiam Henoch ex traditione habere potuit, quemadmodum et ea, quae de altercatione Michaëlis cum diabolo narrat. 2⁰ Nihil vetat, ut partes illas ex libris apocryphis excitasse credatur; non omnia, quae in libro apocrypho continentur, falsa sunt; et auctores sacri cum vera referunt, falsa non approbant.

482. — Objicitur *contra Apocalypsin sancti Joannis.* 1⁰ Teste Eusebio lib. III. cap. XXVIII., Cajus scriptor antiquissimus negat Apocalypsin esse librum divinum; et S. *Hieronymus* in epistola ad Dardanum testatur eam a

1) Catal. de scriptorib. eccles. in Juda.

Graecis non recipi. 2⁰ Graeci codices inscriptionem praeferunt: Ἀποκάλυψις Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου. Ergo non est Joannis Apostoli opus. 3⁰ Nemo hunc librum intelligit, ita ut potius ἐπικάλυψις seu occultatio vocari deberet, quam ἀποκάλυψις, quae est revelatio. 4⁰ Stylus hujus libri omnino differt ab illo S. Joannis Apostoli.

Resp. ad I. Unus aut alter scriptor, cui plures Graeci tempore D. *Hieronymi* adhaesisse videntur, nihil probat contra communiorem Patrum sententiam, ac demum ecclesiae universalis consensum. Neque enim credendum est, eam fuisse a Graecis omnibus reprobatam. *Nonnulli*, ait Eusebius lib. III. cap. XXV., *eam reprobant, alii vero certis et indubitatis scripturis adjudicant.* Ita Eusebius ipse censuit, ita *Dionysius Alexand.* et *Theophilus Alexand.* apud Euseb. lib. IV. et VII. Ita doctissimus inter Graecos Patres *Origenes;* ita postmodum *Athanasius* [1]), *Epiphanius* [2]) aliique.

Ad II. Nomen *theologi* S. Joanni optime convenit, eique passim a veteribus tribuitur.

Ad III. Quamvis multa sint in Apocalypsi obscura, et nonnisi conjecturis attingenda, quod etiam in aliis libris propheticis contingit: nihilominus plena sunt omnia praeceptis saluberrimis: ubique occurrunt magnificae Dei imagines, regni Christi descriptiones splendidissimae, terrifica divinae justitiae exempla, ac suavissima divinae benignitatis et specialis providentiae in fideles testimonia etc. Ergo revera Apocalypsis vocari potest seu revelatio futurorum, sed arcano aliquo modo per imagines et symbola proposita.

Ad IV. Quid mirum, si stylus dissimilis reperiretur, ubi tanta est in argumento dissimilitudo? Stylus propheticus multum differt ab historico vel dogmatico. Nihilominus etiam hoc novo exemplo videri potest, quam vana communiter sint ejusmodi argumenta ex styli dissimilitudine petita. Ubi aliqui, qui sibi emunctioris naris esse videntur, in hac styli differentia vim maximam collocant, ibi alii non minoris eruditionis viri stylum omnino similem vident, idque de Apocalypsi cum aliis S. Joannis scriptis comparata probarunt *Millius* et *Wolfius.*

1) In synopsi. 2) Haeres. LI. et LXXVI.

SCHOLION.

483. — Et haec quidem dixisse satis sit in hac compendiaria institutione. Ratio enim postulat, ut hujus controversiae faciamus finem. Ceterum, ut jam saepius observatum est, in hac causa cum magna eruditionis et ingenii laude versati sunt viri quam plurimi, qui scripturarum studium aggredientibus operam praestare poterunt bonam et tutam. Hos adire possunt candidati, atque ab iis petere, quae nostrae huic traditioni desunt [1]).

Quod scripturas attinet, quae in canone non sunt, de quibus autem olim dubitatum fuit, an essent in numero

1) Auctores plures jam supra nominavimus, cum de libris V. T. ageremus §. II. His addi debet vir illustrissimus et religiosissimus *Comes a Stolberg:* Geschichte der Religion Jesu, IV. Theil 2. Beilage: Ueber die göttliche Eingebung der deutero-kanonischen Bücher des alten Testaments etc. Porro plerique auctores, qui de libris deutero-can. V. T. scripserunt, agunt etiam de N. T. libris. Inter alios *Bellarm.* de verbo Dei lib. I. cap. XVII. et seq. *Bonfrerius* in praeloquiis. *Wiest* Tom. III. §. 313. *Calmet.* in Commentariis. *Goldhagen* Tom. III. Sed hi omnes jam immenso quodam intervallo distare videntur ab hac nostra aetate, quae stupendos suos in omni re litteraria progressus non per saecula, sed per decennia numerat. Sunt etiam recentiores viri catholici non pauci, qui scripturae studium cum magna laude excoluerunt. Quamvis aliqui, cum ad dejicienda modernae exegesis consilia, artesque pugnandi novas et multiplices destruendas, eam disserendi methodum adhibuerunt, quae ipsis videbatur tempori magis accommodata, etiam ex saeculi vitio aliquid contraxisse videantur.

scripturarum divinarum habendae, ad ea remittimus, quae jam in Demonstratione Christiana brevitatis causa brevissime diximus, aut potius ad eos auctores, quos ibi indicavimus, quibus addi possunt *Bellarmin.* de verbo Dei lib. I. cap. ultimo. *Natal. Alexand.* hist. eccl. saeculo I. cap. XII. art. I. item articuli II. §. VI. tum art. III. et seq.

ARTICULUS III.

De scripturarum sensu.

OBSERVANDA.

484. — I. Duplex distinguendus est scripturarum auctor, homo scribens et Deus inspirans; sensus igitur scripturae compositus est; Dei enim sensum continet et auctoris. Sensus scribentis non potest sensui divino contradicere; potest tamen sensus Dei inspirantis illo, quem auctor habuit, longe esse fecundior, sicque in sacris litteris contineri sensus, quem scriptor sacer non cognovit, nec exprimere intendit. In exemplum adducitur illud Exodi XII, 46.: *Nec os illius confringetis*, comparatum cum Joan. XIX, 36.

485. — II. Duplex scripturae sensus passim assignari solet; *litteralis*, qui alio nomine *historicus* appellatur, et *mysticus*, quem etiam *spiritualem* vocant. Sensus litteralis ille est, quem verba menti proxime subjiciunt, sive propria illa sunt, sive translata. Hinc sensus litteralis iterum dividitur in *proprium*, quem voces proprie et naturaliter significant, et *improprium*, *tropicum* aut *metaphoricum*, cum verba ex propria significatione in aliam mutantur. Hoc modo dicendi in omni sermone frequenter utimur, tum propter necessitatem, tum propter ornatum et virtutem orationis. In scriptura sacra infinitae prope sunt ejusmodi figuratae et metaphoricae dictiones; ut cum Deo manus, pedes, oculi tribuuntur. Ut et ista: *Vicit leo de tribu Juda . . . Ego sum vitis, vos palmites* et sexcenta alia. Quibus autem signis propria locutio ab impropria vel tropica secerni possit, pluribus explicat *August.* lib. III. de doctrina Christiana. Summa huc redit, illud esse improprie accipiendum, quod, si proprie ut verba sonant intelligeretur, aut sensum nullum efficeret, aut absurdum; quemadmodum et illud omne, quod cum morum honestate, aut fidei veritatibus pugnaret. Sic cum Matth. III. de Christo dicitur: *Cujus ventilabrum in manu sua et permundabit aream suam.* Item Matth. XIX.: *Sunt eunuchi, qui se ipsos castraverunt, propter regnum coelorum . . .* et alibi: *Attendite a fermento Pharisaeorum.* Clarum est, sensum horum locorum litteralem esse eum, quem verba metaphorice et tropice sumta significant.

486. — III. Sensus mysticus ille est, qui non verbis ipsis, sed rebus per verba significatis indicatur. Exemplum habetur in epist. ad Galat. cap. IV, 22. Hic sensus etiam *typicus* vocatur, quia res sensu litterali expressa illius quae per sensum mysticum indicatur *typus*, *figura*, seu *imago* est. Unde illa *typus*, haec *antitypus* vocatur. Differt hic sensus a litterali, quod non statim per verba intelligi possit, sed supposito sensu litterali, ex eo et rebus per eum significatis tanquam inclusus eruatur. Pulchre illud explicant *Hieronym.*[1]), et *Gregor M.*[2]). Scriptura, ajunt, est liber scriptus intus et foris, idemque, ut in Apocalypsi dicitur[3]), signatus. Est autem, ut ait Gregorius, intus scriptus per allegoriam, foris per historiam; intus per spiritualem intellectum, foris autem per sensum litterae simplicem.

487. — IV. Triplex iterum sensus mysticus distingui solet, *allegoricus*, *tropologicus* sive *moralis* et *anagogicus*. *Allegoricus* est, cum res veteris

1) Ad II. Ezech. 2) Homil. IX. in Ezech. 3) Cap. V, 1.

testamenti ad Christum aut ad ecclesiam referuntur. Multa ejusmodi in veteri testamento habentur, ubi *omnia*, ut ait Apostolus [1]), *in figuris contingebant*. Exemplum habes ad *Galat.* IV.: *Abraham duos filios habuit* etc. *Quae sunt per allegoriam dicta.* Sensus *tropologicus* ad mores spectat, ita dicitur a τρόπος, *modus, mores.* Vide Deuteron. XXV, 4. collatum cum I. ad Corinth. IX, 9. *Anagogicus*, ab ἀνάγειν *sursum ducere*, ea quae in hac vita geruntur aut dicuntur, ad aeternam refert et futuram. Sic Apostolus, quae Propheta dixit de terra promissa Ps. 94, 11. ad coelestem patriam transtulit ad Hebraeos IV. Omnes isti sensus una cum litterali hoc qualicunque versiculo comprehendi solent:

Littera gesta docet, quid credas allegoria,
Moralis quid agas, quo tendas anagogia.

Notandum tamen, Patres non semper tam accurate hos sensus distinguere, sed subin sub allegoriae nomine omnem sensum mysticum comprehendere.

488. — V. Pauca nunc de sensu illo dicenda sunt, quem *parabolicum* dicunt. Magnus est in scripturis parabolarum usus, sed nullibi magis quam in evangeliis. Valet autem hic docendi modus non tantum ad tegendam aliquo modo veritatem, quam directe et dilucide prolatam homines prave dispositi ferre non possent; sed etiam et multo frequentius ad rem illustrandam, ad acuendum discendi studium, et ut ea, quae fictionum involucris teguntur, cum explicantur, altius in animo infixa maneant. Quaerunt interpretes an parabolae ad sensum mysticum pertineant, an ad proprium, an ad improprium, seu metaphoricum? Quaestio haec neque magni momenti est, nec solvendo adeo difficilis. Parabola nihil aliud est, quam oratio a simili deducta. Metaphora autem, cum in similitudinem resolvitur, tropus esse cessat; unde sequitur parabolam ad tropicum sensum non pertinere, sed ad litteralem proprium.

489. — VI. Sensus, quem *accommodatitium* vocant, proprie scripturae sensus non est, quia in contextu litterae non continetur, neque mysticam significationem exprimit, a Spiritu S. intentam; sed humani tantum ingenii foetus est; et in eo consistit, quod verba aut facta scripturae propter quandam similitudinem ad aliquid aliud accommodentur, quod proprie non significant, neque significare debent. In officiis de sanctis multa occurrunt hujusmodi accommodationis exempla, frequenter etiam ea utuntur SS. Patres et oratores sacri.

Quae in hac quaestione examinanda veniunt, quinque paragraphis complectemur. 1. Erit de sensu mystico et accommodatitio. 2. Inquiret, an plures litterales sensus in eodem scripturae loco dentur. 3. Regulas tradet in investigando scripturae sensu observandas. 4. Quaedam adjiciet de studii hermeneutici subsidiis. 5. Novum accommodationis systema examinabit a recentioribus quibusdam propositum.

§. I.

De sensu mystico et accommodatitio.

OBSERVANDA.

490. — I. Divisionem in sensum litteralem et mysticum aut spiritualem explodunt omnes fere novarum haeresum sectatores, neque alium esse scripturae sensum praeter litteralem pertendunt. Ad hos propius, quam par esset, quidam ex catholicis accedunt, profani rerum sacrarum tractatores, quos crederes nihil vehementius reformidare, quam nequid habere videantur illius coelestis et divinae sapientiae, quam omnes sacrae scripturae paginae spirant. Litterae, cortici, quid dicam? carnali suae scientiae unice inhaerentes, doctissimos viros, ipsosque SS. Patres vilipendunt ignobili

1) 1 *Cor.* X, 11.

jactantia, neque intelligentes, neque intelligere valentes, quanto ab ipsorum sicut sanctitate, ita et doctrina intervallo distent.

491. — II. Cum autem illam quorundam sententiam arguimus nec veram nec piam, quae nihil putat in scripturis contineri et significari, praeter id, quod verba ipsa exprimunt: absit, ut in contrarium errorem incurramus, et nimium indulgeamus allegoriis ac mysticis interpretationibus, relicto aut saltem neglecto litterali sensu; quo fit, ut cum ubique abscondita mysteria quaerimus, non veritatem ex scripturis eruamus, sed errores nostros mentisque excessus in eam inferamus. Non diffitemur, plures scripturae interpretes in hunc errorem lapsos esse, idque adeo aliquibus ex antiquissimis Patribus vitio verti, quod nimii fuerint in sectandis allegoriis. Verum de his plura dicendi occasio occurret, cum ad argumenta adversariorum respondebimus. Quod theologos attinet posteriorum temporum, qui Patrum exemplum male imitati omnem in hac parte modum egressi sunt, et ad explicationem etiam et probationem dogmatum non raro interpretationes ejusmodi adhibuerunt ex ingenio confictas; nolumus nos eorum patrocinium suscipere. Erat is temporum illorum gustus. Homines disputationibus et subtilitatibus innutriti, quae simplicia et naturalia erant, fastidiebant, et cum nullam haberent linguarum originalium notitiam, aliisque subsidiis carerent, quae ad eruendum sensum litteralem requiruntur, maluerunt eam interpretationis methodum experiri, quae plus acuminis habet et subtilitatis, quam litterarum et doctrinae.

492. — III. Attamen non est cur hoc Patrum quorundam aut interpretum catholicorum in aucupandis mysteriis studium tantopere criminentur protestantes, ac si hac interpretandi ratione corrupta fuisset antiqua fides et humani ingenii figmentis adulterata. Nam ne quid ex fidei deposito depereat aut corrumpatur, in ecclesia catholica cautum est. Non ita apud eos, qui in explicandis scripturis proprio tantum sensu ducuntur, et impudenter genio suo indulgent. Haec praevie attigisse sufficiat.

493. — IV. Pauca nunc de illo interpretandi genere dicenda sunt, quod apud Judaeos invaluit, pleno, ut plurimum superstitionis, vanitatis et nugarum. Vocatur autem *Cabala*, quae vox a radice קִבֵּל *(kabal)* desumta est, et idem significat ac *receptio*. Huic ut correlativum respondet *traditio*, quam Hebraei *Masora* nominant. *Cabala* in genere definiri potest: *Arcanorum et reconditorum sacrae scripturae mysteriorum per manus tradita receptaque notitia.*

Hujus vero Cabalae species numerantur tres a *Galatino*, *Sixto Senensi*, *Bonfrerio* etc. Prima quam probam vocat *Bonfrerius* [1]) Judaeis ante Christum propriam fuisse dicunt. Continet vero mysticam et secretam scripturae expositionem, non scriptam, sed ore traditam. Hanc volunt Moysen primum a Deo in monte Sinai accepisse, ea lege, ut eam scriptis non consignaret, neque rudi populo aperiret, sed senioribus tantum et sapientioribus, qui ea, quae ore acceperunt aliis iterum idoneis viris viva voce traderent; et sic deinceps perpetua serie. Patet ergo hanc Cabalam magnam habere cum mystica nostra scripturae expositione affinitatem: quamvis modus tradendi sensus mysticos in Cabala multum differat ab eo, quem scriptores N. T. et Patres ecclesiae orthodoxi servarunt. Hi sensus mysticos tradunt verbis apertis et planis, ut siquis non intelligat, tota obscuritas ex objecti et materiae sublimitate nascatur, non ex tradendi modo. At cabalistica disciplina tota symbolica est et aenigma-

1) Praeloquia in sacr. scriptur. cap. XXI.

tica, non multum ab ea methodo distans, quam Pythagoraei secuti sunt aut chemici doctores, qui artis suae arcana verborum involucris involvere consueverunt. In exemplum sit haec unica propositio, quam *Picus* Mirandolae comes Romae publicae defensioni subjecit: *Cum fiet lux speculi non lucentis sicut speculi lucentis, erit nox sicut dies, ut dixit David.*

494. — V. Alia species Cabalae recentiorum Judaeorum est plena nugis et superstitionibus. Haec Cabala in litteris, punctis et accentibus, et scripturae verbis ludit; et vel resolvendo litteras, vel transponendo, vel unam cum alia commutando, vel figuram, aut vim illarum arithmeticam, aliudve simile attendendo diversos sensus, et arcanas intelligentias extundit. In multis fere similis est anagrammatum et logogryphorum artificio. Si quaeritur, quid sentiendum sit de hac arte interpretandi, non possumus diu suspensi haerere; nam quamvis ea innocenter uti quis posset, aut etiam pias sententias ex scripturis hoc artificio elicere; universim tamen parum utilitatis habet, imo periculi et fallaciae quam plurimum. Scilicet malesanis mentibus latissimum campum aperit, quidquid velint insulse saepe et irreligiose ex scripturis eruendi. Ex hoc fonte manarunt tot Hebraeorum in Christum et religionem plenae impietatis blasphemiae, et impia haereticorum, imprimis Valentinianorum et Gnosticorum somnia.

495. — VI. Tertia denique species, quam practicam vocant, ea est, quae praecedentium Cabalarum secretis et mysteriis utitur; sed ad usum impium et sacrilegum, nihil aut parum a *necromantia* distans. Explicat enim, ut ait Sixtus Senensis bibliothecae lib. II. secreta Dei nomina, ipsorumque virtutes occultas, quibus ad ligandos daemones, et ad praestigia facienda necromantici nonnulli apud Judaeos utuntur, asserentes Christum hujus artis ope miracula sua eddisse. Consuli possunt *Huetius* prop. IX. cap. XXXIX. *Bonfrerius* praeloquia toto cap. XXI. *Bible d'Avignon* tom. V. dissert. IV. sur Esdras [1]).

PROPOSITIO I.

In multis scripturae locis praeter sensum litteralem admittendus est mysticus.

496. — Probatur I. Christus et Apostoli interpretatione mystica ipsi usi sunt, huncque sensum adhibuerunt tanquam sensum a Spiritu S. intentum. Ergo etc.

Prob. ant. Christus cum Nicodemo de sua in cruce exaltatione loquens, eam per serpentem a Moyse erectum

---

1) Mirum, de hac interpretandi ratione inter alios scripsisse viros duos doctissimos et celeberrimos, *Picum de Mirandola* et *Reuchlinum,* qui alio nomine *Capnion* vocatur. Hodie Cabala vix nomine tenus nota est; satius enim visum est, ad sensus litteralis cognitionem applicare animum, quam in litteris et apicibus mysteria sectari, et in vana, infructuosa, imo et periculosa arte operam ponere. Judaei, cum miracula Christi negare non possent, non minus ridicule, quam impie blasphemabant, eum miracula perfecisse per nomen Dei Tetragrammaton. Totam hanc fabulam in gratiam candidatorum ex *Huetio* (propos. IX. cap. XXXIX. n. V.) exscribimus: „Pervulgata est et ab aliis jam obtrita Rabbinorum quorundam de Christo Jesu fabula, quae nec a nobis sileri debet. Narrant Helenae reginae temporibus in Hierosolymitano templo extitisse lapidem, cui olim arca imponi solita fuerat, in eoque descriptum fuisse nomen Dei propriis elementis expressum; cujus ea vis erat, ut quicunque illud didicisset, omnium prodigiorum potens esset. Veritos ergo sapientes, ne quis ea facultate abuteretur, canes aereos portae custodes apposuisse, qui hac arte fuerant fabricati, ut siquis memoriae mandato nomine pararet exire, magnis eorum territus latratibus sacri nominis obliviscerentur. Horum igitur gnarum Jesum descripsisse nomen in membrana, eamque vulnere deinde facto cruri insuisse; sicque egressum templo membrana extracta oblitum nomen iterum didicisse, et ejus ope tot deinde prodigialis virtutis opera edidisse."

praefiguratam fuisse affirmat Joan. III.: *Sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis.* Matthaei XII. ostendit se fuisse in Jona Propheta figuratum. Joannes cap. XIX. in Christo impleta fuisse ait, quae Exod. XII. de agno paschali dicuntur: *Os non comminuetis ex eo.* In Apostoli scriptis nihil frequentius occurrit, quam ejusmodi mysticae explicationes. Sufficiat locus ex I. ad Corinth. IX, 9. ubi in sensu tropologico sive morali explicantur verba ex Deuteron. XXV.: *Non alligabis os bovi trituranti.*

Argum. Sensus, quem Christus et Apostoli pluribus scripturae locis attribuunt, non est mere accommodatitius, nec purum argumentum ad hominem: ergo est sensus a Spiritu S. intentus.

Prob. ant. Sensus mere accommodatitius nullam ad probandum vim habet; sed Apostoli loca ejusmodi tanquam ad probandum idonea adducunt, ut Apostolus ad Gal. IV. et alias passim: imo in I. ad Corinth. epistola cap. IX. textum in sensu mystico intelligendum esse expressis verbis declarat. Evangelistae cum ejusmodi testimoniis ex veteri testamento utuntur, non raro addunt haec verba: *Ut adimpleretur quod dictum est per Prophetam* (Matth. II, 15.). *Facta sunt haec ut scriptura impleretur* (Joan. XVII, 19.). Jam vero si diceretur, haec et alia multa in sensu tantum accommodatitio sumi, sequeretur Apostolos, cum scriptura utuntur ad probandum, revera nihil probare; eosque scripturae sensum attribuere, quem revera non habet.

497. — Prob. II. Mysticum sensum tanquam a Spiritu S. intentum semper agnovit ecclesia. Eodem sensu usi sunt SS. Patres; quae res tam clara est, ut nullus adversariorum sit, qui eam in dubium vocet.

Prob. III. Apostoli dertis verbis docent, vetus testamentum figuram fuisse et typum futurorum; idque ecclesia ab Apostolis edocta constanter tenuit. I ad Corinth. X, 11. ait Apostolus de veteri testamento loquens: *Omnia in figura contingebant illis.* Graece τύποι, vel, ut alia exemplaria habent: τυπικῶς, *typice.* Vide ibid. v. 6. Adeo ut non tantum instituta legis fuerint umbra Christi, ut ex epistolae ad Hebr. cap. V, 5. et cap. X, 1. item ad Coloss. II, 17. etc. constat, sed et res gestae praesertim nobiliores. Hinc Christi tempus vocatur plenitudo temporum. *Scimus*, ait *Tertull., ut vocibus, sic et rebus prophetatum.* Ex quibus necessario inferendum: praeter sensum litteralem esse et sensum mysticum, qui in litterali fundatur et utrumque Spiritus S. intentioni convenire. Ita ex *Grotii* comment. in Matth. habet *Waltonus* proleg. VIII. n. 31. ad biblia polyglotta.

PROPOSITIO II.

Ex sensu mystico, cum eum talem esse constat, solidum deducitur argumentum; non vero ex sensu accommodatitio.

498. — Prob. I. pars. Sensum mysticum illum vocamus, qui aeque ac litteralis a Spiritu S. intenditur; ergo aeque certus est ac firmus, quam sensus litteralis.

Prob. II. Sensum mysticum ad probandum adhibuere Christus et Apostoli et post eos ecclesia et Patres, ut ex prop. constat. Ergo etc.

Prob. II. pars. Sensus accommodatitius non est sensus ipsius scripturae, sed potius interpretis, qui verba auctoris ad rem suam trahit et illi propter aliquam similitudinem accommodat. Ergo quamvis ad res explicandas et illustrandas valeat; ad probandum tamen vim habere non potest.

Corollarium. *Ergo cum textus aliquis a scriptore hagiographo ad probandum adducitur; certum est, sensum quem illi*

dat sacer auctor, a Spiritu S. esse, et ideo vel litteralem esse vel mysticum.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

499. — Argum. I. 1° Sensus mysticus pro hominum ingenio et arbitrio fingitur, quin constare possit, sensum ejusmodi Spiritus S. intentioni respondere. 2° Ejusmodi interpretandi ratio occasionem dat subtilioribus ingeniis in certum veritatis detrimentum, sensum scripturae proprium et naturalem relinquendi, eumque vanis conjecturis, ac confictis pro arbitrio applicationibus detorquendi, quod Philoni, Origeni, pluribusque aliis objicitur. 3° Ille tantum potest esse verus scripturae sensus, quem scriptores sacri intellexerunt, atqui hi alium non intellexerunt, quam litteralem verbis suis respondentem. Ergo etc.

Resp. ad I. neg. ant. *generaliter sumtum.* Praeter sensum litteralem in multis scripturae locis etiam mysticum reperiri, colligi potest vel ex scriptura ipsa, vel ex traditione catholica. Saepe etiam tanta est analogia et congruentia inter figuram veteris testamenti, et rem in novo testamento exhibitam, ut difficile sit sensum mysticum non videre, maxime ubi ad illum aditum nobis aut fundamentum praebet ipsa scriptura. Sic quia ex I. Corinth, X. scimus, transitum per mare figuram fuisse baptismi, fundamentum habemus, plura, quae tunc gesta sunt cum baptismate comparandi, v. g. aquas maris cum aquis baptismatis; Moysen cum Christo; desertum cum vita hic post baptismum transigenda in aerumnis; Manna, quo Israëlitae in deserto nutriti sunt, cum pane eucharistico; terram promissam cum paradiso coelesti etc.

Adde quod ex corollario constat, textum ab auctore sacro ad probandum adductum, vel in sensu litterali sumendum esse, vel in mystico. Ex quo haec regula sequitur, sensum mysticum adesse, quandocunque textus in sensu litterali intelligi non potest, aut ita intellectus, nihil probaret. Sic, cum ad Rom. X, 18. Apostolus haec ex Psal. XVIII. verba adducit: *In omnem terram exivit sonus eorum* etc., manifestum est, ea in sensu allegorico esse intelligenda.

500. — Ad II. 1° Multi ex Patribus perperam hujus vitii arguuntur. *Huetius* probat eos communiter litteralem sensum ut verum assumere, et tanquam fundamentum habere, cui deinde alios sensus allegoricos innectunt, quos magis accommodatitios diceres, quam mysticos, cum illis potissimum oratorum more utantur, ad majorem auditorum aut lectorum utilitatem. 2° Si qui Patres in textu mystico nimii sunt, aut ita allegoriis insistunt, ut sensum litteralem destruant; in hoc merito reprehenduntur. Illud Origeni objiciunt *Epiphanius* et *Hieronymus.* Quamvis hom. XIII. in Exodum dicat, allegoriam sine auctoritate scripturae esse improbandam. Media via incedendum est, ut docet S. *Gregorius Naz.* orat. II. in Paschate. *Nos*, inquit, *media quadam via inter eos, qui crassiore omnino ingenio sunt, et eos, qui nimio contemplationis et anagogiae studio ducuntur, incedentes, ut non prorsus inertes et torpidi maneamus, nec rursus curiosiores simus, quam par sit, atque a proposito argumento excidamus et evagemur . . . de his rebus non nimis absurde et ridicule disseremus.*

501. — Ad III. Necesse non est asserere, sensus mysticos auctori sacro semper notos fuisse, nam Spiritus S. tanquam auctor primarius scripturae plures sensus iisdem verbis recondere potuit, certo demum tempore recludendos. Quamvis credendum sit, sensus litterales scriptori hagiographo semper innotuisse, et ut plurimum etiam mysticos; verum hac in re certi statui nihil potest. Scimus Caipham, cum Joan. XI, 50. illa verba protulit: *Expedit vobis, ut unus moriatur homo pro populo*, vere prophetasse, et a

semetipso locutum non esse, ut Evangelista ait, cum tamen ipse sensum intenderit falsum, et sensui Spiritus S. contrarium.

502. — Argum. II. Si ritus, sacrificia, et alia veteris legis instituta aut eventus figura fuissent novae legis, id scire debuissent Judaei; Christianis enim, qui figuratum jam tenent, figura nihil prodest. Atqui nihil ejusmodi suspicati sunt Judaei. Ergo etc.

Resp. I. nego majorem. Figura enim etiam iis prodest, qui revera figuratum vident; sicut prophetia prodest iis, qui eo tempore vivunt, quo res praedictae effectum sortiuntur. Quid enim aliud sunt figurae istae quam quaedam prophetiae species?

Resp. II. nego minorem. Unde habent adversarii, quod Judaei ignoraverint legis veteris ritus et eventus quam plurimos figuras fuisse futurorum? Quando Christus et Apostoli de figuris veteris legis loquebantur, quae in Messia adimpleri debuerunt, nihil dixerunt, quod Judaeis novum esset et inauditum. Negabant quidem Judaei, eas in Jesu Nazareno impletas fuisse; at de principio, illas figuras scilicet esse in Messia adimplendas, non dubitabant.

Notandum praeterea: 1° Judaeos omnes Cabalam seu traditionem oralem praeter legem scriptam admittere; ex quo concludunt scripturas multis in locis sensum aliquem mysticum, et litterali longe excellentiorem continere, rudi quidem populo ignotum, sed inter sapientes orali traditione conservatum. 2° Adversarios nostros sibi non constare; nam si Judaei non crediderunt, figuras in veteri testamento contineri, cur dicitur, Christum et Apostolos, cum ad eas provocarent, Judaeorum ingenio sese accommodasse?

503. — Argum. contra II. propositionem. S. *Hieronymus* in cap. XIII. Matth., cum parabolam de satis farinae tribus SS. Trinitati applicuisset, ait: *Pius quidem sensus, sed nunquam parabola, aut dubia aenigmatum intelligentia potest ad auctoritatem dogmatum proficere.* Eadem est S. Thomae sententia; vult enim ex solo sensu litterali trahi posse argumentum. Et vero, quomodo adhiberi ad probandum poterit, quod aeque facile negatur quam asseritur? Sed talis est sensus mysticus. Ergo etc.

Resp. dist. min. Talis est sensus mysticus pro interpretis arbitrio confictus et nulli fundamento innixus, *conc.* Sensus mysticus clarus et certus, *nego.* In propositione dictum est, sensum mysticum ad probandum valere, cum eum talem esse constat. Ita etiam explicanda est S. *Hieronymi* et *Thomae* sententia. Ne igitur in hac materia umbram pro veritate sectemur, et a media, quae sola secura est, via recedamus, sequentia probe notanda sunt.

504. — 1° Nullam scripturae sententiam sensu litterali carere, non omnes autem habere sensum mysticum.

2° Sensum mysticum absolute quidem digniorem esse et praestantiorem, si cum sensu litterali ejusdem loci conferatur; quia figuratum est figura praestantius: attamen sensum litteralem multis de causis mystico anteponendum esse; tum quia etiam litteralis de rebus praestantissimis esse potest, ut sunt ea, quae de Incarnatione, de SS. Trinitate, de regno Christi in novo testamento aut a Prophetis in veteri dicta sunt; tum quia sensus litteralis in omnibus scripturae locis reperitur, aliorum sensuum fundamentum est, atque ad probandas res fidei, revincendosque errores vim maximam habet.

3° Sensum mysticum fere proprium esse veteri testamento, eum tamen in novo etiam reperiri. Sic resurrectio Christi est signum resurrectionis nostrae ad Rom. VI, 4. I Cor. XV. Idem Apostolus tropologice explicat passionem Christi extra portam: *Exeamus ad eum extra castra improperium ejus*

portantes. Possent adhuc in exemplum adduci lotio pedum, navicula Petri fluctibus jactata, Christus ex Petri navicula docens; captura piscium Luc. V. in qua rete rumpebatur, et alia Joan. XXI. post resurrectionem Christi in qua scissum non est rete. Prima a S. *Augustino* tract. CXX. in Joan. allegorice exponitur, altera anagogice.

4⁰ Non recte facere eos, qui relicto sensu litterali, nimii sunt in sensibus mysticis indagandis; imo praecipuam in sensu litterali ponendam esse operam; quia hic sensus in omni scriptura necessario continetur, et adhibitis interpretationis regulis facilius erui potest. Accedit, ut supra diximus, quod adeo sensus mystici fundamentum sit; quid autem, ubi hoc fundamentum defuerit, de reliquo aedificio sperandum sit, nemo non videt.

§. II.

An plures dentur ejusdem loci sensus litterales?

OBSERVANDA.

505. — I. Non quaerimus, an scriptura necessario sensum litteralem habeat; id enim, si in quaestione versari posset, primum fuisset investigandum. Sed nemo est, qui ea de re dubitet. Disputant autem theologi et interpretes, an in eadem littera plures latere possint sensus veri et proprii, seu an textus idem plures habere possit sensus litterales. Ad meliorem hujus quaestionis intelligentiam notandum est, aliud esse sensum *fecundum*, aliud sensum *litteralem* multiplicem. Sensus *fecundus* dicitur, quando eaedem voces et sententiae res diversas indicant, quae in se invicem continentur, vel ob relationem quandam ad se invicem spectant; ex quo videtur sensum imprimis mediatum admodum fecundum esse. Quando autem voces ac sententiae scripturae plures res designant, quae nec in se invicem continentur, nec ad invicem referuntur, sensus *litteralis multiplex* dicitur.

Eundem scripturae locum plures sensus litterales admittere passim negant protestantes; quibus se adjungunt ex catholicis non pauci, ut *Amort*, *Wiest* §. 296., *Seemüller*, institutiones hermeneuticae sacrae; *Sandbichler*, Allgemeine Hermeneutik, I. Hauptst. §. 4. Dicunt enim, quod, si varius et multiplex admitteretur sensus litteralis, ambigua fieret scripturae sententia et fallax, similis gentilium oraculis, ad decipiendos homines compositis; imo fides ipsa in periculum adduceretur; siquidem ad stabiliendam fidem, et depellendos errores nullum ex scriptura argumentum afferri posset certum solidumque, si non uno et eodem sensu teneretur textus, et haeretici ancipiti expositione huc illucque, ut ipsis placet, elabi possent.

506.—II. Haec argumenta procul dubio non ignorarunt Patres in scripturae studio versatissimi, et quibus cum haereticis agendi frequens erat occasio; nec ignorarunt theologi catholici et scripturae commentatores celeberrimi; ut S. *Thomas*, *Melchior Canus*, *Bellarminus*, *Tournelius*, *Bonfrerius*, *Serarius* etc., qui gravioribus, ut ipsis videtur, rationibus commoti, docuerunt, plures etiam litterales sensus aliquando in scriptura admittendos. Nihil, inquiunt, magis decet divinam majestatem, quam ut paucis verbis plurima eaque diversa comprehendat; nihil sripturae sacrae altitudinem et auctoritatem, nihil infinitae sapientiae fecundissimam profunditatem ita commendat, quam ut liber divinus tot gentibus, tot ingeniis, in tanta temporum distantia locuturus, unicuique, quod ille de rebus divinis assequitur verum, hoc significet. Ad hoc accedit, quod spirituales sensus plures simul iisdem rebus insinuari a Spiritu S. nemo neget. Cur autem rebus plura significare Spiritum S. concedatur, verbis negetur? An sunt res magis ad significandum plura idoneae, quam verba?

507. — III. Praeter haec, quae ex ratione desumta sunt argumenta, exempla ex scriptura afferunt sensus multiplicis patroni; praecipua sunt, locus ille Isaiae LIII.: *Generationem ejus quis enarrabit?* quem Patres plurimi de aeterna Christi generatione, alii vero non pauci de temporali in utero virginis intelligunt: utrique apte; nam toti contextui utrumque optime quadrat. Tum et illa Psal. II.: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Quae Apostolus ipse de generatione aeterna et temporali (ad Hebr. I, 5. et V, 5.), nec non de resurrectione Christi intelligit (Act. XIII, 33.), sensu tripliciter litterali. Vid. *Goldhagen* Tom I. pag. 162. Neque ad defendendam hanc sententiam Patrum testimonia desunt, quae cum recitare omnia non possimus, unum audiamus *Augustinum*, qui ut fuit acri et sublimi ingenio, verbi divini admirabilem profunditatem et inexhaustam ubertatem et sensit et expressit lib. XII. Confess. cap. XXX. et XXXI.; ubi de vera intelligentia illorum verborum Moyses loquens: *In principio creavit Deus coelum et terram:* eaque multiplici sensu intelligi posse ostendens, quaerit, an unum tantum Moyses intenderit, an plures; tum ita prosequitur: *Cum alius dixerit, hoc sensit quod ego, et alius, imo illud quod ego: religiosius me arbitror dicere, cur non utrumque potius, si utrumque verum est? Et siquid tertium et siquid quartum, et siquid omnino aliud verum quisquam in his verbis videt?*

Ad argumentum superius a nobis expositum respondent, sententiam tunc tantum fallacem dici posse et ambiguam, quando, cum unum tantum verum sensum habeat, diversimode tamen intelligi potest; quin auctor sensum determinet, idque vel ex malitia, ut alios decipiat, vel ex ignorantia, quia ipse quid respondendum sit ignorat; at Deus non intendit multiplici sensu decipere, sed instruere, neque falsos sensus habet aut contrarios, sed varios tantum et veros, quos omnes vult agnosci, licet non absque studio et exercitatione.

508. — Hanc sententiam fatemur magnam habere probabilitatem, quamvis a protestantibus acerbe notetur, et aliquorum etiam catholicorum consensionem non habeat. Mihi videtur in hac re, sicut in aliis plurimis, multa fuisse cum exaggeratione dicta. Quam primum enim quaestionis status accurate definitur, nihil in ea reperitur, quod dignum reprehensione esset. Itaque limites ponendi sunt statuendaeque regulae, quas religiose observare debet sincerus scripturarum cultor.

1⁰ Fundamentum sensus litteralis varii et multiplicis proprie aliud esse non potest, quam divini intellectus infinita fecunditas. Deus non tantum textus alicujus sensus possibiles cognoscit, sed ab aeterno etiam praevidit, quidquid unquam ex iis humana perspicacia esset eruendum. Cum vero Deus inspirando scripturas non ad unum tantum populum attenderit, aut ad exiguum aliquod temporis spatium, sed fontem aperuerit aquae vivae ad salutem omnium credentium; ideo procul dubio praeter voluntatem Dei non agit, quisquis ex illis sensum aliquem, verum et pium eduxerit; haec est enim voluntas Dei sanctificatio nostra.

2⁰ Necesse non est, ut auctor hagiographus omnes illos sensus viderit: certe Spiritus S. quemque occursurum lectori praevidit; imo etiam, ut occurreret, providet.

3⁰ Quamvis plura forsan intelligi possint in eodem scripturae loco, non est tamen negandum aliquem esse praestantissimum sensum, et speciali quodam modo litteralem, quem vel solum, vel praecipue intendit ille, qui scripsit.

4⁰ Rarissime contra haereticos adhiberi potest sensus alius, quam ille, qui in littera primario continetur; alii autem sensus ad pietatem nutriendam

potissimum valent: unde sequitur, ejusmodi sensus non ad dogmaticam aut polemicam scripturae interpretationem pertinere, sed potius ad homileticam aut asceticam. In hoc ergo summum discrimen positum est inter litterales sensus, eum nempe, qui proxime in littera continetur, et speciali modo litteralis dicitur, et caeteros in eodem textu contentos; quod primus dogma probet, alii autem ex dogmate probentur. Nam si cum doctrina jam certa et probata non concordent, manifestum est, eos divinos esse non posse.

5⁰ Ut praeter sensum litteralem primarium et praecipuum alius quoque tanquam litteralis haberi possit, requiritur, ut eum talem esse constet, vel ex scriptura ipsa, vel ex ecclesiae et Patrum unanimi consensu. Ejusmodi autem textus pauci sunt.

§. III.

Regulae in investigando scripturae sacrae sensu observandae.

509. — Non ignoramus, haec aliaque non pauca, quae in hoc capite tractantur, ad theologicas institutiones stricte non pertinere; quapropter id nobis in culpam imputari posset, ac si praefixos nobis limites transilire et falcem mittere vellemus in alienam messem. Neque immerito haec objicerentur, si semper, si ubique scripturae et hermeneuticae sacrae studium divisam a dogmatica partem haberet; id autem non putamus ubique locorum reperiri, praesertim ubi status clericalis alumni publicas scholas non frequentant; sed intra muros seminarii a tumultu et contagio praelectionum academicarum seclusi, a viris ecclesiasticis ab episcopo ad id munus institutis erudiuntur, cum minori quidem scientiarum apparatu, at fortasse melius, solidius, religiosius. His igitur quidquid ad scripturae studium necessarium est, brevi saltem compendio exponendum censemus: quo et illae regulae pertinent, quae ad intelligentiam scripturarum quam plurimum conferunt. Sunt inter has aliquae, quae scripturae interpretationem speciatim concernunt et quae non possunt satis omnibus iis commendari, qui huic labori sese tradunt; aliae ipsae sunt interpretationis regulae generales ad scripturae sacrae studium applicatae.

510. — I. Ne scripturae interpres dum veritatem se in scripturis quaerere contendit, vana et falsi nominis scientia deceptus a veritate aberret; nunquam e manibus dimittat, sed teneat firmiter quasi lucernam lucentem in caliginoso loco, hanc auream concilii Trid. regulam sess. IV. decret. de usu SS. librorum: *Ad coërcenda petulantia ingenia decernit* (sacra synodus), *ut nemo suae prudentiae innixus, in rebus fidei et morum ad aedificationem doctrinae Christianae pertinentium sacram scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam scripturam interpretari audeat.* Ex hoc decreto sequitur 1⁰ attendendum esse ad ecclesiae interpretationem. 2⁰ Sensum, qui traditis ab ecclesia dogmatibus contrarius est, certo falsum esse: quamquam ex eo, quod huic doctrinae faveat, nondum verus probetur, cum posset ad hanc rem nullatenus pertinere. 3⁰ Consensum unanimem SS. Patrum, cum de re agitur ad fidem aut mores pertinente, aut cum his necessario connexa, certum esse verae interpretationis argumentum.

511. — II. Ad scripturae intelligentiam imprimis juvat diligens et frequens lectio, tum meditatio et collatio scripturarum, ut sic phrasis ipsa et spiritus familiaris fiat legenti. Ad hanc autem lectionem non accedat homo animo curioso, critico et superbo, sed

docili, humili et religioso. *Scriptura*, ait auctor imitationis, lib. I. cap. V, *eo spiritu legi debet, quo facta est.* Studio jungatur oratio ex corde puro: *Qui indiget sapientia, postulet a Deo.* Jacob I. *In malevolam animam non introibit Spiritus sapientiae*, Sap. I. Quo et ea pertinent, quae in decreto concilii Trid. jam citato in fine adjiciuntur contra sacrilegos temeratores et violatores verbi Dei, qui ad profana quaeque, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, superstitiones impias etc. convertunt et torquent verba et sententias scripturae sacrae [1]).

1) Haec regula nunquam satis potest scripturae sacrae studiosis inculcari. Quamvis naturae et ingenii dotes non parum conferant ad hoc studium; neque ii nos simus, qui vellemus sub pietatis praetextu a linguarum aliarumque scientiarum studio absterrere juniores clericos, aut legum illarum, quas sana critica et hermeneutica in indagando librorum sensu sequuntur, utilitatem elevare: certum tamen est, ad solidam scripturae cognitionem et intelligentiam eos tantum pervenire posse, qui cum ingenio scientiis exculto animum conjungunt vere pium et religiosum. Subit saepe animum nostrum, mirari, quod homines, qui sacros codices diurna nocturnaque manu versant, ac multa volumina doctis elucubrationibus implent; tamen nihilo meliores efficiantur, nec quidquam coelestis illius sapientiae habeant, qua scripturae refertae sunt. Scilicet famam aut lucrum ex labore suo quaerunt, nec aliter haec studia tractant, quam qui Virgilium aut Terentium commentantur. Ita protestantici interpretes passim, quos quidam ex nostris, eheu! nimis feliciter aemulantur. Inde fit, ut ea quae dicunt, quamvis docta videantur et multa eruditione tumescant, jejuna tamen sint et arida, neque quidquam, praeter scientiae opinionem in lectorum animis relinquant. Erigunt quidem sese veluti montes sublimes, et vano supercilio non raro Patrum sententias et ecclesiae sensum contemnunt, sed contingit illis, quod olim montibus Gelboë Propheta imprecatus est: „*Montes Gelboë, nec ros, nec pluvia veniant super vos!*“ — *Woher kommt es, dass die Väter mehr in der heiligen Schrift gefunden haben, als wir? Ist es, weil wir mehr Einsicht haben? Oder vielleicht, weil sie dem Geiste, der darin wehet, mehr zugetraut haben? Oder auch, weil ihr Geist mit jenem, der diese hh. Schriften eingegeben hat, besser im Einklange stand? Was soll ich erst von jenen profanen Menschen reden, die in ihrem stolzen Eigendünkel die hh. Bücher bekriteln? die in dem Worte Gottes überall Widersprüche, falsche Grundsätze, alberne Mährchen wittern? Wir können sie nicht besser vergleichen, als mit einem Menschen, der aus einem stinkenden Sumpfe herauskommt, und noch ganz mit Koth beschmutzt in einen Blumengarten gehet: er empfindet den Geruch der Blumen nicht, der andern so lieblich entgegen duftet. Er glaubt im Gegentheil, es stinke alles, weil er den Gestank mit sich bringt.*

Regulae hermeneuticae scripturae sacrae applicatae.

512. — Quamvis scripturae cujuslibet hominis arbitrio permitti non possint, atque hoc ipso fidei regula certa et infallibilis esse desinerent, si quilibet posset eas ad suam sententiam torquere; hoc tamen ita intelligendum non est, ac si rationi humanae in exponendis scripturis parum aut nihil tribuendum esset. Nunquam illud a catholicis interpretibus exigere voluit ecclesia. Scimus multos ex Patribus, multos etiam ex recentioribus commentatoribus summa cum laude in eo versatos esse, ut regulas hermeneuticae generales scripturae sacrae rite applicando, sensum ejus genuinum investigarent; etiam aliarum scientiarum subsidium in tam difficili opere minime negligentes.

I. *Usus loquendi.*

513. — Usum loquendi examinet interpres, non communem tantum, sed et specialem, tam scripturarum in genere, tum unius alteriusve auctoris. A communi autem verborum sensu non discedat, nisi manifestum sit, iis specialem significationem inhaerere. Idem de sensu improprio dicendum; nam ad metaphoras aliosque tropos, aut sensus improprios deflectenda non est

oratio, nisi ex sensu proprio aliquid absurdi eliceretur. Sic qui usum loquendi scripturae considerat, mox sciet, per *fratres et sorores* propinquos intelligi; *nudum* dici, qui superiori tunica exutus est, quod in mari, aut in agris laborantibus commune est; hominem bene potum *inebriatum* vocari; *commune* idem esse atque immundum aut profanum; *benedicere* per antiphrasin etiam sumi pro maledicere, *sanctificari* pro pollui; *cornu* potentiam significare, *calicem* sortem, *funiculum*, *funes* haereditatem; per *vasa* omnis generis instrumenta indicari, nam *vasa belli* arma sunt et instrumenta bellica, *vasa psalmi* instrumenta omnia musica. Multae ejusmodi metaphorae occurrunt, quae a nostro usu abhorrent, quales sunt: *adeps* vel *medulla*, pro eo quod est in re quacunque praestantissimum, *adeps frumenti*, *medulla tritici*. *Pingues* pro hominibus potentibus, *pennae* solis pro radiis, *filii areae* pro granis frumenti, *filii pharetrae* pro sagittis etc. etc. Legi imprimis merentur in hanc materiam *Bonfrerii* canones ad scripturae intelligentiam perutiles [1]).

II. *Contextus.*

514. — Ad litteralem sensum inveniendum, post regulas fidei, nulla fere certior dari potest, quam ut locus, cujus sensum investigamus, cum antecedentibus et consequentibus conferatur (quod *contextum*, *nexum*, aut *acoluthiam* vocant). Quo melius haec antecedentia et consequentia alicui sensui adaptantur, eo certius erit, eum sensum esse vere litteralem et maxime proprium. Exceptio tamen in Psalmis facienda est et Prophetis, in quibus hinc inde more prophetico subitus fit transitus a re una ad aliam, a figura ad figuratum. Porro hic contextus vel angustior est, atque in quibusdam tantum versibus inclusus; vel extenditur ad plura capita, aut per totum aliquem librum diffunditur, aut etiam ex connexu oritur unius libri cum alio. Nihil ad investigandum textum utilius, quam integri libri aut alicujus pericopae analysin texere. Quod breviorem contextum attinet, in exemplum sint illa, Ps. XVII.: *Cum sancto sanctus eris.* Job. XXI.: *Ducunt in bonis dies suos.* Sap. VIII.: *Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det.* Sic et illa verba apud Matth. cap. V.: *Non veni solvere legem, sed adimplere* ex contextu explicanda sunt. Majores contextus in epistolis Apostolorum occurrunt. Prophetia Isai. VII.: *Ecce virgo concipiet* etc. clarior efficitur et certior ex contextu, qui a VII. capite usque ad XII. extenditur. Videatur *Schaeffer* pars II. p. 58. etc.

III. *Scopus.*

515. — Nihil antiquius habeat interpres, quam ut scopum disquirat diligentissime, non tantum generalem scripturae, qui alius non est quam Christus (Actor. III, 18. Rom. X, 4.); sed specialem cujuslibet libri. Scopus interdum in ipso libro indicatur, ut Proverb. I. Joan. XX, 31. Vel ex circumstantiis temporis, quo res scripta aut facta est, ex libri argumento, aut ex iis, quae scribendi ansam dederunt, cognosci potest. Invento autem scopo libri, facilius erit particularem scopum alicujus pericopae detegere. Si personae inducuntur aliquid narrantes aut agentes, ad illarum specialem scopum attendendum est.

Ita plura, quae in epistolis S. Pauli difficilia sunt intellectu, ex scopo Apostoli explicanda sunt, imprimis quae de justificatione habet et vocatione ad fidem, et quae ad propriam auctoritatem tuendam ad Corinth. scribit epist. II. cap. XI. et XII. Huc et ea pertinent, quae de ciborum discrimine et idolothytis dicuntur I Corinth. VIII. et X. Item quae II. ad Corinth. V, 16. Apost. ait: *Et si cognovimus secun-*

1) Praeloquia post. Sect. IV. capitis XXI.

dum carnem Christum; sed nunc jam non novimus etc.

IV. *Circumstantiae.*

516. — Non exiguum textibus lumen affundunt circumstantiae historicae. Inspiciendum igitur est, quis sit libri auctor, quo tempore, quo loco, qua occasione res scripta aut peracta fuerit. Praeterea non parum interest scire, quis in libro loquatur, an Deus, an angelus, an homo; an plures inter se colloquentes inducantur, quod saepe in Psalmis videndum est. Item quae personae loquentis, vel ejus ad quam, vel de qua sermo est, fuerint indoles, quis affectus etc. Sic cum ea, quae Judith ad Holofernem dixit, non sacri auctoris verba sint, sed Judithae, potest mendacium admitti, quin libri sacri auctoritas quidquam patiatur. Illud quoque quod Actor. VII, 16. dicitur, et contrarium videtur iis, quae Genes. XXIII, 33. et 50. et Josue XXIV. leguntur, ita solvit *Melchior Canus*[1]), ut dicat illud non a S. Luca ita dictum fuisse, sed a Stephano, qui in longa illa narratione, eaque subita levi aliquo errore et ad rem nihil attinente labi potuit. Nos, addit, non Stephanum ab omni lapsu, sed Evangelistam vindicare debemus. Ex locorum circumstantiis interpretandum est, quod Matth. VIII. de daemoniacis dicitur extra urbem in monumentis habitantibus; aut illa Matth. X.: *Quae in aurem audistis, praedicate super tecta.*

V. *Parallelismus.*

517. — Magnum demum ad scripturae intelligentiam adjumentum est scriptura ipsa; ut S. *Augustinus* praeclare docet[2]). Jam ipsa frequens divinorum eloquiorum lectio promptam quandam et expeditam facultatem parit intelligendi ea, quae primum obscura et ambigua videbantur; verum ut fructus ex hac lectione uberior percipiatur, juvat imprimis ad loca *parallela* attendere, vetus testamentum cum novo, aut ex eodem testamento textus cum textibus conferre; quia, quae in uno loco obscure dicuntur, saepenumero alibi clarius exprimuntur, aut lucem mutuantur ex similium aut dissimilium comparatione. Hic locus *Parallelismus* dicitur, et duplex distingui potest, *realis* nempe et *verbalis*. *Verbalis* ad verba attendit, *realis* ad rem ipsam expressam. Sicut parallelismus realis adesse potest, quamvis diversa sit dictio; sic etiam eadem, aut similis dictio non semper rem eandem significat. Hinc quando verborum obscuriorum significatio ex aliis locis elucidanda est, ubi eadem verba adhibentur, probe attendendum est ad ea, quae de *usu loquendi* dicta sunt; an ii loci sint ejusdem auctoris, an hic eadem, qua scriptor quem interpretamur, aetate vixerit, an eodem dicendi genere utatur etc. Parallelismi reales in omnibus fere Vulgatae editionibus vel ad marginem, vel infra textum reperiuntur. Verbales exhibent concordantiae biblicae.

§. IV.

Studii hermeneutici subsidia.

518. — Putandum non est, scientias et artes saeculares ad scripturae S. studium nihil conferre. Conferunt certe quam plurimum, dummodo humana divinis subdantur, non divina humanis. Scimus quam florentes olim in omni saeculari scientia fuerint florentissimi ecclesiae pastores *Gregorius Nazian.*, *Basilius*, *Augustinus*, *Hieronymus* alique, ex quibus B. *Augustinus* ad studium scripturae sacrae valde commendat humanas disciplinas. Unum afferamus S. Papae *Gregorii* testimonium, quem quidam volunt in litteras saeculares male affectum fuisse. Is ergo explanans ea verba I Reg. XIII.: *Caverant Philistiim, ne forte facerent Hebraei gladium aut lanceam* ait, id

1) Loc. theol. lib. II. cap. XVIII. 2) Lib. XIII. Confess. et II. de doctr. Christ.

agere daemones, cum nos saeculares scientias discere dissuadent; quid enim aliud, quam ne gladium aut lanceam faciamus, praecavent? — Quamvis autem nulla sit ex naturalibus scientiis, quae non subsidia afferre possit sacrae scripturae interpreti, sunt tamen quaedam, quae majorem prae caeteris utilitatem habent, sunt autem 1^0 ars critica; 2^0 grammatica; 3^0 poësis et rhetorica; 4^0 historia; 5^0 chronologia et geographia; 6^0 archaeologia; 7^0 stathmica; 8^0 philosophia.

I. *Ars critica.*

519. — De arte critica jam in prolegomenis dictum est. In iis imprimis, quae scripturam sacram attinent, sana esse debet et moderata. Quamvis autem catholicus interpres ad indagandam scripturae existentiam, veracitatem, canonem etc. criticae regulis absolute non indigeat, cum haec ipsi ex ecclesiae auctoritate certa sint; iis tamen uti debet ad eorum, quae ab ecclesia decreta sunt, veritatem vindicandam contra acatholicos. Imo et ecclesia in eorum, quae ejus judicio subjiciuntur, examine sacrae critices regulas non dedignatur. Caeterum in brevioribus scripturae textibus vastus criticae campus aperitur, ut inter varias lectiones, linguae originalis cum versionibus discordantias textus suae integritati restituatur. Conf. *Sandbichler* Einleitung in die Bücher des alten Test. S. 29.

II. *Grammatica.*

520. — Grammatica in explicandis scripturis utilitatem habet quam maximam. Complectitur autem primum linguarum studium, praecipue Graecae et Hebraicae; tum verborum significationem, phrasium constructionem examinat, imprimis idiotismos, seu Hellenismos, aut Hebraismos, quos perspectos habeat interpres, si velit in scripturae studio aliquid proficere. Vide Proleg. pag. 9. et seq. Hanc S. hermeneuticae partem, sicut et caeteras pene omnes copiose tractat D. *Schaeffer* institut. parte II. sect. III. cap. I. §. III. Cf. etiam *Bonfrerii* canones [1]) et appendicem VI. ad praeloquia *Bonfrerii*, tom. III. Menoch. edit. Venet. pag. 38.

Pauca quaedam idiotismorum genera exempli causa adjiciamus. In Hebraeo adjectivorum penuria per substantiva suppletur: *Tuum brachium cum potentia*, pro tuum brachium potens. Comparativi et superlativi, qui in Hebraeo desunt, variis modis redduntur: *Misericordiam volo, non sacrificium*, id est magis quam sacrificium. *Vanitas vanitatum*, id est vanitas maxima. *Plorans ploravit*, id est acerbissime, vehementer ploravit. *Montes Dei*, id est montes altissimi.

Crebriores sunt conjunctionum et praepositionum idiotismi. *De trans Jordanem*, id est ex regione trans Jordanem sita. *Ne tradas me a desiderio meo peccatori*, id est, contra desiderium meum. Praepositio *in* fere omnium aliarum vim et significationem induit. Conjunctio *et*, quae in Hebraeis et Graecis codicibus frequentissima est, nunc copulativa est, nunc disjunctiva, nunc causam significat, nunc effectum, nunc affine aut simile, nunc oppositum; aliquando prorsus redundat. Isaiae LXIV, 5.: *Ecce tu iratus es, et peccavimus* id est, quia peccavimus. *Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me* . . id est: sed, attamen morti non tradidit me etc.

III. *Poësis et rhetorica.*

521. — Nullum est dicendi genus, nulla troporum aut figurarum species, cujus non plurima in scripturis exempla occurrunt. Neque necesse est de his longius disserere. Qualis fuerit Hebraeorum poësis non est una auctorum

1) Praeloq. in fine.

sententia. Id apud omnes in confesso est, in scripturis non raro reperiri dictionem poëticam quam maxime vividam et sublimem, atque a communi narrationis stylo ita diversam, ut viri in communi Hebraeorum lingua instructi, in iis quae stylo poëtico conscripta sunt, vix aliquid intelligant. Ad poëtica scripturae praeter *Psalmos* et librum *Job* fere integrum, pertinent etiam *Cantica Canticorum*, *Lamentationes Jeremiae*, pericopae plures in libris propheticis et historicis; ut *benedictio Jacob* Gen. XLIX., *Canticum Moysis* Exod. XV., illud Deut. XXXII. etc. Hoc sibi poësis Hebraica imprimis proprium habet, quod sacer vates subito ab uno ad aliud transeat; mox ipse loquatur, mox Deum aut homines loquentes inducat, rebus inanimatis veluti vocem et sermonem tribuat; quamlibet fere sententiam geminata et diversa verborum ubertate repetat: *Amplius lava me ab inquitate mea, et a peccato meo munda me* etc. Quamvis autem exploratum non sit, an Hebraei versus metricos habuerint, nam Hebraicae linguae vetus pronuntiandi ratio intercidit; negari tamen non potest mensuram aliquam versuum apud eos reperiri, ad cantum et musicam accommodatam. Ad poësin pertinet musica, quae apud Hebraeos multum aberat a molliori nostra modulatione et sonorum varietate; simplicior multo erat et gravior, sed in hac ipsa simplicitate numerosissima. Vide *Rollin* traité des études tom. II. Cours complet de rhétorique par Mr. *Amar* 1811, livre V. de l'éloquence des livres sacrés. *Schaeff.* P. II. p. 205. etc. *Sandbichler* allgem. Hermen. §4. Hauptst. *Fleury* discours sur la poësie des Hébreux. Hanc dissert. latine redditam invenies in Lat. editione comment. D. *Calmet*, tom. IV. in fol.

IV. *Historia.*

522. — Ad intelligentiam scripturarum quam plurimum confert historiae cognitio, tum sacrae, tum profanae. Historia sacra in ipsis scripturis continetur, certasque continet epochas ab exordio mundi usque ad Christum decurrentes, et, qui his epochis respondent, varios populi Judaici status. Duae priores epochae ad totum hominum genus pertinent; tertia Patriarcharum continet historiam. Reliquae populum Israëliticum exhibent in corpus nationis adunatum, primum sub ducibus et judicibus, tum sub Saule, Davide et Salomone regibus, qui toti genti imperabant. Facto post Salomonem schismate historia sacra seriem regum tum Judae tum Israëlis prosequitur; hanc quidem usque ad annum XV. Oseae regis Israël, quo regnante Samaria expugnata est a Salmanassare rege Assyriorum, et regno Israël finis impositus anno 3283; illam autem Judaici regni usque ad captivitatem Babylonicam sub Nabuchodonosore anno 3416 per urbis ac templi excidium consummatam.

Post captivitatem in patriam reduces Judaei variis adhuc vexati aerumnis tandem pace fruebantur sub principum populi et supremi senatus imperio. Successit dira persecutio sub Antiocho Epiphane, et novus populi Judaici status, qui Machabaeorum praeclaris gestis et incredibili virtute in libertatem vindicatus, postmodum sub Asmonaeorum sceptro vixit usque ad Herodem, quo regnante natus est Christus.

Multum etiam utilitatis capiet scripturae investigator ex historiae profanae studio, quam omnes sciunt cum populi Israëlitici fatis intime connexam. Quae scitu maxime necessaria sunt, in insigni opere *Bossuetii: discours sur l'histoire universelle* reperiuntur. Diffusiorem autem rerum narrationem offerunt D. *Rollin: histoire ancienne*, et praeclarum opus D. *Prideaux* Angli: *histoire des Juifs et des peuples voisins*, quod in Gallicum idioma translatum 6 voluminibus in 8. editum est,

adjectis quibusdam Patris *Turneminii* dissertationibus, quibus auctoris protestantici errores corriguntur.

V. *Chronologia et geographia.*

523. — Ad historiam pertinent chronologia et geographia. Prima tempus, quo quaelibet res facta fuit determinat, dierum, hebdomadum, mensium, annorum divisiones, praecipuas historiae epochas, aeras et diversos computandi modos explicat. Secunda regionum, urbium, montium ac fluminum situm ostendit. Utraque scientia in scripturae interpretatione latissime patet, et doctissima ingenia exercuit. Vide dissertationes chronol. Tom. III. Menochii editionis Venetianae insertas, Onomasticon urbium et locorum ibid. Consuli etiam possunt chartae geogr. orbis antiqui et dictionaria biblica.

VI. *Archaeologia.*

524. — Archaeologia, sic dicta a voce ἀρχή, omnia complectitur, quae statum populi Judaici tum sacrum, tum civilem, tum publicum, tum privatum concernunt. Ad statum populi sacrum pertinent loca sacra, templa, sacrificia, modus rem divinam faciendi, gradus hierarchici inter personas cultui divino addictas, festa etc. Ad statum civilem publicum refertur forma regiminis, magistratuum ordo et auctoritas, jurisdicendi ratio, leges et poenae, res militaris, totaque pacis bellique disciplina. Ad statum autem privatum referuntur omnia, quae ad vitam homi num pertinent; habitationes, possessiones, agricultura, victus et vestitus, prolium educatio, matrimonia, ordo successionis, negotiatio, artes, oblectamenta et luctus, funera etc. Quam multa haec sint et varia nemo non videt; nihilominus, qui nullam horum cognitionem haberet, necessario caecutiret in pluribus scripturae locis. Vide in editione jam citata Menochii doctissimum *Caroli Sigonii* tractatum de republica Hebraeorum in VII libros divisum. Item: moeurs des Israëlites et des Chrétiens par *Fleury*.

VII. *Stathmica.*

525. — Stathmica a στάθμη, quod idem est ac regula, amussis, ad quam aliquid exaequatur, mensurarum, ponderum et monetarum varietatem et valorem docet. Hac notitia destitutus in pluribus locis perfectum sacrarum litterarum sensum assequi non poterit. Dantur mensurae liquidorum et aridorum, dantur et mensurae longitudinis: *pollex*, *digitus*, *palmus*, *pes*, *cubitus*, *passus*, *stadium*, *milliare* etc. Moneta apud Hebraeos usitata saepissime occurrit, *siclus* quem floreni valorem habuisse putant, vel 45 crucigerorum. Vigesima pars sicli *gera* vocabatur; *mna* sive *mina* 66 siclos continebat; *talentum* vero Moysis aetate ter mille siclos, seu 50 mnas confecit. Porro observandum, eandem fuisse inter monetas aureas proportionem, ita tamen, ut aurea ejusdem nominis moneta decuplo, vel duodecuplo pluris valuerit, quam argentea. Vide *Joannis Marianae* dissertationem de ponderibus et mensuris tom. III. Menochii; item *Schaeffer* inst. scripturist. part. II.

VIII. *Philosophia.*

526. — Hoc nomine comprehendimus, quidquid ad logicam, psychologiam, physicam, artem chemicam, historiam naturalem etc. pertinet. Cum omnis scripturae interpretatio rationis humanae opus sit; clarum est, magnas in ea partes habere philosophiam, quae vel ex veritatibus naturali lumine cognitis, vel ex principiis revelatis concludit. Notandum tamen, verba et propositiones scripturae non semper stricte et in rigore logico accipiendas esse, sed juxta communem et usitatum loquendi modum; neque methodum aliquam systematicam in veteris aut novi testamenti libris quaerendam; non enim philosophicis deductionibus niti-

tur revelatio, sed Dei revelantis auctoritate. Idem de rebus physicis et astronomicis dicendum. Scriptura de ejusmodi rebus ex occasione tantum loquitur, et modo apud homines usitato. Historia naturalis frequentissimam in scripturae interpretatione applicationem habet, imprimis cum increduli, quamvis hanc scientiam vix in superficie attigerint, petita tamen exinde argumenta cum magna eruditionis ostentatione proferant. Verum perfectiori hujus scientiae cognitione instructus interpres nebulas ab adversariis aut mala fide, aut ex ignorantia obfusas facili negotio depellet. Exempla habentur Proverb. VI, 6. et cap. XXX, 25. de formica; Job. XXXIX. de struthione; Habacuc III, 17.: *Ficus non florebit* etc. [1]). Egregiam in hac parte interpretibus operam navavit clariss. *Scheuchzer* in celebri opere, quod *physica sacra* inscribitur. Praefertur editio originalis ab auctore anno 1725 idiomate Germ. adornata 4. vol. in folio.

IX. *Subsidia extrinseca.*

527. — Inter hermeneuticae sacrae subsidia, quae extrinseca vocari possunt, numerantur, 1° codices manuscripti et antiquae editiones, quas legendo, conferendo, accuratiores et antiquiores ab aliis distinguendo, genuinum scripturae textum facilius eruet interpres. 2° Versiones, quae non parum conferunt ad tollendam verborum in textu originali ambiguitatem verumque auctoris sensum indagandum. 3° Idem fere subsidium ex Patrum citationibus haberi potest. 4° Imprimis scripturae studiosum juvat adire interpretes et commentatores, qui in explanandis scripturis facem nobis praeferunt. Sunt autem plurimi et maximi nominis inter catholicos, qui vel paraphrasi, vel notis brevioribus, vel majoribus commentariis, aut totam scripturam, aut aliquam ejus partem illustrarunt. Notissimi sunt: *Joannis Maldonati*, societatis Jesu theologi, commentarii in quartuor Evangelistas, et *Guilielmi Estii*, SS. theol. D. et in academia Duacensi prof., commentarius in omnes S. Pauli epistolas, opera duo vere aurea et candidatis nostris non satis commendanda, quorum nova editio Moguntiae prodiit. *Cornelius a Lapide* societatis Jesu, qui X commentariorum tomos reliquit in omnes scripturae libros, psalmorum tantum et Job libris exceptis. *Louis Isaac le maître de Sacy*, sacerdos Parisinus, *Ludovicus de Carrière* congregationis oratorii presbyter. *August. Calmetus*, ordinis S. Bened. Abbas, cujus commentaria a *Dominico Mansi* in Latinum translata sunt. Breviores commentatores sunt: *Joannes Menochius* e societate Jesu. Optima ejus editio cum supplemento *Turneminii* Venetiis prodiit. *Jacobus Tirinus*, *Emmanuel Sa*, *Joannes Mariana* omnes ejusdem societatis viri doctissimi, qui uti erant non laudis desiderio, sed studio religionis et virtutis incitati, ita lectores suos non humanae sapientiae spiritu inflant, sed religiosos efficiunt et pios scripturarum cultores. Addi possunt bibliorum editiones cum notis et chronologiis etc.; qualis est biblia sacra cum notis Vatabli. Biblia Vulgata in folio Parisiis apud *Antonium Vitré* impressa. Biblia Avenionensis, seu *bible de Vence*, cum paraphrasi, notis, praefationibus et dissertationibus ex diversis auctoribus collectis edita a *Rondeto*.

1) Vide *Weitenauer*, Uebersetzung der heil. Schrift I. Band. Vorrede S. 48. etc. *Stolberg*, Bd. IV. S. 400. über das an die Römer am X. Cap. angeführte Gleichniss, von den auf den Oelbaum eingepfropften Zweigen.

§. V.

An admitti possit systema accommodationis ad sensum recentiorum inter protestantes interpretum?

OBSERVANDA.

528. — I. Ex sola jam evangeliorum lectione apertum est, Christum, cum

populum instrueret, sese in multis hominum captui, locorum ac temporum circumstantiis accommodasse; atque in hoc quam maxime elucet divina ejus sapientia et paternus affectus in homines infinitis prope miseriis et praejudiciis laborantes, quod se tam libenter ad audientium mensuram dimittebat. Hinc sermone usus est plano et populari, et frequenter in parabolis locutus est, ut inculta et sensibus nimium adstricta ingenia a rebus obviis et corporalibus sensim ad coelestia duceret; neque omnibus passim, et sine discrimine omnia tradidit, sed ad hominum captum et indolem ita doctrinam attemperavit, ut mox clarius, mox obscurius eam proponeret, et primum quidem ea, quae notiora erant et faciliora; haec enim qui ferre non poterant, procul dubio parum se idoneos probarunt ad majora capienda. Hinc ne divinitatem quidem suam omnibus praedicari et evulgari voluit, priusquam a mortuis surrexisset; ipse autem eam aliquo modo tegere videbatur, cum se passim filium hominis nominavit. Hinc et ea quae sciebat profundius animis infixa, ad tempus tolerabat; hujusmodi erat illa, quam Judaei alte mente imbiberant, de regno Messiae temporali, et perpetua legis Mosaicae duratione persuasio. Haec omnia probatione non indigent, cum tota Christi historia id loquatur. Quin et ipsis Apostolis jam morti proximus ait Joan. XVI.: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo.*

529. — II. Magistri exemplum secuti sunt Apostoli, quemadmodum eorum et gesta et scripta testantur. Petrus se tum Judaeis, tum gentilibus accommodare studuit quoad legalium observationem. Paulus acerrimus libertatis evangelicae propugnator de se ipso ait I. ad Cor. IX.: *Factus sum Judaeis tanquam Judaeus, ut Judaeos lucrarer.* Concilii Jerosolymitani decretum de sanguine et suffocato nihil aliud erat, quam statutum *temporarium*, quod prudens oeconomia tunc exigebat. In proponenda Christi doctrina et explicandis mysteriis eandem cautionem adhibuerunt Apostoli, sapientes medicos imitati, qui alia aliis remedia praescribunt, prout aegri varie sunt dispositi. Sic Petrus Act. II. et III., coram tota Judaeorum multitudine loquens divinitatem Christi nondum aperte praedicavit; iis autem, qui compuncti corde erant, *aliis etiam verbis plurimis testificatus est.* Sic et Paulus Apostolus Athenis in Areopago de Christo ita disseruit, ut ejus divinitatem hominibus ad credendum minime dispositis non aperiret; eos autem, qui alieni non erant ab excipienda veritate, paulatim ad fidem praepararet. Id praeclare explicat S. *Ambrosius: Lege*, inquit, *sermonem Apostoli apud Athenienses habitum. Ab uno Deo operatore mundi incipit, dicens: Deus, qui fecit mundum, et cuncta, quae sunt in eo. Negare non poterant, unum operatorem esse mundi, unum Deum, unum omnium creatorem: tunc venit ad Christum, nec tamen Deum maluit, quam hominem nuncupare. Qui enim tractat, debet audientium considerare personas, ne prius irrideatur, quam audiatur. Quomodo enim Athenienses crederent, quia Verbum caro factum est, et de Spiritu Virgo concepit, qui irridebant, quia resurrectionem audierant mortuorum? Quid interest, quo quisque credat ordine? Non in principiis perfecta quaeruntur, sed de principiis ad ea, quae perfecta sunt, pervenitur.*

530. — III. Si novum accommodationis systema nihil praeter id, quod modo expositum est, contineret, omni reprehensione careret: sed alia sunt omnino eorum, cum quibus nobis congrediendum est, consilia; ita enim omnia confundunt; ita Christi religionem ab omnibus, quibus foedata erat sordibus, ut ipsi dicunt, expurgant; ita hominum additamenta a sensu Christi,

litteram a spiritu, methodum a doctrina, localia, temporaria, statutaria aliaque, quae prudentis tantum oeconomiae foetus sunt, ab iis, quae semper, quae ubique, quae apud omnes valere debeant, distinguunt, ut praeter purum putidumque naturalismum in Christiana religione nihil remaneat. D. *Schaeffer* in dissert., quam in hanc materiam Moguntiae edidit, praecipuos novi systematis auctores et propagatores assignat *Semlerum*, *Tellerum*, *Bassedovium* et *Steinbartum*, quorum systemata exponit et refutat. Verum sacram exegesin apud protestantes ab eo tempore novos progressus fecisse, jam *a priori* concludi potest ex eorum perfectibilitatis principio. Nam cum nullos nunc limites patiatur effraena nova dicendi libido et ipsi summam delirandi, et divina omnia conculcandi licentiam summam rationem putent, nunquam gradum sistunt; nec in aliquo systemate quamvis satis impietatis habeat, ut saeculo nostro non indignum videri posset, immorandum putant; sed ad alia *perfectiora* incitate progrediuntur. Ideo puto, plurimis hodie ne illud quidem accommodationis systema sufficere. Illud enim systema excogitatum videtur a viris, qui cum omnem supernaturalem dispensationem negarent, tamen Christi et Apostolorum characteri parcere voluerunt, et ne eos tanquam fanaticos homines et impostores traducere viderentur, ad hoc quamquam miserrimum temperamentum confugerunt, ut dicerent eos ex prudenti oeconomia temporibus se et hominum genio accommodasse. Verum his quoque curis se expediunt temporis hujus novatores; idque facile sibi persuadebit, quisquis sententias expenderit *Kantii* et *Kantianorum*, *Barthii*, *Pauli*, *Cludii* aliorumque, quorum ne nomina quidem scire valde desideramus; nihil enim nostrum interest. Sic scire nobis sufficit multos existere malos perversosque genios omnis veri bonique inimicos, quamvis, quo illi nomine appellari debeant, aut quibus factis hucusque apud suos inclaruerint, nesciamus. Cf. *Sandbichler*, Stimme des Rufenden in der Wüste. — Ejusdem Darstellung der Regeln einer allgemeinen Auslegung. I. Hauptst. §. 12. S. 32. — *Theoduls* Gastmahl pag. 90 et seq.

PROPOSITIO.

Systema accommodationis in sensu Semleri et aliorum ex protestantibus falsum est, impium et omnem evertens revelatam religionem.

I. Falsum est.

531. — Probatur I. Falsum est, Christum quidquam dixisse aut egisse, quo erroris patrocinium suscepisse et Judaeos in falsis, quibus imbuti erant doctrinis, confirmasse videretur: econtra tum factis tum sermonibus gentis suae praejudicia impugnavit, atque ubicunque occasio se offerebat testimonium perhibuit; quod multis ex evangelio argumentis probari potest.

1° Quamvis legem ipse impleverit, eam tamen abrogandam esse pluribus in locis docuit. Matthaei XXIII. et XXIV. — Item Lucae cap. VIII, 6. — Joan. IV, 21.: *Venit hora, quando nec in monte hoc, nec in Jerosolymis adorabitis Patrem.* Huc imprimis pertinet parabola, quam Hierosolymis in templo docens principibus sacerdotum et Pharisaeis proposuit Matth. XXI, 33. et quam his verbis concludit v. 43.: *Ideo dico vobis, quia auferetur a vobis regnum Dei et dabitur genti facienti fructus ejus.*

2° Nihil altius Judaeorum animis impressum erat, quam splendida illa imago regni temporalis a Messia in omnes gentes proferendi. Hoc errore ipsos discipulos usque ad Christi adscensum irretitos fuisse scimus. At nullibi reperimus Christum aliquid egisse, quo vanam Judaeorum spem aleret; quin contrarium potius verbo et exemplo docuit. Legatur ejus oratio

in monte habita multaque alia, quae de humilitate, paupertate, patientia, mortificatione locutus est. Nihil in ejus parabolis frequentius occurrit, quam idea de *regno Dei*, de *regno coelorum*; quam ideae Judaeorum de regno Messiae terreno subjecit. Quid autem per illud regnum coelorum intelligi debeat, tum ex sancti Joannis praedicatione Matth. III. discimus, tum ex ipsius Jesu Christi verbis, quibus publicum ministerium auspicatus est: *Poenitentiam agite, appropinquavit enim regnum coelorum.* Matth. IV.

3° Christus quidem divinitatem suam, ne Judaeorum animos irritaret, non statim neque omnibus apertis verbis praedicavit; sed sensim tamen et cum cautione, atque signis magis et prodigiis, quam verbis eam ita manifestavit, ut lumen recto corde quaerentes dubii manere non potuerint. *Matth.* XVI. Discipuli eum ut Dei filium agnoverunt. Vide etiam *Joan.* VIII. et X.

4° Constat demum ex multis aliis scripturae locis Christum non tantum populi favorem non captasse, sed saepe et vehementissime ejus se erroribus opposuisse. *Joan.* VIII. eos non Abrahae filios esse dicit, sed diaboli: superstitiosam sabbati observationem pluribus in locis redarguit; quid ad tuendum templi honorem fecerit, contra id, quod longo usu introductum erat, *Joan.* II. et *Matth.* XXI. legitur etc.

5° Si Christus hominum gratiam aucupare voluisset, doctrinam suam ad eorum voluntatem accommodando, procul dubio alicui ex illis sectis se addixisset, quae aut principum, aut populi favorem habebant; verum illud tam parum egit, ut tumSadducaeorum, tum Pharisaeorum in se odium concitaverit. Pharisaeos imprimis, qui summa apud populum gratia valebant, acriter insectatus est (vide *Matth.* XXIII. et alibi). Ergo etc.

532. — Prob. II. Quod de Christo a nobis dictum est, id de Apostolis quoque valere, vel ex hoc solo constat, quod Christus eos miserit, sicut et ipse missus fuerat a Patre; quod Spiritu S. eos repleverit; quod sicut Apostoli ecclesiis aliam quam Christi doctrinam non tradiderunt, ita quoque ecclesiae traditam ab Apostolis doctrinam tanquam a Christo acceptam religiosissime custodierint.

II. Impium est.

533. — Probatur. Sententia adversariorum cum divino Christi charactere conciliari non potest; nihil sibi in ejus doctrina, totaque agendi ratione cohaereret; ubique contradictio et simulatio, veritatis pollicitatio et falsitatis confirmatio. Atqui haec dicere impium est. Ergo etc.

Prob. maj. Christus saepe de seipso loquens, ait se in mundum venisse, ut veritati testimonium perhiberet. *Joan.* XVIII. De se ipso dicit, quod sit via et veritas. *Joan.* XIII. Ad opera sua provocat: *Opera quae ego facio testimonium perhibent de me.* Joan. V. Nihilominus in sententia modernae exegesis Christus, cum se magistrum veritatis publice annuntiavit, contraria omnino veritati docuisset; ita quidem ut Judaeis nullum jam medium remansisset exuendi erroris, quem vidissent tanti magistri auctoritate, tot signis et prodigiis confirmatum.

III. Omnem revelatam religionem evertit.

534. — Probatur. Admisso novo hoc protestantium systemate ad *methodum* referri poterunt, vel ut *localia* et *temporaria* haberi, quaecunque cum interpretis opinionibus non cohaerent. Imo ad hunc tantum finem excogitatus fuit novus scripturam explicandi modus; ut facillimum fiat cuilibet et liberum, quidquid positivum est et supernaturale, ex doctrina Christi expungendi; quod autem hac ratione omnis revelationis fundamenta subvertantur, per se apertum est.

ARGUMENTA CONTRARIA.

535. — Argum. I. Scriptura ipsa duas distinguit hominum classes; alios vocat πνευματικους, seu *spirituales*, alios σαρκικους, *carnales*. Hi sunt, qui sensibus magis, quam menti serviunt, neque rationem habent satis excultam, ut possint rerum externarum adminiculo carere. Ad hanc classem Christi et Apostolorum tempore omnes fere tum Judaei, tum gentiles pertinebant, quorum indoli et ingenio, ut se accommodarent Apostoli, externa illis et sensibilia objiciebant, puta, ritus sacros, vitam et historiam Christi externam, miracula etc. Spiritualibus autem vita Christi interna, id est spiritus sub cortice historiae latens, seu doctrina morum, qua ad sanctitatem vitae informamur, semper suffecit; atque hodie imprimis sufficere potest Christi sectatoribus, qui vana Judaeorum et paganorum praejudicia jam diu exuerunt. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Qui ita concludunt, et hac ratione scripturae verbis alienum sensum supponunt, praeter magnam mentis perversitatem nihil probant; neque ab illis, qui aperte scripturis et revelatae religioni bellum indixerunt, alia ratione differunt, quam quod hostilem animum aliqua reverentiae simulatione obtegant. Quis unquam ita desipuit, ut putaret, quidquid in religione Christiana externum est, ad eam proprie non pertinere? Historiam Christi, vaticinia, miracula auferri posse a religione, quin ipsa in sua necessaria constitutione immutetur? Ad Christi religionem non pertinebunt, quae eam quam maxime ab omni alia distinguunt, quae a Christo et Apostolis tanquam fundamenta posita sunt, quibus voluerunt omnium saeculorum fidem sustineri? Ergo ipsa Christi resurrectio, ad quam ille toties in vita sua appellavit, de qua Apostolus expressis verbis ait[1]): *Si Christus non resurrexit, inanis est praedicatio nostra, inanis est et fides nostra, invenimur autem et falsi testes Dei;* haec ipsa resurrectio, tanquam factum historicum ad Christianam religionem non spectabit! Non terrent haec novos interpretes; quin potius haec ipsi non fatentur tantum, sed impudentissime affirmant. Verum, si facta Christi et Apostolorum, hac ratione quia externa sunt et ad historiam pertinent, repudiari possunt, quis quaeso, divinam Christi et Apostolorum missionem probabit? Vel haec facta vera sunt, vel falsa; si primum, an non etiam eruditis vera sunt? aut, an in eo forsan consistit liberalissima saeculi nostri sapientia, ut illa non pareat veritati, sed veritatem pro suo arbitrio fingat? Si autem falsa sunt, quae in evangelio narrantur, cur rudes in negotio salutis errore decipiuntur? Cur illis tantopere commendatur scripturae lectio, cui credere tuto non possunt? Aut quis regulas assignabit, quibus ea, quae omnibus creditu necessaria sunt, ab illis distinguuntur, quae temporalia, localia, statutaria sunt? Aperte abutuntur adversarii distinctione illa inter homines, qui κατὰ σάρκα, et illos, qui κατὰ πνεῦμα ambulant; nam alius omnino est sensus loci illius, quam persuadere ipsi vellent lectoribus suis; et valde timendum esset neotericis nostris interpretibus, ne, si ab Apostolo facienda esset discretio, in numerum των σαρκικῶν conjicerentur.

536. — Argum. II. Apud omnes in confesso est, Christum et Apostolos sese receptis inter Judaeos opinionibus accommodasse; ejusmodi sunt, quae de obsessionibus daemonum dicuntur, de morte Christi sub idea sacrificii et satisfactionis etc. Verum quae per meram accommodationem dicta sunt, ad doctrinam proprie non pertinent, sed ad methodum tantum, quam constat diversam esse posse pro

1) I *Cor.* XV, 14. 15.

hominum temporumque diversitate. Ergo etc.

Respond. nego majoris suppositum. Supponit enim Christum et Apostolos, ubicunque cum Judaeis senserunt, mera accommodatione usos fuisse, ac si Judaeorum religio tum temporis nihil nisi falsum, erroneum et superstitiosum habuisset. Multa illi ex scripturis et traditione tenebant vera et sancta. Ad haec prae aliis referenda est certa persuasio de scripturarum divinitate, humani generis reparatione, peccatorum per sacrificia expiatione: de malorum daemoniorum, hominumque ab illis obsessorum existentia etc. Adversariorum esset probare, ea, quae de possessis a daemone in scriptura narrantur, salva librorum sacrorum veritate, morbis adscribi posse. Probandum esset, Judaeos ex falsa opinione pro peccatis sacrificia obtulisse, ut offensum numen placarent; libros quos semper ut sacros venerati sunt, divinam originem non habere. Sed haec aliaque ejusmodi nemo hucusque demonstrare potuit; contrarium contra tota scriptura clamat. In exemplum afferri non possunt falsa quaedam Judaeorum praejudicia, quae successu temporis evanuerunt; aut statuta mere disciplinaria, postmodum immutata; nam de his ad alia consequentia duci non potest. Christus et Apostoli opiniones quasdam Judaeorum ut falsas ad tempus quidem tolerarunt, at approbarunt nunquam, sed ut evellerentur ex hominum animis constanter, sed cum prudentia et discretione laborarunt.

537. — Argum. III. Esto, facta et miracula Christi non posse in dubium vocari; id tamen certo admitti debet, haec miracula patrata tantum fuisse in confirmationem religionis naturalis a Christo et Apostolis clarius propositae; in hac siquidem religione naturali consistit vera Christi revelatio, quam universalem et perpetuam esse voluit. Qui hanc tenet, Christianus est; quidquid ad hanc non pertinet, pro libitu rejici potest, tanquam additamentum extrinsecus adscitum.

Resp. neg. ant. Manifestum est, hanc sententiam cum fide mysteriorum, quae Christiana religio complectitur, stare non posse; nam si Christus et Apostoli haec docendo per accommodationem locuti sunt, si omnia, quae religioni naturali superaddita fuerunt, inter localia haberi possunt, praeter merum Deismum nihil supererit. Actum erit de avita religione, et in locum divinorum dogmatum succedet rationis nomine palliata impietas.

Porro quis non miretur acutissimam et accuratissimam hominum istorum concludendi rationem? Christus et Apostoli mysteria proposuerunt humanae rationi impervia, quae scandalum erant Judaeis, gentibus autem stultitia. Nihilominus cum haec dicerent Christus et Apostoli, tempori servierunt, hominum ingenio et opinionibus sese accommodarunt!

ARTICULUS IV.

De versionibus scripturae sacrae.

OBSERVANDA.

538. — I. Omnes fere V. T. libri lingua Hebraica conscripti fuerunt, paucis tantum exceptis; novum testamentum fere totum Graecis litteris exaratum fuit, haec enim lingua Apostolorum tempore plurimas gentes occupaverat. Quamvis communis sit opinio, Matthaeum evangelium suum, et Paulum epistolam ad Hebraeos hebraice scripsisse, seu potius sermone Syrico-chaldaeo; in hac tamen lingua hodie non extant. Evangelium S. Marci et epistolam ad Romanos latine scripta fuisse nullis solidis rationibus probari potest.

539. — II. Quoniam Hebraei post captivitatem Babylonicam lingua Chaldaica tanquam vernacula utebantur, textus Hebraeus transferri coepit in idioma Chaldaicum. Ejusmodi explica-

tiones aut interpretationes Chaldaeis *Targum* vocantur. Versio Chaldaica in libros V. T. proto-canonicos, quae in bibliis polyglottis habetur sub nomine paraphrasis Chaldaicae, in tres partes dividitur. Prima Pentateuchum complectitur et auctorem habet *Onkelos*, qui 40 annis ante Christum scripsisse dicitur. In libros, qui a Judaeis prophetici dicuntur, paraphrasin edidit *Jonathan*, *Ben-Uziel*, quem ajunt celeberrimi *Hillelis* discipulum fuisse et *Onkeloso* coaevum. De *Ben-Uziel* vide lettre I. de M. *Drach* p. 57. Paraphrasis in libros hagiographos Rabbi *Joseph* attribuitur, qui caecus vel luscus erat, et quem saeculo tantum IV. post Christum vixisse censent critici. Triplex hic targum *Babylonius* vocatur, et multum differt ab eo, quem Hierosolymitanum nominant, quique admodum mutilus est, stylo impurus et fabulis refertus.

540. — III. Existit etiam translatio Syriaca ex Hebraeo expressa, „quam, ut ait *Waltonus*[1]), non multum post Apostolorum tempora factam esse, constans est Orientalium traditio, nec desunt argumenta, quae idem suadent. Publice per Orientem in ecclesiis legitur." Hanc versionem primus pro Europaeis in lucem produxit *Michaël Lejay*, in polyglottis Parisiis editis; emendatior tamen et auctior legitur in polyglottis Londinensibus, et plerosque etiam ex libris deutero-canonicis complectitur. Id imprimis notandum, quod ab hodierno Hebraeo codice non raro discrepet, cum nostra autem Vulgata mire consentiat. Quod aliam attinet versionem Syriacam V. T., quae ex LXX interpretum versione concinnata fuit, et nullius fere nominis est, videri potest *Rich. Simon* hist. crit. V. T. lib. II. Sua tamen utilitate non caret Syriaca versio N. T. ex Graecis codicibus, non a S. Marco, sed longo post tempore incerto auctore adornata.

1) Bibl. polygl. proleg. V. n. 84.

541. — IV. Prima et omnium antiquissima scripturae versio est illa LXX interpretum, quam constat ex Hebraeo in Graecum sermonem traductam fuisse sub Ptolomaeo Philadelpho, annis ante Christum fere trecentis. Nihil est in interpretationis hujus historia, quod non in controversiam adductum fuerit; ne illud quidem cum certitudine definiri potest, quam scripturarum partem illi interpretes fuerint interpretati: an legem tantum, an omnes libros Hebraeorum litteris conscriptos. Id certum, libros V. T. omnes ex Hebraeo graece versos extitisse ante Christi et Apostolorum tempora, nam Christus et Apostoli ex Graeco loca V. T. produxerunt. Exinde tantam illa interpretatio auctoritatem consecuta est, ut ecclesia Graeca nulla alia quovis tempore usa sit. Quid de hac interpretatione senserint, et quanti eam fecerint veteres ecclesiae Patres, satis notum est: *Apostoli consonant*, ait S. *Irenaeus*, *praedictae interpretationi et interpretatio consonat Apostolorum traditioni*. Imo non pauci in ea fuerunt persuasione, interpretes speciali Dei auxilio fuisse adjutos. S. *Augustinus* lib. XVIII. de civitate Dei ait: *Spiritus qui in Prophetis erat, quando illa dixerunt, idem ipse erat in LXX viris, quando illa interpretati sunt.* Addiderunt quidam cellularum fabulam, quam *Hieronymus* explodit praefat. in Pentateuch.

542. — V. Versiones Graecae *Aquilae*, *Theodotionis* et *Symmachi* post Apostolorum tempora editae sunt. *Aquila*, qui ex Christiano Judaeus factus est, versionem suam evulgavit sub Hadriano imperatore anno 130. *Theodotion*, pariter apostata, primum Marcionita, deinde Judaeus fuit; ejus versio, quam anno circiter 180 sub Marco Aurelio vel Commodo confecit, propter magnam quam habet cum LXX interpretatione consensionem, ita a veteribus probata fuit, ut in plena editione V. T., ubi LXX deficerent,

ponerentur supplementa ex Theodotione. *Symmachus*, Samaritanus, Christianam religionem amplexus ad Ebionitarum sectam transiit. Scripsit circa annum 200 Septimio Severo imperante. Versiones istae in odium versionis LXX ab apostatis et Judaizantibus factae, licet illis usi sint vetères in scriptis suis, nunquam tamen ab ecclesia publice receptae et approbatae sunt.

543. — VI. Quatuor versiones Graecas hucusque enumeratas Origenes incredibili labore in unum volumen collegit, distributa in quatuor columnas pagina. Biblia haec quadripartita ab auctore *Tetrapla* inscripta sunt; a τετραπλοῦς, quadruplex. Cum deinde etiam ad Hebraicum textum animum adjecisset, secundam adornavit editionem, quae *Hexapla* vocatur et sex columnis 1⁰ textum Hebraicum continet Hebraico charactere; 2⁰ eundem Graecis litteris expressum; tum quatuor jam nominatas Graecas versiones. Prodiere postea duae aliae versiones Graecae, Prophetas minores, Psalterium, et Canticum Canticorum amplectentes, quae quoniam ignoti auctoris erant, dictae sunt quinta et sexta. Ambae in gemina columna *Hexaplis* adjectae *Octapla* effecerunt. Demum septima adhuc versione addita enata sunt *Enneapla*.

544. — VII. Quod versiones Latinas attinet, ait *Waltonus*, multae olim erant ex Graeco factae, ita ut vix numerari potuerint, ut ait S. *August.* lib. II. de doctrina Christiana; quisquis enim Graecae linguae vel mediocrem cognitionem assecutus erat, protinus ad vertendum se accingebat. Inter reliquas tamen una eminebat, quae *Itala, Vulgata, communis* aut *vetus* appellata est. Hanc prae ceteris commendat S. *August.* loco citato: *Est enim*, inquit, *verborum tenacior, cum perspicuitate sermonis. Vetus* vocata est, quia omnium Latinarum versionum antiquissima erat, et, uti communiter creditur, a viro aliquo apostolico primis nascentis ecclesiae temporibus adornata. Interim tamen magis in dies, magisque excrevit Latinorum codicum multitudo et varietas, resque ita in confusionem adducta est, ut necessarium visum fuerit, integram codicum emendationem instituere. Pium aeque ac arduum opus suscepit S. *Hieronymus*, multis amicorum precibus, atque jussu, ut ipse ait [1]), S. *Damasi* Papae excitatus. Imo ut Judaeorum ora obstrueret, qui Latinam versionem ex Graeco τῶν LXX confectam, tanquam ab Hebraeo textu in multis dissentientem carpebant, veteris testamenti libros ex Hebraeo in Latinum transtulit. Hanc ejus interpretationem, quamvis multos ab initio contradicentes habuerit, sensim tamen universa ecclesia Latina recepit.

545. — VIII. Ita demum enata est *Vulgata* nostra, quae partim ex antiquissima editione Latina constat, quam *August.* Italam vocat, partim, et quidem quoad maximam partem ex versione *Hieronymi* ex Hebraeo facta. Ex antiqua versione habemus 1⁰ novum testamentum a S. *Hieronymo* tamen Graecae fidei redditum. 2⁰ Ex V. T. libros Sapientiae, Ecclesiastici, Machabaeorum, Baruch cum Jeremiae epistola. Remansit quoque Psalterium ex antiqua editione, quod huic assueti fuerint populi. Porro in illis etiam libris, qui ex S. *Hieronymi* translatione assumti sunt, Vulgata nostra non raro relicto textu Hebraeo sequitur LXX, ut plurima loca aperte ostendunt. Vide *Schaeffer*, Institut. script. parte I. sect. I. cap. IV. §. III. item Dissertat. sur la Vulgate. Bible de Vence lis. I.

546. — IX. Haec itaque *Vulgata* illa versio est, quae a saeculo VII. in tota ecclesia Latina communi usu recepta fuit, et quam concilium Tridentinum authenticam declaravit. Haec sunt verba concilii sess. IV. decreto de editione et usu librorum sacrorum: *Sacro-*

1) Praefat. in evangel.

sancta synodus, considerans non parum utilitatis accedere posse ecclesiae Dei, si ex omnibus Latinis editionibus, quae circumferuntur sacrorum librorum, quaenam pro authentica habenda sit, innotescat; statuit et declarat, ut haec ipsa vetus et Vulgata editio, quae longo tot saeculorum usu in ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, praedicationibus et expositionibus pro authentica habeatur; et ut nemo illa rejicere quovis praetextu audeat, vel praesumat. Haeretici Vulgatae auctoritatem, quantum possunt, deprimunt, non tam amore veritatis quam odio in concilium Tridentinum et ecclesiam catholicam.

PROPOSITIO I.

Latina utriusque testamenti versio, quae Vulgata dicitur, a Tridentino jure merito declarata est authentica.

547. — Prob. I. Illa versio merito authentica declarata est, quam multi et magni in ecclesia doctores commendarunt et quam ecclesia, quae est columna et firmamentum veritatis, a mille jam et amplius annis publico usu approbaverat: atqui talis est Vulgata nostra. Ergo etc.

Major certa est. Nec enim fieri potuit, ut pars ecclesiae longe numerosior, ad quam etiam Romana pertinet ecclesia, caeterarum mater et magistra, nullam per tot saecula habuerit verbi divini legitimam versionem et interpretationem, in iis imprimis quae ad fidem et mores pertinent.

Prob. min. Constat a S. Gregorii M. tempore, i. e. a saeculo septimo ineunte Latinam ecclesiam hac sola versione usam fuisse. Hanc populo explanarunt ecclesiae pastores et verbi divini praecones; hanc doctores et concilia adhibuerunt contra haereticos; hanc commentariis illustrarunt interpretes.

548. — Prob. II. Versio nostra Vulgata ex antiquissimis et probatissimis versionibus coaluit; et quoad maximam partem opus est S. *Hieronymi.* Quae autem *Hieronymi* non sunt, ex illa antiqua editione retenta fuerunt, quam diu ante hujus doctoris tempora in ecclesia Latina maxime in usu fuisse constat, et quam S. *Augustinus* aliique PP. omnibus aliis versionibus anteponunt. Sed et has quoque partes, quemadmodum et N. T. libros S. *Hieronymus* partim ex Graecis fontibus, partim ad versionem LXX in Hexaplis emendavit.

Jam vero negare nemo potest S. *Hieronymum* omnibus tum naturae et artis, tum et gratiae donis ad hoc opus fuisse instructum. Hunc S. *Augustinus*[1]) vocat hominem doctissimum et trium linguarum peritissimum, cujus totum litterarum laborem Hebraei fatentur esse veracem. Erat in eo laboris summa tolerantia et rerum divinarum humanarumque multijuga cognitio; ingenium acre et in omni litteratura excellens. Hebraicae linguae studio usque ad extremam senectutem operam dedit, nec laboribus parcens, nec sumtibus, tum ut optimos magistros, tum ut optima exemplaria compararet. His accedit asperrimum vitae genus ab omni mundi consortio seclusum, cum assidua oratione et tenerrima pietate conjunctum et illa tam crebra alienarum orationum efflagitatio, ut eodem spiritu, quo scripti sunt libri, in Latinum eos posset transferre sermonem. Unde illud Prosperi de ipso elogium:

Hebraeo simul et Grajo Latioque venustus
Eloquio, morum exemplum mundique magister.

549. — Prob. III. *Ex confessione protestantium.* *Beza* in editione N. T. an. 1559 eam omnibus Latinis versionibus anteferendam esse affirmat. *Paulus Fagius* a *Waltono* citatus cap. IV. versionis suae Latinae paraphrasis Chaldaicae ait: „Non est temere nata Vulgata editio, ut quidam stulte et

1) Lib. XVIII. de civit. Dei.

imprudenter clamitant.“ *Ludovicus de Dieu*, linguarum peritia conspicuus, de Vulgatae auctore ita scribit: „Si Vulgatum interpretem, quisquis is tandem fuerit, doctum, imo doctissimum virum fuisse asseram, non me peccasse judicavero. Suos habet naevos fateor, habet et suos barbarismos; sed quin passim ejus fidem judiciumque admirer, etiam ubi barbarus videtur, negare non possum.“ Idem sentit *Grotius* in praefatione annotationum suarum in vetus testamentum ubi rationem reddit, cur ad Vulgatam quasi textum notas suas referat. Item *Casaubonus* et alii inter protestantes doctissimi viri.

PROPOSITIO II.

Tridentina synodus Vulgatam authenticam declarando eam Hebraeis et Graecis fontibus non anteposuit, neque ab omni mendo puram esse definivit.

550. — Prob. I. pars. Si Tridentina synodus voluisset Vulgatam Hebraeis et Graecis fontibus anteponere, illud in suo decreto indicasset. Atqui tamen ea de re prorsus silet, Graeci et Hebraei textus nullam mentionem facit, cum illis Vulgatam nullatenus comparat; sed id solum decernere intendit, quaenam inter Latinas versiones habenda esset ut authentica. Ergo etc.

Minor probatur tum ex verbis decreti, tum ex testimonio doctissimorum virorum, qui concilio interfuerunt. „Nihil, inquit *Salmero* [1]), de exemplaribus Graecis et Hebraicis agebatur; tantum inter tot interpretationes Latinas, quas saecula nostra parturierunt, quaenam ex illis praestaret, sermo erat; liberum autem reliquit sancta synodus omnibus, qui scripturas sacras profundius meditantur, fontes Graecos et Hebraeos, quantum opus sit, consulere.“ Idem refert *Andreas Vega*, qui concilio maxima cum laude adfuit [1]), *Melchior Canus* [2]), *Pallavicinus* [3]), *Bellarminus* [4]).

551. — Prob. II. pars. Concilium suum de Vulgata decretum promulgando, mandavit, ut eam sedule diligenterque corrigerent viri eruditissimi. Ergo eam non credidit omnis prorsus mendi expertem. Post multos labores jussu summorum Pontificum in id opus collatos *Pius* V. Vulgatam edidit emendatam; nihilominus jussu *Clementis* VIII. denuo expurgata et ad eum statum perducta fuit, in quo nunc extat. Verum ne haec quidem denuo castigata et limata editio ab omni mendo libera est, fatentibus illis ipsis doctissimis viris, qui in ea emendanda operam posuerunt. „Scias velim, ait *Bellarminus* ad Lucam Brugensem, biblia Vulgata non esse a nobis accuratissime castigata; multa enim de industria multis de causis pertransivimus, quae correctione indigere videbantur.“ Ergo etc.

ARGUMENTA CONTRARIA.

552. — Objiciunt I. Nec jure, nec prudenter egit ecclesia, cum Vulgatam authenticam declaravit. Ergo etc.

Resp. neg. ant. 1° Jure id facere potuit ecclesia, quia ipsi concreditum est depositum fidei. Ipsi donum inerrantiae a Christo concessum, ut satis hucusque probatum fuit. Nam si ecclesia non poterit absque errandi periculo declarare, quodnam genuinum Dei verbum sit, quae legitima ejus versio; quomodo de rebus fidei judicabunt episcopi, quorum semper pauci habentur, qui scripturam in ipsis fontibus legere possunt? „Vel in scriptura Latina, ait *Melchior Canus* [5]), aliquod falsum continetur, quod ad fidem moresque pertineat: vel e contrario verum est, quod nobis ubique

1) Proleg. III.

1) Lib. XV. de justific. cap. IX. 2) Lib. II. cap. XV. 3) Hist. conc. Trid. lib. VI. 4) De verbo Dei lib. II. cap. X. 5) Loc. theol. lib. II. cap. XIII.

tradit. Si verum est, id confirmare nitemur. Sin falsum, jam ecclesia Romana atque Latina, in qua vel sola nunc temporis fides catholica perseverat, circa ea, quae fidei sunt, graviter aberraret."

553. — 2° Prudenter egisse ecclesiam ex eo patet, quod nulla alia ratione occurri potuerit versionum multiplici varietati, quam scripturae depravatio necessario consequitur. Scimus quanta Hieronymi tempore nata fuerit confusio, cum tot pene vulgabantur exemplaria, quot codices: magna igitur Dei providentia tunc factum est, ut S. *Damasi* Papae sollicitudine et S. *Hieronymi* laboribus ecclesia concordem scripturarum unitatem acceperit. Cum autem haec unitas in summum periculum denuo adducta fuerit novatorum tempore, providentissime decretum illud concilii editum est, quo versionum dissensio inter catholicos saltem praecaveretur. Nihil providam hanc ecclesiae catholicae sollicitudinem magis commendat, quam novatorum exemplum. Quamprimum enim contempta traditione novas interpretationes sectari coeperunt, tot diversae et inter se dissentientes versiones excusae sunt, ut nihil fere certi ex eorum editionibus haberi potuerit. Inde illud *Lutheri* contra *Zwinglium*: „Si diutius steterit mundus, iterum erit necessarium, ut propter diversas scripturae interpretationes, quae nunc sunt, ad conservandam fidei unitatem conciliorum decreta recipiamus, atque ad ea confugiamus." Cf. *Bellarm.* de verbo Dei lib. II. cap. X.

554. — Objiciunt II. Non potest authentica haberi ea versio, quae erroribus scatet innumeris: atqui talis erat Vulgata editio, praesertim concilii Tridentini tempore. Ergo etc.

Resp. dist. maj. Quae erroribus scatet contra fidem et mores, *conc.* Quae errores continet leviores, et extra fidei et morum materiam, *nego.* Haeretici nihil hucusque in Vulgata invenerunt, quod fidei aut bonis moribus repugnaret. Menda levioris momenti in eam irrepsisse fatemur, quae aliquam hinc inde obscuritatem pariunt. Verum concilium eam approbando simul mandavit, ut diligentissime emendaretur, eamque curam summis Pontificibus detulit. „Eatenus voluit (concilium) eam authenticam haberi, ait *Andreas Vega*, qui ipse concilio interfuit[1]), ut certum omnibus esset, nullo eam foedatam errore, ex quo perniciosum aliquod dogma in fide et moribus colligi posset." Seu, ut Pallavicinus habet[2]), eam non fuisse data opera corruptam in quacunque parte. Porro vocem *authenticum* theologi a jurisperitis mutuati sunt; hi authenticum vocant scriptum illud, quod ex se fidem facit, ita ut a nullo rejici, vel in quaestionem vocari debeat. Hoc sensu Vulgata speciali quadam ratione authentica est, qui proponitur ab ecclesia ut sufficiens ad fidem in controversiis religionis faciendam. Vide *Natal. Alexand.* saec. IV. Dissert. 39. art. V. *Bonfr.* praeloq. cap. XV. sect. III. Ad ejusd. praeloq. appendicem II. et appendic. V. quaest. III.

555. — Inst. I. Cardinales concilii interpretes declaratione edicunt, nihil admitti posse, quod Vulgatae editioni repugnet; nec periodum, nec clausulam aliquam, imo ne dictionem quidem, aut syllabam, aut unum jota. Ergo menda ipsa approbantur.

Resp. dist. ant. Edicunt, nihil admitti posse, id est immutari in ipsa Vulgata privata auctoritate *conc.*, auctoritate publica *nego.* Illa declaratio occurrit temeritati privatorum, qui obtentu versionis emendandae auderent aliquid in scripturis immutare. Hac quoque ratione explicari debet apparens aliqua contradictio inter *Sixtum* V. et *Clementem* VIII. Ille post primam correctionem Vulgatae editionis

1) Lib. XV. in conc. Trid. cap. IX.
2) Lib. VI. hist. conc. Trid. cap. XVII.

an. 1590 in declaratione editioni praemissa ait, eam esse emendatissimam, et ne ulterius corrigeretur prohibuit; attamen biennio post *Clementis* VIII. auctoritate nova prodiit et emendatior editio. Scilicet *Sixtus* V. id tantum voluit, editionem a se approbatam emendatissimam esse, quoad fieri potuit, attentis nempe quos habebat codicibus; prohibuitque ne quis privata auctoritate aliquid immutaret. At nulla lege cavit, aut cavere potuit, quominus successores ejus hanc curam resumerent.

556. — Inst. II. In emendata etiam Vulgata editione *Sixtino-Clementina* multa sunt, quae differunt a textu primigenio. Ergo etc.

Resp. I. Totidem et ejusdem generis varietates olim erant inter textum LXX et Hebraeum fontem, tunc adhuc multo puriorem. Tamen eadem Graeca versio primis saeculis habita fuit ut authentica.

Resp. II. Graviter hallucinantur protestantes, cum menda Vulgatae tanto studio exaggerant, ut jam dudum monstrarunt catholici interpretes. Vide *Goldhagen* introd. in script. S. tom. I. pag. 371. Ea, quae ab adversariis notantur, vel levia sunt; et consulto dissimulata et relicta a correctoribus, ne fideles nimia correctionis novitate turbarentur; vel propius considerata cum fontibus concordant. Non raro etiam diversitas ex ambigua et multiplici vocis Hebraicae significatione oritur, praesertim cum LXX interpretum et adhuc S. *Hieronymi* tempore, Hebraeum sine punctis vocalibus legeretur. Demum, si Vulgata ab hodiernis fontibus discordat, saepissime non Vulgatae error est, sed fontium, qui tam puri, ut olim, non fluunt, sed in multis a Judaeis et haereticis corrupti sunt. Hoc argumentum magnum exinde pondus acquirit, quod iis in locis, in quibus Vulgata ab Hebraeo discrepat, LXX cum Vulgata consentiant; patet ergo quod LXX ante Christum et S. *Hieronymus* post Christum aliter in Hebraeo fonte legerint, quam nunc in codice *Masoretico* legitur. Saepe etiam cum Vulgata consentit codex Samaritanus et aliae versiones antiquae. Nunc et illud argumentum facillime diluitur, quod adversarii ex *Hieronymi*, *Augustini*, *Damasi* Papae etc. testimonio desumunt. Si Patres illi ad Hebraeos et Graecos codices recurrendum esse dixerunt, et scientiae veritatem de fonte magis, quam de rivulis quaerendam; duplex hujus rei ratio assignari potest: prima, quod non tam turbidi fontes erant; altera, quod tunc Latinorum codicum varietas et dissonantia maxima erat, neque tolli commode poterat, nisi ad exemplaria Graeca et Hebraica Latina referrentur. At modo unam habemus et quidem authenticam Latinam editionem, fontes autem multo magis turbatos. Praeclare de his *Melchior Canus* lib. II. cap. XIV.

557. — Objiciunt III. Decretum concilii Trident. Romae valde displicuit, nec immerito; nam praecipitanter nimis confectum est eo tempore, quo pauci admodum episcopi praesentes fuerunt, iique in rebus theologicis parum instructi; parvarum tantum dioecesium praesules, et maxima ex parte Romanae Curiae servientes. Ergo etc.

Resp. Haec et alia *Pauli Sarpii* argumenta partim falsa, partim ex invidia multum exaggerata copiose refutavit *Pallavicinus* hist. conc. Trid. cap. XVII. Oppositio illa, quam decretum Trid. ab initio Romae expertum est, re melius perspecta versa est in commendationem. Nihil enim in re tanti momenti praecipiti judicio actum est; sed ea diligentia singula excussa sunt, quae multis videri posset scrupulosa, ut ajunt legati in litteris ad Farnesium datis. In concilio tum aderant ex omnibus fere Christiani orbis partibus episcopi scientia et pietate illustres; aderant Cardinales omni doctrinarum genere praestantes, inter quos Cardinales *Polus* et *Cervinus;* aderant theo-

logi Europae praestantissimi; aderant doctissimi, ut ipse *Sarpius* fatetur, Generales Ordinum et Abbates. Unde autem habet *Sarpius*, episcopos parvae dioecesis non posse magnos esse theologos? Sed neque illud intelligi potest, quomodo fieri potuerit, ut episcopi Romanae Curiae serviliter addicti decretum conderent aulicis Romanis infensum. Ergo et hic mentita est iniquitas sibi.

558. — Objiciunt IV. Negari non potest, Latinam Vulgatam plurimis scatere orationis vitiis; ergo authentiae praerogativa perperam ei tribuitur.

Resp. I. Etiamsi concedatur antecedens, nihil ex eo efficitur contra Vulgatae auctoritatem, nam in publico instrumento et authentica interpretatione non attenditur ad styli elegantiam et sermonis puritatem, sed ad integritatem et fidem. Fidem autem eo magis meretur interpres, quo magis apertum est, nihil eum habuisse antiquius, quam ut sensum auctoris quam posset fidelissime redderet. Qui sermonis simplicitatem in Vulgata rident, ipsi se ridendos praebent et despiciendos, tanquam homines fatuos, quibus cura est magis inanium foliorum, quam fructuum; veritas in scripturis quaerenda est, non dictionis elegantia.

Resp. II. Attendant Latinitatis tyrones, ne cum Vulgatae nostrae barbariem objiciunt, ipsi suam magis inscitiam probent. Multa sunt, quibus *soloecismi* et *barbarismi* nota inuritur, quae usitata reperiuntur ab optimae notae auctoribus. Egregie hoc ostendit *Joan. Filesacus* erudita pro Latinitate Vulgatae scripta apologia, quae exstat tom. III. comment. *Menochii*. Cf. etiam praeloquiorum *Bonfrerii* cap. X. sect. I. ibid. Vide *Goldhagen* tom. I. pag. 384.

APPENDIX.

559. — Locus hic esset, quaedam disserendi de versionibus scripturae in lingua vulgari, et de communi et promiscua scripturae lectione, quam tantopere commendant protestantes. Verum cogit nos operis hujus brevitas sermonem quantum fieri potest in breve contrahere. Jam centies ostensum est adversariis, ecclesiam catholicam nunquam vetuisse, ne versiones scripturae fierent in lingua populo vulgari; multae enim ejusmodi in omni idiomate circumferuntur. Ab ipsis artis typographicae incunabulis editiones Germanicae editae sunt, non una, sed plures; quae si non praecessissent, procul dubio nec Lutheri versionem haberemus. Id autem ab ecclesia statutum, et quidem providentissime, ne versio scripturae in lingua vernacula emittatur, nisi ab ecclesia probata. Hujus enim est, depositum fidei servare; hujus et invigilare, ne scripturae alienus sensus infida interpretatione supponatur.

Quid autem sentiendum de scripturae sacrae lectione? An omnibus et singulis Christianis indiscriminatim permittenda? Novatores catholicos insimulant, quod populum Christianum a scripturae lectione arceant, ex qua tamen possent salutis praecepta decerpere. Verum iniqua est haec objurgatio, toties jam et cum tantis clamoribus repetita. Ecclesia neminem a scripturae lectione absolute prohibet; sed optime noscit, illa non semper prodesse etiam quae optima sunt; quando ea ferre non possunt, qui utuntur, vel propter mentis imbecillitatem, vel propter pravum animi affectum; noscit in domo bene ordinata non omnibus promiscue ad cellam vinariam aut penuariam aditum patere, sed curandum patrifamilias, ut cuilibet id distribuatur, quod non satis tantum sit, sed et salubre et utile. Sic et fortior cibus, quo optime aluntur et crescunt bene valentes, in perniciem vergit iis, qui eo sustinendo et digerendo incapaces sunt. Clara haec sunt et obvia. Quid autem? An ea non vident,

non intelligunt protestantes? Absit, ut dicamus, viros doctissimos, qui inter ipsos sunt quam plurimi, illud non videre, quod etiam idiotis manifestum est. Nihilominus eadem semper repetunt, vana et obsoleta; non enim aut suorum, aut nostram salutem volunt, sed fucum facere suis, et nobis convitiari. — Interea catholicus fidem suam habet certam et tutam. Ecclesiae suae credit, ab ecclesia accipit scripturas, ab ecclesia sensum quaerit scripturarum. At protestantes quo se vertant nesciunt. Ad scripturas mittuntur. Sed quomodo scripturas legent homines, qui vix litteras noscunt? Aut quomodo ex scripturis veritatem eruere possunt, cum, an veram scripturam habeant, an rectam interpretationem habeant, an sensum rite intelligant, nesciant, nec ipsi judicare possint? O miseri homines, et miserrime decepti[1])!

1) Huc spectant illa S. *Hieronymi* in epistola ad Paulinum de studio scripturarum: „*Quod medicorum est, promittunt medici; tractant fabrilia fabri. Sola scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vindicant. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi praesumunt, lacerant, docent, antequam discant. Alii adducto supercilio, grandia verba trutinantes, inter mulierculas de sacris litteris philosophantur.*“ Ubi semel invaluerit haec scripturas pro libitu legendi et interpretandi licentia, nihil potest in religione certum et firmum relinqui; sed, ut *Vincentius Lerinensis* tam vere, quam eleganter ait, erit ibi deinceps errorum lupanar necesse est, ubi erat ante castae et incorruptae sacrarium veritatis. Unde non defuerunt etiam inter protestantes viri sanioris judicii, qui ultro confessi sunt, magnam insaniam esse, siquis asserat, imperitam multitudinem, cui nec ratio inest, nec judicium, posse ex solis scripturis veritatem intelligere. Quare magis miror, ex nostris reperiri, qui cum de hac re tractant, si non ecclesiae pastores ipsi insimulant, tamen tergiversantur, et timide ac haesitanter loquuntur reorum more, qui objecta sibi crimina, si omnino diluere non possunt, extenuare saltem et excusare conantur. Ita illi ecclesiae suae causam agunt, gratiam quasi efflagitantes iniquorum judicum, qui ex nostra tantum pusillanimitate fortes sunt, et ex nostra timiditate confidentes. Ecclesia excusatione non indiget; et qui ejus decreta, eo quo condita sunt, sensu interpretatur, deprehendet, eam leges semper temporum et personarum indigentiis sapientissime attemperasse; atque nullius rei magis esse sollicitam, quam ut intacta servetur et incorrupta veritas, et inconsultus hominum illorum zelus cohibeatur, qui absque missione et auctoritate biblia ubique spargunt, ac rudi etiam plebeculae obtrudunt. Merito timet ecclesia, ne intempestivi eiusmodi scripturarum propagatores ex eorum numero sint, de quibus Apostolus ait (II Cor. XI, 13.): *Ejusmodi pseudo-apostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi.* Multa adhuc dicenda occurrerent, multa ex pleno animo effluerent; sed satis est. Ceterum hanc quaestionem, egregie et cum magno argumentorum ac rationum pondere expositam reperies in opere, cui titulus: Sind die Vorschriften der römisch-katholischen Kirche in Ansehung des Verbotes, die heil. Schrift in der Landessprache zu lesen, mit Grund ärgerliche Verordnungen zu nennen? Beantwortet von *Lothar Franz Marx.* Frankfurt 1819. — Hoc opus discipulis nostris quam maxime commendamus.

CAPUT SECUNDUM.

De verbo Dei tradito.

560. — De verbo Dei scripto diximus, nunc de verbo non scripto, seu de traditione dicendum. Traditio enim qualem hic intelligimus, est ipsum Dei verbum in scripturis sacris non contentum, sed vivae vocis oraculo quasi per manus ad nos usque transmissum. Summa semper fuit in ecclesia traditionis auctoritas et prorsus eadem quam verbi Dei scripti. Nam auctoritas verbi Dei a charta et atramento pondus et momentum non obtinet, sed ab ipso Deo, cujus est verbum. Sed neque aliunde sensus genuinus scripturae, quam ex traditione et testimonio ecclesiae haberi potest. Cum enim multa in sacris libris contineantur obscura et difficilia intellectu; sensus

verborum aliis fuisset scripturis, ac velut commentariis ab ipsis Apostolis explicandus, nisi intelligentiam eorum discipulis suis viva voce tradidissent.

561. — Protestantes fortiter contendunt, omnes fidei et religionis controversias sacrarum scripturarum testimoniis finiendas esse; traditionem ad probanda dogmata nihil valere. Antiquior hic error erat et longe ante Lutheri tempora natus. Hunc *Wicleffo Thomas Waldensis* [1]) tribuit, hunc temporis sui haereticis quibusdam S. *Bernardus* [2]). Hujus accusantur *Ariani* a S. *Epiphanio* [3]), *Eunomius* a *Basilio*, *Valentinus* et *Marcion* ab *Irenaeo* [4]). Nunc illum proprium sibi fecerunt protestantes, hocque tanquam fundamentum posuerunt suae reformationis, nihil praeter scripturas sacras divinam auctoritatem habere; hanc vero ad plenam doctrinae Christianae cognitionem sufficere. Sunt tamen aliqui, qui non omnem traditionem absolute rejiciunt, sed eam fatentur utiliter ad scripturae intelligentiam adhiberi posse, tanquam subsidium aliquod, quo dogmata revelata ex scriptura, unico veritatum divinarum fonte facilius eruantur. Demum cum multa ab Apostolis viva voce dicta et praedicata fuisse negare non possint, asserunt ejusmodi traditiones, si quae fuerunt, fidei regulam constituere non posse; cum probari non possit, eas ad nos usque puras et incorruptas pervenisse.

Contra protestantium errores tria demonstrare conabimur. 1° Scripturam unicum revelationis fontem non esse. 2° Existere veras et proprie dictas traditiones divinas. 3° Aeque certos nos esse de iis, quae per traditionem didicimus, quam de iis, quae in verbo Dei scripto continentur.

1) Lib. II. cap. XIX. 2) Homil. LXVI. in Cantica. 3) Haeres. LXXIII. et LXXV. 4) Lib. III. advers. haeres. cap. II.

ARTICULUS I.

Verbum Dei scriptum unicus revelationis fons nec est, nec esse potest.

OBSERVANDA.

562. — Protestantes, qui Lutheri, Calvini, Zwingli vestigia pressius sequentes nullam omnino regulam aut normam credendi praeter scripturas admittunt, in eas se coarctant angustias, ex quibus nulla ratione possunt se expedire, ut fuse praeter caeteros demonstrat *Melchior Canus* in locis theol. Necesse enim est, ut admittant, sola scriptura fundatas esse ecclesias, propagatam conservatamque inter fideles fidem Christianam; in libris N. T. totum religionis complexum contineri; demum nihil obscuritatis in scripturis esse, sed aperta omnia esse et perspicua. Nostrum est ostendere, vana haec esse protestantium effugia, atque ita contra scripturas ipsas et communem sensum pugnantia, ut vix confutatione indigeant.

PROPOSITIO I.

Scriptura sacra non fuit medium primigenium propagandae et conservandae religionis.

563. — Prob. Ex historia religionis Christianae constat, ecclesiam esse scripturis antiquiorem, ac proinde fidem Christi inter gentes fuisse diffusam, atque immotam stetisse absque scripturae adminiculo. Christus ipse nihil scripto reliquit, imo ne praecepit quidem, ut aliquid scriberetur. Non ait: Euntes scribite, sed: *praedicate evangelium omni creaturae!* Marc. ult. Constat quoque Apostolos plerosque nihil scripsisse, ceteros autem nonnisi post promulgatum evangelium. Ergo traditae jam per praedicationem doctrinae scripta demum accesserunt; atque ita accesserunt, ut fidei doctrina suam auctoritatem non a scripturis acciperet, sed scripta magis ad traditae jam doctrinae normam expenderentur.

564. — Corollarium. *Ergo Christus scripta testimonia unicum suae revelationis criterium esse non voluit.*

Prob. Si Christo propositum fuisset verbum Dei coarctandi et restringendi ad scripturam, imprimis rem tanti momenti Apostolis indicasset, eisque praecepisset ut scriberent. Atqui Christum illud non praecepisse ex Apostolorum agendi ratione clarum est. Hi enim nullibi testati sunt, se ex Dei mandato scribere; tardius et nonnisi necessitate quadam compulsi animum ad scribendum applicuerunt; neque claram doctrinae Christianae expositionem in scriptis suis reliquerunt, sed quaedam tantum ad religionem pertinentia oblata occasione attigerunt.

PROPOSITIO II.

Scriptura sacra non est perfecta eo sensu, quod totam Christi religionem complectatur.

565. — Prob. I. Eam Christi mentem non fuisse, ut scriptura esset unica, adeoque perfecta credendorum regula prop. I. probavimus. Atque legentibus N. T. libros obvium est, Apostolos nullibi sibi proposuisse, exactam articulorum fidei expositionem scripto relinquere.

Prob. II. Cum protestantes asserunt, totam Christi religionem in libris N. T. contineri; hanc suam doctrinam tam novam et totius ecclesiae, omniumque saeculorum persuasioni contrariam probare deberent aliquo certo et evidenti scripturae sacrae testimonio, quam ipsi ut unicam fidei regulam admittunt. Atqui nullum hucusque proferre potuerunt. Ergo etc.

Prob. III. Si omnia ad Christianam religionem pertinentia in scripturis continerentur, illud vel de singulis N. T. libris, vel de omnibus universim dici deberet; atqui de singulis id asserere nemo unquam ausus est; neque de omnibus universim id dici potest; cum illi libri a diversis auctoribus et in diversis locis scripti fuerint; et omnes sibi comparare vix quisquam eo tempore potuisset. Ceterum libros illos legentibus obvium est, nullum ex sacris auctoribus hoc sibi destinatum habuisse, ut integrum religionis systema construeret, neque omnes communi sententia in illud incubuisse. Singulares tantum fidei veritates proponunt; quasdam frequentius repetunt, alias nullo modo attingunt. Ergo etc.

Prob. IV. Si scriptura esset perfecta et fons unicus doctrinae Christianae, ante omnia instruere nos deberet, quinam libri ad sacram scripturam pertineant: atqui de hoc summi momenti dogmate omnino silet. Ergo etc.

Prob. V. Multa sunt, quae ipsi acatholici fatentur ad doctrinam et fidem Christianorum pertinere et quae expressa in libris sacris non reperiuntur. Nam perpetuam B. Virginis Mariae Virginitatem, descensum Christi ad inferos, Baptismum parvulorum, Baptismi ab haereticis collati valorem etiam protestantes admittunt. Sed haec aliaque in sacris litteris non habentur. Ergo etc.

PROPOSITIO III.

Scriptura sacra non est in omnibus clara et perspicua.

566. — Prob. I. Principium hoc, quod in scriptura plenissime et diluci de exposita reperiantur, quaecunque tum ad fidem pertinent, tum ad vitam recte informandam, tanquam principium religionis fundamentale habetur a protestantibus. Ergo deberet hoc ipsum principium plenissime et diluci de in scriptura expositum reperiri: atqui scriptura nullibi claritatem illam sibi attribuit; imo contrarium plurimis in locis exprimitur. Ergo etc.

Prob. min. De Paulinis epistolis ait princeps Apostolorum epist. II. cap. III, 16.: *In quibus sunt quaedam difficilia intellectu, quae indocti et instabiles depravant, sicut ceteras scriptu-*

ras ad suam ipsorum perditionem. Paulus ad Corinthios scribens, postquam dixerat (cap. II.) se perfectis sapientiam loqui in mysterio, pergit cap. III.: *Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis.* Eunuchus ille Actorum apostolicorum (cap. VIII.), vir religiosus et divinae legis diligens investigator, non poterat Isaiam intelligere, nisi aliquis eum doceret: *Quomodo possum* (intelligere), *si non aliquis ostenderit mihi?* Sed et Apostoli ipsi, quamvis a Christo instituti et Christi amantes, non intelligebant, quae de illo erant in scripturis praedicta, et Christus Luc. XXIV, 45. *aperuit illis sensum, ut intelligerent scripturas.* Ergo etc.

567. — Prob. II. *Ex consensu antiquissimorum ecclesiae doctorum.* Et quidem 1⁰ *ex eorum agendi ratione.* Nam si planus est et apertus scripturae sensus, cur viri illi pietate non minus quam doctrina insignes tantum temporis et laboris in hoc studio posuerunt; meditantes legem Dei die ac nocte, et quae alii in sacros codices commentati sunt, avidissime pervolventes? Cur ipsi tot commentarios in scripturas ediderunt? Cur tam assidui fuerunt in scripturae explicatione? Quis tam immensi laboris scopus alius fuit, quam ut obscuris scripturae locis lucem inferrent, atque iis potissimum, qui de rebus fidei aut morum agebant, aut quos fidei oppugnatores ad tuenda perversa dogmata adhibebant?

2⁰ *Ex eorum testimoniis variis.* Passim enim docent, scripturae sensum non a quolibet facile capi posse. Sicut *Clemens Alex.* lib. VI. Stromatum: *Neque enim Propheta, neque ipse Salvator adeo crasse et generaliter est elocutus divina mysteria, ut ea facile capi possent a quibuslibet.* Deinde subjungit scripturam intelligere eos, *qui ab ipso* (Christo) *declaratam scripturarum expositionem ex ecclesiastica regula retinentes conservant.* Idem docet *Origenes* pluribus in locis. Lib. IV. contra *Celsum* n. 21. ait: *Scripturae revera in multis locis sunt obscurae.* Taceo *Augustinum* aliosque plures, quorum testimonia collegit doctissimus *Serarius* in prolegomenis, et quae longo ordine indicata reperiuntur in praeloquiis *Bonfrerii* cap. IX. sect. II.

568. — Prob. III. *Ex innumeris, quae inter acatholicos exortae sunt circa scripturae sensum controversiis.* Omnes ad scripturas appellant, omnes scripturae verba ad sensum suum trahunt et torquent, omnes pari ratione sensum suum tuentur. Quid illo loco apertius, ubi Christus dixit: *Hoc est corpus meum?* Tamen ducentas hujus loci interpretationes collegit *Christ. Raspergerus* in dissertat. Ingolstadii impressa an. 1577. Dein, si tanta esset scripturae claritas, cur tot commentariis eam illustrarunt et adhuc illustrant viri inter protestantes eruditiores? Hujus laboris scopus alius utique non est, quam ut doctrina fidei et morum majori in luce collocetur.

569. — Prob. IV. *Ex acatholicorum testimoniis.* Ut de recentioribus sileam, qui ut novam suam et primis reformatoribus inauditam exegesin commendent, libenter confitentur, plerosque etiam inter eruditos hucusque in scripturae S. interpretatione hallucinatos esse; sufficiat ipsum reformatorum patriarcham audire Lutherum. Quamvis ille in articulis a *Leone* X. damnatis asserat claris verbis, quod scriptura *per se certissima sit, facillima, apertissima sui ipsius interpres,* tamen alibi (Praef. in Psalt.) inquit: *Scio impudentissimae esse temeritatis eum, qui audet profiteri, unum scripturae locum a se in omnibus partibus intellectum* [1]).

1) Superfluum esset plura in hanc materiam testimonia colligere. Quis enim inter protestantes, nisi fanaticus sit, hodie contendere audeat, omnes Christianae religionis articulos ex sola scriptura erui posse? Ex philosopho discamus, quid scriptura possit vivae vocis adminiculo destituta. En quae Plato habet in dialogo, quem *Phae-*

570. — Corollarium. *Ergo verbum Dei scriptum unicus revelationis fons nec est, nec esse potest.*

Prob. I. Illud non potest esse unicus fons revelationis, sine quo religio Christiana per orbem propagata fuit, ac per multos annos pura et incorrupta stetit. Atqui etc. Ergo etc.

Minor patet ex propositione I.

II. Scriptura non potest esse unicus fons revelationis, si non est perfecta, seu si non omnia doctrinae et fidei Christianae capita ex ea erui possunt. Atqui hoc ita se habet. Ergo etc.

Minor patet ex propositione II.

III. Ut scriptura unicus revelationis fons esse posset, deberet esse ita facilis et aperta, ut omnes omnium temporum et nationum homines in ea haurire potuissent puram et sinceram Christi doctrinam; atqui scriptura non est ita facilis et aperta. Ergo etc.

Minor patet ex propositione III.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

571. — Argument. I. *contra primam propositionem.* Valde probabile est, Apostolos, quando Christi doctrinam inter gentes disseminarunt, fidelibus historiam evangelicam aliosque sacros libros reliquisse, in quibus omnia ad fidem necessaria continebantur. Ergo etc.

Resp. nego anteced. Hoc *Joannis Clerici* et aliorum quorundam protestantium commentum non tantum gratis confictum est; sed contra omnem etiam rationem et fidem historicam pugnat. Apostoli aliam omnino propagandae religionis viam inierunt; quemadmodum a nobis in propositione probatum fuit, et uberius in decursu ostendetur. Interim haec pauca adnotare juvat.

1° Certum est, libros N. T. omnes nonnisi exeunte saeculo primo scriptos fuisse; sed neque tunc collectionem adhuc factam fuisse diversarum partium, per ecclesias dispersarum.

2° Pauci tunc erant, qui scripturas legere potuissent, cum vulgus communiter litteras ignoraverit.

3° Notum est, quanta tunc fuerit librorum raritas; paucissimos fuisse, qui aut transscribere exemplaria potuissent, aut scripta comparare. Unde ergo tanta esse potuit Apostolis exemplariorum copia, ut singulae saltem particulares ecclesiae unum aliudve acciperent? Quomodo exemplaria librorum, qui Romae aut in Graecia scripti fuerunt, ad Apostolos pervenerunt, qui in Scythia, apud Indos et Persas evangelium annuntiarunt?

4° Sequitur ex hac hypothesi et aliud absurdum: Scilicet, quod Apostoli non tantum ubique terrarum pervulgare debuissent librorum sacrorum exemplaria, sed etiam versiones scripturae habere; quod omnino necessa-

---

dros inscripsit, magnus ille Plato, qui, cum indagandae veritatis desiderio flagraret, multa ejusmodi invenit rectae rationis dictamina. Haec ad litterarum inventorem in fine illius dialogi dicuntur: „Tu litterarum pater non memoriae, sed recordationis remedium invenisti, tuisque discipulis sapientiae quidem speciem dedisti, non sapientiam; nam cum instructione careant, multa utique sibi scire videntur, quamquam ignari sint plerique et difficulter tractandi; putantes se esse sapientes, stulti facti sunt. Scriptura picturae similis est: haec personas tanquam vivas repraesentat, quae tamen, cum interrogantur, cum gravitate silent. Ita scriptura circumvolat, cuique communis, et cui respondere deceat, cui non, ignorat; neque injuriam aut ignominiam repellere ipsa potest, sed patris sui indiget auxilio.“ Tum Socrates, quem loquentem inducit, sermonem multo meliorem et valentiorem scriptura commendat; illum qui cum multa industria in discentis mente scribitur, qui sibi defendendo par et gnarus est loquendi, ubi decet, aut tacendi. Hic sermo est veri sapientis, vivus et animatus, cujus imaginem tantum aut umbram scriptura refert, et paulo post: „Nemo serio existimabit se posse justi, pulchri, rectique notitiam per calamum et atramentum in alios diffundere... Et qui putaret se id efficere posse in rebus sive privatis, sive publicis, is ignominiam sibi ipsi inureret, quamvis applausum haberet multitudinis.“

rium fuisset, ut Indi, Persae, Aethiopes, Armeni etc. scripturas legere potuissent.

5⁰ Patres antiquissimi expressis verbis dicunt, populos sine scriptura credidisse. Unicum afferamus S. Irenaei testimonium, qui lib. III. adversus haereses cap. IV. ait: *Quid autem, si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat sequi ordinem traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant ecclesias? Cui ordinationi assentiunt multae gentes barbarorum eorum, qui in Christum credunt, sine charta et atramento, scriptam habentes per Spiritum in cordibus suis salutem et veterem traditionem diligenter custodientes.*

572. — Argum. II. *contra secundam et tertiam propositionem.* Sufficit ut scriptura omnia illa contineat, et quidem clare et aperte, quae sunt ad salutem necessaria, seu illos fidei articulos, qui necessarii aut fundamentales vocantur: hos autem continet omnes, et ita quidem, ut cuilibet legenti pateant. Ergo etc.

Resp. Distinctionem in fundamentalia et non fundamentalia jam in principio hujus Demonstrationis explosimus. Omnes Christianae revelationis partes, sicut eadem auctoritate nituntur, sic eadem fide credendae sunt. Haec, quoniam jam a nobis confecta sunt, fusiore explicatione non egent; duo tantum notanda ducimus: 1⁰ Miram esse adversariorum in concludendo dexteritatem. Articulos fundamentales definiunt eos omnes, qui clare in scripturis continentur; tum fidenter asserunt, articulos fundamentales ad unum omnes in scripturis clare contineri. 2⁰ Si scripturae sensus obvius est, et expeditus in articulis fidei essentialibus: cur inter protestantes hactenus convenire non potuit, quinam sint hi articuli essentiales? Imo cum ipsi numerum essentialium dogmatum magis semper magisque in angustum coarctent, ut vix unus aliusve articulus supersit, profecto scripturae claritatem non magnopere commendant.

Quid ergo? Nihil utilitatis ex scripturis hauriri potest? Obscura, ambigua sunt omnia? Absit, ut hanc verbo Dei injuriam inferamus. Praeclaros siquidem fructus ex hac lectione tulerunt quaque aetate viri pii et religiosi, qui sciebant veritatem non in mortuis litteris contineri, sed in viva doctrina et traditione ecclesiae; qui scripturam non in characteribus et membranis tantum quaerebant, sed in sensu; *non in superficie, sed in medulla*, ut S. Hieronymus ait[1]), *non in verborum foliis, sed in radice rationis.* Porro neque id dicimus, omnia in scripturis obscura esse: sunt enim multa ita exposita, ut in diversos sensus flecti non possint, ne a contentiosis quidem; quale est illud ad Ephes. IV. quod doctores Christus in ecclesia dedit, non omnes, *sed quosdam, ad consummationem Sanctorum in opus ministerii*, aut illa I ad Cor. XII.: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae; alii autem sermo scientiae, alii interpretatio sermonum;* et iterum: *Quosdam quidem posuit Deus in ecclesia, primum Apostolos, secundo Prophetas, tertio Doctores . . . Numquid omnes Doctores? . . Numquid omnes interpretantur?*

573. — Argum. III. *Ex scripturis.* 1⁰ Deuter. XXX. dicitur: *Mandatum, quod ego praecipio tibi, non est supra te, nec procul positum.* Psalm. XVIII.: *Praeceptum Domini lucidum, illuminans oculos.* CXVIII.: *Lucerna pedibus meis verbum tuum, et lumen semitis meis.* 2⁰ Petrus epist. II. cap. I. ait: *Habemus propheticum sermonem, cui bene facitis attendentes, quasi lucernae lucenti in caliginoso loco*[2]). 3⁰ II ad Timoth. III, 16. 17. inquit

1) In comment. epist. ad Galat.

2) In hunc locum observat Pfaffius: *„Wenn die Weissagungen deutlich sind, so ist die ganze heilige Schrift deutlich.“*

Apostolus: *Omnis scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Ergo etc.

Resp. Nihil in his, aut similibus textibus continetur, quod propositioni nostrae repugnet. 1⁰ In illis, quae ex Deuteron. et Psalmis citata sunt, de praeceptis veteris testamenti agitur, quae populo notissima esse debebant, non tantum quia scripta erant, sed multo magis, quia in usu erant quotidiano posita. Vocantur autem lucerna aut lumen, quia Judaei in iis a parentibus et legisperitis instituti, quae sibi agenda aut vitanda essent, inveniebant. *Deuteron.* XVII. praecipitur populo, ut sacerdotes tanquam legis interpretes consulat; et *Ecclesiast.* VIII. inquit Sapiens: *Non te praetereat narratio seniorum, ipsi enim didicerunt a patribus suis: quoniam ab ipsis disces intellectum.* 2⁰ Ex textu S. Petri nihil aliud concludi potest, quam quod ad probandam Christi divinitatem firmissimum argumentum ex prophetiis desumi possit. Ibidem vero statim additur: *Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit.* 2⁰ Quae consecutio! Scriptura utilis est; ergo sola sufficit, neque alio revelationis fonte indigemus, ergo clara est omnibus, neque magistra indigemus ecclesia. Apostolus ad Timotheum scribens primum quidem de ecclesiae doctoribus loquitur, quibus docendi, arguendi officium incumbebat; tum de libris V. T. agit, eaque de eorum utilitate asserit, quae nemo catholicorum unquam negavit.

574. — Argum. IV. *Ex Patribus.* 1⁰ SS. Patres in suis cum haereticis controversiis solas scripturas in testimonium vocant. 2⁰ Expressis verbis scripturae perspicuitatem extollunt. Sic S. *Joan. Chrysost.* conc. III. de Lazaro ait: *Cui non sunt manifesta, quaecunque in evangelio scripta sunt?* Et Homil. III. in secundam epistolam ad Thess.: *Omnia sunt dilucida et recta, quae sunt in divinis scripturis: manifesta sunt, quaecunque sunt necessaria.* S. *August.* lib. II. de doctrina Christiana cap. VI.: *Magnifice et salubriter Spiritus S. scripturam modificavit; . . nihil enim fere de illis obscuritatibus eruitur, quod non alibi planissime dictum reperiatur.* Ergo etc.

Resp. ad I. neg. ant. Patres et concilia, quando ipsis cum haereticis res erat, non minus ad traditionem appellabant, quam ad scripturas. Imo in constanti et consentiente ecclesiarum doctrina vim maximam posuerunt; ut apud theologos videri potest, qui eorum testimonia collegerunt. Cf. *Wiest*, lib. III. §. 76. *Natal. Alexand.* dissert. XVI. in saecul. II. *Bellarm.* lib. IV. cap. VII. etc. *Tertull.* inter alios optime nos admonet, ut adversum haereticos magis traditionibus, quam scripturis pugnemus. Sic enim ait cap. XVII. de praescript.: *Quid promovebis, exercitatissime scripturarum, cum, si quid defenderis, negetur ex adverso; si quid negaveris, defendatur. Et tu quidem nihil perdes, nisi vocem in contentione, nihil consequeris, nisi bilem de blasphematione. Ergo non ad scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus aut nulla, aut incerta victoria est, aut parum certa.* Idem habet cap. XVI. et XIX.

Resp. ad II. dist. ant. SS. Patres scripturam dicunt ex se perspicuam esse, quoad historias aliquas et morum praecepta omnibus necessaria, *esto.* Quoad omnia ad fidem pertinentia, *nego.* Hanc fuisse *Chrysostomi* et *Augustini* mentem, ex eorum scopo, ex contextu aliisque eorum testimoniis facile eruitur. Praeterea observandum est, Patres ibi de iis loqui, qui in fide ecclesiae catholicae vivunt, et scripturas scrutantur animo docili et reli-

gioso. His utique multa in scripturis clara sunt et perspicua, quia ecclesiae doctrinae inhaerentes non moventur fallaciis et argutiis haereticorum.

575. — Argum. V. Facilius est, fidem sibi ex scriptura conficere, seu judicare an dogma aliquod in scriptura contineatur; quam omnia momenta discutere, quibus religio Christiana probatur esse divina. Atqui hoc etiam indoctorum intelligentiae accommodatum esse debet; quia verus religionis cultor esse non potest, qui de ejus divina origine non est convictus. Ergo etc.

Resp. neg. maj. Religio Christiana factis publicis innititur, et argumenta habet tam manifesta et evidentia, ut unum aliudve ad convincendam sinceram mentem sufficiat. Verum cum de scriptura agitur, en! quid investigandum esset illi, qui unicam hanc credendi regulam haberet:

1° An scriptura id revera sit, quod dicitur, verbum Dei.

2° An liber sit canonicus.

3° An sensus, quem ipse textui tribuit, genuinus sit; et an falsa sit aliorum, qui contradicunt, interpretatio.

4° An locus non sit corruptus aut interpolatus.

5° An versio sit fidelis.

6° An non alii sint scripturae textus, qui illi, quem ipse tenet, sensui sint oppositi.

Quando nos cum protestantibus ex scripturis argumentamur, ad omnes has quaestiones confugiunt: quidni et ipsis incumbit, haec omnia examinare, ut securi de fide sua esse possint?

ARTICULUS II.

Dantur verae et proprie dictae traditiones divinae, seu datur verbum Dei traditum.

OBSERVANDA.

576. — I. Probavimus, verbum Dei scriptum unicum revelationis fontem nec esse, nec esse posse: *non esse*, quia fides Christiana absque scripturae adminiculo ubique gentium fuit disseminata: *nec esse posse*, quia scriptura complexum veritatum omnium, quae ad revelationem pertinent, non continet: neque ita clara est, ut non in varios sensus flecti possit, nisi vivae vocis magisterium accedat; nisi praeter verbum *litteris deformatum in lapidibus*, seu scriptum in codicibus, et illud teneamus, quod ex Christi et Apostolorum ore in audientium animos transfusum, et per idoneos veritatis testes in ecclesiis conservatum fuit; verbum, vivens in publica ecclesiae fide, loquens ex ore omnium, qui undique sunt pastorum. Ad hoc ergo criterium, ad haec tradita testimonia praeter scripturam confugiendum est, si velimus certam nobis perfectamque religionis notitiam comparare. Nihil est naturae ipsi magis consentaneum, quam haec probandi ratio per testes. Sicut ad persuadendum est efficax, sic et omnibus est accommodata, nec prava ingeniorum subtilitate eludi potest. Copiose et pro more suo doctissime de hac materia disputant *illustrissimi fratres Walenburgici* tract. V. de probatione per testes.

577. — II. Traditio, si instituta spectamus ad religionem pertinentia, alia *divina* est, alia *apostolica*, alia mere *ecclesiastica*. Haec instituta continet ab ecclesiae pastoribus profecta, quae temporaria sunt, et eadem auctoritate, qua edita fuerant, dissolvi possunt. *Apostolica* ea complectitur, quae ab Apostolis tanquam rectoribus ecclesiae praecepta et constituta sunt. Haec quoque non sunt ejusmodi, ut moveri nullo modo possint; exempla sunt, de abstinentia a sanguine et suffocato, et de trina immersione in baptismi sacramento. Ad *divinam* demum pertinent ea, quae a Christo ipso ordinata sunt, ut sacramenta novae legis. Traditio *divina* non raro etiam *apostolica* dicitur, quia Christus ea, quae in ecclesia servari voluit, Apostolis tradidit per orbem promulganda. Unde illud in

memoriam revocandum est, quod Apostoli alia instituerint Christi nomine tanquam missi ad docendum omnes gentes servare, quae Christus mandaverat: alia auctoritate ipsis tanquam pastoribus competente. Haec pro temporum ratione, ut diximus, mutari possunt; illa tanquam Christi instituta adeo rata sunt et fixa, ut nullius hominis auctoritate possint convelli; haec proprie apostolica sunt, illa divino-apostolica.

Nos de dogmate agimus; traditio autem nisi divina sit, dogmatica esse non potest. Nova dogmata post Christum et Apostolos non fiunt; neque quidquam ad fidem pertinere potest, quod non a Christo per Apostolos descendat. Quamquam aliquo sensu ejusmodi traditiones etiam ecclesiasticae vocari possint, quia in ecclesia depositae, et per ecclesiae testimonium non interruptum ad nos usque delatae sunt. Atque ita traditiones dogmaticae optime vocantur, origine *divinae*, promulgatione *apostolicae;* conservatione *ecclesiasticae.*

PROPOSITIO I.

Dantur traditiones dogmaticae divinae.

Argumentum I.

578. — Scriptura non fuit medium primigenium, quo propagata fuit religio Christiana (ex prop. I. art. I.); neque est medium sufficiens, ex quo capita religionis omnia erui et probari possint (ex prop. II. et III. ejusd. art.). Ergo aliud medium praeter scripturas admitti debet. Atqui aliud cogitari non potest, quam traditiones divinae. Ergo etc.

Prob. minor. Inter verbum scriptum et non scriptum nihil est medium: Ergo si praeter scripturas, seu *verbum scriptum* aliquod admittendum est fidei argumentum, illud non potest esse, nisi *verbum non scriptum*, seu traditio.

Argumentum II.

Ex scripturae testimoniis et agendi ratione Apostolorum.

579. — Jam ipsa agendi ratio Apostolorum probat, multa ab ipsis viva voce tradita fuisse, quae litteris mandata non sunt. „Duas Petri epistolas habemus, ait *Melchior Canus*[1]), et credimus mutum annis septem Antiochiae sedisse, elinguem Romae annis viginti quinque? Num nihil aliud verbo docuit, quam quod epistolis duabus scriptum reliquit? Nonne (Apostoli alii) sine scriptura solo incurrente verbo ecclesias sibi destinatas et fundarunt in fide et in religione continuerunt?“ Id apertissime docet Apost. ad Rom. X.: *Quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine praedicante? . . . Ergo fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi. Sed dico: Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum.*

Testimonia scripturae habemus multa et praeclara. Atque ut ea praetermittamus, quae ex veteri testamento ad traditionis commendationem afferuntur; quae *Apostoli* doctrina fuerit, audiamus. *Itaque fratres*, ait ad Thessal. II, 14., *state et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per epistolam nostram.* Et I. ad Cor. XI, 2.: *Laudo vos fratres, quod per omnia mei memores estis et sicut tradidi vobis, praecepta mea tenetis.* Et eodem cap.: *Ego accepi a Domino, quod et tradidi vobis . . .* et paulo post: *Cetera cum venero disponam.* Haec ambigua non sunt et clare demonstrant Apostolum alia viva voce, alia scripto docuisse. Verba illa ad Thessal. ita commentatur S. *Joannes Chrysost.* homil. IV. in illam epistolam: *Hinc patet, quod non omnia per epistolam tradiderunt Apostoli; sed multa etiam sine litteris; eadem vero fide digna sunt tam illa, quam ista.*

1) Loci theol. lib. III. cap. III.

Idem Apostolus, cum Timotheo docendi munus injungit, eum adhortatur, ut in tradita sibi doctrina permaneret, simulque doctrinam per testes conservandi et propagandi rationem edocet: *Formam habe sanorum verborum, quae a me audisti in fide . . . Bonum depositum custodi.* II Tim. I, 13. — Et deinceps cap. II, 2.: *Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere*[1]).

Argumentum II.

Ex Patribus.

580. — Divinarum traditionum existentia nullo argumento, post scripturae ipsius auctoritatem, certius probari potest, quam communi omnium saeculorum persuasione et auctoritate probatorum testium, virorum scilicet et eruditione et pietate praestantium, qui ipsi ad seriem pertinent testium illorum intermediorum, per quos excepta ab ore Apostolorum doctrina ad posteros perducta est. Nimis longum esset omnia Patrum loca referre. Ad theologorum illorum opera remittimus, qui ea diligentius collegerunt[2]). Ex multis pauca seligamus.

Primum memorandum est illud antiquissimi *Papiae* dictum apud Eusebium[1]): *Si quando advenisset aliquis ex iis, qui secuti sunt Apostolos, ab ipsis sedulo expiscabar, quid Andreas, quid Petrus dixerit, quid autem Philippus, vel Thomas, quid vero Jacobus, Joannes, Matthaeus. Nec enim tantum mihi librorum lectiones prodesse credebam, quantum vivae vocis, praesentisque magisterium.* S. Irenaeus lib. III. contra haeres.: *Quid autem, si neque Apostoli scripturas reliquissent nobis, nonne oportebat ordinem sequi traditionis, quam tradiderunt iis, quibus commiserunt ecclesias? Tertullianus* pluribus in locis traditionis auctoritatem haereticis opponit. Lib. de corona militis cap. III. post enumeratas nonnullas ecclesiae observationes de baptismo, de oblationibus pro defunctis et similes, sic pergit: *Harum et aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies; traditio tibi praetenditur auctrix, consuetudo confirmatrix et fides observatrix.* In illa controversia, quam *Stephanus* Papa cum *Cypriano* habuit, quaestionem ex traditione decidit: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est. Cyprianus* quoque ideo tantum *Stephani* decreto obluctatus est, quia illud non credidit in traditione fundatum; ipse autem verbi traditi existentiam non semel expresse agnovit. Epist. LXXIV. ait: *Si ad divinae traditionis caput et originem revertamur, cessat error humanus*[2]).

1) Verba Apostoli *depositum custodi,* ita exponit *Vincentius Lerinensis* in commonitorio: *„Depositum, id est, quod tibi creditum est, non quod a te inventum; quod accepisti, non, quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinae, non privatae usurpationis, sed traditionis publicae; rem ad te perductam, non a te prolatam; in qua non auctor esse debes, sed custos; non institutor, sed sectator; non ducens, sed sequens. Custodi propter inimicos, propter fures. Hoc ergo apud omnes haereses legitimum fuit atque solemne, ut profanis novitatibus gaudeant, antiquitatis scita fastidiant. Contra vero hoc catholicorum proprium, deposita sanctorum Patrum et commissa servare, damnareque profanas novitates. Ita enim in concilio Ephesino omnium Patrum una erat vox, ut quod erat antiquitus traditum teneretur, quod adinventum nuper, exploderetur.“*

2) *Zimmer* veritas relig. cath. — *Wiest* Tom. III. — *Nat. Alex.* Diss. XVI. in saec. II. — *Bellarm.* lib. IV. cap. VII. — *Walenburgici* tract. VI. de traditionibus. — *Petr. Annatus* lib. III.

1) Lib. III. hist. cap. XXXIX.

2) Traditionum apostolicarum auctoritas non parum confirmatur ex illa veterum consuetudine, mysteria Christiana coram catechumenis aliisque nondum initiatis reticendi: quod alio nomine *disciplina arcani* vocatur. Magnum scilicet antiqui Patres agnoscebant inter Christiana dogmata discrimen. Quae vulgo efferri poterant, cum

Argumentum IV.

Traditione stat ipsius scripturae auctoritas.

581. — Sublata traditione ipsa quoque ruit scripturarum auctoritas et tota convellitur Christiana revelatio. Nam fidem Christianam ex scripturis haurire non possumus, nisi divina nobis et infallibili auctoritate constet, nos revera divinam scripturam habere; a Prophetis, ab Apostolis esse libros, qui ipsis tribuuntur; legitimum esse librorum nostrorum canonem etc. Atqui haec sola traditione nobis innotescere possunt, ut ipsi protestantes fatentur. Ergo necesse est traditiones admittere et quidem divinas; nisi enim divinae sint, seu proprio sensu verbum Dei, non possunt auctoritatem divinam et infallibilem conciliare scripturae et fidei Christianae.

---

usitato pane; quae autem solis exponebantur initiatis, cum panibus propositionis identidem comparabant. Illae veritates Christianae, haec mysteria dicebantur. Itaque difficiliora doctrinae dogmata et sacratiores ritus, praecipue quae ad mysteria Trinitatis et Incarnationis et ad SS. Eucharistiae consecrationem, aut alia hujuscemodi pertinebant, ea sine scripto tradebantur, atque iis tantum, qui exacto tyrocinio ad sacramenta admitti poterant. Hinc *Basilius* (lib. de Spiritu S. cap. XXVII.) testatur, ritus ecclesiasticos et eos maxime, qui ad sacramenta spectant, ab ipsa traditione fluxisse, neque ea publicis litteris commissa; cum ea *neque intueri nondum initiatis fas sit.* — Et S. *Augustinus* (in Psal. 130.) interrogans: *Quid est, quod occultum est et non publicum in ecclesia?* respondet: *Sacramentum Baptismi, sacramentum Eucharistiae. Opera nostra bona vident et pagani; sacramenta vero occultantur illis.* Eadem de causa de ejusmodi ritibus et doctrinis apud catechumenos quoque nonnisi tecte et occulte Patres loquebantur. Multiplicem ob rationem SS. PP. mysteria et ea praesertim, quae ad sacramentorum formas et ritus pertinebant, summo studio illis occultabant, qui nondum erant initiati. Praecipua erat, ut reverentia conciliaretur mysteriis. *Mysteriorum veneratio silentio conservatur,* ut Basilius observat. Quo magis illorum sublimitatem mirabantur ipsi, eo magis cavebant, ne pagani ea ludibrio haberent, blasphemantes, quae ferre nondum poterant. Sequebantur Patres illud, quod Christus Dominus Apostolis praeceperat, ne sanctum darent canibus, nec inter porcos spargerent margaritas. Et illud Apostoli II Timoth. I.: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Ne tamen existimemus contraria haec esse iis, quae alibi de Christiana doctrina diximus; scilicet quod occulte et in tenebris propagata non fuerit, sed palam annuntiata hominibus. Vere id diximus, quomodo enim lucem fugeret haec religio, quae ipsa lux est purissima, ad illuminandos homines e coelo demissa? Sed nihil exigit, ut mysteria infidelibus ex aequo et fidelibus panderentur. Aperta semper erant et omnium oculis exposita,

---

quae fidem conciliare poterant religionis praeconibus et coelestem illius, quam annuntiabant doctrinae originem probare; miracula, Spiritus S. charismata in fideles diffusa et admirabilis illorum sanctitas, qui divinae huic philosophiae serviebant: caetera iis, quorum Deus corda tetigerat, sensim et cum cautione pandebantur: quemadmodum illi, qui longis tenebris assueti fuerant, non possunt subito in plenam et splendidissimam lucem transferri; quia imbecilla acies splendore nimio obrueretur. Caeterum eadem ubique dogmata, eaedem leges erant, non alia in occulto tradebantur, sed tantum plura. Religionis notitia, quae fidelibus tradebatur, non erat ab illa, quae publice annuntiabatur diversa, sed perfectior illa et clarior. Verum haec ipsa, quae prudens oeconomia profanorum oculis occultabat, cum id religionis bonum postulare videbatur, non coram catechumenis tantum prolata sunt, sed coram hostibus etiam Christianae religionis; quod veteres Apologistae non semel praestiterunt. Cf. *Selvaggii* Antiquit. Tom. II. pag. 385.

Argumentum V.

Ex adversariorum testimoniis.

582. — Hoc argumentum diffusius tractat clar. D. *Wiest* tom. III. §. 94. Plurima proferri possent expressa testimonia *Melanchthonis, Grotii, Buceri, Moshemii* aliorumque maximi nominis inter protestantes. Insignis est locus ex *Molano* abbate de Lockum, qui cum Bossuetio de pace ecclesia-

rum tractavit [1]): „De traditionibus, sive verbo Dei non scripto, quantae, quaeso, in ecclesia lites! Sed res compositu facilis, si dicamus statum controversiae inter nos et catholicos non esse, an dentur traditiones; sed an per traditionem acceperit ecclesia novum aliquem fidei articulum ad salutem creditu sub aeternae beatitudinis jactura necessarium, in scriptura neque totidem verbis, neque per bonam consequentiam extantem. Posterius negant protestantes, non prius; ex quibus moderatiores admittunt, *non solum ipsam sacram scripturam nos traditioni debere, sed in articulis fundamentalibus genuinum et orthodoxum scripturae sensum et multa alia*, nostratium Calixto verbi gratia, Hornejo, Chemnitio dudum memorata, *ex traditione tantum cognoscibilia* taceamus. Sane qui ex protestantibus post symbola Apostolorum et S. Athanasii, quinque priora concilia oecumenica, cum synodo Arausicana et Milevitana, consensum itidem primitivae ecclesiae, si non plurium, quinque minimum priorum saeculorum admittunt pro theologiae principio secundario, ita ut articuli fundamentales non aliter, quam illis saeculis unanimi Doctorum consensu factum est, explicari debeant; de traditionibus cum ecclesia Romana quod disputent, vix habebunt.“ Ad haec respondet *Bossuetius* [2]): „Si protestantes consentiunt, scripturae sensum, *aliaque permulta traditione dumtaxat esse cognoscibilia, vix ulla superest difficultas.*“

Porro experientia probat, protestantes non raro quasi necessitate coactos, in religionis controversiis ad hanc credendi regulam confugisse, quam ipsi cum nova in religione molirentur, procul a se abjecerant.

1) Cogitationes privatae de modo reunionis etc. Tom. XXV. op. *Bossuet.* edit. Lebel. p. 309.

2) Tom. XXV. jam. cit. pag. 389.

PROPOSITIO II.

Traditiones dogmaticae ejusdem sunt auctoritatis, ac verbum Dei scriptum.

583. — Probat. I. Scriptura auctoritatem non habet ex eo, quod scripta sit, sed quia vere est verbum Dei; omnis enim fides innititur revelantis Dei auctoritati. Atqui traditiones dogmaticae aeque ac scriptura verbum Dei sunt, ut ex propositione I. constat. Ergo ejusdem sunt auctoritatis. De verbo hoc tradito loquitur Apostolus I. ad Thessal. II, 13.: *Gratias agimus Deo sine intermissione; quoniam, cum accepissetis a nobis verbum auditus Dei, accepistis illud non ut verbum hominum, sed sicut est vere, verbum Dei.*

Probat. II. Si verbum ore traditum non est aeque certum fidei argumentum, ac scriptura; ergo primi fideles, qui scripta evangelia, aliosque libros N. T. nondum habuerunt, minus certi fuissent de sua fide, quam qui postea vixerunt. Ergo etc.

Probat. III. Difficile non est ostendere ex scripturis ipsis, traditiones certissima suppeditare argumenta, ad fidei dogmata comprobanda. Christus Marc. XVI. cum Apostolos misisset *praedicare* evangelium omni creaturae, addit: *Qui non crediderit* (vobis loquentibus), *condemnabitur.* In priore ad Timotheum epistola Apostolus ait cap. VI.: *Siquis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus* (non dicit scripturis), *superbus est, nihil sciens etc.* — et eodem capite: *Depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, et oppositiones falsi nominis scientiae, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt.* Et ad Galat. I, 9.: *Si quis vobis evangelizaverit praeter id, quod accepistis, anathema sit....* Ex his locis recte Origenes concludit comment. in Titum, haereticum esse eum, qui Christo credere profitetur, et aliud de veritate fidei Christianae credit, quam habeat traditio ecclesiastica.

584. — Probat. IV. Concilia et Patres traditionem eodem loco ponunt, ac scripturam sanctam, eique eandem vim probandi attribuunt. Cf. *Wiest* tom. III. §. 86. et 87. *Natal. Alexand.* dissert. citata. Hoc argumentum, cum testimonia singillatim recitare nimis longum esset, his *Melchioris Cani* [1]) verbis concludimus, ita tamen, ut quae de Patribus ille dixit, de conciliis quoque intelligi velimus: „Cum traditiones non scriptas Polycarpus, Tertullianus, Irenaeus Marcioni ac Valentino, Epiphanius Melchisedecianis, Apostolicis, Aërianis: Hieronymus Vigilantio; Augustinus Donatistis; denique, ut in summa dicam, omnes sancti adversariis catholicae fidei fidenter objecerint, earumque vi, perinde ac si fuissent scriptae, haereses sui quisque temporis deturbaverint: certe non minori efficacia per hujusmodi traditiones nos haereticorum, qui aut nunc sunt, aut etiam sunt futuri, quaecunque dogmata refellere et deturbare poterimus."

Merito igitur concilium Tridentinum sess. IV. decreto de canonicis scripturis ait: *Sacrosancta oecumenica et generalis Tridentina synodus perspiciens, veritatem* (fidei) *et* (morum) *disciplinam . . . contineri in libris scriptis, et sine scripto traditionibus; quae ipsius Christi ore ab Apostolis acceptae, aut ab ipsis Apostolis Spiritu S. dictante, quasi per manus traditae ad nos pervenerunt, orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris, quam novi testamenti, cum utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas tum ad fidem, tum ad mores pertinentes tanquam vel oretenus a Christo, vel a Spiritu S. dictatas, et continua successione in ecclesia catholica conservatas, pari pietatis affectu et reverentia suscipit et veneratur.*

OBJECTA DILUUNTUR.

585. — Objicitur I. Ut allata ex Apostolo loca aliquam ad probandum vim haberent, ostendendum esset, 1° Apostolum ea, quae ore tradiderat, litteris non consignasse; 2° eum de traditionibus dogmaticis agere. Atqui haec probari non possunt. Ergo etc.

Resp. neg. min. Probavimus in priori articulo scripturam non omnes continere veritates dogmaticas, ergo Apostoli non omnia litteris consignarunt, quae ore praedicarunt. Praeterea Apostolus in secunda, id est ultima, quam ad Thessalon. scripsit epistola manifeste distinguit inter traditiones, quas per epistolam acceperant, et eas, quas per sermonem didicerant. Quae autem secunda est ad Timotheum, in qua traditiones impensius commendat, ea ultima est ex Paulinis epistolis. Quod autem Apostolus de traditionibus dogmaticis loquatur, ex scopo et contextu apertum est.

586. — Instant. Scripturae ipsae traditiones rejiciunt tanquam inutiles, aut verbo Dei scripto adversantes. 1° Deuter. IV. expresse dicitur: *Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, neque auferetis ex eo.* Similia leguntur Proverb. XXX., Apocalyp. XXII. Joannis XX. ita caput illud concludit Evangelista: *Haec scripta sunt, ut credatis et ut credentes vitam habeatis aeternam.* 2° Christus ipse Matth. XV. et alias saepius traditiones rejecit. Ergo etc.

Resp. ad I. Nos scripturis nihil addimus, sed omnem operam impendimus, ut, quales a Deo prodierunt, purae et integrae serventur; traditiones autem una cum scriptura admittimus. In Deuteron. cap. IV. agitur de lege a Deo populo Judaico data, cui nihil addi aut detrahi debuit auctoritate humana. Quod autem in veteri testamento traditiones patrum multum valuerint, jam ostendimus. Joannes cap. XX. de signis loquitur, quibus Jesu Christi divinitas comprobata est; ait autem ibidem v. 30.: *Multa quidem et alia signa fecit Jesus, quae non sunt scripta in libro hoc.*

1) De loc. theol. lib. II. cap. VI.

Ad II. dist. ant. Christus traditiones rejecit humanas, odiosas, aut praeceptis divinis repugnantes, *conc.* Traditiones, quae revelata ab ipso dogmata continerent, *nego.*

587. — Objicitur II. *Ex Patribus.* Patres passim docent in scripturis reperiri omnia, quae ad fidem pertinent moresque vivendi, ut S. *Augustinus* ait[1]), et ideo traditiones censent esse repellendas. *Tertull.* adversus Hermogenem cap. XXIV. ait: *Adoro scripturarum plenitudinem; scriptum doceat Hermogenis officina . . . Si non est scriptum, timeat illud vae, adjicientibus aut detrahentibus destinatum.* Alio loco (de resurrectione carnis cap. XXIV.) haereticos ad traditiones confugientes vocat *lucifugos* scripturarum. Ergo etc.

Resp. I. *Generatim.* Quod Patres passim traditionem contra haereticos appellaverint, res est omnibus notissima. Unde si qua ex eorum libris opponuntur testimonia, quae loco suo mota, et a contextu avulsa nobis repugnare videntur; ea propius inspecta nihil aliud dicunt, quam idipsum quod nos volumus: vel enim suam scripturae auctoritatem vindicant, asserentes quaecunque iis contraria sunt, sive ea sint hominum testimonia sive humanae traditiones, nullius esse roboris; aut de uno tantum, aut alio religionis dogmate agunt, non de doctrina Christi integra; aut demum de scriptura loquuntur cum ecclesiae doctrina conjuncta. Hinc S. *August.* lib. contra Cresconium ait, cap. XXX.: *Quamvis hujus rei certum de scripturis canonicis non proferetur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam in hac re a nobis teneretur veritas, cum hoc facimus, quod universae jam placeat ecclesiae, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas.*

Resp. II. *Ad loca ex Tertulliano adducta.* Primo loco exprobrat Hermogeni, quod verbis Genesis: *In principio creavit Deus coelum et terram,* ausus fuerit haec verba addere: *Ex materia praeexistente.* In secundo de dogmate agit clare et saepe in scripturis expresso, cui vanas suas traditiones opponebant haeretici.

588. — Inst. S. *Irenaeus* lib. III. adversus haereses reprehendit haereticos dicentes: *Quia non possit ex his* (scripturis) *inveniri veritas ab his, qui nesciunt traditionem.* Ergo etc.

Resp. neg. conseq. S. Irenaeus loquitur de apocryphis traditionibus, quas haeretici scripturis et traditionibus apostolicis opponebant. Ceterum traditiones apostolicas rejicere, ingenii haeretici characterem esse, ibidem testatur, subjungens: *Cum autem ad eam iterum traditionem, quae est ab Apostolis, quae per successiones presbyterorum in ecclesiis custoditur, provocamus eos, adversantur traditioni.*

ARTICULUS III.

De traditionum divinarum ad nos propagatione.

OBSERVANDA.

589. — I. Cum heterodoxi locum a traditione divina depromptum imbecilliorem esse dicunt; quam ut ex eo dogmata fidei duci possint, in eo inprimis vim ponunt suae sententiae, quod negent nos scire nunc posse, quid Christus, quid Apostoli locuti fuerint; id vero tantum illis cognitum fuisse, qui Christum et Apostolos audierunt. Quis, inquiunt, verba Christi infirmare audeat, si modo ab eo prolata esse constet? Sed infidelis est et incerta per manus traditio. Quae per traditionem accipiuntur, vix eadem perseverant, et mutatis auribus itidem mutari solent; multa detrahuntur, multa adjiciuntur, multa pereunt omnino, nisi litterarum monimentis conserventur. Ex his concludunt, tradita

1) Lib. II. de doctrin. Christ. cap. IX.

testimonia aptum ad conservandam religionem medium non esse, neque criterium ad eam certo intelligendam. Restat ergo, ut hujus quoque argumenti vim elidamus, ne videamur in iis, quae hucusque dicta sunt, operam perdidisse. Unde status fingendus est praesentis disputationis. Non quaeritur, an Apostolis loquentibus aeque credendum fuerit, ac scribentibus: sed, an Apostolorum testimonia, ore tradita succedentium hominum testimoniis aeque potuerint incorrupta servari, atque ea, quae scripta ad nos pervenerunt.

590. — II. Ad investigandas traditiones dogmaticas variae sternuntur viae. Praecipuae sunt: 1⁰ Publica et universalis ecclesiae doctrina, cujus post Apostolorum tempora nullum potest assignari initium. 2⁰ Antiqua ecclesiae symbola, preces et ritus, quos scimus ab antiquissimis temporibus magno consensu fuisse ab ecclesiis observatos. 3⁰ Scripta sanctorum Patrum, quorum maxima semper fuit in ecclesia auctoritas, tum ad legitimam scripturarum intelligentiam, tum ad traditiones ab Apostolis acceptas comprobandas. Nam sancti et doctissimi viri quovis tempore ut organa habiti sunt ecclesiae Dei, et testes illius doctrinae, quam tanquam ab Apostolis acceptam ecclesia temporibus suis docuit; et quae per eos tanquam purissimos canales ad nos usque decurrit.

591. — III. Haeretici pene omnes, quamvis de antiquis Patribus verecundius hinc inde loquantur, passim tamen eos vilipendunt, atque de gradu suo dejicere moliuntur; tum quia eos sibi contrarios ubique reperiunt, tum quia omnis haereticus animal gloriae est, et magnum aliquid esse putat, cum vetera despiciendo, et nova eructando stultorum et leviusculorum hominum numerum in sui admirationem trahit. Lutherus in prologo assertionis suorum articulorum negat quemquam auctoritate Patrum esse cogendum, quod in omnium scriptis multi inveniantur errores, saepe pugnent ipsi secum, aut invicem dissentiant, aut scripturas torqueant; et quod verbum Dei non debeat esse alligatum, sed liberum. Hinc inter Lutheranos et Reformatos plurimi sunt, qui Patrum auctoritatem multis modis elevant. Id quoque S. Bernardus *Abailardo* objecit, putido, si quis unquam, suae scientiae ostentatori: atque, ut altiora repetamus, de *Paulo Samosateno* id testatur Euseb. lib. VII. cap. XXVI. Id in *Origene* reprehendit Vincentius Lerinensis. In eodem errore fuerunt *Arius*, *Nestorius*, *Eutyches*, *Dioscorus*. „Nestorius, ait Histor. tripart.[1]), dum eloquens fuisset, et se putaret doctum, libris antiquorum interpretum dedignabatur incumbere, omnibusque se meliorem putabat esse.“ Quid? An omnes etiam catholici scriptores puros se ab hac labe servarunt? An non in hac quoque parte protestantes inter nostrates imitatores habuerunt? Cajetanum, quamvis Cardinalem et magnum ordinis Dominicani decus, nimiae in hac parte levitatis aut temeritatis arguit insignis ejusdem familiae theologus *Melchior Canus*[2]); *Richardum Simonem* tanquam in Patres minus verecundum, et gloriam ex audaciore critica ambientem graviter castigat illustriss. *Bossuetius* in opere quod inscriptur: *Défense de la tradition et des SS. Pères.* Libr. IV. cap. XVIII. post. ea in laudem SS. Patrum dicta, quae in Prolegom. adnotatione pag. 8. attulimus, haec addit: „C'est ce que nos critiques ne sentent pas; et c'est pourquoi leurs écrits, formés ordinairement dans les libertés des novateurs, et nourris de leurs pensées, ne tendent qu'à affoiblir la religion, a flatter les erreurs, et à produire des disputes.“

---

1) Lib. I. cap. XIV. 2) Lib. VII. cap. III. n. 10.

PROPOSITIO I.

Aeque certi sumus, testimonia Apostolorum ore tradita incorrupta ad nos pervenisse, quam certi sumus, testimonia litteris consignata integre fuisse conservata.

592. — Probatur. Sicut nos Apostolos ipsos non audivimus loquentes, sed quae ab ipsis dicta fuerunt, ex aliorum testimoniis sive scripto, sive ore transmissis cognoscimus, ita quoque illos scribentes non vidimus, neque, quae eorum manu exarata fuerunt, legere ipsi possumus; sed ex testium intermediorum testimonio discimus, eos quos nunc legimus libros, eosdem esse, qui a Christi discipulis fuerunt conscripti; neque in illis aliquid ita immutatum, ut non possint dici integre ad nos pervenisse. Et vero argumenta, quae certos nos reddunt scripturam, quam nunc manibus terimus, esse authenticam et verum atque incorruptum Dei verbum, eadem etiam probant puras nos habere et incorruptas apostolicas traditiones. Ergo etc.

Prob. anteced. I. Si quaeritur, unde ergo tam certo nobis constet, scripturas nostras vera esse et genuina Apostolorum scripta; illico respondemus, libros illos Apostolis publica et constanti traditione semper fuisse adscriptos, Patres primorum saeculorum eosdem ut divinos laudasse, ex illis testimonia attulisse, quae in nostris adhuc scripturis ita leguntur; impossibile esse, ut libri, qui in toto Christiano orbe diffusi Christianorum manibus terebantur, neque infidelibus erant ignoti; qui quotidiano usu, precibus ecclesiae et cultu publico consecrati erant, quibus divina religionis dogmata ubique cognita, ubique credita potissimum innitebantur; ut inquam, ejusmodi libri authentici non fuerint, aut successu temporis potuerint adulterari. Verum haec omnia, cum de traditionibus agitur, eandem, si non forsan majorem ad persuadendum vim habent. Illae enim traditiones ab Apostolis in omnes mundi partes perlatae, tanquam divinae veritates non uni tantum societati aut populo, sed innumeris, a se invicem lingua, moribus, legibus, imperiis quam maxime dissidentibus concreditae sunt; his stetit populorum religio et cultus, hae publice praedicatae, publico usu, ritibus, sacramentis consecratae erant; ad has contra haereticos appellarunt concilia et ecclesiae doctores. Neque illud valet, quod dicitur, haec tradita Apostolorum testimonia labili tantum hominum memoriae fuisse commendata; scripta enim sunt non tantum in cordibus fidelium Spiritu Dei vivi, sed et conservata in operibus SS. Patrum, in decretis conciliorum, in symbolis, in moribus, in institutis hominum. Hoc scilicet modo linguae vulgares inter plebejos conservantur, hoc modo usus, consuetudines, jura et officia hominum stant inconcussa, nec est aliquid hoc deposito tutius.

593. — II. Alterum argumentum est: Scripta testimonia ecclesiae docenti concredita fuerunt, id est illis, quibus Christus docendi et pascendi officium commisit. Hos autem omnes eodem tempore, quasi facta conspiratione, in re omnium gravissima officio suo defuisse, idque nemine contradicente, nemo sanae mentis suspicari potest; ita haec res a moribus hominum et experientia omnium temporum abhorret. Verum, quis non videt haec aequo jure ad traditiones pertinere? Non enim temere in populum projectae sunt ejusmodi doctrinae, ut supponi possent aut non recte intellectae, aut non pari fide ad alios perlatae: sed eorum custodiae ac vigilantiae commendatae, quos Spiritus S. posuit regere ecclesiam Dei. *Depositum custodi*, ait Apost. ad Timotheum, simulque modum edocet, quod traditam sibi doctrinam integram servare debeat, ne quid corruptione aut oblivione depereat. *Quae audisti a me per multos testes etc.* Impossibile ergo fuit, ut hoc

depositum interiret, quod non uni alterive ecclesiae concreditum fuit, sed viris in omnibus orbis partibus sanctissimis, quibus nihil antiquius fuit, quam ut acceptam ab Apostolis fidem etiam cum vitae periculo tuerentur; neque vitiari ab una aut altera ecclesia potuisset, nisi continuo fuisset reclamatum.

594. — III. Addimus demum, quod omnium primum est et praecipuum; divinas nempe traditiones non minus ad providentiam pertinere, quam scripturas ipsas. Nam quia Christus religionem suam perpetuam esse voluit, non potest unquam permittere, ut aliquid eorum, quae ad fidem pertinent, periret. Jam vero, scripturam omnia religionis dogmata non continere, multa autem fuisse ab Apostolis viva voce tradita, multis argumentis confecimus. Sequitur ergo necessarium esse ad fidei integritatem, ut haec tradita testimonia una cum scriptis conserventur; et veram Christi religionem non minus detrimenti passuram, si traditiones interirent, aut corrumperentur, quam si scriptura periret aut interpolaretur. Quocirca nihil est, quod metuant adversarii, ne traditiones, quae in ipsis ecclesiae visceribus scriptae sunt, oblivione deleantur; nam eas conservandi cura Deo magis incumbit, quam hominibus. Scimus Christum ecclesiae suae nunquam deesse, neque unquam irritum fieri posse, quod Apostolis eorumque successoribus promisit, nunquam discessurum ab ipsis spiritum veritatis.

PROPOSITIO II.

Consensus Patrum unanimis certum est et infallibile argumentum divinarum traditionum.

595. — Prob. I. *Certum argumentum efficit.* Sive hae traditiones sensum scripturae verum et genuinum contineant, sive veritates complectantur in scriptura non contentas; certum est eas nulla ratione melius probari posse, quam consentientibus Patrum testimoniis. Patres acceptam ab Apostolis doctrinam ad alios transmiserunt, tanquam testes intermedii omni exceptione majores, quibus ideo fidem denegare nemo potest; nam si viri quamplurimi sanctitate conspicui, aetate maturi, ingenio et doctrina praestantes, Pastores et Doctores fidelium, et in ecclesiae doctrina apprime instructi, qui non uno tempore, nec uno loco scripserunt, quorum libri in ecclesiae gremio depositi omnium approbatione excepti sunt, communi consensione doctrinam aliquam a Christo profectam testantur; ejusmodi consensio juxta omnes logices regulas certitudinem moralem efficit.

596. — II. *Efficit etiam infallibile argumentum.* Quod SS. Patrum communis doctrina infallibile sit veritatis criterium vel ex eo conficitur, quod alia ratione firma et immota consistere non possit ipsius ecclesiae fides; ita enim ecclesiae traditio cum SS. Patrum doctrina intime connexa est et conjuncta, ut quisquis hanc tentarit labefactare, ecclesiae quoque fidem concutiat. Constat populum Christianum nullo non tempore SS. Patrum fidei acquievisse eos suspexisse tanquam integerrimos traditionis testes et doctores illius, quam a Christo accepimus, religionis. Constat ecclesiam universam, concilia, pontifices omnes et doctores, hac via et ratione universas haereses refutasse, et fidei dogmata sanxisse. Imo non semel ecclesia publice professa est, se in condendis fidei decretis Patrum auctoritatem sequi, tanquam tutiorem certioremque veritatis regulam. Patet ergo, quod si fallere nos posset Patrum unanimis doctrina, jam ipsa ecclesiae fides titubaret.

Quae dicta sunt, facillimum esset, innumeris totius antiquitatis testimoniis probare. *Exemplis talibus plena sunt omnia*, ait Vincentius in commonit. *Intelligebant enim viri sancti at-*

que prudentes, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi ad omnia, qua fide a Patribus suscepta forent, eadem filiis consignarentur. Idque esse proprium Christianae modestiae et gravitatis, non sua posteris tradere, sed a majoribus accepta servare. Ducatum quippe nobis praebet religio, non nos religioni, nec majorum sensa qua volumus, trahemus, sed potius, qua illa trahunt retrahuntque sequemur. Exemplum tunc affert ex concilio Ephesino, cui *divinitus placuit, nihil aliud posteris credendum decernere, nisi quod sacra sibi consentiens sanctorum Patrum tenuisset auctoritas.* Sed, ut optime *Lerinensis*, exemplis talibus plena sunt omnia. Sic *Hieronymus Helvidii* dogma revicit; sic *Basilius* Spiritus S. divinitatem asseruit; sic *Augustinus* Donatistas et Pelagianos; sic S. *Leo* Eutychen refellit. Sic Chalcedon. concilium ejusdem Eutychetis impietatem confudit. Sic sequentia concilia omnia novellas haereticorum adinventiones damnarunt. Unde in Trid. concilio Sess. IV. sub poena anathematis prohibitum est: *Ut nemo contra unanimem consensum Patrum scripturam sacram interpretari audeat.*

ARGUMENTA CONTRARIA.

597. — Argum. I. Traditiones divinas, dummodo divinas esse constet, parem cum scripturis auctoritatem habere, nemo nisi impius negare potest. Verum an illae, quae hodie spargunturn, revera divinae originis sint, merito dubitatur. Constat enim quovis tempore, atque primis statim saeculis falsas traditiones in ecclesia disseminatas fuisse, et tanquam divina oracula habitas a viris virtutis et doctrinae fama clarissimis. Inde Millenariorum, Quartodecimanorum, Rebaptizantium errores. Ergo etc.

Resp. I. Certum est, falsas scripturas et quidem plurimas ab ipsis ecclesiae incunabulis fuisse confictas, quas viri doctrina et pietate insignes tanquam apostolicas laudarunt; numquid eam ob causam protestantes vellent sacram scripturam rejicere? Ridiculum est credere apostolicas traditiones non posse eadem fide et diligentia in fidelium cordibus asservari, ac si atramento in charta scriberentur. Quodsi Christi providentia ecclesiae deest, neque traditio, neque scriptura vindicatur; sed si Christo ecclesia sua curae est, jam non erit ambiguum, quin quemadmodum evangelium illa in sensu potius quam in littera custodit, ita et traditiones custodiat, quas ei Apostoli tantopere commendarunt.

598. — Resp. II. neg. consequent. Valeret argumentum, si nulla pateret via certa et plana, qua verae traditiones a falsis, divinae ab humanis secerni possint. Sed facillimum est discretionem facere, si ad sequentes regulas attenditur.

I. Si dogmatis cujusdam originem Christo et Apostolis posteriorem esse constiterit; aut si a paucis primum, v. g. a particulari ecclesia propositum, a caeteris fuit repudiatum; ad divinam traditionem pertinere non potest.

II. Quando consuetudinis in ecclesia diu et ubique observatae originem nec ad summos pontifices, nec ad concilia episcoporum referre possumus; tunc plane conficitur, eam ab Apostolis esse profectam. Hanc regulam proponit *Augustinus* libr. IV. contra Donatistas: *Quod universa tenet ecclesia, nec conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi auctoritate apostolica traditum rectissime creditur.* Hujus generis sunt baptisma parvulorum, jejunium quadragesimae etc.

III. Si Patres dogma aliquod, quod ex sacris litteris non habetur, ab initio statim concordissime tenuerunt, hujusque contrarium ut fidei adversum rejecerunt; id nimirum per apostolicam traditionem habet ecclesia. Hanc et priorem regulam a *Tertulliano* et *Augustino* traditam praeclare

exponit *Vincentius Lerinensis* [1]): *Magnopere curandum est*, ait, *ut id teneatur, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum est, hoc est enim vere proprieque catholicum, quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quae omnia fere universaliter comprehendit. Sed hoc ita demum fiet, si sequamur universitatem, antiquitatem, consensionem. Sequemur autem universitatem hoc modo: si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur ecclesia. Antiquitatem vero ita, si ab iis sensibus nullatenus recedamus, quos sanctos majores et Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem quoque, si in ipsa vetustate omnium vel certe pene omnium sacerdotum pariter et magistrorum definitiones sententiasque sectemur.*

IV. Universitati et consensioni, quas Vincent. Lerin. requirit, nil obest quarundam ecclesiarum contraria doctrina, quod in rebaptizantium causa contigit; quia fieri potest, ut accepta ab Apostolis traditio in paucis ecclesiis aliquo tempore obscuretur. Tamen ubi dissensio ejusmodi invenitur, rem esse in traditione fundatam, certum nondum est certitudine fidei catholicae, nisi ecclesiae sententia accesserit.

V. Certissima omnes circa traditionem controversias finiendi via est ecclesiae judicium; hujus est sicut scripturarum, sic et traditionum auctoritatem vindicare, qua in re speciali Dei praesidio juvatur et dirigitur, ut cap. seqq. probabitur.

599. — Argum. II. 1° Inter scripta, quae sub nomine Patrum evulgata sunt, multa reperiuntur suppositia aut interpolata. 2° Duo sunt locorum, qui apud PP. occurrunt genera; nam vel ut testes narrant, quae suo tempore ecclesia credebat, vel ut doctores, quae ipsi sentiunt, exponunt. Sed utrovis modo spectentur, falli possunt et revera non raro falsi sunt. 3° Patres nullum habent infallibilitatis promissionem, ergo eorum testimonium, quamvis multorum sit vel omnium, probabile tantum argumentum subministrare potest, certum vero et infallibile non potest. Ergo etc.

Resp. ad I. Communem ecclesiae fidem non inquirimus in quibusdam suppositis Patrum scriptis, sed in genuinis, quae longe majori sunt numero, et a spuriis facile secernuntur ab eruditis. Quae autem interpolata dicuntur loca, ea paucissima esse constat et levioris momenti.

Ad II. Patres ut homines in quibusdam errasse notius est, quam ut negari possit; ideo non sunt promiscue tenenda, quae ab uno, aut aliquibus contra communem caeterorum sententiam tradita sunt. Hoc argumentum magnam habet cum eo, quod de traditionibus agit, affinitatem; atque eaedem fere regulae adhiberi debent, ut, quid et quando valeat Patrum auctoritas, judicari possit. Ergo distinguendum est inter ea, quae sacras litteras et doctrinam fidei concernunt, et quaestiones ad philosophiam aut alias naturales scientias pertinentes. In his enim perscrutandis non adeo solliciti erant Patres, qui totos se divinae sapientiae dederant. Distinguendum est inter communem Patrum omnium aut fere omnium consensionem, et sententiam unius vel paucorum. Hi quidem etsi pauci sint, si eorum opinio ab ecclesia non sit penitus explosa, despici non debent; fidem tamen certam non faciunt. „Illorum testimonium pro nihilo habere impudentis erit, ait *Melchior Canus* [1]), suscipere et habere pro certo, erit omnino imprudentis.“ Distinguendum est demum, quando Patres tanquam testes considerantur, inter merum et simplex factum, et factum conjunctum cum jure, et ab eo indi-

1) Commonit. cap. III.

1) De locis theol. lib. VII. cap. III. num. II.

vulsum: dantur enim quaestiones juris, quae cum facti quaestione tam arcto foedere connexae sunt, ut qui in uno erraverit, in alio necessario labatur. Ita quaestio facti est, utrum libri canonici, quos legit ecclesia, sint verbum Dei, sive an sint a Prophetis, Evangelistis et Apostolis compositi. Verum in hac quaestione involuta est haec alia: utrum scilicet ecclesia verbum Dei habeat. Via ibit certa et secura, quicunque auream *Vincentii Lerinensis* regulam sequitur, quam habet commonit. cap. IV.: *Operam dabit* (Christianus catholicus) *ut collatas inter se majorum consulat sententias; eorum dumtaxat, qui diversis licet temporibus et locis, in unius tamen ecclesiae catholicae communione et fide permanentes magistri probabiles extiterunt: et quae, non unus tantum aut duo, sed omnes pariter, uno eodemque consensu, aperte, frequenter, perseveranter tenuisse, scripsisse, docuisse cognoverit, id sibi quoque intelligat absque ulla dubitatione credendum.*

Ad III. Optime scimus, Patres spiritu tantum humano locutos fuisse; imo errasse aliquando, etiam in iis, quae ad fidem spectare postmodum demonstratum est; quoniam res nonnullae non erant tum adeo in ecclesia definitae, ut nunc esse videmus. Quin et hoc fatemur Patrum etiam consentiens testimonium, in se spectatum, argumentum efficere mere humanum. Verum ecclesiae auctoritas huic testimonio notam infallibilitatis imprimit. Nam cum ecclesia fidem suam ex communi Patrum doctrina eruat et palam confiteatur, se ab unanimi Patrum sententia nunquam discessuram; manifestum est illam Christi providentiam, quae ecclesiae suae fidei invigilat, permittere non posse, ut ibi errorem inveniat, ubi putat se puram et genuinam doctrinam haurire.

Conf. *Melch. Canus* loc. theol. lib. VII. *Natal. Alex.* diss. XVI. jam citata in saec. II. imprimis §. 22. et 23.; ubi *Dallaeum* refutat, qui in lib. *de vero Patrum usu*, multa contra SS. Patrum auctoritatem congessit. *Bergier* traité historiq. etc. tom. XI. pag. 15. et seq. *Petr. Annatus* apparatu etc. lib. IV. *Bossuet* défense de la tradition et des SS. Pères. Tom. V. Edit. de Lebel. *Walenburgici* de examine princip. fidei, exam. IV. Et tractat. II. parte III. cap. VII. VIII. IX. etc. Vide etiam, quae in Prolegom. dicta sunt pag. 7. et seq.

CAPUT TERTIUM.

De judice controversiarum.

600. — Omnis revelatio divina ex verbo Dei probari debet, verbum autem Dei tum scriptura, tum traditione continetur. En duos revelationis fontes, ex quibus omnis Christiana veritas dimanat, fontes aquae vivae salientis in vitam aeternam. Quidquid nec ex scriptura, nec ex traditione habetur, doctrina Christi esse non potest; quod autem scriptum probatur, aut traditum, aut utrumque, hoc ut dogma divinitus revelatum certissime tenendum est. Verum in hoc labor, in hoc quaestio maxima est: scire, utrum haec illave doctrina ex purissimis illis, quos Christus nobis aperuit, fontibus dimanet, seu, ut clarius loquamur, scire, utrum doctrina aliqua divinae sit originis, in verbo Dei scripto, aut tradito, aut utroque revelata.

Cum a primo Christianae revelationis exordio usque nunc omnia fidei dogmata varie impugnata fuerint a sectis pene innumeris, non tantum cum ecclesia catholica, sed etiam inter se dissidentibus, quorum unaquaeque scripturam in erroris sui patrocinium vocavit, traditiones autem vel penitus abjecit, vel certe perturbare et confundere, atque ad partes suas trahere nitebatur; manifestum est, parum nobis scripturas ipsas et traditiones ad certam divinae veritatis cognitionem valituras, nisi aliquis constitutus sit

controversiarum judex, qui quaestiones tum circa scripturam ejusque sensum, tum circa traditiones exortas certo et supremo judicio dirimere possit. Catholici omnes in hanc conveniunt sententiam, quod controversiarum, quae circa fidem oriuntur, supremum judicium ad ecclesiam pertineat. Hanc enim audire, huic parere divinus religionis nostrae auctor praecepit. Non illa quidem verbum Dei efficit, aut fidei articulos cudit, sed spiritu veritatis instructa verbum divinum ab humano secernit et genuinum illius sensum declarat. Atque hoc modo commissum sibi a Deo depositum servat et tuetur.

Quam ob rem fidei regulam ita posuit *Veronius: Illud omne et solum est de fide catholica, quod est revelatum in verbo Dei et propositum omnibus ab ecclesia catholica fide divina credendum.* „Fidei catholicae nomen, pergit idem auctor, utrumque hoc sonat: fides enim divina est credere propter auctoritatem Dei revelantis, in quam solam auctoritatem tota resolvitur: propositio fit per pastores a Christo constitutos.“ Et paulo inferius: „Consentiunt omnes synodi, Patres, theologi in hac regula statuenda: et semper habiti et habentur ut haeretici (nec alii) qui contra sensum totius ecclesiae, seu definitionem concilii ejus universalis aliquid sentiunt in doctrina salutis; propriae nimirum electionis judicio, adversus universitatem sese elevante condemnati.“

601. — Primi reformatores, cum ipsi homines essent nullius auctoritatis, ut populum in partes suas traherent, multa de libertate evangelica locuti sunt fallaciter et dolose, multa malitiose contra ecclesiae auctoritatem effutierunt. Verum, quamprimum ipsi in sat magnas societates excreverant populosque et principes sibi additos viderunt; immutarunt sermonem, et illam auctoritatem sibi nullo jure, nullo titulo arrogarunt, quam receptam a Christo sibi vindicat ex perpetua nec interrupta successione ecclesia catholica. Verum magnis sese implicant difficultatibus, imprimis quando agitur de causis fidei dijudicandis; nam in ejusmodi quaestionibus aperte injustus et absurdus est omnis auctoritatis usus, nisi eadem illa auctoritas sit infallibilis.

Praesens de judice controversiarum quaestio tanti momenti est, ut omnibus, quas cum haereticis habemus, dissolvendis et terminandis controversiis sola sufficeret: auctoritate enim infallibilis ecclesiae errores omnes quasi uno ictu confodiuntur. Quapropter necesse est, ut eam cum maxima, qua fieri potest, claritate et diligentia expendamus. In quatuor articulos totam quaestionem partimur. 1. Ostendet, necessarium esse judicem controversiarum et quidem infallibilem. 2. Hunc judicem alium esse non posse, quam ecclesiam catholicam, probabit. 3. De objecto infallibilitatis aget. 4. De ejusdem infallibilitatis subjecto.

ARTICULUS I.

An necessarius sit judex controversiarum a Christo institutus et infallibilis.

PROPOSITIO.

Praeter scripturam et traditionem requitur aliquis controversiarum judex a Christo institutus, isque infallibilis sit necesse est.

Probatur I. pars.

602. — Argum. I. Quamvis certum sit et inconcussum, fidem omnem divinam in verbo Dei scripto aut tradito contineri; huic quidquam addi, aut detrahi, sine magna Dei injuria non posse; tamen experientia omnium saeculorum constat, in applicatione hujus principii ad specialia religionis dogmata varias extitisse, et adhuc existere controversias, neque ullam unquam haeresin fuisse, quae non a scriptura praesidium repetierit, plures etiam

traditionem in causae suae patrocinium appellasse. Unde sic concluditur:

Manifestum est religionem per ejusmodi controversias in summum discrimen vocari, et nisi tollantur, nullum manere veritati praesidium, latam autem omnibus errorum portentis patere viam: atqui tolli non possunt ejusmodi controversiae, nisi medium habeatur, ad eas tollendas aptum: ergo hoc medium existere debet, et quidem a Christo institutum; tum quia Christi erat religioni a se revelatae providere; tum quia in re a Christo instituta nemo potestatem aliquam sibi arrogare potest, nisi illam a Christo habeat; tum demum, quia in religionis negotio finis controversiarum aliter sperari non potest; cum homines in rebus divinis soli Deo credant; neque intellectum captivarent in obsequium fidei, nisi a Deo exiret auctoritas, quae credenda agendaque proponit.

603. — Argum. II. Christus religionem suam instituit perpetuam et universalem: atqui sine controversiarum judice nec perpetua esse potest, nec universalis. Ergo nesessario assumendum est, a Christo ipso institutum fuisse ejusmodi judicem.

Probat. mihor. Religio Christiana 1⁰ sine controversiarum judice non posset esse *universalis;* nihil enim adesset, quod particulares ecclesias in unius fidei professione colligaret; et si in partes scinderentur diversitate dogmatum, seque mutuo haereseos damnarent, et anathemate percellerent, nullum inveniretur tanto malo remedium; cum nullus esset judex, qui controversiam finiret. Quis autem universalem cogitare potest doctrinam, quae non esset una ubique et eadem? 2⁰ Non posset esse *perpetua*; cum falsa religio posset in verae locum succedere; nec esset, qui impediret.

604. — Argum. III. In omni communitate sapienter ordinata non solum extant leges, quae suum unicuique officium praescribunt, sed etiam judices, qui lites dirimunt, legem, si obscura sit, interpretantur, et ad singulares causae circumstantias applicant. Pone enim, in politica societate nullum sedere judicem, nullum constitutum esse, qui in reos animadvertere, vel sententiam dicere possit inter litigantes, quid quaeso optimae leges valebunt? Quanta econtra exsurget rerum confusio et perturbatio? An ergo sola Christi ecclesia hoc necessario, hoc saluberrimo instituto carebit? In hac sola nulla ratione, nulla via exiri poterit a controversiis? In hac sacra republica, ubi de salute agitur, de sanctissima et divina religione conservanda, nullum erit a Deo constitutum tribunal, quod dissidia et lites de fide et doctrina exortas componere ac finire possit? Tam male providisset Christus religioni suae!

Probatur II. pars.

605. — Argum. I. Veritates religionis divinae fide quoque divina credi debent, ut ipsi fatentur protestantes; ergo fide infallibili. Nunc ita efficitur argumentum: Ut dogma aliquod fide infallibili credi possit, certitudine infallibili constare debet, illud vere esse revelatum: atqui hanc certitudinem infallibilem habere non possumus, nisi infallibile sit judicium judicis, quo illud tanquam revelatum proponitur. Ergo etc.

Probatur minor. Fides, qua dogma revelatum esse credo, fundamentum habet in auctoritate judicis controversiarum, qua illud in scriptura aut traditione, aut utraque contentum esse declaratur; ergo majorem non potest habere certitudinem, quam regula, cui innititur; ergo non potest esse infallibilis, si judex controversiarum infallibilis non sit. Ergo etc.

606. — Argum. II. Rationes, quae controversiarum judicem exigunt a

Christo ipso institutum, eaedem quoque exigunt infallibilem. Ergo etc.

Probat. anteced. Necessarium est controversiarum judicem admittere a Christo institutum; quia aliter dissidia dirimi ac componi non possunt, neque fidei integritas in tuto collocari, ut parte prima hujus propositionis ostensum est. Atqui haec obtineri non possunt, nisi judex ille infallibilis sit. Ergo etc.

Probat. minor. 1° Controversias dirimere non potest sententia, quae ipsa possit in controversiam adduci. 2° Fidei integritati consultum non esset; nam fieri posset, non tantum ut doctrina falsa in verae locum succederet; sed etiam ut Deus ipse errorem juberet: nam judex adesset a Deo ipso constitutus, cujus judicio se submittere omnes tenerentur; cum autem fieri posset, si infallibilis non supponitur, ut sententia ejus esset erronea, procul dubio Deus ipse errorem juberet.

ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

607. — Dicunt I. Etiamsi judex saecularis infallibilis non sit; non tamen interminatae sunt de rebus temporalibus lites. Ergo etc.

Resp. neg. conseq. Ratio disparitatis est, quod auctoritas temporalis instituta tantum sit ad servandam pacem externam, ad quam retinendam satis est, ut litigantes teneantur sententiae judicis se submittere, quamvis de ejus aequitate dubitent: non enim tenentur fide firma credere, justam esse, quae a judice lata est, sententiam. Fides autem, quam revelatio exigit, est interior et plena mentis adhaesio illis veritatibus data, quas controversiarum judex tanquam revelatas proponit. Quomodo autem firmum his veritatibus assensum praebebunt fideles, nisi certi sint, judicem non errasse?

608. — Dicunt II. Si nihil certum esset, nisi infallibili auctoritate nixum, nemo hominum de quacunque re certus esse posset ad hanc mortalem vitam pertinente; falsum consequens. Ergo etc.

Resp. Falsum est, quod in hoc argumento supponitur, nullam dari posse certitudinem, nisi infallibili auctoritate nixam, et a rebus sensibilibus et externis recte concludi posse ad ea, quae salutem hominum spectant, et ad fidem pertinent revelatae religionis. In vita hominum communi ut plurimum sufficit certitudo improprie dicta, aut magna probabilitas, cum plerumque major haberi non possit. Quando autem certitudo adest in summo gradu, tunc adest quoque infallibilitas quaedam; quia optime dicitur, testimonium sensuum aut hominum in summo gradu fallere non posse. Praeterea notandum est: 1° in vita humana agi potissimum de factis et rebus externis, non de dogmatibus et veritatibus credendis. 2° De ejusmodi rebus plerumque non moveri controversias. 3° Homines in vita communi etiam errare saepissime et falli. 4° Errores ejusmodi nullam cum Dei perfectionibus, aut divinis institutis contradictionem involvere. 5° Rebus humanis fidem tantum adhiberi humanam, divinae autem revelationi fidem divinam deberi; quae sine infallibilitate haberi non potest. 6° In religionis negotio falli maxime esse periculosum; cum res ad salutem pertineat. 7° Quando de dogmatibus agitur a viris doctissimis in utramque partem ventilatis, sententiam judicis nisi ex infallibilitate auctoritatem habeat, securitatem aut firmam persuasionem parere non posse. 8° Res omnes humanas continuis mutationibus esse obnoxias; Christum autem religionem suam perpetuam esse voluisse, quod, uti probavimus, sine infallibili judice controversiarum cogitari non potest.

609. — Dicunt III. Doctrina de ju-

dice infallibili hominem ratione spoliat. Ergo etc.

Resp. neg. ant. Multum abest, ut sententia nostra hominem ratione spoliet; cum ratio ipsa judicem infallibilem postulet. Nihil certe rationi magis consentaneum est, quam auctoritati infallibili fidem adhibere: aut an ratione se spoliant acatholici, cum scripturae se credere contendunt? Ratio, quae sana est et sobria, libenter suam in rebus divinis inscientiam agnoscit, atque innumeris magnorum etiam ingeniorum naufragiis edocta, ad auctoritatem infallibilem, tanquam ad tutissimum portum, confugit.

ARTICULUS II.

Judex controversiarum infallibilis a Christo institutus alius esse non potest, quam ecclesia catholica.

OBSERVANDA.

610. — I. Nunc de illo tractandum est, quod est in hac controversia praecipuum; scilicet penes ecclesiam esse, exortas circa doctrinam lites dirimere. Quamdiu in genere quaestio ponitur: An medium aliquod requiratur, quo sedulus veritatis investigator genuinum scripturae sensum cognoscere, et inter tot diversas interpretationes veram Christi doctrinam a vanis opinionum commentis secernere valeat? facile nobiscum consentiunt acatholici. Verum in assignando hoc medio, vel, si magis placet, judice controversiarum, in varias abeunt sententias, omnes a catholica doctrina longissime aberrantes.

611. — II. Sociniani, qui omnia humanis metiuntur argumentis, ex sola naturali ratione dijudicandum esse dicunt, quis verus scripturae sensus sit, aut quid ad eam doctrinam pertineat, quam a Christo et Apostolis accepimus. Ergo rationem solam statuunt scripturae interpretem; hac sola tanquam magistra utendum, hujus judicio standum in religionis dissidiis. Veteres protestantes, et si qui nostra adhuc aetate patrum suorum doctrinae inhaerent, longe se abesse clamant a Socinianorum sententia; eamque damnant tanquam verbo Dei contrariam et impiam, qua omnis vera theologia, omnis Christiana fides funditus evertatur. Lutherus, qui princeps fuit novatorum, omnia in fide posuit, rationis autem judicia tanquam fallacia, et nullius in rebus theologicis auctoritatis explosit; quae Apostolus de muliere ait[1]): *Docere mulieri non permitto , . . sed esse in silentio,* ea rationi attribuit garrulae, vanae et contentiosae. In hac ergo sententia quaestiones fidei non rationis judicio dirimendae sunt, sed sola Spiritus S. auctoritate; judicium exercet, ut dicunt, non spiritus privatus uniuscujusque hominis, sed Spiritus Dei, qui est in privatis hominibus. Ille enim solus, qui sensum scripturae dictavit, legitimus quoque scripturae interpres est. Hinc si a sententiae hujus patronis quaeritur, ubi sit Spiritus ille divinus, negant illum episcopis, aut ecclesiae, vel ulli hominum societati convenire; sed unumquemque privatum judicem esse, sive Spiritum S. interius docentem sequendo, si ipse donum interpretandi habeat; sive alteri, praesertim praedestinatis aut regenitis adhaerendo, quos unctio interius docet. Vide *Bellarm.* de verbo Dei lib. III. cap. III., ubi verba refert *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Brentii* etc. Inter alios Melanchthon in hac quoque parte plurima perplexe et ambigue loquitur, veluti homo, cui nec errandi satis animi erat, nec ab errore exeundi.

612. — III. Sunt, qui simpliciter dicunt, scripturam ex ipsa scriptura explicandam esse; illam apertissimam esse sui ipsius interpretem; quae alicubi obscura videntur, alibi clare proponi. Qui ita loquuntur, nihil respon-

1) I *Timoth.* II, 11.

dent, sed magis eludunt quaestionem. Nam cum scriptura non in verbis consistat, sed in sensu, et controversiae non de verbis ipsis moveantur, sed de intellectu eorum, semper redit eadem quaestio, qua via, qua ratione homo ad scripturae intelligentiam perveniat? Unde oriatur illa scripturarum tantopere jactata claritas? An ratione naturali, an communibus interpretationis regulis sensus ex verbis erui possit, et verus a falso secerni? Vel an Spiritus Dei interius sensum verborum aperiat hominemque doceat, quid retinendum sit, quid repudiandum? Qui primum dicunt, cum Socinianis omnia ad tribunal vocant rationis humanae; qui secundum, spiritum aut sensum internum judicem constituunt.

613. — IV. Catholici ad unum omnes tenent, fidei custodiam, omnemque de rebus controversis ad fidem spectantibus decernendi auctoritatem a Christo ecclesiae esse commissam, seu ecclesiam infallibilem esse controversiarum judicem a Christo ipso institutum. Hoc praecipuum religionis nostrae fundamentum est, haec salutis anchora, hoc veritatis revelatae tutissimum palladium, hoc scutum fidei, quo possumus omnia tela nequissimi ignita extinguere, haec non brevis tantum et expedita, sed et necessaria omnem de religione disputationem decidendi via. Hac quippe auctoritate sublata inanis est fides nostra et divina religio, tot laboribus, tot prodigiis per orbem propagata, necessario dissolvitur in confusum chaos discordantium opinionum. Hac autem integra, jam firma sunt omnia et tuta et certa. Mirum ergo videri non debet, quod protestantes in hanc catholicorum doctrinam quasi manu facta irruant, atque ad eam evertendam vires omnes et conatus impendant. Sentiunt enim certam esse et conclamatam suam omniumque haereticorum ruinam ex hac suprema et infallibili ecclesiae in causis fidei dijudicandis potestate.

PROPOSITIO I.

Judex controversiarum a Christo institutus non potest esse spiritus privatus, qualem protestantes admittunt; nec ipsa scriptura nec ratio humana.

Probatur I. pars.

614. — I. Illi, qui judicium summum decisionis soli Spiritui S. tribuunt, qualis ille in privatis hominibus est, id primum doceant nos: an ille Spiritus idem sit in omnibus, an in diversis diversus? Si secundum dicunt, impia et absurda loquuntur, quia Spiritus S. unus est, nec secum ipse dissentire potest. Si primum asserunt, explicent, cur protestantes in tot diversas scindantur sententias? Cur ex scripturis doctrinas eruant sibi omnino oppositas? An Spiritus S. alia suggessit Luthero, alia Calvino, alia aliis sectarum auctoribus.

615. — II. Illud principium fallax est et deceptionis plenum, quod non tantum controversiis finem imponere non potest; sed econtra latam portam aperit erroribus: atqui tale est illud principium ex testimonio sensus interni desumtum. Ergo etc.

Probat. minor. Ut testimonium internum Spiritus S. finem imponere posset controversiis, deberet adesse medium, verum spiritum a falso secernendi: atqui nullum assignare hucusque potuerunt hujus sententiae patroni. Frustra ergo litigant actor et reus; neuter potest aut sua probare, aut confutare contraria; nec est, qui controversiam dirimat. Agnoscimus, inquiunt, Spiritum S. in scripturis loquentem; sed unusquisque sui sensus testimonium proferens contendit se Spiritus S. judicium sequi, atque ita ad fanatismum amplus et liber patet aditus. Quisque enim ad eum, quem sibi imaginatione effinxit, interiorem sensum scripturas detorquebit; nec quidquam tam absurdum cogitari potest, quod non ex scripturis se hausisse contendent novarum doctrinarum fabricatores. In hoc omnis omnium

haereticorum error est, ait Vincentius Lerin. cap. II., *quod scripturam sacram pro ipsa sua altitudine non uno et eodem sensu, quo universi, accipiunt: sed ejusdem eloquia aliter atque aliter alius interpretatur, ut pene quot hŏmines, tot illĭc sententiae erui posse videantur.*

616. — III. Nulla est respublica tam male constituta, quae non habeat suos controversiarum judices. Omnis quippe societas, quamvis optimis legibus instructa, in summam confusionem abeat necesse est, si licet cuique privato leges pro arbitrio interpretari. Quanto magis putandum est, Christum de hoc tam necessario medio ecclesiae suae providisse, quam durare voluit in perpetuum et in toto terrarum orbe ejusdem fidei professione colligari. Hanc materiam difficile non esset pluribus scripturae textibus illustrare. Sed timeo ne incassum laboremus sacros codices opponendo adversariis. Quid enim? Si illi alia omnino in scripturis vident spiritu suo interno ducti? Dicamus tamen, quod nobis spiritus dicat, non spiritus privatus, qui mendax est, multiplex et inconstans; sed ille, qui ecclesiam regit et fidei deposito invigilat. Clara et perspicua haec sunt: *Attendite a falsis Prophetis* [1]). *Nolite omni spiritui credere* [2]). *Omnis prophetia scripturae propria interpretatione non fit* [3]). Et illud demum Ezechielis [4]): *Vae Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum et nihil vident. Vident vana et divinant mendacium, dicentes: ait Dominus... cum ego non sim locutus.* Vide quae cap. II. art. I. prop. III. dicta sunt.

Probatur II. pars.

617. — I. Scriptura non potest esse supremus judex controversiarum fidei, si 1⁰ non omnia continet, quae ad fidem Christianam pertinent; et 2⁰ alia plura obscure tantum continet et involute: atqui etc. Minorem art. I. prioris capitis probavimus.

II. Duo in scripturis distingui debent, *littera* et *sensus*. Circa utrumque controversiae ortae sunt et quotidie oriuntur, quae ex scripturis decidi non possunt: ut jam probavimus. Scriptura enim est lex muta et mortua, quae interrogata silet et patienter sinit se in diversos sensus torqueri.

III. Illa quaestiones dicidendi regula admitti non potest, qua docti ad veritatem pervenire non possunt, indocti autem misere decipiuntur. Atqui ita est, si ex scripturis ipsis de scriptura judicandum est. Ergo etc.

Prob. minor. 1⁰ Hactenus inter protestantium doctores convenire non potuit, quinam articuli ad fidem Christianam pertineant; nullus est, de quo non ipsi disputent inter se; nec est, qui judicet, quia inter litigantes pari ratione suum quisque sensum tuetur et certis scripturae locis probare contendit. *Scripturis nituntur sua dogmata confirmare*, ait Irenaeus [1]), *ne sine teste esse videantur. Sed deformant eloquia Dei, atque ex figura hominis vulpis aut ursi figuram reddunt.* 2⁰ Indocti, qui spe libertatis illecti ad novatorum castra transierunt, cum auctoritati se subducerent totius ecclesiae catholicae, jugum subierunt hominum quorundam turbulentorum, qui fidem conciliis et ecclesiae universae abrogarunt, ut in se transferrent. Tota ergo haec seductorum hominum multitudo cum scripturarum intelligentiam ipsa assequi non possit, aliam fidei regulam non habet, quam ministrorum suorum leges instabilesque opiniones. Vere impletur in illis, quod *Jeremiae* II, 13. dictum legitur: *Duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquae vivae, et*

1) *Matth.* VII, 15. 2) I *Joan.* IV, 1. 3) II *Petr.* I, 20. 4) *Ezech.* XXIII, 3.

1) Cont. haeres. lib. I. cap. I.

foderunt sibi cisternas, quae continere non valent aquas.

618. — IV. Praeclare contra hanc novatorum sententiam ratiocinatur *Melchior Canus* exemplo a civili statu deducto [1]): „Scriptura judex est mortuus, qui nec litigantium utriusque rationes audire, nec sententiam ipse eloqui valet. Quodsi in humana aliqua republica talis judiciorum esset forma descripta, ut nulli essent judices vivi, sed solis exaratis litteris controversia finiretur: praeterquam quod forma judicandi stultissima esset, nullus etiam esset litigandi finis“ . . . et paulo post: „In humana republica ejusmodi judicia non permitterentur privatis hominibus, nisi legislatores desipuissent.“ Et vero non mediocris haec insania esset, legem judicem constituere legis; de sensu legis litigantes ad legem remittere.

V. Demum et illud observandum, hanc sententiam nequidem sensum habere certum et determinatum. Quando dicitur, scripturam sui ipsius optimam esse interpretem; utique supponitur adesse scripturae intelligentiam in illis, qui eam consulunt; quomodo enim decidi ex ea possent quaestiones fidei, si non intelligeretur? Nunc autem in idem devolvimur, quod ab initio quaesitum est: Unde habent privati quique homines hanc scripturae intelligentiam? An per spiritum privatum, aut gustum internum? An per rationem humanam, seu naturales ingenii vires? Primum in prima hujus propositionis parte refutatum est. Secundum est ipsa Socinianorum sententia, de qua nunc agendum.

Probatur III. pars.

619. — I. Judex controversiarum ex articulo I. debet esse a Christo institutus et infallibilis: atqui neutrum rationi humanae convenit. 1° Nullibi legitur hanc a Christo nobis datam esse fidei magistram. Contrarium asserit Apostolus I ad Cor. I, 19.: *Scriptum est, perdam sapientiam sapientium, et prudentiam prudentium reprobabo.* 2° Rationem vero humanam infallibilem esse, nemo sanus unquam asseruit. Ergo etc.

II. Qui rationem philosophicam religionis revelatae judicem constituunt, id agunt reluctante ac reclamante ipsamet sana ratione, quae dictat in rebus ab una Dei revelantis auctoritate pendentibus auctoritatem audiendam esse, non naturalem philosophiam; verbum Dei, doctrinam a Deo ipso, qui omnis veritatis fons est, profectam, non posse ad tribunal vocari humanae rationis, quae arctissimis circumscripta est limitibus, quae hominum ignorantiae mederi nunquam potuit, quae in diversis hominibus diversa est, et magis ad excitandas fovendasque lites valet, quam ad componendas. Et vero cum nullus rationem suam teneatur rationi alterius subjicere, quis non videt, hac via non tantum controversias decidi non posse, sed tot fore religiones quot capita, omnemque positivae et divinae religionis auctoritatem funditus everti?

III. Haec Socinianorum sententia, quam moderni protestantes fere omnes sequuntur, parum aut nihil differt ab illa, quam in Demonstratione Christiana refutavimus: optimam scilicet indagandae veritatis rationem in causa revelationis esse viam examinis, seu discussionis rerum et veritatum. Hanc probandi rationem nec religioni, nec religionis indagatoribus convenire, itemque nec facilem, nec tutam esse ostendimus.

Qui haec sedulo perpenderit, et saeculi nostri atque omnium retro saeculorum experientiam consuluerit, intelliget, inania verba jactare, et fucum facere idiotas illos, qui omnia ratione sola metienda esse clamitant, rationis jura et admirabiles progressus mirifice praedicantes, exemplo forsan excitati patronorum, qui saepe defensores

1) Loci theol. lib. III, cap. VII.

agunt rei, quam exploratam non habent, ut ex patrocinio saltem lucrum colligant. — Certe, si olim Socrates sapientissimus omnium mortalium dictus est ideo, quia se nihil scire, omnium maxime sciret: quid de illis sentiendum, qui quamvis in nulla re profecerint, hoc tamen omnium maxime ignorant, se nihil scire?

PROPOSITIO II.

Ecclesia catholica docens est judex controversiarum infallibilis, a Christo institutus.

620. — Prob. I. Christus in ecclesia cathedram instituit seu magisterium publicum; ergo existit ecclesia docens a Christo instituta, quam audire tenentur omnes, qui undique sunt fideles. Ex cap. I. art. III. §. I. *de Christi ecclesia.* Ergo et hujus ecclesiae est cum auctoritate sententiam dicere; ergo est controversiarum judex. Cum porro ecclesia infallibilitatis dono a Christo insignita fuerit (ibid. §. II. prop. II.); sequitur eam esse judicem infallibilem.

Illa autem ecclesia docens, infallibilis, a Christo instituta alia non est, nec esse potest quam ecclesia catholica; ut toto cap. II. primae partis probatum est. Ergo ecclesia catholica docens etc.

II. Necessarius est aliquis controversiarum judex a Christo institutus et infallibilis; ex art. I. hujus cap. Atqui praeter ecclesiam catholicam, quam a Christo institutam fuisse probavimus, alius judex assignari non potest. Ergo etc.

Minor patet ex confutatione illarum sententiarum, quas novatores catholicorum doctrinae opposuerunt (Vid. propos. I.).

621. — III. Christus religionem suam perpetuam esse voluit et universalem, ergo debuit medium instituere facile et certum, quo doctrinae integritas conservari, et ortae circa fidem controversiae dirimi possint. Atqui in hypothesi, quod ecclesia catholica instituta sit judex controversiarum, hoc medium adest. Ergo etc.

1° Adest *medium facile*, doctis aeque atque indoctis accommodatum. Ecclesia enim catholica modo eminenti visibilis est, ejus decreta ad omnes per orbem fideles pertinent, et facili negotio omnes gentes pervadunt; ab illis emittuntur, quibus docendi munus a Christo commissum est. *Auctoritati credere magnum compendium est*, ait S. Augustinus, *et nullus labor.*

2° *Tutum.* Cum enim ecclesia inerrantiae dono gaudeat, sequitur errare non posse, qui illius se auctoritati subdit. Siquidem sola auctoritas infallibilis a Deo ipso constituta imperare potest obsequium mentis, et omnem altitudinem destruere extollentem se adversus scientiam Dei. In hunc finem dedit Christus *quosdam quidem Apostolos . . alios autem Pastores et Doctores, . . ut jam non simus parvuli fluctuantes, et circumferamur omni vento doctrinae in nequitia hominum, in astutia ad circumventionem erroris.* Ephes. IV.

OBJECTA ADVERSARIORUM.

Contra I. propos.

622. — Objiciunt I. Ex ipsis sacris litteris testimonia proferri possunt non pauca, quibus liquido constat eos omnes, qui Spiritum Dei sequuntur intus docentem, certo cognoscere verba Dei, eaque discernere, absque ecclesiae aut alterius cujusque judicio. Ergo etc.

Prob. anteced. Ex multis sint haec praecipua. 1° Christus ait Joan. VII.: *Siquis voluerit voluntatem ejus facere, cognoscet de doctrina, utrum ex Deo sit.* Huic simile est illud Joan. X.: *Oves meae vocem meam audiunt, alienum non sequuntur.* 2° Eandem fuisse S. Joannis doctrinam, probant haec ex ejus epistola prima: *Non necesse habetis, ut aliquis doceat vos; sed sicut unctio ejus docet vos de omnibus, et verum est.* (Cap. II. v. 27.) — item

(cap. V. v. 10.): *Si testimonium hominum accepimus, testimonium Dei majus est; qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Accedunt et Apostoli testimonia satis perspicua. I ad Cor. II.: *Spiritualis dijudicat omnia, ipse a nemine judicatur*, et ejusdem epistolae cap. XIV, 37.: *Si quis videtur spiritualis, cognoscat, quae scribo vobis, quia Domini sunt mandata.*

623. — Resp. I. *Generatim.* Quae ex adverso opponunt heterodoxi, non aliud probant, quam utrumque testimonium conjungi debere, internum scilicet, quod a Spiritu S. proficiscitur, et externum ecclesiae; unum enim alterius indiget ope. Minime nos latet, parum prodesse verba exterius sonantia ei, quem Spiritus S. intus non docet: *Sonus verborum nostrorum aures percutit*, ait S. Augustinus [1]), *Magister intus est. Nolite putare quemquam hominem discere aliquid ab homine: admonere possumus strepitu vocis nostrae; si non est intus qui doceat, inanis est strepitus noster.* Verum et illud scimus sapientissime a Christo institutum, ut homo, qui corpore et spiritu constat, externis quoque adminiculis indigeat, et ad veritatem et salutem perveniat tum auctoritate exterius loquente, tum gratia interius adjuvante. Ergo quaerenda est veritas ab illis, quos doctores nobis et praeceptores Christus reliquit. Ita probandi sunt spiritus, si ex Deo sunt [2]); nam: *Qui novit Deum, audit nos*, ait S. Joan. [3]); *qui non est ex Deo non audit nos: in hoc cognoscimus spiritum veritatis et spiritum erroris.*

624. — Resp. II. *Singillatim ad objecta loca.* Verborum Christi Joan. VII. sensus est, quod certa inveniendae veritatis via sit sincera voluntas cognoscendi et observandi Dei mandata. Id quoque verissimum est, nam pravus animi affectus hominis judicium ita corrumpit, ut verba Dei non tantum non intelligat, sed ne aure quidem excipiat, neque auctoritate commoveatur loquentis, licet miraculis et omnis generis testimoniis comprobata; quomodo enim alias explicari posset tot haereticorum et malorum hominum in repellenda veritate pertinacia? Si Jesus Joan. X. de ovibus suis ait, quod vocem ejus audiant, *alienum* non sequantur; nihil ait, quod ecclesiae auctoritatem impugnet: nam illi certe *alieni* non sunt, quibus ipse gregis suae curam commendavit; qui non suas sed Christi oves pascunt; easque non ad aliena, sed ad Christi pascua ducunt.

Joannes in primo textu non loquitur cum imperitis, sed cum doctis sermonem habet, imprimis cum magistris ecclesiae; eosque hortatur, ut in fide stabiles permaneant, quam Spiritu S. moti et illustrati laeto corde susceperant; sic et secundus locus ex S. Joanne, sic et allata Apostoli testimonia aliaque, quae citare superfluum duximus, interpretanda sunt. Agitur in iis locis de interna animi dispositione, quae utique necessaria est, ut veritas in corde radices agat, et fructus afferat bonorum operum.

625. — Objiciunt II. Non diffitemur, sensum scripturae rudi cuilibet et indocto homini non esse apertum; verum quae illius intelligentiam superant, haec assequi potest alios doctiores consulendo. Sic quippe Spiritus S. se habet ut supremus legislator, scriptura ut lex publica, ecclesia vero interpretans ut subordinati judices.

Resp. Nemo catholicorum est, qui huic doctissimi D. *Doederlein* sententiae non subscriberet, si per ecclesiam docentem et interpretantem illam intelligeret, quam solam veram esse, solam docendi auctoritate, et infallibilitatis dono insignitam parte I. demonstratum est. Qua ratione autem in hac sententia scriptura controver-

1) In epistolam I *Joan.* 2) I *Joan.* IV, 1. 3) Ibid. v. 6.

siarum judex dici possit; quo etiam jure doctiores illi, ad quos indocti remittuntur, ecclesia interpretans appellari possint, non videmus. Ergo semper manebit illud protestantici systematis insanabile vulnus, quod populus Christianus nihil habeat, quod eum possit securum reddere in re gravissimi momenti. Ergo omnes, qui scripturam per se scrutari et interpretari non possunt, (qui autem id possint, quam pauci sunt!) non aliud habebunt fidei fundamentum quam auctoritatem theologorum et ministrorum, qui ipsi an, et quid credere velint, nesciunt. Scilicet in aperto est, protestantium doctores ideo tantum libertatem praedicasse populo, ut in locum legitimae auctoritatis suam usurpatam sufficerent. Simile aliquid vidimus nostris diebus in Gallia, cum viri impii et ambitiosi plebem ad se traxerunt libertatis illecebris, cui tamen, postquam regis optimi potestatem abjecerat, suum idque ferreum et tyrannicum jugum imposuerunt. Quid, si ad recentiorum protestantium doctrinam attendimus, quos jam vidimus naturalismo quam deismo propiores? Illudunt certe homines isti infelici, qui eos sequitur, populo; illudunt religioni, illudunt scripturae sacrae, quam non amplius ut divinum opus venerantur; sed qua tanquam vili prostibulo pro effraenata luxuriantis ingenii libidine abutuntur.

626. — Objiciunt III. Catholici, cum viam discussionis rejiciunt, qua ratio naturalis judex constituitur in rebus fidei, manifeste probant, se absque examine credere, quidquid credendum ipsis ab ecclesiae suae pastoribus proponitur; atqui ita credere est ipsam rationem abjicere, quo nihil potest esse homini ingenuo et litterato probrosius. Neque illud scripturae exigunt; nam Apostolus vult, ut rationabile sit obsequium nostrum (ad Rom. XII.); et I ad Thess. V. ait: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Ergo etc.

Resp. I. Haec et alia hujus generis argumenta a nobis refutata sunt in Demonstratione Christiana; quare non inutile erit hic observare, incredulos iisdem prorsus argumentis in religionem revelatam in genere invehere, quibus Sociniani ad impugnanda singularia quaedam dogmata, aut ad stabiliendam suam scripturas interpretandi rationem utuntur.

Resp. II. Falso supponunt Sociniani et qui cum ipsis sentiunt protestantes, catholicos sine examine credere, quae credenda ipsis ab ecclesia proponuntur. Contrarium probant tot praeclara opera a viris apprime catholicis exarata, in quibus non possumus non admirari conjunctum cum singulari modestia excultum et sublime ingenium, atque immensum doctrinae et eruditionis apparatum. Catholicos sensa religionis, et illud, quod ab infantia didicerunt, erga ecclesiam suam religiosum obsequium intra moderationis limites tenent, ab inani dicacitate et opinandi licentia, a rerum divinarum contemptu, et absona proprii ingenii ostentatione cohibent; ab examine autem tum suae, tum aliarum religionum non deterrent. Ecclesia nunquam desiit sacras scientias commendare, et bona ingenia ad scripturae studium rerumque divinarum diligentissimam investigationem omnibus modis excitare; dummodo non velint rationem suam judicem constituere, quam, si vere sapientes, sciunt nullibi magis quam in rebus fidei errori esse obnoxiam. Quae autem via tutior esse potest et certior, quam ea, quae ratione ita utitur, ut abuti non possit? Quae examen admittit, sed simul ne immoderatum et interminabile sit, cavet [1]).

---

1) Optime in hanc rem *Muratorius* ait (de ingenior. moderat. lib. I. cap. IV.): „Quum vero a tot saeculis floruerint ac

Contra II. propos.

627. — Objiciunt I. Si ecclesia est judex fidei; ergo est supra fidem; et si illius est, sensum scripturae interpretari, ergo et supra scripturam erit, quae est verbum Dei; judex enim supra illos est, quos judicat; atqui hoc dicere impium est. Ergo etc.

Resp. neg. maj. Ecclesia nec fidem judicat, nec scripturam, sed de hominum circa fidem et scripturas sententiis. Sic judex, qui litem dirimit, legem non judicat, sed inter litigantes sententiam dicit.

628. — Inst. I. Catholici, cum infallibilem ecclesiae in dirimendis controversiis auctoritatem propugnant, necessario circulis et contradictionibus sese involvunt. Ergo etc.

Prob. ant. 1° Infallibilis ecclesiae auctoritas ex scripturis probatur tanquam verbo Dei, et vicissim probatur, scripturam esse verbum Dei per infallibilitatem ecclesiae. Juxta illud S. Augustini [1]: *Ego evangelio non crederem, nisi me ecclesiae commoveret auctoritas.* 2° Catholici docent, doctrinam de infallibilitate ecclesiae pertinere ad dogmata revelata, quae fide divina credere oportet: at iidem dicunt dogmata revelata fide divina credi non posse sine judicio infallibili ecclesiae. Ergo docent infallibilitatem ecclesiae credendam esse propter ecclesiae infallibilitatem.

Resp. ad I. Hoc argumentum in parte prima hujus Demonstrationis diluimus, cum probatum a nobis est, inerrantiae donum a Christo ecclesiae docenti fuisse concessum [2]). Nullum enim novum pondus argumento accedit, si ecclesia in docendo infallibilis, idem esse dicatur in judicando. Nunquam magis docendi munere fungitur, quam cum exortis dissidiis, quid fide divina credendum sit, decernit. S. *Augustinus* in citato loco per ecclesiae auctoritatem intelligit publicam et generalem ecclesiae doctrinam seu traditionem, qua sublata certi esse non possumus, illa evangelia, quae nunc veneramur, genuina esse, et ab iis, quibus tribuuntur, profecta.

Ad II. Dogma infallibilitatis ecclesiae tot tamque claris argumentis probavimus, ut quisquis etiam sine ecclesiae judicio de ea plene possit esse convictus. Ad ecclesiae judicium ideo tantum provocamus, ut illud, quod certum jam ante erat et inconcussum, nunc fide quoque divina et catholica credatur. Exinde minime inferri potest, quod ecclesia se ipsam infallibilem faciat. Hanc praerogativam ipsi a Christo concessam fuisse ante ecclesiae decisionem novimus; nihil autem impedit quominus illa declaret, se a Christo hoc privilegio fuisse insignitam.

---

floreant apud nos accurata omnium doctrinarum, ac praecipue divini cultus veraeque religionis studia; et quum quidquid unquam religio et recta ratio docuit, cum ad veteris novique testamenti interpretationem et confirmationem, tum ad morum disciplinam, atque intellectus voluntatisque perfectum regimen, totum id non minori pietate, quam eruditione ac ingenio ab eximiis Christianis pertractatum, litterisque etiam consignatum fuerit et etiamnum ex instituto pertractetur, ac disputetur in eorum scholis et ecclesiis; hinc . . . imprudenter sane et crudeliter exigas, ut quilibet e populo theologiae, linguis variis atque aliis compluribus disciplinis det operam, quae necessariae sunt ad explicandas divini instrumenti scripturas et ad instituendum exquisitum de religione examen. Fecerunt id studiosissime et quotidie faciunt innumerabiles ecclesiae pastores et doctores.“ *„So wenig der Glaube an eine Offenbarung,* sagt *Schwarz* (Handbuch I. Bd. Vorrede), *die Untersuchung der in ihr vorgetragenen Wahrheiten hindert; eben so wenig hindert es der Glaube an ein von Gott authorisirtes Ansehen.* Die Einschränkungen und Modificationen sind sich in beiden Fällen gleich. Der Katholik kann um so freier untersuchen, je sicherer er im Rückhalt ist.“

1) Contra epist. fundam. cap. V.

2) Part. I. cap. I. art. III. §. II. prop. II. argum. II.

629. — Inst. II. Si ecclesiae judicium requiritur, ut quae fide divina credenda sint, innotescant; sequitur exspectandam esse hanc ecclesiae sententiam, ut certum fiat, dogma aliquod ad fidem pertinere; atque ita fideles ne quidem divinitatem Christi fide divina credere potuissent ante concilii Nicaeni decretum. Quis autem Christianus haec ferat?

Resp. Confundit hoc argumentum definitionem ab ecclesia datam in articulis fidei controversis, cum generali et publico ecclesiae consensu. Ad fidem divinam pertinet, quidquid certa et infallibili ratione scitur in verbo Dei esse contentum. Illud autem innotescit, tum ex constanti sensu et doctrina ecclesiae, tum ubi haec videtur exortis novis erroribus aliquo modo obnubilata, per decretorium ecclesiae judicium. Ex iis, quae de regula fidei ab initio diximus, sequitur ad fidem catholicam pertinere, quidquid est revelatum in verbo Dei, et propositum omnibus ab ecclesia fide divina credendum. Addit *Veronius: Neque refert an illa propositio emanet ex concilio aliquo universali, ex ejus decreto et definitione; aut ex sensu fidelium.* An dogma divinitatis Christi non fuerat ante concilium Nicaenum omnibus ab ecclesia propositum fide divina credendum? Multa sunt etiam inter homines jura, possessiones multae tam certae, tam evidenter legitimae, ut quisquis eas invaderet, summae injustitiae reus haberetur ante omnem judicis sententiam. Imo quo diuturnior possessio est, quo jus ipsum manifestius, eo minus in judicium adducitur, nisi publica auctoritate repellenda sit injusta aggressio.

630. — Obj. II. Falso contendunt catholici, viam, quam ipsi ingrediuntur, faciliorem esse et tutiorem. Ergo etc.

Prob. Ut catholicus securus in fide sua esse possit, scire debet: 1° An ecclesia sit infallibilis. 2° An ecclesia Romano-catholica vera Christi ecclesia sit. 3° Quodnam sit infallibilitatis subjectum. 4° Quid doceat haec infallibilis ecclesia, an ejus decisiones omnes conditiones habeant ad legitimum judicium requisitas, quis sit genuinus hujus judicii sensus et alia pene multa? Atqui haec omnia discutere multo est difficilius, quam via examinis veritatem dogmatum investigare. Ergo etc.

Resp. I. neg. min. Etiamsi haec omnia examinanda forent catholico, maximum adhuc discrimen esset inter ejusmodi discussionem et examen singulorum dogmatum, ut cuilibet vel paululum attendenti patet.

Resp. II. neg. maj. Quando catholico semel persuasum est, se in vera esse Christi ecclesia; absque negotio intelliget, se quamdiu hanc ecclesiam ducem et magistram sequitur, a veritate aberrare non posse. Argumenta scilicet, quae ecclesiae divinam originem et infallibilem in docendo auctoritatem probant, obvia sunt, et ad convincendos etiam indoctorum animos accommodata. Sed, inquiunt protestantes, nondum constitutum est inter catholicos, quodnam sit subjectum illius infallibilitatis, quam ecclesiae attribuunt; multum enim disputant theologi circa Romani Pontificis in dijudicandis fidei quaestionibus auctoritatem. Respondemus, neminem esse inter catholicos, qui non sciat supremam potestatem judicandi in rebus fidei in ecclesia docente, seu in corpore pastorum residere. Sufficit illi haec certa et ab omni erroris periculo tuta regula; caeterum non requiritur, ut in ea, quae non sunt inter omnes finita, anxie inquirat. Neque necesse est ut ipse ecclesiae decreta examinet eorumque sensum scrutetur; omnibus quippe difficultatibus expeditur hoc ipso quod sciat, se pastorum suorum vocem audiendo, doctrinam sequi totius ecclesiae. Quod dijudicare facillimum est; scire enim sine labore potest, an episcopus, quem pastorem sequitur, cum

aliis orbis episcopis et imprimis cum supremo ecclesiae capite communione jungatur; porro notum est etiam idiotis inter catholicos, hanc communionem sine fidei unitate non posse consistere.

ARTICULUS III.

De infallibilitatis objecto.

PROPOSITIO UNICA.

Ecclesia Christi infallibilis est in iis omnibus et solis, quae ad revelatae doctrinae depositum pertinent, aut ad ejus conservationem necessaria sunt.

631. — Prob. I. pars. Ex probatis in prima hujus demonstrationis parte certum est, ecclesiam propagandae et conservandae religionis causa fuisse institutam, hancque esse infallibilitatis, quae ei a Christo concessa est, rationem. Ergo infallibilitatem ecclesiae competere necesse est, quotiescunque certum est, aliquid ad conservandum fidei depositum esse necessarium; quia tunc adest ratio, ob quam data est infallibilitas.

Prob. II. pars. Gratis omnino infallibilitatis praerogativa extenditur ad ea, ad quae eam extendendi ratio sufficiens non adest. Atqui nulla est ratio sufficiens eam admittendi in iis, quae ad conservationem fidei necessaria non sunt. Ergo etc.

„Cavendum est, ait celeberrimus *Muratorius* [1]), ne miracula sine necessitate multiplicentur; hoc est, tum solum in ecclesia mirabilem divinumque afflatum et supernaturalem opem admittamus, quum vera necessitas id poscit ad tutelam catholicae doctrinae et ad avertendam religionis perniciem, in proponendis dogmatibus et profligandis erroribus.“

1) De ingenior. moderat. lib. I. cap. XIX.

Applicatio principii.

Posito nunc principio generali, difficile non erit, quaestiones quasdam, quae circa hanc materiam moveri possunt, dissolvere.

Quaestio I.

An ecclesia infallibilis sit in iis, quae ad morum doctrinam pertinent?

632. — Resp. Ecclesia infallibilis est in omnibus iis, quae ad revelatae doctrinae depositum pertinent; atqui revelata Christi doctrina non in fidei articulis tantum consistit, sed etiam in morum praeceptis, quibus homines ad omnem vitae sanctitatem informantur. Ergo etc.

Et vero, an non Christus se ecclesiae adfuturum ope perpetua tunc promisit, quando Apostolos misit ad omnes gentes, ut docerent *eos servare*, quaecunque *mandaverat?* „Dominus Petro inquit, ut observat *Melch. Canus* [1]), pasce oves meas. Et Paulus dedisse Deum Pastores et Doctores ait ad consummationem sanctorum. At si errarent in moribus ejusmodi, non pascerent salubriter oves, non enim moralis doctrina minus exigitur ad pastum ovium Christi salutarem, quam fidei disciplina.“ Adde, Christum in terras venisse, ut vitam aeternam daret ovibus suis; huc omnia ejus instituta collineare; verum ad vitam aeternam ingredi non possunt, qui non servant mandata. Item, ecclesiam *sanctam* esse, atque ideo potissimum, quia rectam docet ad sanctitatem viam: quam longe autem ab hac sanctitate abesset, si definiret vitiosum esse, quod honestum est; aut contra, quod turpe est, honestum diceret!

Quaestio II.

An ecclesia infallibilis sit in statuenda generali disciplina?

633. — Resp. Ad ecclesiasticam disciplinam spectat, ut bene observat

1) Loc. theol. lib. V. cap. V. quaest. V.

Murat.[1]), quidquid aut a Christo, aut ab Apostolis, aut ab universa ecclesia, sive ab ecclesiis privatis institutum fuit, ad externum cultum, aut quaedam pietatis aliarumque virtutum opera externa. Quae in evangelio legimus ab ipso Christo instituta fuisse, aut quae Apostoli instituerunt tanquam a Christo et a Spiritu S. accepta, haec semper eadem esse oportet, neque mutationi obnoxia esse possunt. Quando ecclesia in ejusmodi materia judicat, in re fidei judicat, quia ex revelationis fontibus sententiam depromit. De his igitur, quoniam ad fidem magis, quam ad disciplinam pertinent, quaestio non movetur. Neque illud quaeritur, an nullus error possit in particularium ecclesiarum instituta irrepere, nam privatae ecclesiae ne in fide quidem infallibiles sunt. Neque etiam de iis disciplinae punctis agitur, quae ab Apostolis tanquam ecclesiae rectoribus ordinata sunt. Quamvis enim immutabilia non sint; tamen Apostolos in iis statuendis non errasse apertum est. Hinc decretum illud emittendo Actor. XV. de sanguine et suffocato, ajunt *visum est Spiritui S. et nobis.* Tota ergo quaestio ad disciplinam ecclesiae generalem restringitur; neque id examinandum nobis est, an ejusmodi disciplina pro tempore hominumque necessitate mutari possit; sed an ecclesia errare possit, eam instituendo: hoc autem negandum sine omni dubitatione censemus. Licet enim decreta disciplinaria revelata non sint, et in verbo Dei non contineantur; illud tamen ut revelatum habendum est, quod ecclesia nihil possit contra fidem et mores statuere. Id enim necessario fluit ex promissis Christi, Apostolis eorumque successoribus factis; atque necessario fides ipsa labefactaretur, si ecclesia integra posset disciplinam instituere, aut ubique vigentem approbare, quae fidei aut morum principiis esset contraria. Hinc Constantiense concil. sess. XIII. statuit, eos pro haereticis habendos, qui dicerent, ecclesiam errare in more communicandi plebem sub una specie tantum. Et concil. Trident. sess. VII. can. XIII. Anathema dicit omni, qui dixerit: *Receptos et approbatos ecclesiae catholicae ritus in solemni sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libitu omitti, aut in novos alios per quemcunque ecclesiae pastorem mutari posse.*

1) De moderat. ingen. lib. I. cap. XV.

Quaestio III.

An ecclesia sit infallibilis in decidendis factis dogmaticis?

OBSERVANDA.

634. — I. Haec quaestio satis implicata est et multis gravissimisque disceptationibus famosa. Cum Innocentius X. quinque propositiones ex Jansenii libro extractas damnasset, data constitutione anno 1653; Jansenii discipuli exterius quidem obsequium simularunt, at simul ut Jansenium suum ejusque doctrinam in tuto collocarent, jus a facto distinxerunt, contestantes se juri quidem seu dogmati definito acquiescere; verum non posse se adduci, ut credant propositiones illas vel esse Jansenii, vel in ejus sensu damnatas. Exinde sponte fluxit haec sententia, qua suam contumaciam tegere aut colorare voluerunt: Ecclesiam errare posse, quando de sensu alicujus libri judicat, ejusque decretis de facto ejusmodi dogmatico aut doctrinali nihil deberi praeter religiosum silentium. Est autem factum dogmaticum illud, quod cum dogmate intime connexum est. Rem in exemplo intellige: Quaeritur, *an haeresis quinque propositionum in Jansenio contineatur?* Haec quaestio duas complectitur propositiones; prima jus continet: *An quinque propositiones sint haereticae?* Altera factum exprimit:

An illae propositiones in libro Jansenii contineantur?

635. — II. Ad clariorem hujus rei intelligentiam prius secernenda sunt ea, quae extra controversiam versantur, ut quid examinandum sit, manifestius appareat. 1⁰ Non agitur de factis ex revelatione cognitis, qualis est v. g. resurrectio Christi. Haec fide divina credenda esse nemo dubitat. 2⁰ Non agitur de factis personalibus; nam ecclesiam in illis non esse infallibilem apud omnes in confesso est. Hinc in causa Jansenii quaestio in eo non versatur, an Jansenius haereticus fuerit, vel an sensus ejus internus idem fuerit, ac ille, quem in ejus libro damnavit ecclesia. 3⁰ Neque illud proprie quaeritur, an ecclesia jus habeat judicandi de sensu librorum et adigendi fideles, ut ejusmodi judiciis se subjiciant, atque obsequium non ore tantum exhibeant sed corde. Hanc quippe auctoritatem ecclesia semper exercuit, et in conciliis generalibus non prava tantum dogmata anathemate confixit, sed et libros haeretica labe contaminatos. Sic damnata sunt opera Arii, Origenis, Nestorii, Pelagii et aliorum. Concilium generale V. totum erat in hac controversia decidenda, utrum tria capitula, id est, libri Theodori Mopsuesteni, scripta Theodoreti adversus S. Cyrillum, epistola Ibae ad Marin Persam Nestorii haeresin continerent. De his operibus judicavit ecclesia sub poena anathematis.

636. — III. Haec igitur ex communi catholicorum consensu tanquam certa et indubitata habenda sunt. Verum quaeritur ulterius, unde deduci debeat interna illa adhaesio, quae ecclesiae decretis circa facta dogmatica debetur? An infallibile sit ecclesiae judicium? An ad fidem pertineat ejusmodi decisio? In his non una est omnium sententia. Pauci admodum sunt, qui putant, ecclesiam in damnandis librorum sensibus non agere cum infallibili auctoritate; caeterum de ejusmodi judiciis cum accurata investigatione et plena causae cognitione peractis eam nos habere humanam certitudinem ajunt, quae sufficit, ut ecclesia possit internum obsequium exigere; ita ut magnae temeritatis et non levis peccati reus esset, qui iis non acquiesceret et adhuc adversaretur. Haec videtur clariss. *Muratorii* sententia fuisse[1]); qui tamen non satis distinguit inter personam aut sensum auctoris, et eum sensum, qui ex verbis libri colligitur, quemadmodum et fidem divinam videtur cum infallibi judicio confundere. Sed de his pauca dicemus post sententiae nostrae confirmationem.

RESPONSIO.

637. — Pars theologorum longe maxima pro infallibilitate pugnat ecclesiae in factis dogmaticis. Sunt autem hujus sententiae multa et gravissima argumenta, ex quibus praecipua tantum strictim indicamus.

1⁰ Christus, ut ex propositione patet, ecclesiae suae non deest in illis omnibus, quae ad conservationem depositi et publicam fidelium salutem sunt necessaria. Atqui ad depositi conservationem et fidelium salutem necesse est, ut ecclesia possit suprema auctoritate lites componere circa sensum librorum et propositionum exortas; necesse est, ut infallibili judicio possit veram aut falsam, quae in libris continetur, doctrinam discernere, noxia pascua a salubribus, venenum a remedio distinguere. Aut quis fidelis posset se tuto ecclesiae suae auctoritati committere, si haec posset libros haereticos ut orthodoxos approbare, aut vere catholicos damnare ut perniciosos?

2⁰ Ut ecclesia in fidei controversiis infallibiliter judicare possit, ex Patrum scriptis, conciliorum decretis, ex symbolis, liturgiis etc. sensum scriptu-

1) De ingen. mod. lib. I. cap. XX.

rae et traditionis veritatem eruat necesse est. Atqui id fieri non potest, nisi ecclesia in intelligendo verborum sensu ab omni erroris periculo immunis credatur.

3⁰ Si ecclesia infallibilis non esset in factis dogmaticis, sequeretur infallibile non esse concilii Trident. decretum, quo Vulgatam versionem authenticam declaravit; sequeretur ecclesiam Latinam, quae sola fere ecclesiam catholicam efficit, certam non esse se habere verbum divinum, erudiendis in doctrina sana fidelibus necessarium.

4⁰ Si ecclesia, cum de sensu librorum judicat, falli posset aut fallere; quomodo probaretur fidelibus sat firmo argumento, consensum internum deberi decisionibus, in quibus errare posset ecclesia? Quomodo posset ecclesia sub poena anathematis ejusmodi obsequium exigere? An non, ut optime ratiocinatur *Bellarminus* [1]): „iniquum esset, sub tam gravi poena (anathematis) obligare fideles ad assentiendum rebus incertis et interdum falsis?“ Cur concil. generale V. suam de sensu trium capitulorum definitionem iisdem firmaret argumentis, quibus solet a catholicis ecclesiae infallibilitas demonstrari? Ergo ecclesiae nullo non tempore persuasum erat, datam sibi fuisse a Christo auctoritatem nulli errori obnoxiam, de sensu librorum judicandi.

OBJICITUR.

638. — Facta dogmatica non sunt revelata in verbo Dei; ergo non possunt esse objectum infallibilis judicii.

Resp. neg. conseq. Objectum infallibilitatis non solae sunt veritates revelatae; sed omne id, ut ex propos. constat, quod ad conservandum fidei depositum necessarium est. Et vero, fatentur adversarii (neque a catholico id negari potest) ecclesiam infallibilem esse, quando ex Patribus, conciliis etc. traditionis veritatem colligit; eam errare non potuisse, quando Vulgatam versionem authenticam declaravit; num haec revelata habentur in verbo Dei? Confundunt igitur oppositae sententiae patroni infallibilitatem cum certitudine fidei aut cum fide divina. Ecclesia errare non potest in factis dogmaticis propter periculum fidei: quemadmodum diximus, eam non posse disciplinam generalem instituere, quae esset fidei et morum regulis contraria, quia fides ipsa in summum discrimen vocaretur. Ergo facta dogmatica credi quidem non debent fide divina, at fide ecclesiastica, ut dicunt theologi; et quamvis sententia contraria non sit stricte haeretica, certo tamen erronea est et plena temeritatis, et qui eam pertinaciter tueretur, merito gravissimis, quae in rebelles statutae sunt, poenis subderetur. Longam et perquam eruditam de hac quaestione disputationem instituit doctiss. *Tournelius* de eccles. Tom. II. pag. 478—656.

1) Lib. III. de ecclesia militante cap. XIV.

Quaestio IV.

An ecclesia errare possit in canonizatione Sanctorum, in approbatione religiosorum ordinum, item in illis, quae Breviario inserta leguntur.

639. — Resp. ad I. Audiatur ipse *Bellarm.* lib. IV. de summo Pontifice cap. II.: „Omnes catholici conveniunt, posse Pontificem vel cum suo coetu consiliariorum, vel etiam cum generali concilio errare in controversiis facti particularibus, quae ex informatione testimoniisque hominum praecipue pendent.“ At facta cononizationis ex informatione et testimoniis hominum praecipue pendent; ergo etc. Attamen ex *Muratorio* addimus [1]): „Ad ecclesiam pertinet in Sanctorum canonem referre homines consummatae sanctitatis gloria, dum viverent, illustres, et post mortem miraculis cla-

1) De ingen. moder. lib. I. cap. XVII.

ros ... Quare a suspicione haeresis ille non absit, atque intolerandam et poenis dignam temeritatem ac impudentiam prae se ferat, qui rite coelitum catalogo adscriptos explodat, et in iis, ut ajunt, canonizandis ecclesiam reipsa et Rom. Pontificem errasse dicat. Suspicionem haeresis memoravi, non autem haeresin formalem." Et paulo post: „Ritus iste (canonizationis) ab apostolica sede eo nunc peragitur accurato diligentique studio, ut pie credendum sit, nullum ea in re errori locum fuisse, aut deinceps futurum." Eadem fere habet *Melch. Canus* lib. V. cap. V. conclus. III.

Ad II. Quod religiosos attinet coetus, qui sub diversis institutis et regulis Christo militant, „eos probare aut refellere, ait *Melch. Canus* [1]), quoniam non e scientia id solum, sed etiam a prudentia pendet, non ad ea pertinet in quibus summus Pontifex errare nequit." Ceterum religiosi ordines non sunt ita necessarii, ut sine illis stare aut conservari non posset fides Christiana. Quamvis neminem latere possit ecclesiam magnum ex ipsis sumpsisse decus et incrementum, easque regiones, quae omnino sacra hac militia destitutae sunt, in magna versari opis spiritualis indigentia.

Ad III. Satis notum est quaedam in Breviario martyrum aliorumque sanctorum facta referri, quae fidem non merentur. Hanc quoque ecclesia non exigit.

ARTICULUS IV.
De infallibilitatis subjecto.

640. — Non abs re erit, nunc, cum ultimam manum huic operi imponimus, totius hujus tractationis seriem brevissime exponere, collectis in unum praecipuis punctis, quibus praesens haec quaestio absolvitur. — Nihil ad Christianam religionem pertinere potest, quod non sit revelatum in verbo Dei. Hoc primum fidei nostrae fundamentum est. — Quid in verbo Dei revelatum sit, aut non sit, ex publica et constanti ecclesiae catholicae doctrina sine omni erroris periculo colligimus. Hoc secundum. — Quando circa hanc doctrinam dubia moventur, et fidei Christianae periculum ex perversis dogmatibus imminet; causa finitur, omnesque dubitationis nebulae depelluntur per authenticum ecclesiae de sua fide testimonium. Hoc tertium. — Christus doctrinam omnem revelatam, sive scriptam sive traditam, in ecclesiae suae gremio deposuit, ut ab ea ab omni erroris contagio servaretur illaesa. Cum autem ecclesia non possit a fide deficere, et passiva inerrantia necessario activam exigat docentis ecclesiae, sequitur illud certo et indubitanter ut dogma habendum a Christo revelatum, quod tota docens ecclesia concorditer tenet: sequitur, ad dirimenda religionis dissidia nihil ultra requiri, quam ut publico et authentico testimonio innotescat, quid ubique, quid ab omnibus credatur, seu quaenam sit totius ecclesiae catholicae fides. Jam vero, quis poterit de his legitime et cum auctoritate testari? An non ii ipsi, qui magisterium exercent publicum et authenticum? Et si haec ecclesia docens infallibilis est in docendo, quidni fallibilis erit in judicando? Sed annon etiam judicando docet? Et maxime quidem; imo nunquam magis docendi munus exercet, quam cum solemni declaratione venenatas haereticorum doctrinas a vera Christi doctrina sejungit; et quid tenendum sit declarat tanquam divinum dogma, quid tanquam a vera fide alienum repellendum. — Unum manet in hac disputatione accuratius examinandum, scilicet quis possit docentis ecclesiae doctrinam legitima et infallibili auctoritate declarare, quod idem est, ac quaerere, quis sit ille infallibilis controversiarium judex. Rem triplici paragrapho conficiemus. 1° Ostende-

1) Lib. V. cap. V. concl. III.

mus solos episcopos jure divino in rebus fidei judicare. 2º Id juris episcopis competere sive dispersis, sive in concilio generali congregatis. 3º Examinabimus quaenam sit Romani Pontificis in ejusmodi controversiis auctoritas.

§. I.

Ad quos pertineat judicium in rebus fidei controversis.

PROPOSITIO.

Soli episcopi jure divino causas fidei judicant.

641. — Probat. I. Soli episcopi proprie Apostolorum successores sunt, ad illos pleno et quasi haereditario jure transiit omnis illa spiritualis potestas, quam vidimus a Christo in Apostolos fuisse derivatam [1]). Ergo ad illos quoque pertinent, quae ad Apostolos dicta sunt: *Sicut misit me Pater, et Ego mitto vos.* Joan. XX. *Docete omnes gentes... Ecce Ego vobiscum sum.* Matth. XXVIII. *Ego rogabo Patrem, et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum.* Joan. XIV. etc. Ergo etc.

Probat. II. Ex constanti praxi ecclesiae patet, controversias fidei semper fuisse ad episcopos tanquam ad legitimos judices delatas; et sive in concilio causa judicata fuerit, sive extra concilium, sola episcoporum suffragia valuisse et habita fuisse tanquam decretoria. Nunquam legimus concilia a sacerdotibus secundi ordinis fuisse celebrata. Econtra nunquam in ecclesia dubitatum fuit, quin coetus episcoporum ex omnibus undique ecclesiis legitime congregatus totam repraesentaret ecclesiam. Doctrina fidei ab ejusmodi concilio definita, etiamsi nullus presbyter inter judices sederit, a toto semper Christiano orbe fuit recepta ut vera Christi et totius ecclesiae doctrina, a qua deflectere nulli Christiano liceret.

Probat. III. Ex multis SS. Patrum et conciliorum testimoniis pauca seligamus. Sancti Patres constanter concilia vocant *conventus episcoporum. Ecclesia in episcopo est*, ait S. *Cypr.* epist. ad Pupin. S. *Prosper* episcopos appellat *ecclesiae principes et legitimos judiciorum Domini ministros* [1]). Concilium Cp. oecumenicum secundum de Nicaeno loquens ait: *Non esse rejiciendam fidem Patrum trecentorum decem et octo, qui apud Nicaeam Bithyniae convenerunt.* Totidem in eo concilio erant episcopi. Similia habet concilium Ephesinum oecumenicum in sua ad *Theodosium* et *Valentinianum* epistola: *Perabsurdum est ducentorum et decem sanctorum episcoporum numero, quibus et universa occidentalium sanctorum episcoporum multitudo, et per ipsos reliquus totus terrarum orbis consentit, tringinta tantum numero se opponere* etc.

ARGUMENTA CONTRARIA.

642. — Objicitur. Actorum XV. decretum concilii Jerosolymitani ita inscribitur v. 23.: *Apostoli, et Seniores, et Fratres* etc. Ergo praeter Apostolos in concilio aderant non presbyteri tantum, vel seniores, sed et simplices fideles. — Hi autem omnes una cum Apostolis judicarunt; nam omnes v. 25. dicunt: *Placuit nobis collectis in unum.*

Resp. I. Si fideles concilio adfuerunt, non potuerunt adesse tanquam judices, sed ut audirent et obsequerentur. Verum eos adfuisse ex textu probari non potest. Vulgata habet: *Apostoli et Seniores fratres.* Ita olim in Graeco legebatur, atque ita legendum esse demonstravit doctissimus *Millius* Anglus proleg. in N. T.

II. Manet tamen haec alia difficul-

1) Part. I. cap. I. art. III. §. I.

1) Lib. I. contra collat. n. 61.

tas, quae magis ad praesentem quaestionem pertinet; an presbyteri saltem in illo concilio cum Apostolis sententiam dixerint. Sunt, qui putant per seniores solos indicari episcopos. Alii, qui malunt simplices intelligere presbyteros, dicunt eos non adfuisse tanquam judices ex auctoritate pronuntiantes, nisi forsan ex privilegio et concessione Apostolorum. Alii demum nomen senioris et presbyteri habent ut nomen genericum, quod tum temporis commune erat primi et secundi ordinis sacerdotibus. Quae autem nomini communi tribuuntur, ajunt, ea ad illos solos referenda sunt, quibus aliunde constat convenire. Sic per *clerum Gallicanum* non raro soli episcopi intelliguntur.

643. — Instant I. Notum est presbyteros saepe in conciliis etiam oecumenicis sedisse tanquam judices, et una cum episcopis decreta fidei condidisse. Ergo etc.

Resp. Presbyteri aliquando in conciliis adfuerunt tanquam consultores, et subscripserunt in hunc modum: *Haec confirmamus*, quae verba, ut ex auctoribus ecclesiasticis constat, meram adhaesionem significant. Si quando his verbis usi sunt: *Definiens subscripsi;* quod probat eos non consultores egisse, sed judices: respondemus, illud ex privilegio et libera episcoporum voluntate, non ex institutione divina repetendum esse. Sic usu et observantia introductum est, ut Cardinales, etiam cum episcopi non sunt, ordinum Generales et nonnulli abbates ad concilia vocentur et suffragium decisivum habeant, quia ut observat Cardin. Cameracens. [1]), administrationem subjectorum et quasi episcopalem potestatem exercent.

644. — Instant II. Si presbyteri jus decidendi fidei controversias a Christo non habent; non possunt illud ab ecclesia accipere. Ecclesia enim donum infallibilitatis concedere non potest.

Resp. Presbyteri id habent vi ordinis sui, ut possint ex auctoritate ecclesiae etiam majora ordinis episcopalis munia obire, excepta ordinatione. Sic episcoporum est, praeesse ecclesiis, pastores secundi ordinis instituere, fidei invigilare, legum ecclesiasticarum observationem urgere, novasque ubi necesse est condere, sacramentum confirmationis administrare. Haec omnia agunt episcopi tanquam ecclesiarum rectores necessarii, jure proprio et ordinario: verum haec munia simplices presbyteri obire possunt ex speciali privilegio, auctoritate extraordinaria ab ecclesia ipsis delegata.

1) V. Acta conc. Constant. apud *Hard.* Tom. VIII.

§. II.

An ecclesiae pastores infallibili auctoritate judicent, sive per orbem sint dispersi, sive congregati in concilio oecumenico.

OBSERVANDA.

645. — I. Si vellemus in hanc materiam, prout illud rei gravitas exigere videtur, excurrere, in magnam molem cresceret haec nostra tractatio. Imprimis illa quaestio, quae de conciliorum auctoritate agit, quam latissime patet. Nihil enim ad eam elevandam omiserunt haeretici, nihil catholici auctores ad eam asserendam contra haereticorum cavillationes et calumnias. Quamvis aliqui videantur ideo tantum causae hujus tractationem suscepisse, ut occasionem nanciscerentur summos Pontifices, piissimos praesules, atque ipsa oecumenica concilia rustico aeque ac irreligioso ore proscindendi. Nos, quoniam ad finem properandum est, ab iis abstinemus, quae ad institutum nostrum necessaria non sunt. Multa sibi ex hac materia vindicant juris canonici tractatores. Multa, quae ad infallibilitatem pertinent ecclesiae docentis, in prima parte hujus Demonstrationis copiosius exposita sunt.

II. Quando error novus et revelatae doctrinae contrarius in ecclesia exoritur; episcoporum est religionis integritatem tueri, et quid fide divina credendum sit, decernere; quemadmodum paragrapho priore diximus. Hanc judicandi potestatem episcopi exercent, sive in concilio congregati sint, sive in sua quisque dioecesi maneat; tantum ut irreformabile sit hoc judicium, requiritur, ut omnes, aut pars saltem maxima in eandem sententiam conspirent, et quod in hac re potissimum est, ut supremi ecclesiae capitis auctoritas accedat. Ecclesiam enim, quae vivum Christi corpus est, repraesentare non possunt membra a capite avulsa. Sed de his posthac plura.

III. Concilium recte definitur legitima pastorum, imprimis episcoporum congregatio, ut ea communi sensu dijudicent, quae ad fidem, mores et disciplinam pertinent. Originem conciliorum ex jure divino descendere probat *Bellarm.*[1]) primum ex Apostolorum exemplo, qui negotia majoris momenti in conciliis tractabant, ut ex cap. I. VI. et XV. Actuum Apostol. apparet; tum ex constanti usu ecclesiae, quae in gravioribus controversiis ad hoc remedium confugit, tanquam ad dissidia componenda, comprimendosque errores aptissimum. Quare credibile omnino est, conciliorum celebrationem de apostolica traditione descendere.

646. — IV. Concilia dividuntur in *generalia* et *particularia*. *Generalia* sunt conventus praelatorum ex universo orbe Christiano legitime congregatorum. Inde etiam *oecumenica* vocantur, id est, totius orbis concilia. *Particularia* iterum vel *dioecesana* sunt ex una tantum dioecesi collecta, et haec vulgo *synodi* dicuntur; vel *provincialia*, in quae conveniunt unius provinciae praesules; vel *nationalia*, quae convocatis omnibus alicujus regni aut nationis episcopis celebrantur. Dantur et alia concilia, quae licet oecumenica non sint, majorem tamen, quam nationalia auctoritatem habent, quia ex episcopis coacta fuerunt diversarum regionum aut gentium; ejusmodi sunt multa concilia, quae mox *plenaria*, mox licet improprie *generalia*, saepe simpliciter Occidentalia, Orientalia, vel etiam Africana nuncupantur. Nos de conciliis oecumenicis tantum agimus, quippe haec sola judicare possunt in rebus fidei infallibili auctoritate.

V. Doctissimus *Gibertus* concilium generale quinque conditionibus vult esse instructum, quo illud haberi possit legitimum. Prima est, ut per Romanum Pontificem indicatur, aut certe de illius consensu. Secunda, ut episcopi ex omnibus orbis Christiani provinciis, aut certe ex majori parte evocentur; nam suam quisque repraesentat ecclesiam. Jus enim suffragii episcopis ex lege ordinaria competit, abbatibus interdum et aliis perpaucis ex privilegio. Tertia conditio est, ut concilio praesit Romanus Pontifex. Quarta, ut legitime procedatur, libera sint suffragia, causa diligenter expendatur. Quintam denique in hoc constituit *Gibertus*, ut a Romano Pontifice comprobetur. Non desunt, qui ecclesiae quoque acceptationem requirunt. Concilium quidem id ex se habet, ut sit infallibile, si vere sit oecumenicum. Sed an vere oecumenicum fuerit, an legitimum, tum convocatione, tum celebratione, tum et exitu, nulla re evidentius apparet, quam ex approbatione Pontificis, quae capitis supremi cum membris consensum demonstrat, et omnia, ut par erat, peracta fuisse confirmat: tum ex universali consensione episcoporum, qui per ecclesias dispersi decisiones cum reverentia recipiunt, iisque tanquam universalis ecclesiae decretis se subjiciunt.

1) De concil. lib. I. cap. III.

PROPOSITIO I.

Ecclesia per orbem dispersa in rebus fidei et morum infallibilis est.

647. — Probatur I. Ex textibus Matthaei XVI. et XXVIII. aliisque in parte I. hujus Demonstrationis citatis [1]) patet, Christum perpetuam assistentiam promisisse ecclesiae docenti, qualis ab eo fuit instituta; atqui ab eo instituta fuit, ut esset dispersa per orbem: *Euntes, docete omnes gentes.* Ergo etc.

Et certe, cum privilegium inerrantiae non passivae tantum in tota Christianorum societate, sed activae in pastoribus ita sit inhaerens ecclesiae, ut avelli ab ea ne momento quidem possit: *Ego vobiscum sum omnibus diebus*, sequitur, quod ecclesia eo gaudere debeat in statu suo naturali et ordinario, ubi pastores sunt per ecclesias suas dispersi. Porro pastorum inerrantiam unum quid esse cum infallibili judicandi auctoritate, supra ostensum est. Illi enim constituti sunt vigiles doctrinae custodes et vindices; illorum est sanam doctrinam propinare ovibus suis, noxiam arcere; illi docendo judicant et judicando docent. Unde, quod illi in fidei quaestionibus communi testimonio ex omnibus terrae partibus edicunt, tam certum est et inconcussum, quam certum est ecclesiam integram non posse a fide deficere.

Probat. II. *Ex praxi constanti ecclesiae.* Antiqui Patres fidei veritatem potissimum ex ecclesiarum apostolicarum consensione colligebant; neque contra haereticos ullum putabant validius argumentum afferri posse, quam ecclesiae universalis etiam dispersae testimonium. Ante concilium Nicaenum plurimae haereses contritae sunt; et post concilium Nicaenum Pelagiana haeresis Romanorum Pontificum et ecclesiae dispersae judicio in toto orbe terrarum proscripta fuit. Ergo etc.

1) Part. I. cap. I. art. III. §. II. prop. I.

Probat. III. Si ecclesia dispersa non esset controversiarum judex infallibilis, nullum esset in ecclesia medium efficax et semper praesens, quo comprimi haereses possent et enatae de religione controversiae finiri. Nam concilia generalia congregare res est admodum ardua, atque iis saepe difficultatibus impedita, quae superari nulla ratione possunt. Hinc bene observat auctor anonymus in principiis juris canonici cap. V.: „Quis cuilibet deliranti theologo vel jurisconsulto sumptibus immensis indicet concilium totius orbis?“

PROPOSITIO II.

Ecclesia docens in concilio generali congregata est judex fidei infallibilis.

648. — Probatur I. Ecclesia universa in doctrina fidei errare non potest, ut probavimus: atqui concilium oecumenicum totam repraesentat ecclesiam ejusque consensum coram exhibet. Ergo etc.

Probat. minor. Concilium oecumenicum illud dicitur, quod ex episcopis totius Christiani orbis colligitur, et quamvis universi non conveniunt, necesse tamen est, ut evocentur atque eo numero adsint, ut suam suarumque ecclesiarum et absentium praesulum fidem referant. Quo pacto universam, quacunque sese diffundit, ecclesiam legitime repraesentari, nemo non videt. Unde praeclarum illud S. Augustini [1]), plenarii concilii sententiam esse *totius ecclesiae consensionem.* Martinus V. in concilio Constantiensi inter reliquas interrogationes, quibus suspectos in fide jubet examinari, eam etiam proponit: *Utrum credant, quod concilium generale universalem ecclesiam repraesentet?* „Sic igitur, addit *Melchior Canus* [2]), concilium generale universalis ecclesiae habet auctoritatem, qui illam de medio tollit,

1) Lib. I. de Baptis. cap. XVIII. 2) Loci theol. lib. V. cap. IV. conc. III.

totius ecclesiae auctoritatem eadem opera dissolvit."

649. — Probat. II. *Ex praxi Apostolorum et constanti totius ecclesiae doctrina.* In illa, quae circa legalium observationem exorta est, controversia, res ad concilium delata est, quia haec videbatur ad quaestionem terminandam aptissima via. Apostoli autem et Seniores Jerosolymis congregati aspirante Spiritu S. sententiam in hanc formam protulerunt: *Visum est Spiritui S. et nobis*[1]). Fuit haec quoque constans omnium Patrum omniumque saeculorum sententia, in magnis fidei periculis certissimum ecclesiae remedium in conciliis esse; in generalis concilii decretis acquiescendum, tanquam in fidei articulis. Sic *Athanasius* epistola ad Africanos concilii Nicaeni definitionem verbum Dei non dubitat appellare. *Verbum Dei*, inquit, *per oecumenicam synodum Nicaenam manet in aeternum.* Et S. *Ambros.* epist. XXI.: *Sequar tractatum Nicaeni concilii, a quo me nec mors, nec gladius separare poterit.* S. *Leo* M. epist. LXXVIII. negat inter catholicos esse numerandos, qui definitiones venerabilis concilii Nicaeni et sancti Chalcedonensis concilii regulas non sequuntur. Vulgaris est illa S. *Gregorii* M. professio lib. I. epist. XXV. alias XXIV.: *Sicut sancti evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipere et venerari me fateor, . . quia dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis praesumit aut solvere, quos religant, aut ligare, quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit.*

CONFUTATIO CONTRARIORUM.

Contra primam propos.

650. — Argum. Catholici passim asserunt concilia ad dirimendas controversias esse necessaria; ergo fatentur ecclesiae dispersae judicium non sufficere.

Resp. dist. ant. Asserunt concilia necessaria esse necessitate absoluta, *nego;* necessitate aliqua morali, *iterum disting.* quandoque, et cum rei gravitas id postulat, *conc.;* in omni casu, et quotiescunque aliqua controversia oritur, *nego.* Hanc quaestionem copiose et dilucide exponit *Bellarmin.* lib. I. de conciliis cap. X. et XI. Ita autem habet cap.: XI.: „Quamvis generalia concilia non sint absolute necessaria, tamen concilia aliqua, sive generalia, sive particularia sint, omnino necessaria esse ad bonam ecclesiae gubernationem, vix in quaestionem vocari posse dubito." Eadem fere docet *Melchior Canus* lib. V. cap. IV.: „Nec expedit, nec tolerabile est, singulis haereticis condemnandis singulas generales synodos cogere. Cum ergo ecclesiae suae Deus prospexerit in necessariis; nimirum ad haereses privatas in provinciis refutandas, concilia provincialia satis erunt si modo summi Pontificis auctoritate roborata. Praeterea, quoscunque ejusmodi concilia damnavere, eos ecclesia semper explosit: errare igitur illa in fide nequeunt. Quodsi possent, vel unum certe exemplum proferretur; at nullum omnino est." Optime haec *Canus*, nam conciliorum etiam particularium decreta, accedente aliarum ecclesiarum consensu, et imprimis Romani Pontificis approbatione, vim et auctoritatem induunt decretorum universalis ecclesiae.

Dicimus itaque 1° concilia in genere necessaria esse necessitate morali, ob magnas utilitates, quae ex illis in ecclesiam redundant, et gravissima damna, quae sublata hac saluberrima institutione in ecclesiam irruunt. Hinc Patres frequentem conciliorum celebrationem commendarunt ut rem apostolicae institutionis; et theologi quam plurimi conciliis divinam tribuunt originem.

1) *Act.* XV.

651. — Dicimus 2° eum hinc inde rerum statum in ecclesia esse, qui conciliorum oecumenicorum celebrationem vehementer postulet. 1. Scilicet quando reformandi sunt abusus in ecclesia generales. 2. Quando plures de summo Pontificatu contendunt, nec aliud adest ad extinguendum schisma remedium. 3. Quando res ipsa, quae in quaestione versatur difficilior est, et episcopi in contrarias partes sic distrahuntur, ut satis aperta non sit ecclesiarum dispersarum consensio. 4. Quando haereses ita invalescunt, ut eas toto auctoritatis pondere comprimere necesse sit; quod tum maxime contingit, quando principum aut insigniorum quorundam episcoporum auctoritate fulciuntur. „Propter hanc causam, ait *Bellarmin.* [1]), coacta sunt prima septem generalia concilia. Semper enim ecclesia tanti fecit periculum novarum haeresum, ut non putaverit aliter posse resisti, quam si omnes aut certe permulti principes ecclesiarum conjunctis viribus et quasi agmine facto irruerent in hostes fidei."

En quid circa conciliorum necessitatem catholici sentiant! Verum exinde nullo modo sequitur, ecclesiam dispersam errare posse in dijudicandis fidei controversiis, atque firma stant argumenta in probationem adducta. Imo concilia oecumenica aliud infallibilitatis fundamentum non habent, quam promissa ecclesiae universim facta; quae ideo tantum dicimus ad generalia concilia pertinere, quia haec ecclesiam repraesentant. „An vero, ut observat *Tournel.*, imago, seu repraesentatio, et quoddam veluti compendium totius ecclesiae privilegio inerrantiae gaudebit; et eo privabitur ipsamet vera, realis et universalis ecclesia, qualis ea est, quae per orbem universum sparsa diffunditur [2]) ?"

1) Loc. cit. cap. IX. 2) De eccles. lib. I. pag. 370.

Contra secundam propos.

652. — Argum. I. Non raro concilia etiam oecumenica pugnant inter se. Sic vox ὁμοούσιος, consubstantialis, a Nicaena synodo consecrata, a concilio Ariminensi oecumenico proscripta fuit. Decreta concilii Nicaeni II. circa cultum imaginibus exhibendum, a concilio Francofortensi anno 794 plane improbata sunt et explosa. Concilium Constantiense definiit, concilium esse supra Papam; Florentinum autem sub *Eugenio* IV., et postmodum Lateranense sub *Leone* X. contrarium dogma finierunt. Conciliorum ergo auctoritas infirma est.

Resp. De concilio Ariminensi et Patrum Francofortensium decretis adhuc erit dicendi locus. Sufficiat nunc adnotasse, neutrum ex his conciliis fuisse oecumenicum: Francofortenses errore facti laborasse; concilium Ariminense ex Occidentis tantum episcopis congregatum fuisse, haereticorum opera et invito *Liberio* Papa, qui concilio neque per se neque per legatum adfuit; Patres fidem Nicaenam retinuisse, quamdiu liberum fuit concilium, postmodum imperatoris minis exterritos, Arianorum dolis et vexationibus victos in ὁμοούσιος suppressionem consensisse.

Quod eam controversiam attinet in concilio Constantiensi agitatam, an concilium supra Papam esset; an concilii illius, an Lateranensis decretis standum sit, nondum est inter catholicos theologos finitum. At omnes tamen uno ore contendunt, judicia ecclesiae in concilio generali legitime congregatae infallibilem habere auctoritatem. Ergo qui decreta amplectuntur concilii Constantiensis, ii Lateranense inter oecumenica non numerant; qui autem doctrinam Lateranensis sequuntur, econtra negant, concilium Constantiense, quo tempore illud decretum edidit, universale fuisse et integrum. Cfr. *Melchior Canus* lib. V. cap. ult. responsione ad argumentum

octavum. Concilium Florentinum nihil habet, quod cum doctrina Constantiensis concilii pugnat.

653.—Instant. Concilium generale V. quamvis a Vigilio summo Pontifice confirmatum fuerit, plurimae Occidentis ecclesiae non receperunt. Quod intelligi non posset, si omnibus persuasum tunc temporis fuisset, oecumenica concilia errare non posse.

Resp. Ecclesiae illae Occidentis per aliquod tempus dubitarunt, an concilium V. revera oecumenicum esset. Errarunt igitur errore facti, non juris; omnibus enim indubitatum erat, concilium oecumenicum esse infallibile.

654. — Argum. II. Concilia saepius errarunt, et decreta condiderunt sanae Christi doctrinae contraria. Ergo etc.

Prob. ant. 1° Concilium Nicaenum generale I. canon 12. damnat eos, qui militiae saeculari nomen darent. 2° Concilium Lugdunense anno 1245 habitum, jus sibi arrogavit et potestatem deponendi imperatorem *Fridericum* II. Ergo etc.

Resp. ad I. Canon ille concilii Nicaeni intelligendus est de lapsis poenitentibus, qui cum cingulum militiae more poenitentium deposuissent, ceterisque officiis publicis renuntiassent, postea abjecto poenitentium statu facultatem illa munia resumendi oblata pecunia redimebant. Praeterea canon editus est de consensu *Constantini* M., qui concilio interfuit.

Ad II. Sunt, qui contendunt concilium Lugdunense in illis, quae contra imperatorem *Fridericum* gesta sunt, non fuisse oecumenicum, cum in hoc capite non fuerit ab universa ecclesia receptum; alii causam non fuisse ejus naturae ajunt, ut potuerit a concilio cum infallibili auctoritate judicari. Demum non pauci asserunt, non a concilio, sed a solo summo Pontifice *Innocentio* IV. latam fuisse depositionis sententiam. Illud probant 1° ex ipsa bullae inscriptione, quae talis est: *Sententia contra Fridericum imperatorem, ab Innocentio Papa IV. lata, sacro praesente concilio.* Notandum, in aliis decretis cum concilii assensu emissis, ita legi: *Sacro approbante concilio*, aut: *Ex communi concilii approbatione statuimus.* 2° In illa bulla S. Pontifex constanter suo nomine loquitur. 3° Historici omnes illam depositionem soli *Innocentio* tribuunt. 4° De solo Pontifice conquestus est imperator. 5° Innumeri episcopi etiam post hanc sententiam debitam imperatori fidem servarunt.

655. — Instant. *Augustinus* lib. II. de baptis. cap. III. ait: *Plenaria concilia priora, quae fiunt ex orbe universo Christiano, saepe posterioribus emendantur, cum aliquo experimento rerum aperitur, quod antea clausum erat.* Et S. *Gregor. Nazianz.* his verbis scribit ad Procopium: *Ego, si vera scribere oportet, hoc animo sum, ut omnem episcoporum conventum fugiam; quoniam nullius concilii finem faustum et laetum vidi.* Ergo vane omnino congregantur concilia, neque certa et firma sunt, quae ab illis decernuntur.

Resp. neg. conseq. Ad I. S. *Augustinus* concilia plenaria legitima et summi Pontificis auctoritate firmata non infirmat, sed tuetur ejusdem libri cap. IV. In allato autem loco de factis loquitur, ut ex contextu clarum est; nam quae ad fidem pertinent, non ab experimento rerum deducuntur, sed a verbo Dei. Reipsa agebatur in illa controversia, an Caecilianus sacros codices tradidisset.

Ad II. *Gregorius* in illa epistola loquitur de conciliis particularibus, quorum multa suo tempore habita sunt *Constantii* imperatoris auctoritate. In his autem, cum imperator Arianis faveret, cunta haereticis prospere, catholicis autem infeliciter cesserant. Ejusmodi concilia fuerunt: Seleuciense, Tyriense, Ariminense, Smyrnense, Mediolanense etc. Caete-

rum concilia generalia non improbat; nam concilium Nicaenum summis laudibus commendat, et orat. III. pro S. Athanasio de hoc concilio loquens, ait episcopos fuisse a Spiritu S. congregatos.

656. — Argum. III. Ut conciliorum decreta regula fidei infallibilis esse possent; deberet constare infallibiliter, concilium esse oecumenicum. Atqui de hoc non constat infallibiliter. Ergo etc.

Resp. neg. maj. Sufficit, ut observat *Bellarminus* [1]), ut fide humana certi simus legitimum esse concilium, sicut ex eadem fide humana caetera facta historica recipimus. Non enim fide divina credimus concilium esse oecumenicum; sed fide divina credimus, quae nobis tanquam ad fidem pertinentia a concilio oecumenico credenda proponuntur.

657. — Argum. IV. Si concilium generale Spiritu S. regitur in fidei causis judicandis; ergo ejus definitiones ad sacram scripturam pertinebunt; nam scriptura sacra vocatur, quae Spiritu S. afflante scripta est. Ergo etc.

Resp. neg. anteced. *Bellarminus* [2]) multas causas et rationes discriminis affert inter scripturas et conciliorum decisiones. Scriptura proprie et per se est verbum Dei, quia auctores sacri ex proxima Dei revelatione, aut inspiratione scripserunt. Conciliorum autem definitiones sunt verbum humanum; neque Patres mox quasi ex auctoritate sententiam absque alia discussione dicunt; sed humana via et ratione diligenter quaerunt rei, de qua disseritur, veritatem. Firmissima quidem sunt conciliorum generalium effata, et tanquam Spiritus S. oracula recipienda, at non ideo, quia verbum Dei sunt, sed quia certi sumus, ea esse verbo Dei conformia. Hinc inter scripturam et ecclesiae definitionem idem est discrimen, quod inter effectum a Deo via extraordinaria sive per miraculum productum, et eundem effectum productum ex causarum naturalium concursu, dirigente speciali Dei providentia. Utroque modo Deus infallibiliter finem assequitur. Omitto illud notissimum, quod scriptura in omnibus infallibilis sit, ecclesia tantum in iis, quae ad servandum fidei depositum pertinent.

658. — Argum. V. Ut quaestio fidei a concilio sine errore finiri possit, Deo dirigente atque fautore; requiritur, ut episcopi in conquirenda veritate omnem humanam industriam et diligentiam adhibeant. Non enim dormientibus et oscitantibus Patribus Spiritum S. assistere credendum est, sed omni studio quaerentibus veritatem. Jam vero, quis haec certo dignoscere poterit? Et, quamdiu incerta manet haec legitimi concilii conditio, an non dubia quoque manebit concilii auctoritas?

Resp. Eaedem rationes, quae probant Deum ecclesiae perpetuam in fide stabilitatem promisisse, etiam certos nos reddunt, divinam providentiam, quae suaviter disponit omnia, non posse ecclesiae suae ea denegare praesidia, quae ad conservandam fidei integritatem sunt necessaria. Unde eadem certitudine credimus concilia oecumenica approbata et recepta juxta praescriptas a Christo leges sua fidei decreta condidisse, qua credimus Christum opem suam ipsis promisisse et assistentiam. „Quodsi semel permittimus, ait *Melchior Canus* [1]), ut in quaestionem vocetur, num ecclesiae judices eam diligentiam et curam adhibuerint, qua opus erat, ut quaestio via et ratione firmetur: ecquis adeo coecus est, qui non videat omnia mox Pontificum et conciliorum decreta labefactari?“

659. — Instant. Si Christus voluisset

1) Lib. II. de concil. cap. IX.
2) Lib. II. de concil. cap. XII.

1) Loc. theol. lib. V. cap. V. quaest. III.

episcopos in concilio oecumenico congregatos esse infallibiles; deberet efficere, ut quoties ita congregantur, liberi essent ab omni errore et praejudicio; ut nullis nec minis nec pollicitationibus abduci se a veritate sinerent; sed pertractarent omnia animo pacato et incorrupto. Atqui contrarium evenisse omnium fere conciliorum historia testatur.

Resp. nego maj. Infallibilitas ecclesiae fundatur in assistentia Spiritus sancti extrinseca, qua Deus omnia in concilio ita dirigit, ut certo et infallibiliter praevaleat veritas; atque in eo virtus divina et providentia specialis elucet, quod sciat etiam ex malis bona eruere, et inter disputationum et altercationum motus, ex ipsis errorum et humanarum affectionum nebulis veritatis lucem educere. „Assistit Deus concilio, ut animadvertit *Bellarminus* [1]), non tam propter ipsum concilium, quam propter ecclesiam universam, quae praecepto divino tenetur episcoporum sententiam non discutere, sed venerari."

Quaestio.

An omnia, quae in conciliis etiam generalibus acta aut dicta fuisse legimus, aequaliter ad fidem pertineant, et certitudinem pariant infallibilem? Si autem in singulis Spiritus S. non adstitit conciliis, qua ratione investigabimus certa in fide decreta?

660. — Respondetur *ad primum.* 1⁰ Secernenda sunt decreta concilii communi consensu edita a colloquiis et praeviis discussionibus. 2⁰ Ea, quae decretis explicandi gratia inducuntur, ut *Canus* observat [2]), vel ut objectioni respondeatur, vel etiam obiter et in transcursu praeter institutum praecipuum, de quo erat controversia, non pertinent ad fidem, neque catholicae fidei sunt judicia. 3⁰ Confundenda non sunt decreta disciplinaria cum fidei et morum dogmatibus. 4⁰ Rationes et argumenta, quibus fidei judicia fulciuntur, non sunt ejusdem cum decisionibus auctoritatis. 5⁰ Videndum est, quid per verba decreti dogmatici in sensu proprio et obvio clare definiatur; an sola rei substantia; an etiam rei modus. Sic Trident. purgatorium definivit, modum non definivit.

Respondetur *ad secundum.* Notas, quibus conciliorum de fide judicia internosci queant, has fere statuit loco mox citato Canariensis episcopus: 1⁰ Si contrarium asserentes pro haereticis judicantur. 2⁰ Cum in hanc formam synodus decreta praescribit: si quis hoc aut illud senserit, anathema sit. 3⁰ Si in eos, qui contra dixerint, excommunicationis sententia ipso jure feratur. 4⁰ Si quidquam expresse et proprie a fidelibus firmiter credendum, aut tanquam dogma fidei catholicae accipiendum dicatur: dicatur, inquam, non ex opinione, sed certo et firmo decreto.

APPENDIX.

De concilio Tridentino.

OBSERVANDA.

661. — I. Cum novatorum errores nova quotidie incrementa caperent, et praesens fidei periculum, ac collapsa undequaque ecclesiae disciplina magnam efflagitarent opem; necessarium visum est, ad illud remedium confugere, quod ecclesia semper judicavit in gravissimis fidei periculis adhibendum. Nempe ut generale concilium congregaretur, atque ita totius ecclesiae judicio contra nova dogmata confirmaretur antiqua veritas, et fontes simul obstruerentur malorum, ignorantia et morum corruptio. Concilium illud, quod inter oecumenica et generalia postremum est, a Paulo III. indictum, *Tridenti* initium sumsit anno 1545 et ibidem, quamvis pluries ob varias temporum injurias intermissum, post octo-

1) De concil. lib. II. cap. IX.
2) Lib. V. cap. V. quaest. IV.

decim annos sub Pio IV. feliciter absolutum est.

662. — II. Protestantes, cum initio nullo modo fieri posse credebant, ut S. Pontifex ad indicendum generale concilium adduceretur, coeperunt ipsi magna contentione simul et Pontificem graviter accusare, et adversus eundem concilii generalis opem implorare. Id tum egerunt, ut specie pietatis deciperent et fidei zelum exterius ostenderent. Verum simul ac Paulus Pontifex concilium Tridentum indixit, et jam initia ejusdem concilii apparerent, continuo mutata sententia est, aut potius quae antea tegebatur, aperte prodita.

Mox enim concilium Tridenti congregatum maledictis proscindere, protestationibus et calumniis opprimere conati sunt. Sed et omnia concilia, non recentia tantum, sed et vetera reprehendere ausi sunt, omnique auctoritate exuere. Hujus rei argumenta quam plurima habemus in protestantium libris; quales sunt, liber *Lutheri* de conciliis; *Melanchthonis* libellus de causis cur Lutherani ad concil. non accesserint; liber *Illyrici* de norma ac praxi concilii; *Chemnitii* examen concilii Trident.; *Joannis Calvini* antidotum contra venena concilii Trident. etc.

663. — III. Id quidem nemo mirabitur, concilium, quod protestantium errores, tanquam verae Christianae fidei repugnantes, publico et solemni judicio confixit, eorum in se invidiam concitasse. Unde qui historiam Tridentini ex eorum scriptis haurirent, multum a vero aberrarent; quemadmodum et ii, qui vestigia sequerentur *Pauli Sarpii* et *Courrayerii*, quos non amor veritatis, sed odium religionis et apostolicae sedis ad scribendum impulit. Primus, qui etiam *Fra Paolo* dicitur, historiam concilii Trident. edidit mendaciis et calumniis refertam, quae opera *Marci Antonii de Dominis* apostatae Londini impressa est. Secundus *Sarpii* opus in Gallicum translatum et notis illustratum pariter Londini edidit, quo tanquam patriae religionis desertor ex Gallia profugus se receperat. — His factionis irreligiosae foetibus Cardin. *Pallavicini* genuinam concilii historiam opposuit, quam ex actis authenticis in tabulariis sedis apostolicae asservatis congestam Romae evulgavit anno 1655. Porro omnes qui inter catholicos hucusque fuerunt pietate, veritatis studio et doctrina insignes lubenti et grato animo confessi sunt, innumera esse quae ex hoc concilio in totum Christianum orbem redundarunt bona. Nam dogmata controversa omnia cum maxima claritate et accuratione exposita sunt; et reformationis decreta condita saluberrima, quibus in magna parte ecclesiarum nova exorta est et felicior rerum facies. Conferantur inter alia quae illustriss. *Bossuetius*, insigne illud ecclesiae Gallicanae decus, de concilio Trident. scripsit, imprimis in illo litterarum commercio, quod cum *Leibnitio* et Abbate *Molano* habuit. Pulchrum est tot tantorumque virorum auctoritatem sequi, et longe abesse a neotericorum quorundam exemplis, qui *Fra Paolo* et *Courrayerii* sordibus mire delectantur et in scurrilitate et inverecunda procacitate nescio quam aut quorum hominum laudem quaerunt.

PROPOSITIO.

Concilium Tridentinum omnes characteres habet legitimi et oecumenici concilii.

664. — Probatur. Ut concilium sit vere et stricte oecumenicum, requiritur, ut tale sit convocatione, celebratione et acceptatione: atqui hos characteres omnes habet concilium Tridentinum. Ergo etc.

Probat. min. part I. Ad concilium Trident. vocati sunt omnes Christiani orbis episcopi, et quidem ab eo, qui jus convocandi oecumenica concilia semper in ecclesia catholica habuit, tanquam Pastor supremus et caput

totius ecclesiae. Porro cum causa potissimum ageretur protestantium, ipsi quoque, quamvis nulla necessitas id exigeret, plures ad concilium invitati sunt, ipsisque amplissimus oblatus est Salvus-Conductus; ut ex gestis sess. XIII. patet.

Jam si causam quaerimus, pro qua coactum est hoc generale concilium; manifestum est, eam fuisse omnium gravissimam. Agebatur enim de stabilienda fide catholica contra multiplices novatorum errores, et de generali reformatione, jam diu, et tum maxime bonorum omnium votis exoptata.

Probat. pars II. Concilium Trident. oecumenicum fuit celebratione. Convenerunt ex omnibus orbis catholici partibus episcopi quamplurimi aliique praelati jus suffragii habentes. Omnia autem secundum ecclesiasticas regulas esse gesta, decreta nonnisi post longum et diligens examen, cum plena judicandi libertate fuisse condita, non semel luculenter probarunt catholici contra protestantes aliosque hujus concilii detrectatores. Multa hujus rei argumenta habentur apud *Pallavicin.* hist. conc. Trid. — Sufficiat hic testimonium *Didaci Payva* theologi Lusitani, qui ipse concilio intererat. Sic autem habet lib. I. defensionis Tridentinae fidei: „Testari certe ipse possum, nihil fuisse a Patribus magis exoptatum, a legatis vigilantius procuratum, quam ut nihil in eo non libere, non pacate atque legitime fieri, certissimis argumentis constaret."

Probat. pars III. Concil. Trident. solemni Bulla confirmatum fuit a S. Pontifice *Pio IV.* Insuper ecclesiae particulares omnes illud concilium receperunt ejusque circa fidem decreta tanquam infallibilem credendi normam statuerunt. Neque protestantes ullam assignare possunt ecclesiam, quae obsequium detrectaverit, aut quidquam docere unquam praesumserit, quod definitae in hoc concilio doctrinae repugnaret. — Quod ipse fatetur *Courrayerius* in dissert. de conc. Trident. receptione.

OBJECTA SOLVUNTUR.

665. — Argum. I. Concilium Trid. a Romano Pontifice praeter morem antiquum indictum fuit. Idem Romanus Pontifex concilio praefuit, et in eo judicis simul ac partis sustinuit personam, quod juri tum divino tum humano repugnat. Constat enim rem imprimis actam fuisse curiae Romanae, quae de multis fidei et sanctioris disciplinae corruptelis fuerat accusata. Ergo etc.

Resp. Negare, quod S. Pontifex, qui totius ecclesiae caput est, a Christo positus ad regendam ecclesiam Dei, jus non habeat convocandi concilia et in illis praesidendi, est ipsam ecclesiae constitutionem evertere, et novum rerum ordinem inducere toti antiquitati incognitum. Consul. jus canonic. de juribus primariis Rom. Pontificis. At supponamus saecularium potestatum auctoritatem requiri ad concilii oecumenici celebrationem; an non perinde causa caderent protestantes? Notum enim est Tridentinam synodum nonnisi consentientibus et petentibus saeculi principibus fuisse congregatam. Ipsius convocationem a Rom. Pontificibus *Clemente VII.* et *Paulo III.* non semel postularunt *Carolus V.* imperator, *Ferdinandus* Romanorum rex, et *Franciscus I.* rex Galliae; ut *Sleidanus* adversae communionis historicus testatur.

Ineptum prorsus est, quod adjiciunt protestantes, Papam fuisse judicem in propria causa; nam 1° non Papa proprie judex in concilio fuit, sed episcopi, quorum suffragiis omnia finiebantur. 2° Non Rom. Pontificis, sed fidei et religionis causa agebatur, cujus ille pro sui primatus officio conservator est et custos. 3° Si locum haberet haec objectio, nullus novator, nullus haeresiarcha damnari unquam legiti-

me potuisset. Sufficeret illis, ecclesiam erroris et corruptelae circa fidem postulare; et deinde, cum damnantur, contendere, ecclesiam judicem fuisse in propria causa et ideo legitimum non esse judicium.

666. — Argum. II. Concilium in Germania haberi debuisset, ubi controversiae exortae fuerant. Tridentum convenire non poterant protestantium doctores, non tantum quia illis, ut adessent, non erat legitime significatum; sed etiam quia salvo conductui fidem habere non poterant; sciebant enim Rom. ecclesiae sententiam esse, quod fides haereticis servanda non esset. Ergo etc.

Resp. An promissiones ecclesiae factae, an Spiritus sancti assistentia a loco dependent? In concilio Tridentino quaestiones agebantur fidei catholicae, quae ad universam spectant ecclesiam. Sed ejusmodi causas in locis, ubi exorta sunt, judicari non est necesse, nec praeceptum. Sic controversia de legalium cessatione Antiochiae quidem mota, sed Jerosolymis decisa fuit. Ariana haeresis Alexandriae nata, damnata est in Nicaea Bithyniae urbe. Contra Nestorium non Constantinopoli, sed Ephesi congregata est synodus. Dein Tridentum urbs erat Germaniae confinis, et a Germaniae principibus in conventu Spirensi anno 1542 acceptata.

Concilii Tridentini indictio solemni ritu facta protestantibus ignota esse non poterat. Sed voluisset forsan obscura paedagogorum turba, quae perruptis claustris et abjecto obedientiae jugo per Germaniam tumultuabatur, episcoporum auctoritatem sibi arrogare, et inter ecclesiae Patres sedere? Quid enim sibi non sumunt homines ejusmodi, quando fortuna audaciam juvat? Concilium egit, quidquid agere potuit, ut errantes ad ecclesiae gremium reduceret; eos non invitavit tantum, sed etiam ut adessent quodammodo rogavit. Legantur acta sess. XIII., XV. et XVIII. Quod de fide haereticis data additur, atrox calumnia est, in odium ecclesiae catholicae conflata.

667. — Argum. III. Protestantes in concilio nec auditi fuerunt, nec dogmata controversa sufficienter fuerunt discussa. Ergo etc.

Resp. Si valerent ejusmodi contra concilia generalia expostulationes, nulli essent haeretici, qui non injuste se damnatos eodem quo protestantes jure contendere possent. Quanta adhibita fuerit cura in discutiendis controversis doctrinae articulis, in condendis fidei decretis, satis superque probat historia concilii; ut in probatione ostensum est. Adde, quod in concilio Trident. actum non fuerit de hominis alicujus condemnatione; nullus enim ex novarum haeresum auctoribus ibi judicatus est, aut anathemate percussus; non *Lutherus*, non *Calvinus*, non *Zwinglius*, nec quisquam ex eorum asseclis. Doctrina, quae in eorum scriptis continebatur, diligenter fuit examinata, cum scriptura et traditione ecclesiae catholicae comparata; quod etiam protestantibus non praesentibus fieri potuit.

668. — Argum. IV. Concilium non fuit liberum. Legati rerum proponendarum arbitrium ad se solos traxerunt, nihil autem proponebant, nisi quod Rom. Pontifici placuisset. Episcopis aliud jus concessum non est, quam ut proposito decreto responderent: *Placet.* — Porro tam acriter saepe et cum tanta animorum commotione disputatum est, ut vix sibi persuadere quis poterit, Spiritum S. adfuisse viris illis, qui in defendendis opinionibus suis omnem aequitatem et moderationem abjecerant.

Resp. 1° Mirum sane, unde tanta mentis agitatio, tam immoderati impetus, si nihil aliud agendum fuit episcopis, quam ut suum *placet* exprimerent.

Resp. 2° In illis sessionibus, ubi

suffragium Patrum per haec verba: *Placetne vobis*, expetebatur; neque de dogmate quaestio erat, neque de re ad reformationem pertinente; sed tantum de proroganda, aut finienda, aut continuanda sessione. Quod autem in praeviis congregationibus, in quibus materiae discutiebantur, opposita hinc inde studia exarserint, et acriter nimium certatum fuerit, non diffitemur. Verum ad haec respondimus, cum de conciliis in genere actum est. Si valeret hoc adversariorum argumentum, nullum jam esset concilium, cui praerogativa legitimi et oecumenici concilii denegari non posset.

669. — Argum. V. Pauci tantum Tridenti aderant episcopi, adulatores et stipendiarii Papae, homines stupidi, simoniaci aliisque criminibus notati, nec alios, quos consulere potuissent, theologos habuerunt, praeter insulsos scholasticos, nulla scripturae, traditionis aut historiae ecclesiasticae cognitione instructos. Ergo etc.

Resp. Est hoc certis hominibus solemne, ut cum causa cadunt, in judices suos probra et convitia congerant. In concilio Trident. plus quam 250 episcopi aderant ex omnibus catholicis nationibus; neque nomine suo aderant tantum, sed et confratrum suorum, qui abesse a dioecesibus non poterant. Et quid tandem agendum erat Patribus in concilio congregatis? Examinandum, quaenam esset ecclesiae universae fides: id autem pauciores etiam alicujus nationis episcopi aliorum nomine deputati pro tota aliqua nationali ecclesia testari poterant. Quicunque partium studio non excoecantur, non possunt non magnam habere hujus augustissimi coetus venerationem, in quo tot convenerant illustrissimi praesules, non minus doctrina et sacra eruditione, quam vitae sanctitate et religionis zelo conspicui. Theologi successive in concilio comparuerunt 150 ex omnibus fere nationibus. Qui eorum nomina perlegere velit, inveniet multos maximi nominis viros, quorum disputandi rationem non sophisticam, sed solidam, et in scriptura et traditione fundatam protestantes non semel experti sunt.

670. — Argum. VI. Concilium Trident. in Gallia receptum non fuit; nec tamen a vera fide defecisse creditur Gallicana ecclesia. Ergo etc.

Respondemus cum illustriss. *Bossuetio* [1]): „Certum est eam synodum (Tridentinam) in fidei rebus ab omnibus catholicis pro oecumenica et irretractabili habitam. Non desunt, qui arbitrentur ab ea sententia procul abesse Gallos, saepe professos eam synodum non esse in regno receptam: sed id intelligendum de sola disciplina, de qua recipienda, propter diversas morum locorumque rationes, illaesa dogmatum fide, saepe variari contigit; non autem extendendum ad firmam et irreformabilem fidei regulam. Cui episcopi Gallicani in concilio absolute subscripserunt, et post concilium adhaeserunt adhaerentque summa scholarum, ordinum, coetuum, totius denique regni consensione; ne quis adversus concilium regni Gallicani auctoritate utatur."

Copiose de concilio Trident. agit *Natal. Alexand.* dissert. XVI. in saecul. XV. et XVI. In hujus dissertationis parte ultima, seu art. XVI. concilii auctoritatem vindicat contra protestantium argumenta. — Vide etiam *Annati* apparatum lib. V. art. XXII. — Diction. théolog. art. *Trente.* — Vies des SS. par *Godescard* tom. X. Vie de St. *Charles Borrom.* etc.

§. III.

Quaenam sit Romani Pontificis in fidei controversiis auctoritas.

OBSERVANDA.

671. — I. Non est hic nobis disserendum de suprema Pontificis Romani

1) Sentent. *Bossuetii ad cogitationes privatas* Abbatis *Molani* pars II. — Declara-

potestate in regenda ecclesia, neque inquirendum in illas fere infinitas quaestiones, quae cum hac materia connexae sunt. Multa ad jus canonicum pertinent; alia in parte prima hujus Demonst. prosecuti sumus, satis quidem copiose ut in compendiario opere, at si rei magnitudo et gravitas consideratur, breviter. Nunc de sola auctoritate dogmatum agitur, ubi primum omnium observandum, summi Pontificis jura alia esse tum in Primatus natura, tum in ecclesiarum omnium consensione ita fundata et radicata, ut avelli a sede apostolica omnino non possint; de aliis autem salva fide etiam inter catholicos disceptari. Quare summopere curandum est, ut modum nulla ex parte excedamus. Longe absit a nobis, ut quidquam veritati detrahamus, aut violari patiamur sacram et divinam summae sedis auctoritatem: sed et illud in omni controversia tenendum putamus theologo, ut non velit esse magis catholicus, quam ipsa ecclesia catholica; neque statim haeresin odoretur, ubi nulla adhuc decretoria sententia intercessit. Non prodest, sed obest, qui ipsius ecclesiae judicium praevertens pios et orthodoxos viros, imo maxima et celebratissima ingenia in violatae fidei contumeliam adducit.

672. — II. Quando doctrina aliqua jam est ab ecclesia definita, necesse non est, ut nova a sede apostolica exeat decisio, qua fidei doctrina contra haereticam pravitatem definiatur; sed S. Pontificis est decretorum fidei reverentiam et auctoritatem tueri. Hoc jus necessario cum primatu connexum est, illudque ab omni retro antiquitate exercuerunt SS. Pontifices, ut videre potes apud Coustant in praefatione, quam collectioni epistolarum RR. PP. praefixit. Quando autem novus error pullulat Christiano dogmati contrarius, tum S. Pontifici pro illa, quam toti ecclesiae debet pastorali sollicitudine, curandum est, ut error quamprimum exstirpetur, et fideles a contagione praeserventur: atque ubi viderit episcopos illius provinciae, ubi haeresis serpere incepit, negligentiores, vel ad eam reprimendam non sufficere, ipse pondus addat suae auctoritatis, et tamquam Pastor et Doctor omnium fidelium errorem condemnet solemni judicio. Ejusmodi decreta ad totam pertinent ecclesiam, atque iis obsequium ab omnibus exhibendum est; quia ab eo divulgantur, qui caput est ecclesiae, et apostolicae traditionis, quae in Romana potissimum ecclesia intacta semper conservata fuit, haeres et custos. Atque haec omnium saeculorum fides semper fuit, et constans ecclesiae tum Orientalis tum Occidentalis consuetudo. Omnes fere haereses a Romanis Pontificibus ante omnia conciliorum decreta damnatae sunt: quanta autem reverentia decisiones ejusmodi et dogmaticae epistolae ab universa ecclesia fuerint receptae, Patrum testimonia et conciliorum acta testantur.

673. — III. Hucusque nulla est inter catholicos dissensio; omnes id profitentur ore et corde, quicunque ore et corde catholici sunt; at non ita, cum ulterius quaeritur: an Rom. Pontifex sit judex controversarium infallibilis; seu an eam a Deo habeat in decidendis fidei et morum quaestionibus auctoritatem, quae libera sit ab omni errandi periculo ante omnem ecclesiae consensum. Illud affirmant plurimi magni nominis et primae notae theologi; atque doctissimus *Canariensis episcopus*, quem cum voluptate semper legimus et citamus, totus est in asserenda ea sententia, quod Rom. Pontifex in fidei controversiis finiendis errare non possit; eosque qui contrarium adstruunt ait pestem ecclesiae ac

---

tio fidei orthod. cap. IV. art. VI. — Tom. XXV. edit. Lebel.

perniciem afferre[1]); quamvis ibidem fateatur, rem nullo esse ecclesiae judicio finitam, atque viros reperiri doctos et pios, qui huic sententiae contradicant. Attamen eo tempore haec quaestio nondum fuerat cum ea animorum contentione agitata, prout illud postmodum contigit, quando anno 1683 in lucem prodiit famosa cleri Gallicani de ecclesiastica potestate declaratio. In hac declaratione Gallicani praesules docent art. IV.: *In fidei quaestionibus praecipuas summi Pontificis esse partes, ejusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irrefragabile esse judicium, nisi ecclesiae consensus accesserit.*

674. — IV. Huic sententiae non exiguum pondus addidit Bossuetius vel sola nominis sui auctoritate; quamvis multi, qui se *Gallicanos* dicunt, et Bossuetii nomine gloriantur, longe absint a tanti viri moderatione, et illi in hac parte plus, quam ipse voluisset, tribuant. Nam declarationem illam nunquam sincero affectu foverat, quod satis haec ejus verba indicant: *Abeat igitur declaratio, quo libuerit; non enim eam (quod saepe profiteri juvat) tutandam hic suscipimus.* Mihi quoque eam defendere animus non est; et ut vera dicam, non potui hucusque satis intelligere, quid ex ea utilitatis in ecclesiam profluxerit, nisi quod nova jacta sint discordiarum semina inter ejusdem ecclesiae filios; quippe ab eo tempore animi multo magis altercationum aestu incaluerunt.

675. — V. Contingit tamen in hac etiam quaestione, mea saltem sententia, quod plerumque in ejusmodi disputationibus, ut multa confuse dicantur et saepe diversitas in verbis magis, quam in ipsa re posita sit. Qui Papae infallibilitatem defendunt, omnes concedunt, Papam ut privatum Doctorem errare posse etiam in quaestionibus fidei et morum; imo haereticum fieri posse atque hoc ipso desinere esse caput et membrum ecclesiae; ita ipse *Bellarm.* de Rom. Pontifice lib. IV. etc., *Canus* lib. V. cap. V. concl. III. Concedunt etiam plerique tunc errare posse Pontificem, quando ut Pontifex et Pastor fidelium de fide vel moribus pronuntiat inconsultis Cardinalibus aut episcopis, absque praevio examine et discussione. Hinc cum summum Pontificem *ex cathedra* loquentem infallibilem esse pronuntiant; simul explicant, quid sit ex cathedra loqui: Nempe quando ad scripturam et traditionem, quae in Romana ecclesia a temporibus Apostolorum incorrupta servatur, attendens, adhibito Cardinalium et vicinorum antistitum consilio et suffragiis aliquid tanquam supremus ecclesiae pastor fidelibus universis credendum aut observandum proponit. Addit *Natalis Alex.*[1]): *Quando ejus constitutiones et decreta accedente ecclesiae consensu roborantur* ... quod si requiretur, parum inter hanc et Gallicanam sententiam discriminis intercederet. Totum, ut opinor, in hoc situm esset, ut alii dicant, decretum Pontificis irreformabile demum fieri per consensum ecclesiae; alii, consensum illum argumentum esse, quo certo nobis constare debeat Petrum per Pontificem locutum esse, seu decisionem ex Petri cathedra prodiisse, atque hoc ipso esse irreformabilem. Jam et illud praetereundum non est, juxta plurimos infallibilitatis defensores summum Pontificem ex cathedra loqui, quando controversia discussa, et ad traditionem Romanae ecclesiae attendens pronuntiat. Fateri autem Gallicanos, etsi decreta fidei contraria a Papa ederentur, haec cathedrae Petri imputari non posse, et inconcussam semper manere Romanae ecclesiae fidem[2]). Quomodo ergo errabit supremus Pastor ex Petri

1) Lib. VI. cap. VII.

1) Histor. eccles. saecul. VII. diss. II. prop. II. 2) Gall. orthod. a Bossuetio defensioni declarat. praemissa c. 12—85 etc.

Cathedra loquens; et juxta Romanae ecclesiae fidem pronuntians? Aut cur expectandus erit ecclesiae consensus; cum ecclesiae Romanae doctrina sententiam reddat ab omni errore tutam adeoque irreformabilem? Notatu digna sunt, quae *Tournelius* habet, in ea, quam de hac quaestione scripsit erudita et luculenta tractatione [1]): „Non dissimulandum, difficile esse in tanta testimoniorum mole, quae Bellarminus, Launoius et alii congerunt non agnoscere apostolicae sedis, seu Romanae ecclesiae certam et infallibilem auctoritatem; et longe difficilius est ea conciliare cum declaratione cleri Gallicani, *a qua recedere nobis non permittitur.*" Tunc fatetur de Romano quoque Pontifice intelligenda esse testimonia illa, quae de Romana ecclesia loquuntur: *a qua*, ait ibidem, *Pontifex, cum ex cathedra pronuntiat, sejungi ac separari non potest.* Sed finem observationibus faciamus his animi nostri ardentissimis votis: ut, qui nostra aetate ecclesiae Gallicanae auctoritatem praetendunt, atque vestigia se sequi asserunt tot illustrissimorum praesulum, ii etiam zelum illum religionis ardentissimum imitentur, sinceramque in Romanam ecclesiam pietatem et reverentiam, cujus haec ecclesia ad nostra usque tempora tot tamque illustria reliquit exempla.

PROPOSITIO.

Ex principiis fidei catholicae certum est, summum Pontificem in dijudicandis fidei controversiis praecipuas partes habere; ejusque judicium, si ecclesiae consensus accesserit, esse irreformabile. An autem ante ecclesiae consensum infallibile sit, salva fide controvertitur.

676. — Probatur I. pars. 1° Matth. XVI. ait Christus ad Petrum: *Tu es Petrus, et super hanc Petram aedificabo ecclesiam meam.* Lucae XXII.: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Joan. XXI.: *Pasce agnos meos: pasce oves meas.* Ex his aliisque scripturae testimoniis patet, Petro ejusque successoribus peculiarem in ecclesia potestatem concessam fuisse; super illos peculiari modo aedificatam esse ecclesiam; illis prae caeteris curam incumbere confirmandi in fide fideles et episcopos; pascendi universum gregem, oves scilicet et pastores. Ergo et ipsis principalis conservandae fidei cura demandata est. Ergo etc.

2° In prima hujus Demonstrationis parte probatum est, Rom. Pontificem in totam ecclesiam habere primatum; cum autem primatus propter unitatem institutus sit, et unitas ecclesiae sine unitate fidei cogitari non possit, necessario Rom. Pontifici competit cura invigilandi, ut fides ecclesiae religiose servetur et errores repellantur, qui se contra avitam religionem extollunt.

677. — Prob. II. pars. Ecclesia sive dispersa, sive in concilio congregata errare non potest, ex §. II. hujus art. Ergo neque illud fieri unquam potest, ut concilium oecumenicum, aut dispersa per orbem ecclesia assensum praebeat decisioni dogmaticae, quae errorem contra fidem aut mores contineret; ita enim tota ecclesia a sana Christi doctrina aberraret.

Prob. III. pars. Notum est, quod, licet multi sint inter catholicos viri sancti et doctissimi, qui pro sua in Petri sedem reverentia docuerunt, aut adhuc hodie docent, Romanum Pontificem ex cathedra loquentem errare non posse, semper tamen extiterint theologi, qui contrarium asseruerunt; quosque ecclesia nihilominus tanquam pios strenuosque fidei defensores suspexit. Ergo haec quaestio ex earum numero est, de quibus salva fide disputatur: neque nota haereseos ulli parti inurenda est, cum ab ecclesia nihil sit definitum; idque non semel confessi sint utriusque partis acerrimi defensores. Ac primum quidem Galli-

1) De eccles. Tom. II. pag. 134.

cani praesules, suam declarationem emittendo, nihil omnino addiderunt, quod censuram inureret oppositae sententiae. Imo episcopi omnes qui comitiis anni 1682 interfuerant, in epistola ad *Innocentium* XII. anno 1693 palam testantur, quod cum in comitiis declaraverint R. P. decreta circa fidem non esse irreformabilia, mens eorum non fuerit, quidquam decernere aut decretorie definire, sed suam dumtaxat sententiam aperire. — Et haec quidem clara sunt et nulli dubitationi obnoxia. Quod autem oppositae sententiae patronos attinet, unus loco omnium sufficiat *Bellarminus*, qui lib. IV. de summo Pontifice cap. II. de ea sententia quam vidimus a clero Gallicano propugnatam, ita loquitur: „Non est proprie haeretica; nam adhuc videmus ab ecclesia tolerari, qui illam sententiam sequuntur: tamen *videtur* omnino erronea et haeresi proxima.“ Scio bilem pluribus movere hanc specie tenus temperatam sentiendi rationem: verum bene notanda sunt, quae doctissimus Jesuita *Gretzerus* observat; non dicere *Bellarminum* hanc sententiam esse haereticam, aut parum ab haeresi distare; sed *videri* erroneam et haeresi proximam; diligentissime omnino. Ipsum enim *videri* censurae vim infringit et ostendit *Bellarmini* opinionem, certe non firmum fixumque judicium.

678. — Corollarium. *Ergo infallibilitas Romani Pontificis urgeri non potest contra haereticos; neque adhiberi ad stabiliendam fidem catholicam.*

Probatur. 1⁰ Non potest ab haereticis exigi, quod inter catholicos finitum non est; neque tanquam dogma obtrudi, quod salva fide negari potest. Haec fusius ostendit *Veronius* in regula fidei §. IV. n. 2. aliique, qui de fide catholica contra haereticos egerunt.

2⁰ Ex iisdem rationibus concluditur, infallibilem Romani Pontificis in decidendis fidei controversiis auctoritatem, etiam ab illis, qui plene de ea convicti sunt, tanquam principium probandi non posse adhiberi; nam fidei divinae non potest fundamentum supponi, quod ipsum non est inconcussum; neque regula fidei esse potest, quod ipsum ad fidem non pertinet.

OPPONITUR.

679. — Omnia illa sacrae scripturae testimonia, quae probant Romano Pontifici praecipuas partes esse in decidendis fidei controversiis, probant etiam ejus infallibilitatem; ostendunt enim Petri soliditatem et auctoritatem ad successores transiise, neque nutare aut a fide deficere posse illam ecclesiam, in qua Petri cathedra collocata est. Argumentis ex scriptura depromptis innumera accedunt Patrum et conciliorum testimonia, ita ut apertum sit, a verbo Dei tum scripto tum tradito recedere, qui Papam dicunt errori obnoxium esse, quando tanquam Petri successor et ecclesiae caput sententiam dicit in controversiis fidei.

Resp. 1⁰ Jam diximus, nos Gallicanae sententiae patrocinium non suscipere; jure merito eos, qui haec aut alia ejusmodi objiciunt, ad auctores illos remittimus, quibuscum iis congrediendi satis animi est. Ut melius dicam, sint illis salva arma sua et integra; nunquam tamen persuadebunt, rem ad fidem pertinere. Unde in confesso est quod volumus, controversiam salva fide agitari posse in utramque partem. — Non ideo statim ad fidem spectare dignoscitur quaestio aliqua, quando ejus propugnatores textus ex scriptura et Patribus congerunt, qui videntur clare et evidenter id quod volunt continere. Aliter illa testimonia interpretantur, qui contrarium tenent; neque fides locum habet, ubi adhuc sub judice lis est, et ecclesia cuique parti relinquit sentiendi libertatem.

2⁰ Qua ratione Gallicani systematis

defensores vim elidere nitantur adversantium argumentorum, uno tantum aut alio exemplo ostendemus, non ad confirmationem sententiae, sed controversiae elucidationem. Quod verba illa attinet Lucae XXII.: *Ego rogavi pro te* etc., dicunt, ea vel ad solam Petri personam pertinere, aut certe nihil aliud significare, quam quod fides in Petri sede nunquam penitus sit interitura, quamvis per breve aliquod tempus deficeret. Christus ait: *Ut non deficiat*, id est intereat penitus *fides tua* statimque additur: *Tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Ubi conversio est, ajunt, ibi culpa praecessit. Hinc S. *Bonaventura* ita hunc locum commentatur: *Non rogavit Christus, ut Petrus non caderet, sed ut non deficeret; quamvis cecidit, resurrexit.* Ex textu Matth. XVI.: *Tu es Petrus* etc., quo potissimum Romani Pontificis primatus, et ecclesiae Romanae in fide stabilitas exprimitur, id fatentur necessaria consecutione deduci, quod series RR. PP. quae personam Petri moralem constituit a fide deficere nunquam possit; quamvis deficere possit unus aliusve ex Pontificibus, qui Petri cathedram occupant: cito enim futurum dicunt, ut ecclesia errantem reduceret, aut pertinacem a sede removeret; atque ita Romana ecclesia centrum unitatis et fidei arx alta maneret. Haec satis coacta nobis videntur et contorta, sed nolumus longius protrahere sermonem. Id unum ex Tournelio repetimus, difficillimum esse, tantam testimoniorum molem, quam infallibilitatis patroni congerunt, cum cleri Gallicani declaratione conciliare. At nostra non facimus quae sequuntur: *A qua recedere nobis non permittitur.*

680. — Instant. Praesules Gallicani non semel professi sunt, judicia pro sancienda fidei regula a summis Pontificibus data summa per universam ecclesiam auctoritate niti, et Christianos omnes iis mentis obsequium ex officio debere: at, si ejusmodi decreta irreformabilia non sunt, possunt ergo supponi docere errorem, et tenebuntur fideles omnes ex officio mentis obsequium praestare errori, quod, quam sit absurdum, nemo non videt.

Resp. Concedimus ex hoc aliisque hujus generis argumentis sequi, quod jam confessi sumus, difficile admodum esse, tantam, non testimoniorum tantum, sed et rationum molem cum cleri Gallicani declaratione conciliare. — V. *Tournel.* l. cit. — Item le Comte *de Maistre* du Pape. Tom. I. liv. I. — et de l'Eglise Gallicane liv. II. chap. III. etc.

Quaeritur I.

Si consensus ecclesiae requiritur, ut irreformabile habeatur ab omnibus Romani Pontificis judicium, quaeritur, qualis esse debeat consensus ille; an antecedens, an concomitans, an subsequens? An expressus requiratur, an tacitus sufficiat?

681. — Resp. ad I. Perinde est an ecclesiae consensus antecedens sit, an concomitans, an subsequens. *Antecedens* est, quando eliquatam jam in conciliis provincialibus fidei doctrinam S. Pontifex universae ecclesiae tanquam dogma credendum proponit. Hac ratione Pelagianam haeresin praevio judicio Palaestinorum et Africanorum conciliorum damnatam auctoritate sedis apostolicae proscripserunt *Innocentius* I. et *Zosimus. Concomitans* est, quando episcopi simul cum Romano Pontifice in concilio judicant. *Subsequens* dicitur, quando S. Pontifex de quaestione fidei judicat, et suam deinde sententiam mittit ad universam ecclesiam, sive ad synodum generalem, ut *Coelestinus* I. ad Ephesinam, *Leo* M. ad Chalcedonensem, *Agatho* ad Constantinopolitanam III., *Adrianus* I. ad Nicaenam II., vel ad dispersos per orbem episcopos, qui acceptando constitutionem Pontificis, suum judicium judicio summae sedis adjungunt. Quocunque modo ergo consensus episco-

porum accedat decreto pontificio, apertum est, illum exprimere judicium totius ecclesiae, vel in concilio congregatae, vel dispersae per orbem; adeoque omnibus consentientibus catholicis ejusmodi decretum esse irreformabile.

682. — Resp. ad II. Ante enatas in Gallia discordias ex occasione bullae *Unigenitus*, nullus invenitur alicujus nominis theologus, qui non putaverit, ad firmitatem catholici dogmatis non requiri, ut episcopi omnes lato a Romana sede judicio expresse consentiant, sed satis esse, quod plures habeat expresse suffragantes ac consentientes insignium ecclesiarum episcopos, eos praesertim, in quorum provinciis exortus est error; aliorum etiam tacitum consensum sufficere. Hujus rei apertissima ratio ex ipsa universalis ecclesiae natura et conformatione ducitur. Quippe fieri non potest, Deo ita dirigente, ut multo major pars episcoporum, qui per orbem diffusi sunt, non reclamet adversus errorem, qui publico aliquo judicio ecclesiastico fidelibus ad credendum proponeretur. Hoc fere modo *Melchior Canus* loquitur de conciliis provincialibus agens [1]: „Nisi sint peculiariter reprobata, ait, communi ecclesiae vel silentio, vel etiam implicito consensu commendantur, si ad ecclesiae communem notitiam pervenerint. Non enim fit aliquo pacto vero simile, ut concilii provincialis toto orbe vulgati haeresim ecclesia diu dissimulaverit; error enim, cui non resistitur, approbatur. Dist. 83. cap. *Error*." Et S. *August.* [2]): *Ecclesia Dei ea, quae sunt contra fidem vel bonam vitam, non approbat, nec tacet, nec facit.* Efficit hoc sacrum unitatis vinculum, quo omnes episcopi in ejusdem fidei professione colligantur, ut quoties omnes tum inter se, tum cum suo capite communione sociantur, omnes quoque censeantur eandem fidei doctrinam profiteri. Ita semper docuit ecclesia Gallicana, quae constitutiones SS. Pontificum adversus *Bajum* et *Jansenium* summo consensu amplexa est tanquam regulam fidei et palam professa, nullam ex conditionibus necessariis ad obligandam totam ecclesiam illis constitutionibus deesse. Et vero, supponatur S. Pontificem in decreto dogmatico a parte notabili ecclesiae acceptato errorem docere posse; quodnam tunc erit fidelibus medium errorem evitandi, cum reliqui tacerent?

Verum, quid plura dicam? Ipsi adversariorum antesignani ante Quesnellianas controversias in eadem fuerunt sententia. *Petrus Aurelius* seu *Sancyranus abbas* in defensione censurae cleri Gallicani anni 1631 ita scribit: „Nec verum esse non potest illud verbum Apostoli [1]): Non solum qui ea faciunt, digni sunt morte, sed etiam, qui consentiunt facientibus. Consentiunt autem cum publice laboranti atque oppressae veritati non succurrunt, qui debent. Ergo cum quiescunt, probant; cum patiuntur, decernunt; cum tacent, clamant . . . Satis consensu tacito clamat ecclesia, cum reclamare deberet, si dissentiret. Officio enim deesse, et veritatem prodere universa non potest." Ita *Petrus Aurelius* in opere, quod impensis et approbatione cleri Gallicani editum est. Ipse *Quesnellus* libro cui titulus: Tradition de l'église Romaine, sic ait: „Le silence des évêques, quand il n'y aurait rien de plus, doit tenir lieu d'un consentement général, lequel joint au jugement du S. *Siège* forme une décision, qu'il n'est pas permis de ne pas suivre." Utinam hujus doctrinae nunquam fuisset immemor!

1) Lib. V. cap. IV. concl. VI.
2) Epist. 119. cap. XIX.

1) *Rom.* I, 32.

Quaeritur II.

Quid censendum sit de modo damnandi propositiones in globo, uti dicunt.

683. — Resp. Propositiones dicuntur damnari in globo sive indeterminate, quando notae quaedam affiguntur in genere certo propositionum numero, quin determinetur, quae praecise nota huic aut alteri propositioni conveniat. Hanc rationem propositiones damnandi ecclesia frequenter usurpavit. *Nicaena synodus* Arii Thaliam, *quinta oecumenica* libros Origenis et tria capitula damnarunt. *Leo* X. Lutheri doctrinam, *Pius* V., *Gregorius* XIII., *Urbanus* VIII. Baji errores, et *Clemens* XI. anno 1713 ex libro reflexionum moralium *Quesnelli* propositiones proscripserunt, declarando in genere alias esse falsas, alias scandalosas, alias haeresi proximas, alias haereticas etc. Eandem formam servavit concilium Constantiense sess. VIII. et XV. in decretis contra *Wicleffi* et *Husii* doctrinam datis. Haec utique sufficere deberent catholico, ne impudenter proscinderet, quod tot viri sanctitate et doctrina conspicui, quod Pontifices et concilia generalia probaverunt.

684. — Dicunt quidem, ambiguam esse et vagam ejusmodi dijudicandi rationem, neque certum aliquid discere fideles. Discunt, quidquid eos docere vult ecclesia, scilicet propositiones notatas omnes vitiosas esse et rejiciendas; nullam esse inter notas in censura expressas, quae non in aliquam aut plures ex damnatis propositionibus cadat; discunt, librum ex quo propositiones extractae sunt, periculosum esse, et errores continere, aut haeresi esse infectum. Verum quidem est, non illico haereticum fore, qui unam aut plures ex illis propositionibus doceret; at certe male ageret, et animum ostenderet parum in ecclesiam obsequiosum, imo haeresis notam non effugeret, qui omnes defenderet. Optime in hanc materiam disserit doctissimus *Zallwein* in principiis juris ecclesiastici [1]), ubi inter alia haec habet: „Quod ecclesia hoc potius, quam alio qualificandi modo utatur, neutiquam ipsius ignorantiae est adscribendum, utpote quae ideo hoc facit, tum quod modus iste facilior, expeditior, et non raro utilior eidem videatur, tum quod ecclesia soleat esse valde cauta et circumspecta in similibus censuris, ita quidem, ut licet assistentiam Spiritus S. sibi adfuturam in necessariis non dubitet, temerarie tamen de illa confidere nolit, nisi apertissima necessitas et utilitas id exigat.“ Eadem fere *Bossuetius* contra *Fenelonium* scribens observat: „Les condamnations générales sont utilement pratiquées dans l'église, pour donner comme un premier coup aux erreurs naissantes, et souvent le dernier.“

CONCLUSIO.

685. — Habent nunc candidati nostri genuinam credendi regulam, seu principia, ex quibus omnia fidei Christianae dogmata erui, atque ab incertis scholae controversiis secerni possunt. Quare superfluum nobis videtur plura de *locis theologicis* disserere, utpote qui nihil aliud sunt, quam promptuaria quaedam aut domicilia argumentorum theologicorum, in quibus theologi ea inveniant, quae sive ad confirmandum, sive ad refellendum necessaria sunt. Plures ejusmodi loci numerantur, quamvis non ab omnibus iidem. *Melchior Canus* in egregio et nunquam satis commendando opere de locis theologicis inscripto, decem recenset hoc ordine:

Primus locus est auctoritas sacrae scripturae, quae libris canonicis continetur.

Secundus est auctoritas traditionum, quas vivae vocis oracula rectissime dixeris.

1) Tom. I. qu. IV. cap. II. §. 6.

Tertius est auctoritas ecclesiae catholicae.

Quartus, auctoritas conciliorum maxime generalium.

Quintus, auctoritas ecclesiae Romanae, quae divino privilegio et est et vocatur apostolica.

Sextus est auctoritas Sanctorum veterum.

Septimus est auctoritas theologorum.

Octavus ratio naturalis est, quae per omnes scientias naturali lumine inventas latissime patet.

Nonus est auctoritas philosophorum.

Postremus denique est humanae auctoritas historiae.

Canus, cum hoc decem locos numerat, veluti totidem sedes, in quibus argumenta theologica posita reperiuntur, ipse fatetur non omnes ejusdem esse generis et argumenta, quae ex tribus posterioribus eruuntur, adscriptitia esse, ac velut ex alieno emendicata. Sed et septimus auctoritatem tantum probabilem habet, non eam, quae divinae fidei substrui posset. Manent ergo sex priores loci, qui omnes in iis, quae in hac secunda parte tradita sunt, continentur: nam de primo loco, qui scripturae auctoritatem complectitur, toto primo capite hujus secundae partis egimus; secundum et sextum, caput secundum complectitur; tertium, quartum et quintum tertio capite absolvimus.

686. — De *ratione naturali* nonnulla adhuc restant dicenda. In hujus loci tractatione duo errores evitandi sunt, sibi omnino oppositi; unus eorum, qui solis sacrarum litterarum testimoniis, aut etiam scriptorum veterum omnia definienda esse contendunt, atque rationem in indaganda vera religione nec ducem, nec comitem patiantur, ac si esset theologiae adversa et inimica. Numquid ergo rationem abjicere oportet credentes? Absit, ut hanc religioni injuriam inferamus. Nunquam veritas veritati, nunquam ratio, si vere ratio est, revelationi repugnat, sed mutuo se adjuvant, et alterius altera poscit opem et conspirat amice. Si opponitur, sophistas quovis tempore, atque hoc nostro imprimis saeculo impie abuti philosophia in religionis revelatae perniciem, fatemur id quidem; verum exinde concludimus, magis nunc, quam unquam antea, theologo necessarium esse sanae philosophiae studium, ut congredi valeat cum illis, qui insidiosis argutiis religionem Christianam lacessere non desinunt. Nam quo pacto fucata eorum sophismata diluet, si disputandi refellendique artem non calleat?

687. — Alter non minus periculosus error eorum est, qui in rebus ad fidem moresque pertinentibus nimium philosophorum auctoritati tribuunt, eamque evangelio et sanctorum virorum documentis praeferunt. Hoc vitium in nonnullis suo tempore reprehendit *Melchior Canus*[1]): „Sunt, quibus Averoës, Paulus est; Alexander Aphrodisaeus, Petrus; Aristoteles, Christus; Plato, non divinus, sed Deus. Qui scriptura sacra neglecta ad philosophorum doctrinas tanquam ad Syrenum scopulos adhaerebant. Non Prophetas, non Apostolos, non Evangelistas, sed Cicerones, Platones, Aristoteles personabant.“ Vis doctissimi viri dicta temporibus hisce accommodare? Pone pro Averoë, Alexandro Aphrodisaeo, Kantium, Fichtium, Schellingium, et siqua alia sunt dure sonantia nomina. Pro Platone, Aristotele, Cicerone quem ponas, nescio.

688. — Ut media inter haec extrema via incedat theologus, monitum sequatur Apostoli ad Rom. XII.: *Rationabile obsequium vestrum.* Obsequium vocat, quia intellectus redigendus est in obsequium Christi (II ad Cor. X.); quod idem est, ac rationem imbecillem

1) Lib. IX. cap. IX.

et coecam summae et excellentissimae rationi subjicere. Verum an locuta sit haec suprema ratio, seu, an ex Deo sit quod credendum nobis proponitur; haec utique argumentis demonstranda sunt ex genuina Dei notione, ex certis credendi motivis et veritatis criteriis deprompṭis, ita demum rationabile fit obsequium nostrum, licetque nobis cum Apostolo dicere: *Scio, cui credidi.* II Timoth. I. Cf. quae in Prolegomen. cap. I. §. II. — Cap. II. §. IV. — Tum. cap. III. §. IV. — Item adnot. in Prolegomen. pag. 13. 22 et seq.

CONSTAT ERGO

689 — I. ***Ecclesiam catholicam eam ipsam ecclesiam esse, quam Christus instituit, et super petram solidissimam fundavit; nec aliam esse Christianorum societatem, quae cum ea possit de hac praerogativa contendere.***

690. — II. ***Huic ecclesiae verae religionis custodiam fuisse demandatam; neque fieri posse, Christo invigilante operi suo, ut vel ipsa intereat, vel aliquid pereat illius, quod accepit, depositi.***

Hac igitur duce possumus certo et inoffenso pede totius theologiae specialis vastissimum campum percurrere; et singulis doctrinae revelatae partibus ad fidei regulam, quam modo exposuimus applicatis videre, quid ad veram Christi revelationem pertineat, aut quid alienum sit ab orthodoxa fide.

CONSPECTUS

TOMI PRIMI.

THEOLOGIA DOGMATICA GENERALIS.

Pag.

PROLEGOMENA.

CAPUT I. De theologia ejusque multiplice divisione.

§. I. *Quid sit theologia.* 1
§. II. *Theologia naturalis et revelata.* 2
§. III. *Divisiones theologiae ratione materiae.* 3
§. IV. *Theologiae speculativae divisiones.* 3
§. V. *Theologiae practicae divisio.* 4
§. VI. *Divisio theologiae ratione fontium.* 6
§. VII. *Divisio theologiae ratione methodi.* 6

CAPUT II. De disciplinis theologiae subsidiariis.

§. I. *Studium scripturae, patrum et conciliorum.* 7
§. II. *Philologia.* 9
§. III. *Historia.* 10
§. IV. *Philosophia.* 12

CAPUT III. De ratione tradendae et discendae theologiae.

ARTICULUS I. *Modus tradendi theologiam.*
§. I. *Methodus.* 14
§. II. *Theologia scholastica.* 15
§. III. *Continuatio.* 16
§. IV. *De optimo theologiae systemate.* 16
§. V. *De ratione tractandi veritates singillatim.* 18
§. VI. *De proprio theologiae revelatae principio.* 19
§. VII. *De veritatibus theologicis.* 20
§. VIII. *De dotibus et officiis docentium deque oppositis hisce vitiis.* 21
§. IX. *Imago boni magistri.* 23

Pag.

ARTICULUS II. *De theologia rite addiscenda.* 23

CAPUT IV. Brevis studii theologici historia.

Epocha I. *Ab exordio generis humani usque ad Christum.* 26
Epocha II. *A Christo usque ad saeculum XI.* 27
Epocha III. *A saeculo XI. usque ad saeculum XV.* 29
Epocha IV. *A saeculo XV. usque ad nostra tempora.* 31

LIBER PRIMUS.

Demonstratio religionis Christianae.

Antecessio. 33
§. I. *Deus et providentia.* 34
§. II. *Anima hominis spiritualis-immortalis.* 34
§. III. *Dei cultus internus et externus.* 35

PARS I. De revelatione in genere. 35

CAPUT I. De possibilitate, utilitate et necessitate revelationis. 37
§. I. *De revelationis possibilitate.*
Prop. I. Revelatio est possibilis. 38
Prop. II. Revelatio, prout complectitur dogmata supra rationis captum posita, possibilis est. 38
Prop. III. Revelatio, prout complectitur praecepta positiva legi naturali superaddita, possibilis est. 39
§. II. *De revelationis utilitate.* 44
Prop. I. Revelatio, in quantum est externa religionis et legis naturalis promulgatio, homini est utilissima. 45

Pag.

Prop. II. Revelatio considerata ut supernaturalis dispensatio homini quoque utilissima est et exoptanda. 45
§. III. *De revelationis necessitate.* 46
Prop. I. Ratio naturalis, qualis inest hominum universitati, non est par et sufficiens ad eos instituendos ad religionem et bonam vitam. 47
Prop. II. Genus humanum, quamdiu revelationis lumine destitutum fuit, nunquam veram sinceramque religionis ac legis naturalis cognitionem habuit. 48
Prop. III. Communi huic populorum ignorantiae mederi nec scivit, nec potuit, nec voluit omnis gentium philosophia. 49
Prop. IV. Etiam hodierna philosophia in iis, quae ad religionem et legem naturalem pertinent, ad informandos homines prorsus est insufficiens. 53
CAPUT II. De ratione indagandae revelationis. 56
SECTIO I. *De verae revelationis indagatione in genere.*
Prop. I. Quando religio aliqua ut divinitus revelata proponitur, homini non licet esse indifferentem. 56
Prop. II. Optima verae revelationis indagandae ratio est examen auctoritatis; non philosophica rerum et veritatum, quae revelatae dicuntur, disquisitio. 57
Prop. III. Ad amplectendam religionem revelatam examinanda sunt credibilitatis motiva. 58
SECTIO II. *De verae revelationis criteriis.* 61
ARTICULUS I. *Characteres vel notae revelationis naturales.* 62
ARTICULUS II. *De miraculis.*
§. I. *Observationes circa definitionem et naturam miraculi.* 63
§. II. *De possibilitate miraculi.*
Prop. Miraculum est possibile. 65
§. III. *De causa efficiente miraculorum.* 65
Prop. I. Solus Deus est causa efficiens miraculi proprie dicti. 65
Prop. II. Angeli mali, quaecumque sit eorum vis naturalis, miracula etiam improprie dicta patrare non possunt, nisi permittente et volente Deo. 66
§. IV. *De vi et efficacia miraculi in genere probationis.* 68
Prop. I. Miraculum proprie dictum certum est doctrinae, in cujus gratiam editum est, argumentum. 68

Pag.

Prop. II. Quando incertum est, an miraculum vel in se, vel ratione modi totius naturae creatae vires superet, etc. 69
ARTICULUS III. *De prophetiis.* 74
Prop. I. Prophetia stricte sumpta est possibilis. 74
Prop. II. Solus Deus est causa efficiens prophetiae stricte sumptae. 75
Prop. III. Prophetiae sunt certum divinae revelationis argumentum. 75
PARS II. De existentia divinae revelationis. 79
CAPUT I. Vindicatur fides et auctoritas librorum, qui a Christianis pro sacris habentur. 80
Series librorum V. et N. T. 81
Observationes generales. 88
ARTICULUS I. *Vindicatur fides et auctoritas librorum novi testamenti.* 90
§. I. *Authentia librorum N. T.* 90
§. II. *Librorum N. T. integritas.* 95
§. III. *Librorum N. T. veritas.* 97
ARTICULUS II. *Vindicatur auctoritas librorum V. T.* 109
§. I. *Pentateuchi authenticitas.*
Prop. Extitit Moyses dux et legislator populi Israëlitici, isque verus est auctor Pentateuchi. 109
§. II. *Pentateuchi integritas.* 112
§. III. *Pentateuchi veritas.* 117
§. IV. *De reliquorum librorum V. T. auctoritate.* 129
Prop. Praeter Pentateuchum reliqui quoque V. T. libri authentici sunt, incorrupti et fide dignissimi. 130
CAPUT II. Probatur veritas divinae revelationis ante Christum et per Christum factae. 135
SECTIO I. *Praeparatio ad revelationem Christianam.*
ARTICULUS I. *Revelatio ante Moysen.* 136
Prop. I. Humanum genus nunquam sine revelatione fuit. 136
Prop. II. Revelatio primaeva non est diversa a revelatione Christiana, sed quoad substantiam eadem. 137
ARTICULUS II. *De revelatione Mosaica.* 138
§. I. *Probatur divinitas religionis Mosaicae ex notis naturalibus internis et externis.* 139
Prop. I. Religio Mosaica, sive partem ejus theoreticam consideremus, sive praecepta moralia, in omnibus Deo digna est, et divinam prodit originem. 140

Pag.

Prop. II. Leges Judaeorum caeremoniales et politicae non tantum sapientissimae sunt et Deo dignae, sed divinam prorsus originem produnt. 150

Prop. III. Legislator Judaeorum eam in omnibus praefert ingenii indolem et formam virtutis, ut dubium esse non possit, eum, cum legem populo suo dedit, revera Dei nomine egisse, seu verum fuisse Dei internuntium. 155

§. II. *Probatur divinitas religionis Mosaicae ex notis externis et supernaturalibus.* 155

Prob. I. Moyses vera patravit miracula, et haec certo probant religionis, quam annuntiavit, divinitatem. 155

Prop. II. Ex vaticiniis in Pentateucho contentis probatur, revelationem Mosaicam divinae esse originis. 156

Prop. III. Religionem Mosaicam a Deo revelatam fuisse, probat specialis Dei erga Judaeos providentia. 157

ARTICULUS III. *Legi Mosaicae succedere debuit melior perfectiorque revelatio.* 160

§. I. *Lex Mosaica aliquando abrogari debuit per novum legislatorem, seu Messiam.* 161

§. II. *Lex Mosaica jam diu abrogata est.*

Prop. I. Praesens Judaeorum conditio probat, penitus sublatam esse religionem Mosaicam. 163

Prop. II. Legem Mosaicam abrogatam esse ex eo probatur, quod tempus huic interitui a Prophetis praefixum jam a multis saeculis effluxerit. 164

SECTIO II. *Revelatio Christiana.*

ARTICULUS I. *Religionis Christianae praecellentia.* 171

Prop. Religio Christiana in omnibus suis partibus praestantissima est, et dignissima Deo. 172

ARTICULUS II. *Christianam religionem divinam esse convincimur:*

Prop. I. Ex proprio Christi Domini charactere. 177

Prop. II. Ex charactere primorum religionis Christianae propagatorum. 179

ARTICULUS III. *Probatur religionis Christianae divinitas ex prophetiis.* 182

§. I. *De vaticiniis V. T., quae in Christo Jesu impleta sunt.* 182

Pag.

Prop. I. Prophetiae, quae tempus Messiae respiciunt, in Jesu Nazareno impleta sunt. 182

Prop. II. Prophetiae, quae futuram legis Mosaicae abrogationem praedicunt, in Christo Jesu impletae sunt. 186

Prop. III. Omnes prophetiae, quae Messiae ortum, nativitatem, vitae et mortis circumstantias, ejusque post mortem exaltationem praedicunt, in Jesu Nazareno impletae sunt. 188

§. II. *De prophetiis a Christo editis.*

Prop. I. Christus veras edidit prophetias. 197

Prop. II. Prophetiae a Christo editae invicte probant divinam religionis Christianae originem. 198

ARTICULUS IV. *Probatur religionis Christianae divinitas ex miraculis.* 199

§. I. *De miraculis in ordine naturali.*

Prop. I. Christianae religionis divinitas probatur ex miraculis a Christo patratis. 200

Prop. II. Multa in N. T. libris continentur miracula proprie dicta, quibus divina Apostolorum quam a Christo acceperunt, missio comprobatur. 201

Prop. III. Christum a Deo fuisse legatum, divinamque esse quam tradidit doctrinam, speciatim probatur ex miraculo resurrectionis. 204

§. II. *De miraculis in ordine morali.* 208

Prop. I. Mirabilis Christianae religionis propagatio manifestam facit divinam ejusdem religionis originem. 210

Prop. II. Religionem Christianam divinam esse, probant stupendi quos in orbe produxit effectus. 212

Prop. III. Constantia martyrum divinam religionis Christianae originem probat. 214

Prop. IV. Perpetua religionis Christianae stabilitas probat peculiarem Dei in ea tuenda providentiam. 215

CAPUT III. Praeter religionem Christianam nulla in orbe existit divina revelatio. 224

ARTICULUS I. *De Judaismo.* 224

Prop. Hodierna religio Judaeorum falsa est, et neutiquam ut divina revelatio haberi potest. 227

ARTICULUS II. *De Mahumetismo.* 228

Prop. Mahumetana religio divina revelatio esse non potest. 230

ARTICULUS III. *De Gentilismo.* 232

Pag.
Prop. I. Libri, qui a gentilibus ut divini habentur, divini non sunt, nec esse possunt. 233
Prop. II. Nulla est ex gentilium religionibus, quae divinae revelationis characterem habeat, aut habere possit. 234

LIBER SECUNDUS.

Demonstratio religionis catholicae.

Proëmium. 237
Synopsis historica. 238
PROLUSIONES. 243
§. I. *De natura et proprietatibus religionis Christianae in genere.* 245
Prop. I. Revelatio Christiana, cujus divinam originem probavimus, illa tantum religionis capita complectitur, quae a Christo tradita, et ab Apostolis tanquam ad Christi religionem pertinentia in orbe promulgata sunt. 245
Prop. II. Ad revelationem Christianam, quam divinam probavimus, omnia illa necessario pertinent, quae a Christo hominibus tradita, et ab Apostolis tanquam ad Christi religionem pertinentia in orbe promulgata sunt. 245
Prop. III. Christus religionem suam universalem esse voluit et perpetuam. 246
Prop. IV. Ex omnibus Christianis religionibus una tantum vera Christi revelatio esse potest. 247
§. II. *De systemate articulorum fundamentalium et religionis Christianae perfectibilitate.* 247
Prop. I. Distinctio in articulos fidei fundamentales in sensu protestantium admitti non potest. 247
Prop. II. Divina Christi religio non potest successu temporis fieri perfectior. 252
§. III. *De religionum indifferentia.* 254
Prop. I. Religionem Christianam quilibet amplecti tenetur. 254
Prop. II. Homo inter religiones Christianas non potest manere indifferens. 254
PARS I. De vera Christi ecclesia. 255
CAPUT I. Qualis esse debeat Christi ecclesia. 256
ARTICULUS I. *De ecclesiae Christianae institutione.* 257
Pag.
Prop. I. Christus instituit ecclesiam. 257
Prop. II. Finis ecclesiae a Christo institutae immediatus est religio a Christo revelata, mediatus vero salus aeterna per religionem obtinenda. 260
ARTICULUS II. *De proprietatibus ecclesiae.* 262
§. I. *Ecclesiae universalitas et unitas.* 262
Prop. I. Christus ecclesiam suam instituit universalem. 263
Prop. II. Christus ecclesiam suam unam esse voluit. 264
§. II. *De ecclesiae perpetuitate et inerrantia.* 270
Prop. I. Christus ecclesiam suam perpetuam esse voluit. 271
Prop. II. Ecclesia, quam Christus instituit, nunquam potest a vera fide deficere. 272
§. III. *De sanctitate ecclesiae.* 276
Prop. I. Christus ecclesiam suam sanctam esse voluit. 277
Prop. II. Sanctitas, qualem Christus ecclesiae suae in hac terra inesse voluit, non excludit homines improbos et peccatores. 278
§. IV. *De ecclesiae necessitate et visibilitate.* 281
Prop. I. Christus ecclesiam suam instituit ut societatem necessariam. 282
Prop. II. Extra Christi ecclesiam non est salus. 282
Prop. III. Ecclesia a Christo instituta est societas visibilis. 283
ARTICULUS III. *De potestate ecclesiae.* 290
§. I. *De potestate a Christo ecclesiae concessa.* 292
Prop. I. Christus in ecclesia sua instituit cathedram, seu magisterium authenticum. 292
Prop. II. Christus in ecclesia sua instituit ministerium authenticum seu potestatem administrandi cultum publicum. 292
Prop. III. Christus in ecclesia sua instituit imperium seu potestatem legislativam, judiciariam et coactivam. 292
Prop. IV. Christus ipse elegit Apostolos, et illis immediate et solis omnem illam potestatem concessit, quam in ecclesia sua instituit. 293
§. II. *De potestatis ecclesiasticae perpetua duratione et ecclesiae docentis infallibilitate.* 296
Prop. I. Triplex potestas Apostolis

Pag.

concessa ex Christi institutione est perpetua. 298
Prop. II. Ecclesiae inerrantia ex Christi institutione consistit in ecclesiae docentis infallibilitate. 299
ARTICULUS IV. *De constitutione ecclesiae, seu hierarchia a Christo instituta.* 302
§. I. *De episcoporum, presbyterorum et diaconorum institutione et distinctione.* 304
Prop. I. Ordo diaconorum semper in ecclesia extitit tanquam gradus sacer et hierarchicus ab episcoporum et presbyterorum ordine distinctus. 306
Prop. II. Episcoporum ordo nullo non tempore a presbyterorum ordine fuit distinctus, eique superior. 308
§. II. *De institutione primatus.* 314
Prop. I. Christus in ecclesia sua primatum instituit, quem sancto Petro contulit et in ecclesia semper perdurare voluit. 315
Prop. II. Christus non honoris tantum, sed et jurisdictionis primatum instituit. 317
Consectaria. 324
I. *Ecclesia recte definitur, coetus hominum unius et ejusdem fidei Christianae professione et eorundem sacramentorum communione conjunctus, sub regimine legitimorum pastorum, ac praecipue supremi Pontificis, S. Petri in primatu successoris.* 325
II. *Tam haeretici, quam schismatici extra ecclesiam sunt.* 325
III. *Nunquam licet a vera Christi ecclesia secessionem facere.* 326
IV. *Neque catechumeni, neque excommunicati proprie ecclesiae membra sunt.* 327
V. *Peccatores etiam manifesti, item haeretici et infideles occulti ad externam Christi ecclesiam pertinent.* 327
VI. *Ergo ecclesia non potest definiri societas praedestinatorum, aut justorum.* 328
CAPUT II. Quaenam ex diversis Christianorum societatibus sit vera Christi ecclesia. 328
ARTICULUS I. *De primatu Romani Pontificis.* 329
Prop. Primatus Petro a Christo concessus in Romano Pontifice perseverat. 332

Pag.

ARTICULUS II. *De notis verae ecclesiae in genere.* 343
§. I. *Quaeritur quae sint conditiones ad verae ecclesiae notam requisitae.* 344
§. II. *Admitti non possunt notae a novatoribus assignatae.* 345
§. III. *Quaenam sint notae illae, quibus vera ecclesia a falsis discerni possit.* 346
Prop. I. Vera Christi ecclesia debet esse perpetuo visibilis. 347
Prop. II. Notae verae et visibilis ecclesiae statui debent quatuor sequentes: Unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas. 347
ARTICULUS III. *An ecclesia Romano-catholica omnibus verae ecclesiae notis insignita sit.* 351
§. I. Prop. *Ecclesia catholicorum habet notam unitatis.* 352
§. II. Prop. *Ecclesia Romano-catholica notam habet sanctitatis.* 354
§. III. Prop. *Ecclesia Romana habet notam catholicitatis.* 358
§. IV. Prop. *Ecclesia Romano-catholica notam habet apostolicitatis.* 360
§. V. Consectaria I. *Visibilitas, quae verae Christi ecclesiae propria esse debet, convenit societati catholicorum.* 362
II. *Ecclesia Romano-catholica est vera Christi ecclesia.* 363
III. *Infallibilitas, quam Christus ecclesiae suae pastoribus promisit, in ecclesia Romano-catholica quaerenda est.* 363
IV. *Extra ecclesiam catholicam Romanam non est salus.* 364
ARTICULUS IV. *An acatholicorum, imprimis protestantium societates verae ecclesiae notas habeant.* 365
§. I. *De nota unitatis.* 366
Prop. Ecclesiae protestantium notam unitatis nec habent, nec habere possunt. 368
§. II. *De nota sanctitatis.* 369
Prop. Protestantium societates sanctitatis notam non habent. 372
§. III. *De nota catholicitatis.* 373
Prop. Nulli ex protestantium ecclesiis convenit nota catholicitatis, neque convenire potest. 374
§. IV. *De nota apostolicitatis.* 377
Prop. Nota apostolicitatis ecclesiis protestantium non convenit. 380
§. V. *De Orientis ecclesiis ab ecclesia Romana separatis.* 381

Pag.

Prop. Ex omnibus Orientis ecclesiis a Romana ecclesia separatis nulla est, quae omnes verae ecclesiae notas habeat. 382

PARS II. De regula fidei, seu de mediis, quibus Christus religionem suam voluit in sua ecclesia servari. 383

CAPUT I. De sacra scriptura. 385

ARTICULUS I. *De scripturarum inspiratione.* 385

§. I. *De scripturae sacrae divina origine.* 387

Prop. I. Scriptura sacra divinitus inspirata est. 387

Prop. II. Scriptura sacra quoad omnes et singulas partes inspirata est. 390

§. II. *Qua ratione scriptura dici possit origine divina.* 395

Prop. I. Scriptura sacra vere et proprie inspirata est. 397

Prop. II. Non omnia in scriptura sunt revelante Spiritu S. scripta, nec admittenda est inspiratio proprie dicta ad singula verba et styli modum. 398

ARTICULUS II. *De sacrarum scripturarum canone.* 399

§. I. *De canone in genere.*

Prop. Canon concilii Tridentini legitimus est. 403

§. II. *De libris deutero-canonicis veteris testamenti.*

Prop. Omnes libri V. T., qui deutero-canonici vocantur, divinae originis sunt. 407

§. III. *De libris deutero-canonicis novi testamenti.*

Prop. Omnes libri deutero-canonici N. T. divinae originis sunt. 413

ARTICULUS III. *De scripturarum sensu.* 419

§. I. *De sensu mystico et accommodatitio.* 420

Prop. I. In multis scripturae locis praeter sensum litteralem admittendus est mysticus. 422

Prop. II. Ex sensu mystico, cum eum talem esse constat, solidum deducitur argumentum; non vero ex sensu accommodatitio. 423

§. II. *An plures dentur ejusdem loci sensus litterales?* 426

§. III. *Regulae in investigando scripturae sensu observandae.* 428

§. IV. *Studii hermeneutici subsidia.* 431

Pag.

§. V. *An admitti possit systema accommodationis ad sensum recentiorum inter protestantes interpretum?* 435

Prop. Systema accommodationis in sensu Semleri et aliorum ex protestantibus falsum est, impium et omnem evertens revelatam religionem. 437

ARTICULUS IV. *De versionibus scripturae sacrae.* 440

Prop. I. Latina utriusque testamenti versio, quae Vulgata dicitur, a Tridentino jure merito declarata est authentica. 443

Prop. II. Tridentina synodus Vulgatam authenticam declarando eam Hebraeis et Graecis fontibus non anteposuit, neque ab omni mendo puram esse definivit. 444

Appendix. 447

CAPUT II. De verbo Dei tradito. 448

ARTICULUS I. *Verbum Dei scriptum unicus revelationis fons nec est, nec esse potest.* 449

Prop. I. Scriptura sacra non fuit medium primigenium propagandae et conservandae religionis. 449

Prop. II. Scriptura sacra non est perfecta eo sensu, quod totam Christi religionem complectatur. 450

Prop. III. Scriptura sacra non est in omnibus clara et perspicua. 450

ARTICULUS II. *Dantur verae et proprie dictae traditiones divinae, seu datur verbum Dei traditum.* 455

Prop. I. Dantur traditiones dogmaticae divinae. 456

Prop. II. Traditiones dogmaticae ejusdem sunt auctoritatis, ac verbum Dei scriptum. 459

ARTICULUS III. *De traditionum divinarum ad nos propagatione.* 461

Prop. I. Aeque certi sumus testimonia Apostolorum ore tradita incorrupta ad nos pervenisse; quam certi sumus testimonia litteris consignata integre fuisse conservata. 463

Prop. II. Consensus Patrum unanimis certum est et infallibile argumentum divinarum traditionum. 464

CAPUT III. De judice controversiarum. 467

ARTICULUS I. *An necessarius sit judex controversiarum a Christo institutus et infallibilis.* 468

Prop. Praeter scripturam et traditionem requiritur aliquis contro-

Pag.

versiarum judex a Christo institutus, isque infallibilis sit necesse est. 468

ARTICULUS II. *Judex controversiarum infallibilis a Christo institutus alius esse non potest, quam ecclesia catholica.* 471

Prop. I. Judex controversiarum a Christo institutus non potest esse spiritus privatus, qualem protestantes admittunt; nec ipsa scriptura, nec ratio humana. 472

Prop. II. Ecclesia catholica docens est judex controversiarum infallibilis, a Christo institutus. 475

ARTICULUS III. *De infallibilitatis objecto.*

Prop. Ecclesia Christi infallibilis est in iis omnibus et solis, quae ad revelatae doctrinae depositum pertinent, aut ad ejus conservationem necessaria sunt. 480

Quaestio I. *An ecclesia infallibilis sit in iis, quae ad morum doctrinam pertinent?* 480

Quaestio II. *An ecclesia infallibilis sit in statuenda generali disciplina?* 480

Quaestio III. *An ecclesia sit infallibilis in decidendis factis dogmaticis?* 481

Quaestio IV. *An ecclesia errare possit in canonizatione Sanctorum, in approbatione religiosorum ordinum, item, in illis, quae Breviario inserta leguntur?* 483

ARTICULUS IV. *De infallibilitatis subjecto.* 484

Pag.

§. I. *Ad quos pertineat judicium in rebus fidei controversis.*

Prop. Soli episcopi jure divino causas fidei judicant. 485

§. II. *An ecclesiae pastores infallibili auctoritate judicent, sive per orbem sint dispersi, sive congregati in concilio oecumenico.* 486

Prop. I. Ecclesia per orbem dispersa in rebus fidei et morum infallibilis est. 488

Prop. II. Ecclesia docens in concilio generali congregata est judex fidei infallibilis. 488

Appendix. *De concilio Tridentino.* 493

Prop. Concilium Tridentinum omnes characteres habet legitimi et oecumenici concilii. 494

§. III. *Quaenam sit Romani Pontificis in fidei controversiis auctoritas.* 497

Prop. Ex principiis fidei catholicae certum est, summum Pontificem in dijudicandis fidei controversiis praecipuas partes habere: ejusque judicium, si ecclesiae consensus accesserit, esse irreformabile. An autem ante ecclesiae consensum infallibile sit, salva fide controvertitur. 500

Quaeritur I. *Qualis requiratur ecclesiae consensus?* 502

Quaeritur II. *Quid censendum sit de modo damnandi propositiones in globo?* 504

CONCLUSIO. 504

210.2
L.621

2079

LIEBERMANN, Leopold

AUTHOR

Theologia Fundamentalis Instit.

TITLE Tomus I

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
	FR. DONOVAN	
	Sears	

2079